


Admodum Reverendi Patris

P. RAPHAELIS

BONHERBA

CIVITATIS S. PHILIPPI SS. THEOL. MAGISTRI, ORDINIS S. AUGUSTINI.

SACRORUM PROBLEMATUM IN EVANGELIA

Doctâ, Curiosa ac ſubtili methodo (Philoſophiæ, Jurisprudentiæ, Theologiæ, Sanctorum Patrum ſuffragantibus Obſequiis) per ſingulas Quadrageſimæ Dominicas & Ferias feliciter reſolutorum;

Omnibus Divini Verbi Præconibus, nec non quibuscunq; hominum Statibus ac Conditionibus utiliſſime ſervientium,

PARTES DUÆ.

Quibus accedunt in fine Sermones Problematici de Feſtis S. Joſephi, Annunciationis V. M. & quinque de Paſſione Domini, pro Feriis ſextis menſis Martii.

OPERA ET STUDIO R. P. PATRITII A S. JACOBO, ORDINIS Carmelitarum Allemaniæ Inferioris, ex Idiomate Italico in Latinum traductæ,

&

NOVENO INDICE LOCUPLETATÆ.

Cum Gratia & Privileg. Sacr. Cæſar. Majeſt.

MOGUNTIÆ,

Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.

M DC LXX.



PROOEMIVM
AD CURIOSOS AC BENEVOLOS
LECTORES.

DUm sacris Problematibus, meus iste (benigni Lectores) vos reveretur liber; curioso pariter problemati vestros in præsenti animos intentos velim, perdifficilis soluturos quæstionis nodum. Quibusnam, vos interrogo, palmam & prærogativam judicatis tribuendam; an Prædicatoribus, qui vocis elatæ tubâ in pulpitis perstrepentes, animas ad Christi convocant sequelam; an verò piissimis Scriptoribus, qui ejusdem finis illecti præstantiâ, id præstant calamo, quod primi verbo? illos nimiis ad cœlum usque laudibus prosequitur Propheta Daniel, inquiens: *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* His econtra palmam præ aliis consecrat Trithemius, dum ait: *Major est Scriptoris pietas officio prædicantis, quia istius cum tempore perit monitio; sed illius perseverat in annos multos annunciatio; prædicator loquitur duntaxat præsentibus; sed scriptor præsentibus prædicat & futuris; illius sermo semel auditus, in nihilum redigitur; sed istius lectio millesies repetita, nunquam minuitur: cum Prædicator deficit, cessat officium; sed scriptor etiam mortuus, in volumine facit moribus institutum.* Ego ut, quod sentio, edicam; licet per 35. annos, officio perfunctus fuerim Prædicatoris, & post plurimi temporis lecturam, me scholasticos inter Scriptores recensuerim, diversis in lucem editis operibus, tam Philosophicis quàm Theologicis; hodie nihilominus sicuti ex una parte, nimio præpedior senio, quò minus in animarum beneficium, meam valeam impendere vocem; ita ex alia parte diversis ex capitibus permotus fui, quò minus typo committerem, quæ in pulpitis proclamaveram; & præcipuè quidem, quoniam probe novi, minus subesse discriminis in publicè proclamatis ad populum sermonibus, qui, dum fluminis instar præter-

Trit. lib. de Scriptorum laud. c. 6.

labuntur, criticis tempus negant censuræ; quàm in prælo commissis, hi namq; in charta extensi, solidis firmati characteribus, morosè legi relegique possunt, & quicunque eorum defectus, non jam fugitivi ultra, sed stabiles, fixi & constricti, nauseam delicatis creare stomachis, inque rigidis censoribus convitii aut calumniæ suscitare pruritum præterquam quòd errores in sermonibus, ad populi instructionem publicè fieri solitis, admissos aut delicata terminorum structura & Oratoris in dicendo gratia, vel auscultantium devotio, vel loci sanctitas, vel temporis denique occulat religio; at verò quæ publicat typus volumina, veluti nuda procedunt in publicum, patulis stipata erroribus, quæ omnium offendunt oculos intuentium. Horum itaque intuitu, lucubrationum mearum prædicabilium typum neutiquam admittere decreveram, ubi in manus indifferenter quorumcunq; incidentes, tam genuinum subiissent prudentũ judicium, quàm depravatam minus sapientum sententiam; siquidem non minus subest periculi, in acutam illorum offendere limam, quàm in indiscretam horum incidere lanienam. Et ut plurima paucis, quis in temporibus præsentibus non subterfugeret suas typis concredere ecclesiasticas lucubrationes, in quibus conglobantur plurimæ, tantâ præfulgentes doctrinæ & subtilitatis magnificentiâ, ut ad *maximum quòd sic* pertigisse videantur; *non plus ultra*? Hi similesque respectus, rationabiles admodum & urgentes, me permovere, ut, si Scriptoribus accenseri vellem, anceps ipse mecum cœperim disceptare; quas inter ambages illa mihi ex improviso occurrit Ecclesiastici sententia, dicentis: *Qui observat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet.* Si villicus astrologum induerit, motus, aspectus & influentias cœlestes contemplando, certò certius nnnquã semine fœcundabit terram, consequenter & messe destituendus: quisquis suæ affectat substantiæ proventum, necessum est, aleam ut subeat fortunæ; ita & Neptuni, & Martis, & Apollinis in palæstra, quotidiana docet experientia magistra, ut nemo non discat, sese optato posse destitui fine. Inductus itaque fui, ut meas finerem typis divulgari lucubrationes; tum ut sublimioribus obedirem imperatis, tum quia satius esse judicavi, defectum præ se ferre scientiæ, quàm affectus & reverentiæ debitæ: accipite igitur, qualecunque vobis curta ingenii mei supellex subministrat opusculum, singulari neutiquam exornatum studio, nullis acutum subtilitatibus, nullis sublime ornamentis, qualia genus decent heroicum: insula namque Siciliæ, utpote frumento abundantior quàm floribus, mihi in memoriam revocat illud S. Petri Chrysologi acumen, dum ait: *Si scire volumus, verborum flosculos non quæramus; qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum; violæ, rosæ, lilia, Narcissus grati flores; sed gratior panis.*

S. Pet. Chrys. Ser. 18.

Sæ-

Sæculum equidem præsens nil nisi rhetoricas affectat figuras, raris inhiat eruditionibus, academicos indagat discursus, politosque sermones; ast ego (utpote in Sicilia, quæ majorem frumenti quàm florum fovet abundantiam, prognatus, quique cognomen circumfero *Bonæ herbæ*, unde panis conficitur) omnem seposui florum elegantiam; magistrâ experientia edoctus, Auditores, floridis hujusmodi pastos discursibus, ordinariè famelicos & jejunos magis domum rediisse, quàm ad Ecclesiæ convivium accesserant, ut divini verbi pabulo reficerentur. Panem itaque *Bonherba* seu *bonæ herbæ*, vobis in hocce meo libro subministro, panem non ordinarium sed sacrum, *habentem in se omne delectamentum*; aut, ut verius eloquar, illum vobis panem per omnes Quadragesimæ dies offeram in cibum, cujus per S. Joannem in hæc verba meminit Salvator: *Ego sum panis vivus*; ideoque per omnes ferias quintas, dulcedinem vobis exhibebo degustandam panis Eucharistici. Feriis sextis, in passionis torculari contusum speculabimini frumentum illud, ex quo pretiosus adeo conficitur panis; in Sabbatis autem glorias contemplabimini magnæ Dominæ nostræ Mariæ, in cujus virginali sinu divinus ille panis subactus, coctusque fuit; in omnibus Dominicis idem ille panis in figura recurret aut in figurato: feriis secundis, aut idem erogabitur panis, aut aliud litabitur refrigerium pro animabus sancti Purgatorii, atque ita deinceps in diebus aliis duobus sequentibus. Authoritates plerumque & sententias consectatus sum sanctorum Patrum & classicorum authorum; atque ubi meo quippiam reperi conforme talento, ingeniis pariter sublimibus credidi non displiciturum. Sæpe equidem rariores aliquos formavi conceptus, autumans, eos mei esse studii partus; quos tamen postea in aliis reperi Auctoribus. Gratias Deo infinitas, quòd mei vis ingenii ad eam non pertigerit sublimitatem, ut non cognoscat tempora adeo florida, in quibus Auctores famosi tanta cum eruditione quascunque prædicabiles eviscerarunt materias, ut successores suos quodammodo reddiderint impotentes, qui nova superadderent inventis. Nihilominus si luminaria inter cœlestia exiles quoque scintillant stellarum igniculi, si regales inter nebulas herbacea pariter apponuntur condimenta; cur non etiam prædicabiles inter magnorum Doctorum codices, laboriosum comparere poterit Patris *Bonherba* studium? Pervolvite igitur hunc meum sacrorum problematum prædicabilium librum, cujuscunque demum capacitatis & conditionis estis; si enim ejusdem mecum professionis & docti estis, facilè noveritis cuicunque artis ignoscere defectui: Si verò ignorantes estis, meque rudiores, allaborate ut idoneam vobis herbam decerpatis; sin minus, non multum angor de præstanda vobis satisfactione; suppono namque vos ad sensum meum mini-

mè arrivaturos. Si quid repereritis gustui vestro accommodatum, totum id in auctorem ejus refundite Deum; si immaturos aut insipidos contigerit offendere conceptus; mementote, animos in Quadragesima non delicatis semper cibis refocillandos esse; sed in mortificationem sensus, dapibus quandoque exilibus, etiam herbaceis, fovendos. Si quid aliud dicendum occurrerit, hoc ipsum in parte secunda insinuabo; interim orate pro me, qui omne vobis bonum voveo animitùs.

Approbatio Religionis.

NOs infrascripti in sacra Theologia Magistri, de mandato Reverendiss. Patris Mag. Fr. Petri Lanfranconii, totius Erem. Ordinis sancti Patris Augustini Prioris Generalis, attentè perlegimus integrum quadragesimale, continens sacra Problemata pro singulis diebus quadragesimæ, & duas conciones, unam de sancto Joseph, & aliam de sanctissima Annunciatione, ac quinq; sermones pro feriis sextis Martii, in duas partes divisum, & in forma prædicabili, ab Admodum Rever. Patre, Sacræ Theologiæ Magistro, Raphaële Bonherba peroptimè resolutum: in eoque nihil invenimus, catholicæ nostræ fidei, bonisque moribus adversari, quapropter ut laude, sic luce dignum existimamus. Datum Panormi 15. Januarij 1667.

Fr. Augustinus Trabuccus sacræ Theologiæ Mag. Panormitanus.
Fr. Marcellus Corvus Ennensis sacræ Theologiæ Magister, & in Panormitano Collegio studiorum Regens.

Magister Fr. Petrus Lanfranconius totius Ordinis Eremit. sancti Augustini Prior Generalis, licet ind.

Rever. Nobisq; in Christo dilectissimo Patri Magistro Raphaëli Bonherba Siculo à sancto Philippo, ejusdem Ordinis ac voti Salutem.

UT opus, quod est integrum Quadragesimale, continens sacra Problemata pro singulis diebus Quadragesimæ, à te in duas partes divisum, & in forma prædicabili resolutum, à nostrisque Theologis, quibus censuram remisimus, approbatum, Typis edere valeas, eam, quæ ad nos spectat, servatis servandis, licentiam impertimur. Datum Romæ, die 19. Martij 1667.

Impr.

Impr. Martinez Rubius G. & V. G.

EGo Doctor Don Franciscus ab Angelo ex commissione Reverendiss. D. Ægidii Martinez Rubii, Vicarii Generalis legi & revidi conciones quadragesimales, ab Adm. Reverend. Patre Mag. Fratre Raphaële Bonherba, Civitatis S. Philippi, Ordinis S. Augustini, compositas, quibus titulus: *Problemata sacra prædicabilia:* non modò eas severo & accurato perlustravi obtutu; sed & serio discussi examine, nihilque reperi sanctæ Catholicæ contrarium fidei, sed multo formatas cum judicio; arbitrorque, eas plurimum posse animabus fidelium afferre emolumentum, quotquot pervolverint ipsas. In quorum fidem manu propria subscripsi. Panormi 6. Aprilis 1667.

D. Doctor Franciscus ab Angelo Deputatus.

Impr. Abbas D. Octavius de Augustino pro Sp. de Daynotto F. P.

EX speciali commissione Reverendiss. Domini Abbatis Don Octavii de Augustino S. T. & V. J. D. Prothonotarii Apostolici, in Panormitana diœcesi indicis synodalis, Tribunalis Visitationis M. C. Archiepiscopalis Pan. examinis & sanctimonialium monasteriorum Deputati, & pro regia jurisdictione tuenda, in impressione librorum Excellentiæ suæ Delegati loco Spect. D. Placidi Daynocto, Tribunalis magnæ regiæ curiæ Fisci Patroni, vidi attenteque perlegi opus hoc, cujus titulus est (*Sacra problemata in Evangelia Quadragesimæ*) à Patre F. Raphaële Bonherba in sacra Theologia Magistro, Ordinis S. Augustini, eximio Dei præcone, & suo nomine satis celebri elaboratum, & non solùm reperi non adversari regiæ Jurisdictioni, nec morum probitati, imò plenum moralis disciplinæ, piis, devotis & cujuscunque gradus & conditionis personis valde utile & necessarium, dignumque, ut typis mandetur, censui; si ita videbitur prædicto Reverendissimo Domino meo Abbati Don Octavio de Augustino, cui in omnibus obedientiam præsto, me subjicio, & Salutem in Domino semper exopto. Dat. in Conventu S. Dominici Panormi, die 25. Martii 1667.

Fr. Vincentius Leale Panormitanus Lector & Prædicator Generalis Ordinis Prædicatorum.

Censura Ordinarii Moguntini.

VIsis diversorum ordinariorum nec non Ord. Eremitarum S. Augustini approbationibus & judiciis, permittitur, ut problemata Sacra pro singulis diebus quadragesimæ P. Raphaëlis Bonherba Ord. Eremit. S. Augustini Ecclesiastis in hac Archidiœcesi Mog. imprimantur & divulgentur. Moguntiæ die S. Luciæ Anno MDCLXIX.

A. Godefridus Volusius SS. Theol. Doctor, Protonotarius Apostolicus librorum Censor.



INDEX PRIMUS
Auctorum in utraque præsentis Quadragesimalis parte adductorum.

Fernan-

Finis Auctorum.





INDEX SECUNDUS.

DISCURSUUM ET PROBLEMATUM in utraque præsentis quadragesimalis parte contentorum.

Pro Feria quarta Cinerum.

DISCURSUS

DE thesauro pœnitentiæ, quo Deus locupletatur in gloria; deque thesauro in cineribus abscondito, qui peccatorem ditat pœnitentiâ.

PROBLEMA.

Uter thesaurus sit dicendus pretiosior & excellentior; an ille pœnitentiæ, qui Deo affert divitias gloriæ; an verò hic sub cineribus abditus, qui dum mortis admonet, peccatori multiplicat divitias pœnitentiæ?

Pro Feria quinta Cinerum.

DISCURSUS

De excellentia humilitatis, quæ est præcipua ad sanctissimi sacramenti receptionem dispositio.

PROBLEMA.

Utra sit major; an majestas Divinitatis in cœlo, an humilitatis exilitas in terra?

Pro Feria sexta Cinerum.

DISCURSUS

De amante, qui odit cum amore inimicorum.

PROBLEMA.

Ad quid potius obligetur Christianus; an ad amandos inimicos, an ad odio habendos parentes; & uter sit principalior divinæ dilectionis effectus; exaltare illum, qui amans ignoscit; aut annihilare inimicum, cui ignoscitur?

Pro Sabbato post Cineres.

DISCURSUS

De immaculata Mariæ Conceptione.

PROBLEMA.

Uter immaculatæ conceptionis M. acrior extiterit defensor; subtilissimus Scotus, an Doctor Angelicus? & utra Religio magnam matrem magis proclamavit immaculatam & puram; Seraphica S. P. Francisci, an verò Angelica gloriosi S. Dominici?

Pro Dominica I. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De tentationibus Christi & valore bullæ sanctissimæ Cruciatæ?

PROBLEMA.

Quæ ex divinis Personis plus fecerit in utilitatem nostram; an P. æternus Christum in mundum ablegans ad crucifixionem; an verò Spiritus Sanctus, eundem Christum ducens in desertum ad tentationem?

Et unde suam potius originem traxerit

De

De malis, quibus atheus & infidelis involutus, tandem moritur in peccato; deque præservativis contra ea, quorum unum est charitas in sancti Purgatorii animas.

PROBLEMA.

Uter infelicior sit & miserior; damnatus in inferno, an verò viator, qui sine fide & sine Deo vivens, tandem moritur in peccato?

Et ubi major foret satisfactio; an in Paradiso sine Deo, an in inferno, cum Deo?

Pro Feria 3. Dom. 2. Quadr.

DISCURSUS

De Statu & conditione Superioris, & obligatione subditorum.

PROBLEMA.

Uter vitæ Status sit felicior; an eorum, qui alios regunt; an verò eorum, qui reguntur ab aliis?

Pro Feria 4. Dom. 2. Quadr.

DISCURSUS

De malis ambitionis, deque bonis contemplationis Christi crucifixi.

PROBLEMA.

Utrùm sit efficacior; ambitio ad crucifigendum Christum, an verò Deus crucifixus ad exstirpandam ex anima ambitionem?

Pro Feria 5. Dom. 2. Quadr.

DISCURSUS

De malis, quæ manent divites avaros, ob malum facultatum usum & neglectum panis eucharistici.

PROBLEMA.

Qui sint atrociores inimici, divitem avarum ad infernum deducentes; an propriæ opes, malè expensæ; an verò diaboli?

Et unde fiat, quòd in sacra pixide confectæ quandoque & corruptæ reperiantur species sacramentales?

Pro Feria 6. Dom. 2. Quadr.

DISCURSUS

De divinæ erga peccatores misericordiæ, & peccatorum contra Deum ingratitudinis magnitudine.

PROBLEMA.

Utra sit major; an divina in peccatores misericordia, an verò peccatorum contra Deum ingratitudo? quæque arbor inter omnes sola & unica, divinis oculis maximè gratos pariat fructus?

Pro Sabbato Dom. 2. Quadr.

DISCURSUS

De magna attributorum, Mariam inter & unum trinumque Deum similitudine; item de Privilegiis servorum M.V.

PROBLEMA.

Utrùm attributa illa, quæ sunt in uno trinoque Deo per naturam, omnia per gratiam reperiantur in Maria? Quique inter omnes hujus Virginis devotos, sint maximè securi Redemptionis hæredes?

Pro Dominica 3. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De malis peccati & bonis confessionis.

PROBLEMA.

Utrum sit potentius; aut peccatum ad annihilandum hominem eumque transformandum in dæmonem; aut verò confessio ad exaltandum pœnitentem, ipsumque promovendum ad æqualitatem Dei?

Pro Feria 2. Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De petitionis Popularium Christi imperfectionibus; item de documento nobis tradito à Christo in responso, pro animarum Purgatorii adjutorio.

PROBLEMA.

Ubi Christus gravius fuerit offensus & cruciatus; an in patria propter municipum suorum petitionem; aut verò Calvario, ob crucifixionem & blasphemias Pharisæorũ?

Quidve animas Purgatorii magis cruciet; an ignis, rigorosum justitiæ divinæ instrumentum; aut verò popularium, Consanguineorum, amicorumve oblivio?

Pro Feria 3. Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De correctione fraterna.

PROBLEMA.

Utrum ſacrificium ſit magis divinum, magis Deo gratum, nobisque fructuoſius; an redemptio animarum à Chriſto peracta in cruce, aut verò correctio fraterna?

Pro Feria 4. Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De hypocriſi & detractione proximi.

PROBLEMA.

Uter ſit monſtruoſior, divinisque ingratior oculis; an peccator ille, qui ſine corde vivit, totusque lingua eſt; an verò diabolus in inferno?

Pro Feria 5. Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De valore & merito tribulationum, item de præſentia Chriſti ſacramentalis.

PROBLEMA.

Utra domum Simonis effecerit beatiorem; an febris ſocrus, an præſentia Chriſti?

Pro Feria 6. Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De converſione Samaritanæ.

PROBLEMA.

Ubi Chriſtus majores exantlavit labores; an in Samaria, ut unam converteret Samaritanam; an verò in Calvario, pro totius humani generis redemptione?

Pro Sabbato Dom. 3. Quadr.

DISCURSUS

De magna puritate Mariæ, cujus ſpeciales ſe filios perhibent confratres ſanctiſſimi Roſarii.

PROBLEMA.

Utra puritas coram oculis creatis ſit admirabilior; an divinarum Perſonarum, an verò Mariæ matris Chriſti?

Quæque inter omnes Eccleſiæ Chriſtianæ confraternitates, ſit hæres Paradiſi certior, quàm illa ſanctiſſimi Roſarii?

Pro Dominica 4. Quadr.

DISCURSUS

De pane providentiæ, figura panis euchariſtici; deque benedicto glorioſi ſancti Nicolai Tolentinatis pane.

PROBLEMA.

Utrum in pane providentiæ divinæ (figurâ panis euchariſtici) an verò in pane benedicto S. Nicolai Tolent. major reluceat excellentia, & magis mirabilia contineantur?

Pro Feria 2. Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De zelo Chriſti in templum materiale (quod eſt Eccleſia) & ſpirituale, quod eſt ſacerdos.

PROBLEMA.

Pro quo templo Deus magis æmuletur; an materiali, an ſpirituali?

Et quando ſacerdos ſit potentior; an quando in miſſa panem tranſubſtantiando, corpus Chriſti de cælo facit deſcendere in terram; aut verò, dum applicando ſacrificium, ex S. Purgatorio animas transmittit in Paradiſum?

Pro Feria 3. Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De obſervantia legis divinæ & fructu auditus verbi divini.

PROBLEMA.

Qui majorem habeant divinarum ſcientiarum notitiam & cœleſtium myſteriorum intelligentiam; vel Angeli in puris naturalibus, vel Chriſtianus, libenter obſervans legem divinam, & cum attentione verbum auſcultans divinum?

Pro Feria 4. Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De cæco vidente & mortuo vivente.

PRO-

PROBLEMA.

Quando homo coram Deo compareat venuſtior; an, dum in mundo eſt cœcus, ſeque ipſum ſine oculis intuetur; an verò dum oculos habet luto conſperſos?

Pro Feria 5. Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De glorioſa vidua S. Monica, ſpiritualem Auguſtini in Manichæorum ſecta, mortem deplorante; item de prærogativis eorum, qui ſacris ſe cingulis præcinxerunt.

PROBLEMA.

Utrum ſit prodigium majus; Virginem M. obumbrante Spiritu S. peperiſſe Chriſtum Deum, vel viduam Monicam, vi lacrymarum ſuarum, ſanctum generaſſe Auguſtinum?

Pro Feria 6. Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De pœnis animarum ſancti Purgatorii, deque ſuffragiis, in ipſarum refrigerium præſtandis.

PROBLEMA.

Quæ pœnæ majores ſint, ſcilicet ignis Purgatorii vel Inferni?

Et utrum ſuffragium ſit animabus dictis fructuoſius; ſcilicet ſacrificium crucis, aut verò iſtud altaris?

Pro Sabbato Dom. 4. Quadr.

DISCURSUS

De excellentiis pulchritudinis V. Mariæ.

PROBLEMA.

Utra ſit venuſtas admirabilior; Dei, an V. M, Et an poſſibile ſit, quemquam V. M. devotum damnari?

Pro Dominica 5. Quadr.

DISCURSUS

De ſanctitate Chriſti, & gloria crucis.

PROBLEMA.

An Chriſtus glorioſiorem ſe reputavit, in poſſidendo innocentiam ſine umbra peccati; aut verò dum crucifixus eſt, & in cruce mortuus, veluti peccator?

Pro Feria 2. Dom. 5. Quadr.

DISCURSUS

De valore fidei, & utilitate charitatis, mortuis præſtitæ.

PROBLEMA.

Uter ſit felicior; an qui in terris actum elicit vivæ fidei, an qui divinam in cœlis clare videt eſſentiam in tribus perſonis?

Et quæ aqua ſupra eleemoſynam ſit efficacior in exſtinguenda afflictarum animarum ſiti, in ignibus Purgatorii?

Pro Feria 3. Dom. 5. Quadr.

DISCURSUS

De Chriſti nimio patiendi deſiderio, deque obſervantia Feſtorum.

PROBLEMA.

Utra feſtivitas major fuerit & ſolemnior; an Judæorum, in perimendo Chriſtum; an Chriſti, in patiendo pro nobis?

Pro Feria 4. Dom. 5. Quadr.

DISCURSUS

De divina prædeſtinatione.

PROBLEMA.

Uter omnium fidelium adultorum major ſit numerus; an prædeſtinatorum, an præſcitorum?

Pro Feria 5. Dom. 5. Quadr.

DISCURSUS

De donis inter Magdalenam & Chriſtum.

PROBLEMA.

Utrum in Phariſæi menſa donum fuerit pretioſius; potus lacrymarum, quem Magdalena dedit Chriſto; an edulium propriæ carnis, quod Chriſtus donavit Magdalenæ?

sephus; an quia verus est Sponsus V.M. an quia putativus Dei incarnati pater?

In Festo sanctissimæ Annunciationis.

DISCURSUS

De una matre, quæ post partum mansit virgo; unâ virgine, quæ cum mater esset, facta est ancilla; deque ancilla, quæ Domina tanta est, ut ipsi imperet Deo.

PROBLEMA.

An Maria ut mater, quæ virgo est; ut virgo, quæ serva est; ut serva, quæ domina est; generans Christum in tempore, possit & valeat tantum, quantum potest & valet summus & increatus pater, generans Verbum divinum in æternitate?

PROBLEMATA SACRA DE PASSIONE DOMINI.

Pro primo die Veneris, mensis Martii.

DISCURSUS

De Christo exinanito in horto Gethzemani per tristitiam, agoniam mortis & sudorem sanguineum.

PROBLEMA.

Utrum fuerit tormentum crudelius; an tristitia Christi in horto, an verò ejus passio in Calvario?

Pro 2. die Veneris, mensis Martii.

DISCURSUS

De Christo exinanito in horto per capturam, & postea per pessimos insultus coram tribunalibus.

PROBLEMA.

Ubi Christus majorem patefecerit fortitudinem, & suam magis probarit omnipotentiam; an in captura & pessimis insultibus coram tribunalibus; an verò in cruce, quando debellavit Infernum?

Pro 3. die Veneris, mensis Martii.

DISCURSUS

De Christo exinanito ad columnam, per flagella, in forma mancipii.

PROBLEMA.

Ubi Christus majorem pœnam & dolorem subierit; in flagellatione, aut verò in coronatione?

Pro 4. die Veneris, mensis Martii.

DISCURSUS

De Christo exinanito in prætorio Pilati, per spineam, capiti ejus impositam, coronam.

PROBLEMA.

Utra fuerit Christo corona gloriosior; an hæc spinarum, quam accepit à Judæis; an illa gloriæ, quam ei imposuit Pater?

Pro 5. die Veneris, mensis Martii.

DISCURSUS

De Christo exinanito in Calvario per mortem crucis, & in eadem cruce ad gloriosum nominis Jesu Imperium exaltato.

PROBLEMA.

Uter in Christo fuerit major; dolor, an honor: tormentum, an consolatio; exinanitio in crucifixione, an magnificentia in exaltatione?

Et ubi, in crucem sublimatus, majorem fuerit consecutus gloriam & satisfactionem; an in æterni Patris sinu, ubi accepit divinitatem; an in gremio Mariæ, ubi mortalem hausit vitam; an verò denique in cruce ubi à Judæis cum ignominia passus est mortem?

Finis Indicis discursuum & Sacrorum Problematum.



INDEX



INDEX TERTIUS.

SINGULORUM THEMATUM sacris utriusque partis problematibus præfixorum.

Feria 4. Cinerum.

Nolite thesaurizare vobis thesauros vestros in terra, thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matth.6.v.19.&20.

Feria 5. Cinerum.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus. Matth.8.v.8.

Feria 6. Cinerum.

Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros. Matt.5.v.44.

Sabbato post Cineres.

Erat navis in medio mari, & ventus contrarius illi; ascendit Iesus in navim, & cessavit ventus. Marc.6.v.47.

Dominica 1. Quadragesimæ.

Ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à Diabolo. Matt.4.v.1.

Feria 2. Dom. 1. Quadr.

Cum venerit filius hominis in sede Majestatis suæ. Matt.25.v.31.

Tunc congregabuntur ante eum omnes gẽtes. ibid.v.32.

Feria 3. Dom. 1. Quadr.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis. Ioan.2.v.15.

Commota est universa civitas, dicens: quis est hic? Matt.21.v.10.

Populi autem dicebant; hic est Iesus Propheta à Nazareth. ibid.v.11.

Feria 4. Dom. 1. Quadr.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt? Matt.12.v.41.

Feria 5. Dom. 1. Quad.

Ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa, clamabat, dicens: miserere mei Domine, fili David. Matt.15.v.22.

Iesus autem respondens, ait illi: non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus. ibid.v.26.

Feria 6. Dom. 1. Quad.

Homo erat triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Ioan.5.v.5.

Hunc cnm vidisset Dominus, dixit; vis sanus fieri? ibid.v.6.

Sabbato Dom. 1. Quadr. & Dom. 2. Quadragesimæ.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, fratrem ejus, in montem excelsum seorsum. Matt.17.v.1.

Et transfiguratus est ante eos. ibid.v.2.

Et

Et cum fecisset lutum ex sputo, linivit oculos cæci nati. ibid. v. 6.

Feria 5. Dom. 4. Quadr.

Ecce defunctus deferebatur, filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat. Luc. 7. v. 12.

Quam cum vidisset Dominus, dixit illi; noli flere. ibid. v. 13.

Feria 6. Dom. 4. Quadr.

Lazarus amicus noster mortuus est. Joa. 11. v. 11. 14.

Sed eamus ad eum. ibid. v. 15,

Et veniens Iesus ad monumentum, ait; tollite lapidem. ibid. v. 38. 39.

Sabbato Dom. 4. Quadr.

Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan. 8. v. 12.

Dominica 5. Quadragesimæ.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joa. 8. v. 46.

Tulerunt ergo lapides Iudæi, ut jacerent in eum; Iesus autem abscondit se, & exivit de templo. ibid. v. 59.

Feria 2. Dom. 5. Quadr.

Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. 7. v. 38.

Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. ibid. v. 39.

Feria 3. Dom. 5. Quadr.

Erat autem in die proximo dies festus Judæorum. Joa. 7. v. 2.

Et dixit Iesus; vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam. ibid. v. 8.

Vt autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum. ibid. v. 10.

Feria 4. Dom. 5. Quadr.

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Joan. 10. v. 27.

Et ego vitam æternam do eis. ibid. v. 28.

Feria 5. Dom. 5. Quadr.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi. Luc. 7. v. 37.

Stans retro secus pedes Domini, lacrymis cæpit rigare pedes ejus. ibid. v. 38.

Feria 6. Dom. 5. Quadr.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium. Joan. 11. v. 47.

Vt interficerent Iesum. ibid. v. 53.

Sabbato Dom. 5. Quadr.

Exulta satis filia Sion, noli timere. Joan. 12. v. 15. & Zach. 9. v. 9.

Die Veneris Sancto.

Nos autem gloriari oportet in cruce. Gal. 6. v. 14.

Dominica Resurrectionis D. I. C.

Mors & vita duello conflixère mirando, dux vitæ mortuus, regnat vivus. In sequentia Missæ.

Feria 2. Dom. Resurrectionis.

Tu solus peregrinus in Jerusalem. Luc. 24. v. 18.

Feria 3. Dom. Resurrect.

Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis; pax vobis. Luc. 23. v. 36.

In Solemnitate Gloriosi S. Ioseph.

Cum esset desponsata mater Iesu, Maria Ioseph. Matt. 1. v. 18.

De festo SS. Annuntiationis.

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem. Luc. 1. v. 26.

Concipies & paries filium. ibid. v. 31.

Ecce ancilla Domini. ibid. v. 38.

Ad vesperam V. dierum mensis Martii, de passione & morte Christi.

Exinanivit semetipsum Dominus Iesus

usq; ad mortem, mortem autem crucis. Phil. 2. v. 7. 8.

Primo die Veneris.

Tristis est anima mea usq; ad mortem. Matt. 26. v. 38.

Secundo die Ven.

Tunc apprehenderunt Iesum & ligaverunt. Ioan. 18. v. 12.

Et adduxerunt ad tribunal Annæ primum. ibid. v. 13.

Tertio die Ven.

Tunc apprehendit eum Pilatus, et flagellavit. Ioa. 19. v. 1.

Quarto die Ven.

Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus. Matt. 27. v. 29.

Quinto die Ven.

Humiliavit semetipsum Dominus Jesus usq; ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. v. 8.

Propter quod & Deus exaltavt illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. ibid. v. 9.

Finis Indicis Thematum.



PROBLE-



PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUARTA CINERUM.

DISCURSUS

De thesauro pœnitentiæ; quo Deus locupletatur in gloria; & de alio thesauro abscondito in cineribus, qui dum mortem annunciat, peccatorem ditat pœnitentiâ.

Nolite thesaurizare vobis thesauros vestros in terra, thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matt. 6. v. 19. & 20.

PROBLEMA

Uter thesaurus dicendus sit pretiosior atque excellentior; an ille pœnitentiæ, qui Deo affert divitias gloriæ; an verò hic, sub cineribus abditus, qui dum mortis admonet, peccatori multiplicat divitias pœnitentiæ?

INTRODUCTIO.

I.

NIsi hodiernum ego diem confundam, & mutato omni ordine, disordinem, ô Auditores; parum profectò, aut certè omnino nihil digni afferam in præsenti loco, de excellenti subjecto discursus mei. Optarem equidem, rudis linguæ meæ penicillo, & humilium conceptuum meorum coloribus, necnon lumine insufficientis scientiæ meæ, in cordium vestrorum tela depingere sublimia sacrati & mysteriosi hodierni Evangelii mysteria & sacramenta; sed indulgete mihi gratiam hanc, ut liceat mihi hodie omnem invertere ordinem, meum vobis conceptum expressuro in nobilissimo quodam emblemate, non minus pulchro & decoro, quàm docto & ingenioso.

II. Depinxit quondam acutissimum ingenium, millenis dignum honoribus, solem in medio cœli, qui à robusto brachio sistebatur immobilis; ex cujus opposito, in arido terræ gremio multas efformavit herbas, flores & animalia, omnia languida & corruptioni vicina; deinde gratiosam hanc adjecit inscriptionem; *Sin erras, erras.* Novistis vos ô Philosophi, solem astrum esse errans, hisque inferioribus

Emblema solis in medio cœli.

Epigraphe

bus effectus suos dispertire errando; ita ut, in tota hac universi machina, ne minimum quidem reperiatur factum, in quo non participet sol per motum & influxum suum; atque ideo si infatigabilis illa intelligentia, quæ eum indesinenter circumagitat in gyro, inauratas istas rotas movere cessaret; si indefessus auriga cursum velocium sonipedum igniti atque inflammati cursus frenaret; infallibiliter omnia ruerent in occasum, mortem & corruptionem; atque hoc ipsum designat dicta inscriptio: *Sin erras, erras.* O sublimis planeta, qui ab errando diceris errans, nisi erres, nisi curras, nisi continuo motu te exhaurias, certo certius erras. Ita pariter ô Auditores, mihi licitum fuerit, ut vobis dicam hodie: *Sin erro, erro.* Infallibiliter errorem admittam in texenda tela discursus mei, si ordinem observare voluerim, quandoquidem in hocce die quotquot errorem declinare voluerunt, omnes errarunt. Ecclesia omnem hodie ordinem confundere videtur; cum enim Christus præcepisset, ut suum unusquisque caput ungeret & faciem ablueret,
Mat. 6. v. 17. *Unge caput tuum & faciem tuam lava.* Ipsa hodie nos contaminat cineribus, cum
Gen. 3. v. 19. memoria mortis; *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Videtur Propheta Joel in paucis sibi contradicere; postquam in nomine Dei enim prædicasset, ut unusquisque cum integritate
Joel. 2. v. 12. & unitate cordis sese converteret: *Convertimini ad me in toto corde vestro*; deinde præcipit immediatè, ut quilibet disrumpat viscera sua: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Idem Joël primò asserit, Deum esse totum pium & benignum: *Benignus est, patiens & multum misericors*; postea autem videtur ambigere de divina indulgentia: *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus?* Si ergo omnes hodie, quotquot errorem declinare voluerunt, in errorem inciderunt, errori me committam, ne errem; atque ideo præteriens hodie discursum de jejunio: *Cum jejunatis*; de hypocrisi: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes*; item de cognitione propria: *Memento homo, quia cinis es & in cinerem reverteris*; deque mundi despectu: *Nolite thesaurizare thesauros vestros in terra*; aut de virtute eleemosynæ: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo*; nec non de siti & desiderio, quod Deus habet conversionis nostræ: *Convertimini ad me in toto corde vestro*; omnes inquam, hosce discursus silentio involvens, unum duntaxat dubium vobis proponere intendo, cur scilicet Deus, qui infinitâ dives est bonitate hodie nostra requirat mala in cœlo? ita namque affirmat S. Matthæus, dicens: *Thesaurizate thesauros vestros in cœlo.* Quinam sunt thesauri hominis, quibus maximè dives est homo? sunt mala & miseriæ humanæ, quibus homo adeo abundat, ut S. Job dicat: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* O quàm dives est homo in miseriis! dum igitur hodie dicit Christus: *Thesaurizate thesauros vestros in cœlo*; idem fuit, ac si dixisset: ô mortales, ne relinquatis miserias vestras in terra; reponite mala vestra in cœlo. O Deus, & tu qui bonorum nostrorum non indiges, opus habes malis nostris? tu infinitâ dives bonitate, cum infinitæ misericordiæ tuæ thesauro, unumquemque locupletans gratia & millenis bonis aliis, tu, inquam, miseris indiges peccatoribus? Ita; Deus peccatis nostris opus habet, ut remittat ea, ast quia indulgentia præsupponit pœnitentiam, neque fit remissio, nisi præcedat con-

conversio; ideo Deus opus habet peccatoribus, sed pœnitentibus; atque hic magnus pœnitentiæ thesaurus est iste, qui plurimam Deo auget gloriam; quia autem thesaurus ille originem trahit ex alio quodam thesauro, qui inter cineres delitescens, mortem annunciat, ideo sequens statuemus problema; uter ex his duobus thesauris debeat dici magis pretiosus magisque excellens; an ille pœnitentiæ, qui Deum ditat divitiis gloriæ; an verò hic in cineribus abditus, qui mortem annunciando, peccatorem ditat pœnitentiâ?

Problema.

III. Tantum efficiam ò Domine; at sicut in præsenti ita & in omnibus aliis discursibus meis, quid præstare potero sine te? Ego sum carbunculus aliquantisper accensus illustris Bargalij; tuo spirante vento, tuo, inquam, favente flatu vivificor & ignesco. Agedum, agedum igitur, flatu anima accensam flammulam spirituque tubam; quidquid enim resonabit ex me, spiritum habet à te. Quandoquidem autem thesauros vobis hodie repræsento nobilissimi Domini, ad locupletandas animas vestras, vos pariter pauperem dictionem meam ditate gratissimæ attentionis vestræ thesauro. Incipiamus.

IV. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Qui sunt pretiosi thesauri isti, quos adeo necessarios habet Deus, qui infinitos in cœlo thesauros possidet? De thesauris verba facienti, indilatè in mentem veniunt duæ parabolæ, quas Christus Dominus noster discipulis suis apud S. Matthæum proposuit; quarum prima est ista: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito.* Regnum cœleste thesauro abdito assimilatur. O Deus! ergone terra thesaurum habet æqualem beatorum regno? quis obsecro thesaurus terrenus, quantumcunque pretiosus & præcellens, similis dici poterit incomparabili thesauro divinæ essentiæ in tribus personis? Quid rei creatæ nuncupari poterit æquale statui beatifico, ubi videtur una perfectio absoluta, sed tres perfectiones relativæ; una sola natura subsistens, sed tribus terminata suppositis relativis; ubi videtur principium sine principiato; ubi videtur, quòd natura sit una, processiones duæ, proprietates tres, relationes quatuor, notiones quinque; quòdque omnes quinque non sint nisi unica simplicissima essentia. Quæ opulenta & quantumcunque pretiosa terræ aurifodina opponi aut æquiparari poterit ditissimæ illi Paradisi magnificentiæ, ubi videtur summa Trinitas in una essentia, & una Deitas in tribus personis? Si ergo nulla res in terris assimiliari poterit beato illi regno, quomodo prima hæc parabola poterit intelligi: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito?*

Mat. 13. *v.* 44.

Cœlum simile thesauro.

V. Transeamus ad aliam parabolam, quam Christus apud S. Matthæum adducit, inquiens: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Regnum cœleste mercatori assimilatur, pretiosas gemmas in exteris regionibus conquirenti. Deus me adjuvet cum similitudine adeo extraordinaria; quòd cœlum thesauro abscondito comparetur, transeat; ad minus efficere conabimur hodie, ut aliquid in terris reperiamus, paradiso cœlesti æquale: Sed quomodo cœlum negotiatori comparatur, gemmas & lapides pretiosos

Et mercatori.

Matth. 13. *v.* 45.

sos investigasti? Si per mercatorem hunc (ut omnes sancti Patres sustinent) Verbum intelligitur incarnatum; qualiter dici aut capi poterit, ipsum, relicto cœlo, in terram descendisse, ut pretiosas in hac inquireret margaritas? forsitan gemmæ illi deficiebant in cœlis? an non ipse amplissimam illam Paradisi civitatem, duodecim instruxit portis, fabricatis ex pretiosissimorum congerie lapidum? ita sanè: *Portæ nitent margaritis.* (Apoc. 21. v. 18.) Nunquid maximæ hujus civitatis muri ex Jaspide purissimo toti consurrexerunt? utique: *Structura muri ejus ex lapide Iaspidis.* Nonne fundamenta ipsius exquisitissimis gemmis instrata fuêre? quis dubitat? *Fundamenta eius ornata omni lapide pretioso.* Quandoquidem igitur magna illa Paradisi civitas ditissimis rarissimisq; gemmis exornata erat, cur Christus de cœlo in terram, margaritas investigaturus, descendit?

VI. Magna equidem hæc est difficultas, sed multò major mihi modò oboritur, dum textum prosequor, de divino hoc negotiatore ita porro discurrentem: (Mat. 13. v. 46.) *Inventâ unâ pretiosâ margaritâ, dedit omnia sua & comparavit eam.* Reperit hic mercator unam in terris margaritam tanti pretii, ut pro ea acquirenda, omnem suam substantiam, imò & seipsum erogarit; non dedit partē duntaxat facultatum suarū, non solùm cœlum, non elementa solummodò aut terram, nequaquam Domini mei; quid igitur dedit? *Omnia sua.* Fundum dedit divinitatis suæ thesaurum, eque propriis venis pretiosissimam educens, quam possidebat monetam; in magide seu tabula crucis, probatissimum proprii sanguinis erogavit aurum. O sancte Deus! ergo vel unica sola margarita adeo æstimabilis erit? pretium infinitum pro una solvitur gemma? quænam hæc erit tanti valoris gemma? Respondet S. Augustinus: *Egit hic negatiator commercium, & pretium solvit & sanguinem fudit; ô anima erige te, tanti vales.* (S. Aug. in Ps. 102.) O anima, o anima Christiana, tu tu es pretiosa margarita illa, per pretium infinitum à Deo comparata: *Erige te:* elevare, gloriare, certa, te tanti esse pretii & valoris, quanti est ipsemet Deus; id quod S. Eusebius, de animæ pretio tractans, hisce verbis insinuare voluit; *Magnum quidem est, quòd me esse sentio opus Dei;* (S. Euseb.) *sed multò magis fuit, ipsum transisse in pretium meum, ut homo ipse Deum valere videatur.* Quanti credis ò homo valoris esse animam? tanti, quanti ipse Deus.

VII. Ast quid audio? tam pretiosa est anima, quam ipse Deus? quænam hæc est tanti valoris anima? auxiliante attentione vestrâ, nos reperturos spero thesaurum, cœlo similem, pretiosamque margaritam, quæ non modò ejusdem est valoris cum Deo, sed ipsummet etiam Deum gloriâ ditat & locupletat. Exordiamur à perquamdifficili quodam sacræ scripturæ textu. Ecclesia sancta inter plurima alia, quæ in Sabbato sancto cantat, ita solemniter accinit: (In benedictione cerei.) *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* O felix peccatum! quid? peccatum felix? ergone peccato aliqua inest bonitas? (Vid. §. 25.) progrediamur ulterius: *O verè necessarium Adæ peccatum!* Tu ô Adami transgressio quàm fuisti necessaria? hic ego subsisto. Cur protoparentis nostri prævaricatio potuit esse necessaria? quis ea opus habere? non Deus, quia si Deus *bonorum nostrorum non indiget,* (Ps. 15. v. 2.) multò minus malorum nostrorum; neque nos; quia peccatum omnem destruit humanarum actionum valorem: *Dona iniquorum non probat Altissimus;* (Eccli. 34. v. 23.) quomodo igitur Ecclesia canit: *Necessarium Adæ peccatum?*

VIII. Quan-

VIII. Quandoquidem de Adam loqui cœpimus, non ita subitò pertranseamus eum. Vix Deus creaverat protoparentem nostrum, cùm ecce subitò ait: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Producatur mulier, quæ Adami sit socia & auxiliatrix. Domine mi, ne inducas in animum tuum, fabricare mulierem, quæ (sicuti de omnium scientiarum tuarum plenitudine optimè nosti) primum erit totius mundi ruinæ principium: *A muliere initium peccati*; quo igitur fine cogitas creare eam?

Gen. 2 v. 18.

vid. §. 24.

IX. Duæ hæ difficultates, permagnæ inprimis, ad alterius sublimis doctrinæ examen instituendum me traducunt. Dicite vos mihi ò docti; nunquid si non fuisset in mundo peccatum, filius Dei carnem assumpsisset? respondebit Subtilis affirmativè; finis enim Dei erat, suam nobis demonstrare gloriam: *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*: medium autem maximè propinquum & ad Dei gloriam manifestandam accommodatissimum, erat incarnatio; licet igitur nunquam peccasset homo, attamen filius Dei incarnatus fuisset; *saltem in carne impassibili.* Non ego Scoti reprobo sententiam, imò eam *ex vi alterius decreti* probabilissimam judico; præsentis nihilominus voluntatis & decreti divini robori insistendo, semper mihi doctrina præplacuit Præceptoris Angelici, affirmantis, filiũ Dei nunquam incarnandum fuisse, nisi Adæ præcessisset peccatum; & ratio quidem D. Thomæ convincit, nos enim decreta Dei cognoscere non possumus aut scire, nisi ut manifestata nobis per scripturam sacram; in hac autem quotiescunque sermo est de adventu Dei in mundum, semper ejus causa assignatur redemptio nostra: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*: Si itaque nunquam deliquisset homo, nunquam etiam venisset filius Dei; atque ita concludere possumus, Deum illum, qui sanctorum hominum intuitu nunquam de cœlo descendisset, voluisse duntaxat venire propter peccatores; ideoque ipsemet Deus inquit: *Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est, descendam igitur & videbo.* Sed quomodo ò supreme Domine? quia mundus peccatorum plenus est, ob eandem omnino rationem eum fugere & declinare debebas: *Tanquam avis transmigrare debuisses ad montem sanctum tuum, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectum corde*; quomodo igitur tu propter peccatores de cœlis in terram descendis?

Sententia Scoti.

Prov. 16. v. 4.

P. 3. q. 1. a. 3. Sent. D. Th.

Genes. 18. v. 20. v. 21

Ps. 10. v. 3.

X. Deus peccatorum amore non modò in mundum venit, sed etiam toto illo tempore, quo in mundo conversatus est, semper cum solicitudine maxima circumivit, quærens peccatores. Nonne vobis in mentem venit, quomodo Christus vice quâdam, Bethaniam deserens, quasi præ fame mortuus, ficulneam adierit, pro colligendis fructibus? *Cumque vidisset à longè ficum, ivit, ut si quid forte inveniret in ea.* Dic mihi ò Domine, nonne tibi certò certius constabat, nullos te in arbore ista reperturum fructus? ita; quare igitur eam adiisti? Creditisne ò Auditores Christũ in hac arbore fructus inquisiisse terrenos? nequaquam; peccatores esuriebat Christus, peccatores quærebat Salvator; quia igitur sciebat, Adamum, peccatorum caput, post admissam prævaricationem ad ficum confugisse, ut hujus se foliis cooperiret (*Consuerunt sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*) ideo modò ficum petiit, eâ duntaxat intentione, ut reperiret Adamum,

Marc. 11. v. 13.

Cur Christus ficum adeat.

Gen. 3. v. 7.

mum. Audite magnum subtilitatis patrem D. Chrysologum: *Ivit ad ficulneam Christus, ad quam legitur, Adam confugisse post culpam; venit ad ficulneam Christus, ut inveniret Adam, ut nudum obtegeret pio sui corporis indumento.* Ecce vobis Christum toto vitæ suæ tempore, impigrè investigantem peccatores.

D. Chrys. ser. 106.

XI. Cum igitur inveniret hujus modi, semper eos sibi necessarios esse dictitabat; quemadmodum S. Matthæus attestatur, ubi ad discipulos suos dixisse scribitur: *Ite in castellum, quod contra vos est, invenietis asinam & pullum cum ea, solvite & adducite mihi; & si quis vobis quid dixerit; dicite: quia his opus habet Dominus.* Magnus P. Augustinus, Origenes, Theophylactus, nec non centum & milleni alii patres, per jumenta ista, peccatores intelligendos esse docent, qui per peccatum bestiis similes efficiuntur: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ita ut cum Christus diceret, se indigere jumentis, idem fuerit, ac si dixisset, sibi opus esse peccatoribus. O Deus, tibi peccatores sunt necessarii? si dixisses, te hominibus justis, sanctis & innocentibus opus habere, nulla subesset admirationis causa; sed dicis, te peccatoribus indigere?

Mat. 21. v. 2. & 3.

Christus eget peccatoribus.

Ps. 48. v. 13.

XII. O quam necessarii sunt Deo peccatores; quo fine? ut ignoscat iis, ut ipsorum sit Redemptor; imò in tantum iis indiget, ut, si nunquam fuissent in mundo peccatores, nec Christus unquam, in quantum homo, prædestinatus fuisset, ut esset filius Dei. Sublevemini mecum ô Docti ad altissimam quandam speculationem theologicam. Devotus quidam Religiosus ad Crucifixi pedes die quodam prostratus, pauca hæc sed mysteriosa protulit verba; *Pues estays Sennor assy, y à my tan pobre me veys, soccorredme, pues sabeys, que si seys ombre, es por my.* q. d. Domine, qui in tanta existens throni sublimitate, meas desuper intueris miserias, succurre mihi, adjuva me, tu enim nosti te hominem esse factum propter me; sensus hic ultimus ambiguus est: *Si soys ombre, es por my:* potest namque esse communis, scilicet: Deum propter nos hominem factum esse; & potest esse subtilior alius. Quando quem humili stirpe prognatum, magnæ alterius personæ favore & subsidio, ad dignitatem quampiam sublevari videmus, dicere consuevimus: hic factus est homo per talem; id est; hic ad honores promotus & grandis effectus est, operâ talis & talis patroni. Ita omnino hic religiosus asserere voluisse videtur; Domine, qui jam in tantæ majestatis throno sublimis, omnes meas conspicis miserias & necessitates, auxiliare mihi; scis etenim hominem te factum esse operâ meâ; ego te hominem feci, ego te promovi, ego te exaltavi. Quâ viâ aut modo quisquam nostrum, Deum magnificare potest?

Mysteriosa cujusdam Hispani verba.

XIII. Sanctus Paulus ex instituto de Christo tractans, ita discurrit: *Qui factus est ei secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Noverunt docti omnes, prædestinationi annexam semper esse exaltationem, & eum, qui prædestinatus est, sublimari; quia *prædestinatio est transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam:* quantumvis igitur Christus, in quantum Deus est, exaltari nequiit, utpote gloriam habens quà talis infinitam; nihilominus ut homo magnificari potuit, quia Christus in quantum homo, naturâ constabat humanâ, corpori autem & animæ Christi non

Rom. 1. v. 3 & 4.

Christus an exaltabilis

non erat debitum, esse corpus & animam Dei, nisi per æternam prædestinationem, vi cujus ad statum adeo sublimem anima cum corpore electa fuit. Insistendo itaque hodie plausibili isti, quam paulo ante vobis insinuavi, S. Thomæ sententiæ, scilicet quòd, si Adam nunquam peccasset, nunquam etiam filius Dei incarnatus fuisset; concludere possumus & asserere, quod, quantumvis peccatores Christo obligati sumus, quia suâ nos morte Christus liberavit à morte, nihiliomnus etiam Christus, ut homo nobis peccatoribus obligatus existat; nunquam enim Christus, in quantum homo, prædestinatus fuisset, ut filius esset Dei, nisi nos fuissemus peccatores; atque ita cum omni sensus rigore dicere possumus: *Sennor pues estays assy, y à my tan pobre me veys, soccorredme, pues sabeys, que si seys ombre, es por my.* q. d. Domine, qui tantæ majestatis thronum conscendisti, meas de sursum contemplans miserias, auxiliare mihi; certus es etenim, te hominem esse per me, ego te hominẽ feci, ego te exalatavi, peccata mea tuę fuerunt sublimitatis occasio; non dico, peccata mea causam fuisse, sed occasionem, scio namque differentiam, quæ mediat causam inter & occasionem; sed dico, peccata mea exaltationis tuæ fuisse occasionem; quomodo enim tu unquam, quatenus homo, ad filiationem Dei prædestinatus fuisses, nisi mea præcessissent peccata? quomodo unquam tua illa sanctissima humanitas supposito divino suppositata fuisset, nisi mea præexstitissent peccata? Si tu itaque, in quantum homo, occasione peccatorum meorum sublimatus fuisti, *soccorredme.* Ecce vobis, quòd Christus, in quantum homo opus habuerit peccatoribus, ut ad Dei filiationem sublimaretur.

Peccata occasio, non causa exaltationis Christi

XIV. Amplius dico; non modò ut homo, sed etiam ut Deus, opus habet peccatoribus; sed quibus? pœnitentibus, & quare? quia nullus omnino thesaurus tantâ Deum gloriâ ditat & locupletat, sicut peccatorum pœnitentia; auscultate, obsecro. Quis Deum à mortis captivitate liberavit, eumque in vita conservavit, nisi pœnitens? duplici Deus vita pollet, alterâ naturali per essentiam, quam sicut nullus omnino ei contulit, utpote ab omnibus independenti, ita nec ullus ei auferre potest: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* alteram Deus vitam vivit, mediâ quâ in cordibus habitat justorum, cujus meminit Apostolus, dum ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Quemadmodum igitur vita hæc contrariatur peccato, ita pariter mediante peccato Deus illam amittere potest, non quasi Deus in se emori posset, sed quia exspirare potest in peccatore, dum in eo non vivit per gratiam; hoc supposito certissimum est, multò majus atque eminentius esse, quòd homo vitæ Dei sit redemptor, quàm quòd De⁹ vitę hominis sit liberator, multò namque pretiosior est vita divina, quàm humana; ex hisce modò formemus argumentum. Moriens in cruce Christus, nosque pretiosi sanguinis sui thesauro à peccato redimens, solius humanæ vitæ exstitit redemptor, peccator verò, dum per pœnitentiæ suæ thesaurum efficit, ut Deus illuc ad vitam redeat gratiæ, ubi ante mortuus fuerat per peccatum, tunc pœnitens redemptor constituitur vitæ Dei; audite insignem Origenis authoritatem, super illa psalmistæ verba scribentis; *Dominus pars hæreditatis*

Pœnitentia Deo conservat vitam.

Rom. 11. v. 35.

Gal. 2. v. 20.

Orig. in Ps. 15.

mea.

Ps. 15, v. 5. *meæ*, ubi ita inquit: *Plus habet peccator, sua peccata deplorando, quàm Salvator illa redimendo; hic enim in ligno crucis ad vitam nos revocavit; ille verò in pœnitendo Deum ipsum vivificat.* O eximiam authoritatem!

XV. Ast nimis hucusque exilia dixi; Deus peccatoribus indiget pœnitentibus, ut sese manuteneat atque gloriosum servet in attributis omnibus. Quis thronum conservat jucunditatis & beneplaciti divini, præterquam pœnitens? Si non est ita, dicite vos ergo mihi, intuitu cujus cœlum plus exultat, magisque tripudiat, an forte propter omnes innocentes, qui nunquam deliquêre, an verò propter unicum peccatorem? respondeat S. Lucas: *Gaudium est in cœlo, super uno peccatore, pœnitentiam agente.* Ast unde & quare tanta in cœlo lætitia propter unius peccatoris pœnitentiam? scitisne, quare? quia anima pœnitens non modò paradisum, sed ipsummet etiam Deum gloriâ novâ locupletat; intentum meum sequenti declaro exemplo. Si quæ dives matrona nobili nuberet, qui totam suam decoquit substantiam, nunquid lætitiæ signa in hujusmodi domo ederentur? nequaquam, imò verò domina domus cum omnibus domesticis in assidua contabescet melancholia; quam ob causam? quia scilicet maritus pauper est & inops; si verò alia quæpiam adolescentula nobili ditissimo sese desponset, quam non celebritatem, quæ non lætitiæ signa frequentabit hujusmodi domus? Advertite; gloria Paradisi, sponsa est, taliter à S. Joanne hisce verbis denominata: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Ecce vobis gloriam Paradisi exhibitam in forma sponsæ; unusquisque nostrum, dum justus & in Dei gratia constitutus est, sponsus est; gloria namque Paradisi solis justis amicis Dei confertur; quando gloria desponsatur innocenti, velut pauperi & meritorum maximè inopi, nulla in cœlis propter innocentem celebratur festivitas, quia hic nulla habet merita personalia, sed totum ejus meritum fundatur in sanguine Christi, illique propter Christi merita confertur gloria; ast quando Paradisi gloria pœnitenti confertur, tunc maxima in cœlo celebratur solemnitas: *Gaudium est in cœlo, super uno peccatore, pœnitentiam agente*; quia scilicet pœnitens personalibus dives abundat meritis.

Luc. 15, v. 7.

Pœnitens Deo auget gloriam.

Apoc. 21. v. 2.

Et cœlo gaudia.

D. Clem. Alex.

XVI. Adeo autem meritis personalibus locuples est pœnitens, ut ipsummet etiam Deum, secundùm omnia eius attributa ditet in gloria, ipsamque ei conferat divinitatem. Audite, quid S. Joannes de immaculato Agno Christo loquens, dicat: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem, & gloriam, & divinitatem.* Ultimum hoc verbum maximam mihi creat difficultatem. Christus dignus est recipere divinitatem; nunquid non ipse divinitatem possedit ab æterno, sibi à patre communicatam? ita sanè, quomodo igitur salvabitur id, quo asseritur: *Dignus est Agnus accipere divinitatem?* respondet Carthusianus: *Tunc ista Deus accipit à nobis, cum eum laudamus, & per cordis pœnitentiam ei confitemur.* Verè equidem divinitatem Christus possidet per naturam, nihilominus peccator dum suum detestatur peccatum, seque ad Deum convertit, tunc affectu suo honorem, fortitudinem, gloriam & divinitatem impertitur Christo. Clariusne id vobis explicatum vultis?

Apoc. 5. v. 12.

Sine pœnitente Deus incompletè beatus.

pœnitens Deo dat divinitatem.

Carthus.

S. Dion. Areop.

XVII. Majoris equidem excellentiæ argumentum afferam in præsenti, dum mihi

mihi pauca dixisse videor; sed quodnam illud? audite: si deficerent in mundo pœnitentes, desineret pariter Deus perfectè esse beatus; Sancti Clementis Alexandrini hæc est doctrina, de extrinseca Dei beatitudine in hunc modum discurrentis: *Deus non eâ ratione quâ bonus est, eatenùs est beatus, sed benefaciens*: neutiquam vobis persuadeatis, inquit sanctus, ideo duntaxat Deum beatum esse, quia bonus est; equidem quia bonus est, ideo beatus est; ast specialiter beatus est, quia bonitatem suam communicat creaturis. Non loquitur sanctus de beatitudine Dei essentiali, semper namque Deus infinitè beatus est per communicationem ad intra; & multò minus in præsenti sermo est de communicatione Dei in ordine naturæ, hæc enim beatum & gloriosum reddere nequit Deum; sed discursus est de communicatione Dei ad extra in ordine gratiæ; quasi diceret Sanctus: quando Deus gratiæ suæ thesauros distribuit inter peccatores, tunc summè reputatur beatus; quid igitur foret, si Deus ad extra in ordine gratiæ sese communicare intermitteret? respondet sanctus pater, quòd *si Deus cessasset benefacere, cessasset esse Deus.* O stupendum assertum! Si itaque Deus gratiæ suæ thesauros non communicaret, Deus esse desineret? ita; quid est Deus? *Est illud summum bonum, quo majus excogitari non potest*: quænam est summi boni natura? respondet Areopagita: *Est de natura summi boni, esse sui ipsius communicativum*: si nullus foret in mundo, qui divinam imploraret indulgentiam & misericordiam, non posset Deus in ordine gratiæ sese communicare ad extra; sed si Deus nullo modo se communicaret, non esset sumum bonum, & si Deus non esset sumum bonum non esset Deus: deficientibus igitur in mundo pœnitentibus, Deus desineret perfectè esse beatus.

D. Clem. Alex.

Sine pœnitente Deus incompletè beatus.

S. Dion. Areop.

XVIII. Neque etiam Deus plenè dives esset in misericordia; quis enim divinarum opum conservat thesaurum, nisi pœnitens? quis non admirabitur Apostoli sententiam, inquientis: *Deus cum dives esset, pro nobis factus est pauper*: quomodo inopiâ laborare poterit Deus iste, qui infinitis abundat thesauris? si quispiam mercator dives pecunias suas applicet ac transferat in census, hosque non exigat, utique in egestatem incidet; Deus ditissimus est, sed quibus bonis? *Deus, qui dives est in misericordia*: ô quàm locuples est Deus in misericordia! si nulli reperirentur in mundo pœnitentes, nequiret Deus suam erogare misericordiam, sique dictum non exigeret censum, suam communicando gratiam, pauper evaderet ac miser; quam veritatem Sanctus Chrysostomus sequentibus videtur expressisse verbis, dum ait: *Apud homines debita exposcere; opulentia est; sed apud Deum, eadem condonare, divitiæ sunt: nos cùm debitam pecuniam accipimus, tunc facultatibus augemur; Deus autem tunc maximè ditescit, cum scelerum gratiam facit; siquidem divinæ bonitatis opes in hominum salute positæ sunt.* Deus igitur pœnitentibus opus habet, ut suam exaltet misericordiam.

2. Cor. 8. v. 9.

pœn. thesaurum fovet divinarum opum.

Ephes. 2. v. 4.

D. Chrys. lib. 3. parallel. c. 100.

XIX. Iterum si nullos mundus possideret pœnitentes, quomodo divina posset resplendere justitia? meministisne ô Theologi, quid sit habitus gratiæ? Sacrum Concilium Tridentinum illum justitiam nuncupat inhærentem; ast si gratia est, quomodo intitulatur justitia? audite; quando Deus gratiæ habitum nobis infundit, licet tunc non exerceat justitiam *de condigno*, justitiam nihilominus communicat *de congruo*, Deus enim se pœniten-

Divinam illustrat justitiam.

tentibus gratiam infusurum appromisit: *Quotiescunque ingemuerit peccator, ejus peccatorum non recordabor amplius*, & Theologi inquiunt: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*; Deo itaque necessarij sunt pœnitentes, ut illucescere faciat justitiæ suæ attributum.

XX. Quis divinæ thronum potentiæ sustinet, præterquam pœnitens? nescitis forte, divinam potentiam consistere in remittendis peccatis? ita nos Ecclesia docet, inquiens: *Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo & miserando, maximè manifestas*; imò juxta S. P. Augustini doctrinam: *majus est de impio facere pium, quàm creare cœlum & terram.* Major relucet potentia in peccatoris unius justificatione, quàm in totius mundi creatione; in creatione namque nulla est resistentia ex parte creaturæ, qualis tamen reperiri potest ex parte peccatoris in justificatione. Si igitur non forent in mundo pœnitentes, Deus forsitan divinam posset erogare indulgentiam? minimè equidem; at si Deus non parceret, suam forte patefaceret potentiam? multò minus. Deò itaque necessarii sunt pœnitentes, ut divina innotescat potentia.

Et Providentiam.

S. Aug.

XXI. Vultis ne & finem imponam discursui? Si mundus destitueretur pœnitentibus, Deus non foret perfectè Deus; sanum accipite sensum asserti, prout jam explanabo. Dicite mihi ò docti: *Quid est pœnitentia?* non quæro nec loquor de pœnitentia corporali, in jejuniis, disciplinis, similibusque aliis operibus consistente; sed ago de pœnitentia, in quantum virtus est animæ, qualis est contritio & conversio ad Deum; hæc igitur, juxta Doctorem Angelicum, *est dolor & detestatio de peccato commisso, propter Deum summè dilectum.* Faciliter me explico: peccatum mortale est odium Dei, amor diaboli; quisquis peccat mortaliter, dorsum obvertit Deo, facie conversâ ad diabolum, per odium Deo divinitatem negat, & per affectum eandem offert diabolo; oppositum practicat pœnitentia, hæc siquidem odium est diaboli & amor Dei; & quoties peccatorem ex toto corde pœnitet prævaricationis, dorsum obtrudit diabolo, faciemque convertit ad Deum; per affectum, divinitatem negans diabolo, eamque Deo restituens; atque ita quando peccator pœnitens, sese ad Deum convertit, actum elicit amoris; quid autem arbitramini esse, Deum amare *super omnia*? Est fructus charitatis, & juxta Sancti Pauli doctrinam: *in hoc verbo Diliges, restauratur omne mandatum.* Tota lex, totum evangelium, omnia præcepta, omnes virtutes recluduntur in amore Dei; quia *plenitudo legis est dilectio*; & S. Hieronymus in illa Apostoli verba: *Fructus autem spiritus est Dei dilectio*, ita discurrit: *Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi Dei dilectio, sine qua cæteræ virtutes non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur omnia, quæ bona sunt universa?* Ast mirabile quippiam auscultate, quod magno Patri accidit Augustino; dum hic Sanctus pater populo prædicans, singulari cum fervore elucidaret, quantum importet, quantumque sit solius Dei amoris pretium, vidit, totum suum in jubilo exultare auditorium; tunc equidem sanctus ad suos conversus, quid, ait, vidistis ò auditores? quid vobis in medium adduxi, quod tantum potuit in pectoribus vestris exercere virtutem? me fortasse transfiguratum aut facie notastis immutatum? aut aliquem forte fortuitò vobis exhibui pretiosum thesaurum seu incogni-

D. Th. p. 3. q. 86. art. 2.

Pœnitentia an actus amoris.

Matt. 13. v. 44.

S. Aug. tr. 1. in Ioan.

Rom. 13. v. 9.

ibid. v. 10.

S. Hier. in c. 6 Galat.

Gal. 5. v. 22.

cognitam gemmam? *Quare, quando laudatur Dei amor & charitas, sic erigimini & jubilatis? quid vobis ostendi; argentumne, vel aurum, vel gemmam de thesauris effudi? si, cùm Dei amor laudatur, tunc tantùm clamatis; quid facturi eritis, cùm eum diligetis?* Si sola divini amoris mentio mirabiles adeo causat effectus, quid non ipse præstabit amor? quàm pretiosus erit thesaurus, ipse amor divinus, si vel sola divini amoris memoria adeo chara est?

Matt. 13. v. 44.

XXII. Hic est thesaurus ille, cui cœlum æquiparat Dominus: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito*: hæc est pretiosa illa margarita, pro cujus acquisitione Verbum incarnatum dedit, quidquid possedit; juxta quod idemmet nos docet Augustinus in hæc verba: *Pretiosa margarita, per quam mercator cœlestis dedit omnia sua & comparavit eam, est Dei amor & charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcunque habueris; & quam si solam habueris, sufficiet tibi, quia talis thesaurus est, cui comparatum est regnum.* Amor Dei tantus est thesaurus, ut per affectum, eam restituat Deo divinitatem, quam sustulit peccatum: si igitur iste deficeret amoris actus, & homo pœnitentiam negligeret, non foret Deus completè & perfectè Deus, nimirum *quò ad nos, & quantùm ad effectus, vel quantum ad ostensionem divinorum attributorum;* quantumvis enim semper fuerit beatus, semperque futurus sit infinitè beatus, omnipotens & gloriosus per communicationem *ad intra*, nihilominus si Deus *ad extra* in ordine gratiæ, sese nobis non communicaret, propter pœnitentium defectum, non foret perfectè beatus quò ad nos.

S. Aug. tr. 1. in Ioan.

XXIII. Atque ideo in mundum venit, ut scilicet inquireret peccatores, quos cum reperisset, sibi omnino necessarios esse asserebat: Deus peccatoribus indiget contritis & pœnitentibus, ut misericordiæ suæ conservet thesauros, ut plenam possideat satisfactionem & inibi reviviscat per gratiam, ubi ante fuerat mortuus per peccatum.

Cur Deus crearit fœminam.

XXIV. Ecce vobis apertam viam, ad enucleanda duo adducta superius sacræ scripturæ loca: certò certius præsciebat Deus peccaturam mulierem, noverat insuper nullam sine muliere in mundo futuram propagationem humanam; & consequenter homines defecturos, quibus ipse gratiarum suarum communicaret thesauros; ergone vultis, dicebat Deus, ut ego desinam esse Deus? nunquam id fiet; fabricetur mulier, cumque muliere sint in mundo creaturæ, quibus misericordiæ meæ thesauros communicare possim, ut me in gloria atque omni satisfactione conservare queam; auscultate Ambrosium sanctum: *Quia sine muliere esse non poterat humani generis propagatio; ideo maluit Deus, plures esse in mundo, quos salvos facere posset, quàm unum solum Adam, qui liber esset à culpa.*

S. Ambr. l. 10. de Paradiso.

Peccatum an & cur necessarium.

XXV. Ecce igitur vobis rationem, quare Ecclesia peccatum Adami nuncupet necessarium; fuit equidem necessarium peccatum Adami, non *necessitate absoluta*, sed *necessitate occasionata*: fuit necessarium peccatum, ut Christus in quantum homo prædestinaretur ad filiationem Dei; fuit necessarium peccatum, ut parceret Deus; fuit necessarium peccatum, ut peccator pœnitens Deum locupletaret gloriâ & satisfactione; quo sensu intelligi potest illud sancti Paciani dictum: *Nec quisquis adeo suæ peccatricis animæ vilitate desperet,*

S. Pacian. in Parenes.

speret, ut se jam non necessarium Deo credat. Necessarius est Deo peccator, ut divitias manuteneat misericordiæ suæ; quia *tunc Deus maximè ditescit, cùm scelerum gratiam facit.*

XXVI. Modo tempus urget, ut solidum quoddam formemus argumentum, quo thesauri pœnitentiæ excellentia & pretium demonstretur: nonne thesaurus

Pœnitentiæ pretiū. iste vitam redimit Dei, quæ est inappretiabilis? ita sanè; quia *peccator in deliciis pœnitendo, Deum ipsum vivificat.* Nunquid pœnitentia nostra Deum misericordiâ ditat & satisfactione? utique, quia *divinæ bonitatis opes in hominum salute positæ sunt; & tunc maximè ditescit, cùm scelerum gratiam facit.* Nunquid idem thesaurus Deum maximè constituit beatum & gloriosum? quis dubitat? quia *non eâ ratione, quâ bonus est, eatenus est beatus, sed benefaciens*: liberè itaque & intrepidè concludamus, pœnitentiam peccatoris, thesaurum esse pretii infiniti; quia scilicet Deus totum seipsum & suam erogat divinitatem pro comparatione & consecutione illius.

XXVII. Si igitur tanti apud Deum valoris est thesaurus pœnitentiæ, quis tandem ex tota hac corona recusabit hodie, deorsum obtrudere diabolo, abominari peccatum & ad Deum reverti? quis tandem adeo ferus, quis ita reperietur diabolicus, ut per suam in peccato contumaciam, occasio esse eligat; ut Deus sit in cœlo pauper & miser? Attende ò Christiane, talia namque proferam hodie, quæ vel ad ipsusmet abyssi fundamenta concutienda sufficiant. Anno 1613. vidit Flandria diabolam quandam incarnatam seu furiam infernalem in carne, nomine Mariam de Says, mancipium dæmonis quoad corpus & animam, operatricem adeo impiam & perversam, ut ipsemet diabolus exclamaret, dicens: *O Maria, ex quo mundus esse cæpit, non fuit alia tibi similis, neque aliquando futura est: grande miraculum est, quòd terra te sustineat, siquidem non est in potestate dæmonum, facere mala, quæ tu facis, & si diabolus non essem ego, forsitan me pœnituisset.* O diabola, dicebat dæmon, ingens est divinæ potentiæ miraculum, quòd terra non disrumpatur, teque vivam deglutiat? tantæ sunt iniquitates & impietates tuæ, ut nos ipsimet dæmones eas perpetrare non possimus; & si ego dæmon non essem, qui voluntate inflexibili deliqui, me forsitan pœniteret, ego forte pœnitentiam agerem. Quam obsecro iniquitatem operata est perditissima illa, ut eidem perpetrandæ ipsimet diaboli sese profiterentur inhabiles? audite; ex jussu officii sancti hæc Dei inimica à quodam Catholico sacerdote examinata, & reliquas inter propositiones interrogata fuit, quamobrem sese non converteret ad Deum? quibus mansuetis boni ministri verbis indignatus dæmon, sacerdotem allocutus est, inquiens: *Dicito audacter Christi minister*: pater ne eam amorosis adeo verbis interpelles, an non vides, eam carnis visceribus esse destitutam? ita eam interroga: *O maledicta creatura, quare non operaris secundùm germina sanctarum inspirationum, quas Deus seminat in animam tuam?* ô maledicta creatura, quare bonis & sanctis inspirationibus, quibus te Deus ad se vocat, neutiquam consentis? *Quare negligis semen sanctum Dei, quod seminatur in terra cordis tui?* cur nobilissimum illud sanguinis Christi semen, in cordis tui humo seminatum aspernaris? quid ad hæc diabolica ista? audite & obstupescite: *Diabolus ultra modum dominatur mei, quia iniquitate meâ suffoco sancta*

Accidit in Fland. A. 1613. li. de 3. energum. in part. Belgii tr. I. c. 3. in fine.

Ioel. 2. v. 12.

sancta germina bonarum inspirationum, quas Deus seminat in animam meam. Quia iniquitas mea bonis & sancti Dei inspirationibus, quibus ab ipso vocabar, semper restiti, ideo diabolus meam possedit animam. O Deum! ipsa mihi vita deficere videtur: dicito mihi ò peccator, quoties te Deus vocavit ad pœnitentiam, & tu ne vel in minima fuisti motus? infirmitas illa & mors, quæ tuam invasit domum, nunquid non vox Dei fuit, te admonens, ut peccato renuntiares? quare non prostravisti te illico ad pedes confessoris? quodnam hocce judicium? certè non aliud, quàm quòd *diabolus ultra modum dominatur tui.* O mulier peccatrix, hæc, quam in domo tua pateris, tribulatio & miseria, Dei crucifixi vox est, te ad salutem vocantis; quamobrem assensum denegas divinæ vocationi? nostine causam? quia *diabolus ultra modum dominatur tui.* Agedum agedum ò animæ christianæ, hodie vos Deus vocat; nonne auditis, quid dicat? *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Quid respondetis? pater, omnes nos Deo imposterum famulari resolvimus; ast, si thesaurus, qui Deum locupletat in misericordia, est pœnitentia sacra; ubinam nos pretiosum adeo thesaurum reperire possimus, ut pœnitentes ad Deum revertamur? alacriter ò animæ dilectissimæ, amantissima mater Ecclesia sancta, alium vobis hodie, ut in pœnitentia ditescatis, offeret thesaurum: respiremus interim. *Ioel. 2. v. 12.*

SECUNDA PARS.

XXVIII. CRas duæ in Ecclesia sancta comparebunt personæ insignes, Centurio scilicet ac Christus; problema autem adducemus hujusmodi; utra sit major; an humilitatis exilitas in terra, an divinitatis majestas in cœlo?

XXIX. Redeamus ad intentum nostrum; concionem incepimus à thesauro, eandem terminemus in alio thesauro. Nunquid pœnitentia thesaurus est inappretiabilis, vi cujus Deus ditescit in gloria? ita sanè, juxta quod probavimus supra: ubi tantus reperiri potest thesaurus, ubi in cineribus, qui, dum mortis admonent, alterius thesauri; quocunque demum thesauro alio pretiosioris induunt præstantiam, conformiter isti Job testimonio: *Qui exspectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer, cùm invenerint sepulchrum.* Qui coram oculo mentis, positos asservant propriæ mortalitatis cineres, thesaurum inveniunt omnium præstantissimum. *Cinerum pretium.* *Iob. 3. v. 21 & 22.*

XXX. Atque in effectu quidem qualnam spirituales animarum divitias optare poteritis, non contentas in thesauro cinerum? fecistisne reflexionem ad solemnem illam, quam hodie peragit sancta Ecclesia cæremoniam? eo ipso tempore, quo Christus nos ad pœnitentiam invitat, & unicuique peccatori præcipit: *Vnge caput tuum, & faciem tuam lava*: illa nos cineribus conspurcat; volensque, hujus facti sui reddere rationem & significatum, signo crucis super caput nostrum efformato, dicit: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Mater sancta ne obsecro fastidias unicam interrogationem meam: *Nunquid nostra facies cinere est lavanda?* Si Christus pro pœnitentiæ principio, caput ungi & vultum jubet elui, quomodo tu nos cineribus conspergis & defœdas? *Matth. 6. v. 17.*

XXXI. Neque in hoc tota consistit

dubii summa, sed insuper in verbis, quibus utitur Ecclesia; exarans namque crucem super caput nostrum, dicit: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris*; q.d. ô homo te adjuro per hanc sanctam crucem, quòd terra sis & in terram convertendus. Philosophi, nunquid homo vivus ex quatuor componitur elementis, carne vestitus & sanguine? ita; quomodo igitur Ecclesia hominem de facto asserit esse terram? post mortem equidem mutabitur in terram, at vivus non est terra, quia juxta bonam philosophiam; *nemo convertitur in id, quod est.* Virga Moysis non in virgam, sed in serpentem conversa fuit; uxor Loth non in mulierem transiit, sed in statuam salis; aqua in nuptiis in Cana Galilaea, non in aquam, sed in vinum mutata fuit? generalis namque est regula, nihil omnino converti in seipsum: si itaque homo post mortem reversurus est in terram, consequenter modò non est terra; aut certè si ille de facto est terra, utique mortuus non revertetur in terram. Re pondebit Philosophus, hominem, dum vivit, terram esse *virtualiter*, post mortem verò terram futurum esse *formaliter*; quae solutio sequenti clariori doctrinâ elucidari potest: quia materia non est sicuti privatio, quae generationis est principium *in fieri, & non in facto esse*; adveniente enim formâ, mox discedit privatio; at materia, principium est generationis, *etiam in facto esse*, quia materia semper manet *eadem numero*, tam in genito quàm in composito, quod resolvitur; atque ita cum omnimodo verborum rigore dici potest, hominem in suo principio fuisse cinerem, quia ex terra suam traxit originem, atque etiam actualiter esse cinerem, quia nimirum terra causa est materialis, semper remanens in genito, & permansura finaliter post mortem: quia corpus humanum in terra resolvetur: atque ita dum Ecclesia inquit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, idem est, ac si diceret: recorderis ò homo, te non modò vi mortis futurum cinerem, sed etiam de facto, dum vivis, terram esse; utpote compositus ex materia, quae terra est. Optima responsio, fundata in bona philosophia.

Ar. li. de ortu & inter.
Exod. 7. v. 9.
Gen. 19. v. 26.
Ioa. 2. v. 9.
Homo vivus an sit terra.

XXXII. Ast difficile hinc exsurgit dubium ab Angelico Doctore motum p. 1. q. 91. a. 1. quamobrem Deus voluerit hominem in suo principio, medio & fine terram esse? inest, in principio, quando fuit generatus; in medio, dum vivit; in fine post mortem; quantumvis autem idem angelicus doctor in loco citato, plurimas adducat metaphysicales & morales rationes, aureo isto dignas intellectu, nihilominus pro praesenti vice praestantissimam sequar S. Bernardi sententiam; supponit itaque hic sanctus doctor, tres esse potentissimos affectus, quibus sternitur & subjugatur cor humanum, illos scilicet, quos S. Joannes expressit, dum ait: *Omne quod est in mundo, aut est superbia vitae, aut avaritia oculorum, aut concupiscentia carnis*: ad tres hosce fontes omnia reducuntur peccata, quae contra Deum admitti possunt; desiderium inordinatum honorum, desiderium bonorum, desiderium voluptatum. Volens itaque Deus, ut homo antidotum in se haberet contra omnia peccata, & simul intendens thesaurum illi dare, ut ditesceret in poenitentia & virtutibus, quid fecit? ordinavit, ut homo terra esset in principio, in vita & morte sua. Terra in suo principio, ut omne detestaretur superbiae & ambitionis pecca-

Tres cordis humani pravi affectus.
1. Ioan. 2. v. 16.
Terra in homine, antidotum.

peccatum; terra in vita, ad abominandam omnem divitiarum cupiditatem; terra denique in morte, ad eierandum quodcunque desiderium voluptatum venerearum. Auscultate auream S. Bernardi sententiam, subtiliter adeo punctum hoc enucleantis, ut cum verborum elegantia, gravitas contendat sententiæ; ait itaque: *Agnosce ò homo primordia tua, attende media, novißima memorare; cogita unde veneris, & erubesce; ubi sis, & ingemisce; quò vadis, & contremisce.* Considera ò homo principia tua, discute media, examina finem; perpende, unde processeris scilicet è terra, & verecundare; contemplare ubi sis, scilicet in vita præsenti, & lacrymare; memineris tui finis, id est, mortis, & expavesce.

S. Bern.

XXXIII. Primum Sancti Bernardi monitum est, ut nostra examinemus principia: *Considera ò homo primordia tua; cogita unde veneris, & erubesce.* Intendisne ò Christiane, omne detestari superbiæ peccatum, exstinguere omne inordinatum honorum desiderium, te pœnitentiæ ditare thesauro? considera tuum te ortum traxisse ex terra. Qua de causa factum fuisse creditis, quod supremus Deus hominem ad similitudinem suam efformaturus, eum de terra produxerit? cur non de massa aliqua cœlesti? cur non de argento & auro? Ecce in promptu Sancti Hieronymi responsum: *Superbia Natione cœlestis sublimium appetit mentes, & gloriam ac puritatem hominum conatur irrumpere, qui de gloria Angelorum erupit.* Si Angeli adversus Deum rebellarunt, quia sese in cælo creatos esse videbant; quid non fecisset homo, si cœlesti ex materia se plasmatum advertisset? neque etiam de aurea vel argentea massa eum formari decebat; *Quoniam si esset inde creatus, de materia potius claritate, quàm de artificis dignitate polleret.* Ex sola itaque terra voluit Deus formari hominem: *Vt intuens homo metallum corporis sui, inveniat, eo nihil vilius esse; & sic de sua origine gloriari nequeat, erubescere autem poßit.* Ecce vobis thesaurum, de terra productum, ad ditandam animam pœnitentem & quodcunque superbiæ prosternendum peccatum.

Cur homo non factus ex auro &c.

S. Hieron.

XXXIV. Posset equidem quispiam objicere in præsenti: si Deus in formatione hominis voluit confundere illum & humiliare, atque eo fine principium ei contulit adeo vile, qualis est terra; cur non potius ipsum immediatè produxit ex nihilo? sic enim nullius unquam valoris, pretii aut æstimationis foret, utpote productus ex nihilo. Ad hoc responderi posset, quòd dum homo de terra, quæ facta est ex nihilo, formatus est, eo ipso etiam homo in secundo gradu seu mediatè filius sit nihili; sed ut alium consequamini thesaurum, & abundantius in pœnitentia ditescatis; dico, ex altissimo Dei consilio hominem immediatè de terra, & non ex nihilo productum fuisse; si enim ex nihilo creatus fuisset, hoc ipsum nihil non mansisset in homine, tanquam pars componens, sed fuisset tantummodo, ut cum Philosophis loquar, *terminus à quo*, unde discedit & exit creatura. Nequaquam, dicebat Deus, non ex nihilo, sed ex *præsupposita materia*, quæ terra est, volo formari hominem; ut eadem hæc terra in homine perseverans, veluti pars intrinseca & componens, illi serviat in thesaurum, ubi antidotum reperire possit, ad detestanda omnia bonorum temporalium desideria, seque ditandum in pœnitentia.

Cur non ex nihilo. §. 39.

35. Porro

XXXV. Porro pro majori hujus veritatis confirmatione, accipite ò mortales trutinam aliquam, inque una ejus parte vitam hanc præsentem locate cum omnibus temporalibus mundi bonis; in alia verò ponite nihil; hoc facto, in sublime attollite trutinam, reperietisque, æqualis esse ponderis totam vitam præsentem cum omnibus transitoriis bonis, & ipsum nihil; quod ut cognoscatis, meminеritis oportet parabolæ istius divitis avari, qui teste Sancto Lucâ animam suam sic fuit allocutus: *Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos; comede, bibe & epulare.* O anima mea pro pluribus annis nimiam possides bonorum abundantiam, ideoque ede, bibe alacriter. Vix hæc finierat verba, & subitò vocem inaudiit: *Stulte hac nocte repetent animam tuam.* O insipiens, hâc ipsâ nocte tolletur à te anima tua; duæ in hisce verbis occurrunt enucleandæ difficultates: prima, quare dives ille nuncupatus fuerit fatuus? *O stulte*: secunda, cur eadem bona temporalia, in ipsa illa nocte divitem peremerint, quæ diei illi succedebat, in quo dives, animam suam invitarat, ut divitiis frueretur mundanis.

Vita hæc purum nihil.

Luc. 12. v. 19.

v. 20.

XXXVI. Hisce responsuro difficultatibus regius Propheta David occurrit, inquiens: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*: Scio bene ô Domine, quod meos mensuraveris dies; *mensurabiles*? quæ penes vos est differentia inter quantitatem continuam & discretam ô philosophi? vos docetis quantitatem continuam esse illam, quæ mensuratur; discretam verò, quæ numeratur; cum igitur dies nostri sint quantitas discreta, dicere debuisset regius psaltes: *Ecce numerabiles posuisti dies meos*; quomodo itaque dicit: *Ecce mensurabiles*? Ipsemet David nodum solvit, dum alibi inquit: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*; anni mortalium sunt omnino nihil. Ast quomodo anni nostri omnino nihil sunt? audiamus Apostoli monitum: *Hortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur.* Fratres exhortemini vos invicem per omnes dies, donec dies, qui hodiernus dicitur, illucescat; notate sollicitè, non dicere Sanctum Paulum; usque ad diem hodiernum, sed: usque dum nominetur dies hodiernus; in veritate namque & realitate, nulla est modò diei hodierni existentia, sed solum nomen. Quidnam vos nuncupatis *hodie*? forsitan totum hunc diem? malè; quia præteritum non existit, futurum necdum est; & præsens, unicum est momentum, quod vix dum cæpit, finitur & subito prætervolat; realiter itaque non datur dies hodiernus, sed duntaxat quò ad nomen; si autem deficit dies hodiernus, quomodo dabuntur anni & anni? id omnino impossibile est, quia *quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.*

Ps. 38. v. 6.

Ps. 89. v. 5.

Hebr. 3. v. 13.

Nō datur hodie.

XXXVII. Notandum est insuper, non dicere Sanctum Paulum: *Donec hodie nominetur*, sed *donec hodie cognominetur.* q. d. Dies hodiernus cognomen est omnis illius, quod corruptibile est in mundo præsenti. Quodnam arbitramini cognomen gerere Papam? scitisne, quale? Pontificis, qui est hodie: *Pontefice d' hoggi*; quia scilicet nescitur, si cras futurus sit superstes. Rex Catholicus est magnus monarcha diei hodierni, quia scilicet ignoramus, si victurus sit die crastinâ: atque ita discurrere licet per omnes gradus.

Papa unius diei.

XXXVIII. Ecce itaque vobis rationem, quare David dicat: *Ecce mensurabiles*, & non: *numerabiles*; nullus hujus præsentis vitæ nostræ dies numerari potest, præterquam hodiernus; hic enim tanquam pars

Dies hujus vitæ non numerantur.

pars temporis mensurari potest cum præterito, præsenti & futuro; quia autem præteritum non est, & futurum necdum advenit; solumque exstat præsens, quod quidem pars est, at partem non habet, utpote omnino indivisibile, quod dum incipit, terminatur; si itaque anni juxta Davidis assertum, omnino sint nihil: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*: quidnam erit dies hodiernus, qui nihil habet temporis præterquam præsens, quod in unico consistit indivisibili momento? erit sanè omnino nihil. Itane? dies hodiernus omnino nihil est? ò stulte avare, quid ais? *Habes multa bona, reposita in annos plurimos?* desipis totaliter: cùm enim vita & bona tua sint tantùm hodierna, quomodo tu ea nuncupas plurium annorum bona? atque ideo *hac nocte repetent animam tuam*; quemadmodum divitiæ tuæ bona duntaxat sunt diei hodierni, & cras non supererunt, itâ quoque hac nocte finientur simul cum vita tua.

Anni hujus vitæ, nihil.

Ps. 89. v. 5.

Luc. 12. v. 19.

v. 20.

XXXIX. Atque hanc ob causam Deus hominem formavit de terra, tanquam parte componente, & non de nihilo, ut scilicet admoneretur homo, quod, quantũvis homo vivus sit terra, per animã sensitivã & rationalẽ animata; nihilominus tota hæc vita præsens sit unum nihil. Terra igitur tanquã pars componens, thesaurus est, peccatorẽ ditare potens in pœnitentia; considerando namque homo, se terram esse, & terram esse nihil, detestari potest omne inordinatum bonorum temporalium desiderium.

XL. Optatisne intelligere tandem, in cineribus, tanquam hominis fine, thesaurum reperiri, qui deserviat in antidotum contra omnia inordinata venereurum voluptatum desideria? Demus peccatorem quempiam, quantumcunque enormem, imò alterum diabolum, non poterit certe non detestari peccatum, seque ad Deum convertere, si duntaxat consideret, se in terram convertendum. Juxta S. Marci evangelium, Christo Genezareth appropianti diabolus, quamvis multo spatio distaret, obvius occurrit, seque ad pedes divinos prostravit: *Vidit à longe Iesum, statim cucurrit & adoravit eum.* Quod factum S. Petrus Chrysologus totus obstupescens, dæmonem sequentibus interrogat verbis: *Quid est superbissime satan; quem promissione regni, ut te adoraret, subdolus ambiebas; nunc tremens prolaberis & adoras?* nonne tu es arrogantissimus ille, qui à Christo adorari volebat? ita; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me:* quomodo igitur nunc te abjicis ad pedes Christi? notate inquit sanctus, quid de illo dæmone scribatur in Sancto Marco: *Semper die ac nocte in monumentis erat*; diabolus iste cum mortuis habitarat. Itane? diabolus mortuorum cohabitator? non est ulla amplius admirandi ratio hanc diaboli humilitatem: *Ecce*, inquit S. Pater, *qui honores omnes regni promittebat & gloriæ, habitare fœtidis corruptione cadaverum reperitur in tumulis.*

In cinere thesaurus.

Marc. 5. v. 6.

S. Petrus Chrysol. ser. 17.

Sepulcrum humiliat dæmonem.

Matth. 4. v. 9.

Marc. 5. v. 5.

XLI. Ausculta me ò Christiane, tuum mihi cor pande: diabolus creatura maledicta, ideo duntaxat, quia inter mortuos degit, ut se ad Christi pedes prosterneret, inductus fuit: tu verò, qui nihil in plateis vides præter mortuos, qui nihil in Ecclesiis contemplaris, nisi sepulturas; tu, qui de terra plasmatus, hodie vivis & cras non existes, sed inter mortuos annumeraberis, quomodo, inquam, tu adeo pertinax inhæres peccatis? Heus, heus anima christiana, *considera unde veneris, & erubesce*; recordare, te ex terra progenitum, & verecundare. *Considera ubi sis,*

sis, & ingemisce; cogita, te vivam & animatam quidem esse terram, ast tribulationibus plenam; & tuas deplora miserias. *Considera, quò vadis & contremisce*; finis tui, qui mors est, memineris; & atterrita tuum detestare peccatum. Porro ex hucusque dictis responsio patet ad problema; si enim pœnitentia thesaurus est, ipsius Dei gloriam amplificans, hicque thesaurus in cineribus, qui te mortis admonent, reperitur absconditus; consequenter memoria mortis thesaurus est inter omnes maximè inappretiabilis in ordine ad salutem tuam.

LII. Hac instructi consideratione, omnes contriti & pœnitentes ad Christi pedes nos conferamus, ita supplicantes. Domine, qui in crucis throno considens, nostras inde contemplaris miserias, succurre nobis, auxiliare nobis; tu namque nosti te hominem esse propter nos: si tu in quantum homo, ut filius Dei esses, prædestinatus fuisti, occasionem ejus nostra dedere peccata, quia *si Adam non peccasset, tu crucem non sumpsisses.* Iterum; si ut Deus gloriâ & misericordiâ dives existis, & optatis frueris votis, occasio horum omnium nostra fuere mala; quia *materiam veniæ fors tibi nostra dedit.* Itaque clementissime Deus, adjuva nos, provide nobis, thesaurum aperi clementiæ tuæ, omnibusque nobis specialem communica spiritum, ut mortis memores, in thesauro cinerum pœnitentiæ reperiamus thesaurum, vi cujus omnia detestantes peccata, thesaurum consequamur divinæ misericordiæ & gratiæ tuæ in hac vita, securam gloriæ arrham, *quam mihi & vobis Deus concedat. Amen.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUINTA CINERUM.

DISCURSUS

De excellentia humilitatis, quæ est præcipua ad sanctissimi Sacramenti receptionem dispositio.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus, Matt. 8. v. 8.

PROBLEMA

Utra sit major; an majestas divinitatis in cœlo, an verò humilitatis exilitas in terra?

INTRODUCTIO.

I.

NAtura magistra cœlestem æmulatur decorem, penicillo artis & minio florum, in prato amœno raras suas depingit venustates, efficitque, ut terra centum & mille in sinu suo recludens florum varietates,

tates, imò animatis distincta stellis, fœcundum quoddam exprimat cœlum. Quantumvis autem viva ornatissimi purpura leucoii, animata purpureæ rosæ cinabaris, rarusque cœlestis hyacinthi saphirus desideria non modo accendant, & affectus illaqueent, sed ipsas etiam manus & intuentium alliciant oculos, ut oblatis eorum thesauris justum exsolvant pretium; nihilominus candicans lilium, nocturnas inter tenebras reclusum, aureum conservat thesaurum, ad nascentis solis exortum, eburneâ reseratâ arcâ, expandens folia & purpureos diffundens capillos, quod quantò amplius à radice recedit, à terra separatur, in altum sese erigit, cœloque appropiat; tantò magis cum viridantis smaragdi sceptro triumphare, & quasi terrenus terrena inter lumina phœbus, omnibus aliis dominando resplendere, & resplendendo conspicitur dominari.

II. Evangelium præsens, veluti amœnum quoddam pratum vobis ob oculos ponite Auditores, viride per spem, floridum per fidem, fructiferum per amorem, mysteriis dives, sacramentis fœcundum, virtutibus odoriferum; & ut eloquar paucis, totum rorulentum, totum nimiâ odorum fragrantiâ plenum, totum venustum, deliciosum & pulchrum; supponite insuper, in florentissimo hocce campo, veluti mysticum lilium vernare Centurionem; sicuti enim lilium trium colorum sibi vendicat principatum; albi, qui resplendet in curvis foliis; viridis, qui vestit stipitem rectum; & rubri purpurei in filis
Matth. 8. v. 10. aureis: ita pariter & Centurio albus hodie candicat per magnam fidem: *Non inveni tantam fidem in Israël*; viret per spem:
Matth. 8. v. 5. *Accessit ad eum Centurio*; rubet per amo-
Luc. 7. v. 4. rem: *Diligit gentem nostram.* Et sicut prima facile regii floris est proprietas, quòd in vallibus suaviorem spiret odorem, quàm super colles & montes; ita quoque mysticum nostrum lilium, etiamsi per magnam fidem, spem & charitatem, coram divinis oculis totum appareat magnificum & deliciosum; nihilominus ut primum in profundissimæ humilitatis valle Luc. 7. v. 6
sibi sedem fixit (*Domine, non sum dignus*) Matth. 8.
ò quàm suavem tunc cœpit spargere odo- v. 8.
rem, quàm odoriferâ cœlum oblectare fragrantiâ! De hac humilitatis virtute meus hodie instituetur discursus, cum problemate sequenti: utra major sit & eminentior; humilitatis exilitas in terra, Probl.
an verò majestas divinitatis in cœlo? quia autem hodie est dies Jovis, sanctissimo sacramento consecratus, elucidabimus in secunda concionis parte, quænam sit omnium optima ad gratiam sacramentalem recipiendam dispositio? me itaque demonstrante, quòd humilitatis exilitas ipsam magnificet divinitatem, vos vestras in silentio humiliate linguas, dum incipio.

III. Duæ hodie personæ in discursus hujus scena comparent; hinc Centurio, à Christo salutem deposcens pro servo suo: *Domine, puer meus jacet in domo para-* Matth. 8.
lyticus & malè torquetur: illinc verò Chri- v. 6.
stus, promptissimè sese offerens, ad impertiendam famulo sanitatem: *Ego veniam*
& curabo eum. Christus persona est adeo v. 7.
magna, qualis & quantus est ipse Deus, qui rex supremus est ac dominus omniũ:
Deus magnus super omnes Deos: Centurio Ps. 94. v. 3.
quidem magnus est vi officii: *Dico huic:*
vade, & vadit: animo autem adeo exiguus Matth. 8.
est, ut se indignum reputet, qui Christum v. 9.
in suas recipiat ædes: *Domine non sum di-*
gnus, ut intres sub tectum meum. Quis un- v. 8.
quam credidisset, illustrem Centurionem humilitatis suæ exilitate, admirabiliora

 magis-

magisque stupenda operatum fuisse, quàm patraverit ipse Christus per divinitatis suæ excellentiam?

IV. Non digrediamur ab Evangelio: postquam centurio sese omnino indignum esse, qui Christum in ædes suas reciperet, protestatus fuisset, immediatè subjunxit: *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: vade, & vadit; & alii: veni & venit.* Subsiste ò Corneli, verba namque tua contradictionem importare videntur: *Si habes sub te milites; ergo es in potestate constitutus, non sub potestate*: Si capitaneum agis centenorum militum, quibus ad libitum imperas, non itaque sub potestate degis, sed potestatem habes in manu tua. Progrediamur ulterius; audiens hæc Centurionis verba Christus, admiratus fuit: *Audiens autem Iesus, miratus est.* Quomodò? Christus admiratur? quid fecit, quid dixit Centurio, ut Deum in admirationem raperet, admirationis incapacem? memoriæ mandate hoc dubium, ad quod in fine primæ partis responsum dabo.

v. 9.

v. 10.

§. 30.

V. Pro fundamento dicendorum, scilicet quòd humilitatis exilitas in terra tantum valeat, quantum majestas divinitatis in cœlo, sequentem vobis in medium adduco propositionem: Deus volens servorum suorum opera bona remunerare & præmiare, humilitatem suâ recompensat divinitate; ipseque homo humilitate suâ ipsam illustrat atque exaltat divinitatem; auscultare placeat quandam proposito nostro peridoneam, multaque dignam discussione, Sancti Bernardi sententiam; *Magna virtus est humilitas, cui facile se inclinat divina majestas.* Tanta est humilitatis virtus, ut ipsam inclinet majestatem divinam. Respondete vos mihi ò docti: potestne verbum divinum æterno suo inclinari patri? negabitis utique, quia *inclinatio est actus inferioris ad superiorem*: omnis inclinans inferior est eo, cui fit inclinatio; Sed Verbum divinum nullatenus est Patre æterno inferius, at summè æquale: *Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*; atque ideo nec Verbum divinum patri neque una persona divina alteri sese inclinare potest; quomodo itaque S. Bernardus asserit: *Humilitati facile se inclinat divina majestas?* humilitatem forsitan divinis personis superiorem esse astruemus?

Humilitatis valor.

S. Bern. *ser.* 2. *de Ascens.*

Divina majestas se inclinat humilitati

S. Bern.

VI. Hisce majora sanctus tradit Evangelista Lucas? dum, quid Deus immensus pro servis suis faciat, commemorans, ait: *Præcinget se Deus, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Id quod in præsenti ponderandum occurrit, est illud: *Præcinget se Deus*, & aliud: *ministrabit illis.* Quomodo immensa Dei majestas, se præcingit, quo fine Creator præcinctus serviet creaturæ? Omnes inter sanctos patres, hujus textus interpretes, extraordinaria S. Petri Chrysologi subtilitas sibi palmam deposcit, dum inquit; Deum sese præcingere in terris, humilem & ad instar servi vestitum, ut divinitatis suæ exinanitæ pretio ingentem recompensaret servorum suorum humilitatem: *En mutatio inaudita rerum, en pavenda conversio servitutis; quia parumper servus astitit in Domini sui exspectatione succinctus, & sustinendi fidem brevi fatigatione portavit, ut ei talionem redderet, dissimulat se in ipsa divinitate divinitas.* Suprema immensi Dei majestas, ut per talionis pœnam, humili satisfaceret famulorum suorum servituti, suam exinanivit divinitatem, formamque servi induit, quem-

Luc. 12. *v.* 37.

S. Chrys. *ser.* 18.

quamadmodum in incarnatione clarè patet, in qua divinitatem suam humili cooperuit humanitatis nostræ amictu: *Habitu inventus ut homo, exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* In cœlo pariter, beatos præmiaturus in gloria, sese præcingit; quantumvis enim infinitus sit & incomprehensibilis, nihilominus adeo se humiliat & exinanit, ut sese à beatis videri permittat; unde S. Thomas inquit: *Cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam; ex divina gratia superaccrescit ei virtus intelligendi.* Prosequitur postmodum S. Petrus Chrysologus, inquiens: *Præcingit se Deus, & discumbenti homini Deus astat & astat in cœlestibus; epulanti servit Dominus, & servit accinctus:* Ex hisce dubium consurgit, & quidem judicio meo gravissimum. Si Deus famulorum suorum exsoluturus servitutem, in incarnatione divinitatem suam nostrâ cooperuit humanitate, in forma servi comparens; si beatos in cœlo præmiaturus, cum immensus esset, adeo se minoravit, ut sese ab iisdem videri faceret, quomodo igitur juxta S. Petri Chrysologi assertum: *Dissimulat se in ipsa divinitate divinitas?* Ergo humilitas nuncupabitur divinitas? potius sanè dicere debuisset: *Dissimulat se in ipsa humilitate divinitas.*

Philip. 2. v. 7.

P. 1. q. 12. ar. 5. & 6.

S. Petrus Chrysol. ser. 24.

S. Petri Chrys.

VII. Nunquam ad D. Chrysologi pertingere poterimus subtilitatem, nisi prius, quousque humilitatis sese valor extendat, discusserimus. Pertranseo, quòd humilitas magnificet, exaltet atque nobilitet; nolo meminisse illius, quod S. expressit Magdalena, quando corpus Christi investigans, & hortulanum intuita, inquit: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* Domine? quomodo ò Magdalena, rustico illustrem tribuis Domini titulum? ita, respondet S. Augustinus: *Meritò vocat Dominum, quem viderat servum, humilem & ministrum.*

Humilitas nobilitat.

Ioan. 20. v. 15.

S. Aug.

VIII. Atque ideo ut plurimum, experientiâ teste, humilitas magnificentiam generat & nobilitatem mundi. Lamusius, mendicorum filius parentum, Longobardorum postea Rex electus fuit. Servius Tullius, Ocrisii soboles mancipii, sextus floruit Rex Romanorum. Marcus Julius Licinius, qui *patrem habuit inopem, ad augustale* quoque *culmen ascendit.* Opilius Machrinus, humillimis primitus servitutis deditus exercitiis, tandem *ex humili fortuna ad imperium conscendit*; quibus & similibus plenæ scatent historiæ.

Historia.

IX. Prætereo pariter, quòd humilitas ipsum atterat infernum; cui illud Christi, petras in panem convertere omittentis, favet, quod tentatori reddidit responsum: *Non in solo pane vivit homo.* Domine mi, quare non ad confundendam Luciferi superbiam, scutum adhibes omnipotentiæ tuæ, lapides transmutans in panes? respondet S. Leo: *Poterat quidem Omnipotens, ut ad Creatoris imperium, in quamcunque juberetur speciem cujuslibet generis, creatura transiret, sicut in convivio nuptiali aquam convertit in vinum; sed id magis salutiferis dispensationibus congruebat, ut nequissimi dæmonis astutia non potentia deitatis, sed humilitatis mysterio vinceretur.*

Matth. 4. v. 4.

Humilitas atterit infernum.

S. Leo.

X. Neque asserere intendo, humilitatem omnium esse virtutum compendium; cur enim arbitramini, quòd Christus, dum sese nobis tanquam exemplum proponeret vitæ Christianæ, amplius non dixerit, quàm: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?* Audite magnum P. Augustinum: *Beatus ac beatificus Deus, particeps humilitatis*

Hum. est compendium virtutum.

Matt. 11. v. 29.

S. Aug. l. 9 de civit. Dei c. 15.

litatis nostræ, compendium præbuit participandæ divinitatis suæ. Per humilitatis exemplum, omnium nobis virtutum præbuit compendium, nosque divinitatis suæ reddidit participes, unde S. Maximus in hom. de divin. inquit: *Si quis cupit, divinitatis tenere fastigium; humilitatis ima sectetur.*

S. Max. hom. de divinit.

XI. Ast omnibus illis, utpote tritis nimium & ordinariis, omissis; supradictæ tantummodo inhæreo propositioni, scilicet quòd humilitatis exilitas tantundem valeat in terris, quantum divinitatis majestas in cœlo; imò quòd nullus in Ecclesia militante aut triumphante decor sit aut magnificentia, quæ suam humilitati non attribuat originem. Probationem à S. Pauli dictis exordiamur, qui ad Philippenses scribens, ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*: Ne in animum vestrum induxeritis ò mortales, Christum ideo Patri æqualem esse, quia suam rapuit divinitatem; nequaquam: *Non rapinam arbitratus est*: sed ipse fuit, semperque summo æqualis est Patri, quia Deus est per essentiam: *Cum in forma Dei esset.* Usque huc clarus est sensus; sed quid immediatè subnectitur? *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & humiliavit se usque ad mortem.* Christus ille, qui Deus est per essentiam, sese minoravit, formam induens servilem; sicque minoratus sese humiliavit, mortem sustinens propter hominem, hoc ipsum quoque intelligo: Christus enim, cùm Deus esset secundùm naturam, sese exinanivit, naturam induens humanam, factusque homo, humiliter adiit mortem. Ast quemnam exinanitio & humilitas ista habuit terminum? respondet Apostolus: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quia Christus sese adeo exinanivit, & ad mortem usque humiliavit, à Patre ad Redemptoris munus exaltatus fuit. Hoc ipsum nimiam mihi creat difficultatem; in Christo, qui adeo fuit à Patre sublimatus atque exaltatus, vera est divinitas: *Cum in forma Dei esset*: in eodem pariter vera est humanitas, divino unita supposito; ipse, verus existens homo Deus, triginta trium annorum spatio, infiniti stuporis perpetravit opera, tum ut misericordiam, tum ut justitiam manifestaret divinam; inque Ecclesia sancta, priusquam moreretur, sanctissima instituit sacramenta. In quonam ipse exaltatus fuit? in divinitate fortassis & attributis? & quænam exstitit tantæ hujus exaltationis originaria mater? Dubii hujus difficultas nequaquam enodari poterit, nisi prius sigillatim & subtiliter vires & valorem discusserimus humilitatis. Quantum autem meæ modò menti occurrit, dico & astruo, quòd humilitatis exilitas sit originaria mater exaltationis omnis, quæcunque in triumphante & militante viguit Ecclesia; imò quòd suprema sanctissimæ Trinitaits majestas appareat venustior & venerabilior, per humilitatis exilitatem, quàm per divinitatis magnificentiam.

Philip. 2. v. 6.

v. 7.

v. 8.

v. 9.

XII. Pro discursus hujus fundamento militans subservit Ecclesia, in qua omnes inter Prophetas & Patriarchas, supremus existitit Moyses, adeo sublimatus, ut ab ipsomet Deo novus quidam in terra fuerit constitutus Deus: *Ecce constituo te Deum Pharaonis.* Undenam tanta Moysis orta fuit exaltatio? respondeat Rupertus Abbas; *Quoniam Moyses mitissimus virorum, pro tam glorioso negotio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus confligere se dixit indignum, propterea illum sustulit Dominus super*

Moyses fit Deus per humilitatem.

Exod. 7. v. 1.

Rup. Abb. lib. 9. p. 1. c. 26.

per

per altitudinem nubium, illumque constituit Deum Pharaonis.

XIII. Quis omnes inter Apostolos sublimius S. Paulo exaltatus fuit? ad tertium ipse cœlum abreptus fuit: *Raptus fuit usque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui:* Unde tantam Apostolus consecutus est sublimitatem? audite Guilielmum Durandum: *Quia dixit; non sum dignus vocari Apostolus, propter hanc humilitatem raptus fuit usque ad ultimum cœlum.*

2. Cor. 12. v. 2.

Guil. Dur. l. 6. c. 12. 1. Cor. 15. v. 9.

XIV. Quis in sanctitate & literis major exstitit Augustino, inter doctores omnes? certè nullus; de eo namque Ecclesia canit Augustiniana: *Doctorum doctor maximus.* Ast unde tantam in literis & sanctitate eminentiam consecutus est Augustinus? Audite: 332. conscripsit libros, quos inter unus fuit confessionum, alius retractationum; in quorum primo sese confessus est peccatorem, in secundo ignorantem; in primo de prava sua egit voluntate, in secundo de rudi & hebete intellectu; in primo, cum Prælatus esset, se indignum protestatus est, qui sol esset sanctitatis, sua publicans peccata; in secundo, cum Doctor emineret, se indignum professus est, qui sal denominaretur sapientiæ, suas manifestans inscitias: tantæ itaque humilitatis exinanitio, omnes inter Doctores, sapientiæ & sanctitatis lauream uni impertiit Augustino, juxta illud S. Bernardi assertum: *Augustinus ætate gravis, opinione sanctus, dignitate Episcopus, sapientiâ Princeps, omnibus denique authoritatis nominibus adeo insignis, ut magnum mundi miraculum haberetur, quia humillimus fuit in confessionibus, & mitissimus in retractationibus.*

D. Bern.

XV. Quandonam magnus fuit Præcursor Baptista? Angelus fuit nuncupatus: *Ecce ego mitto Angelum meum,* in materno utero sanctificatus fuit: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te;* sanctorum omnium exstitit supremus: *Inter natos mulierum non surrexit major.* Quid amplius? privilegium ille possedit, nec ipsi concessum Christo; quodnam illud? audite: Christus 33. annis inter nos vixit, eodemque tempore in terra vixit Joannes Baptista; non nego, Baptistam hominem fuisse sanctissimum; sed in comparatione sanctitatis Christi, illa Joannis nulla fuit. Advertite: quantumvis nulla in Joanne conspicerentur divinitatis indicia, imò requisitæ ad Messiæ dignitatem deficerent conditiones, nihilominus ab omnibus pro Christo habitus fuit: *Cogitantibus omnibus de Ioanne, ne forte ipse Christus esset:* Christus autem, in quo splendores refulgebant divinitatis, & in quo apertè dignoscebantur omnes, quas Messiæ dignitas deposcit partes, nunquam existimatus fuit Messias: sed hoc totum exile est. Progrediamur ulterius à vita Christi & Joannis ad utriusque mortem; S. Petrus Chrysologus ex instituto de morte differens Sancti Joannis, ita inquit: *Non potuit Ioannes mori morte communi, qui natus est privilegio singulari.* Quam subiit mortem magnus Baptista? nunquid obiit decollatus? utique: *Quem Herodes decollavit in carcere:* decollatio nonne mors communis est? ita; omnes enim quasi Sancti Martyres fuere decollationis passi martyrium: *Decollati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Quomodo igitur juxta Chrysologũ, *non potuit Ioannes mori morte communi?* Notate, inquit sanctus, me non loqui de genere mortis, quam S. Joannes subivit; iste namque mortis modus communis est; sed ago de motivo propter quod Sancto Joanni mors illata fuit; quodnam autem hocce fuit motivum?

Malach. 3. v. 1.

Quã humilitas exaltavit Ioannem.

Ierem. 1. v. 5.

Matth. 11. v. 11.

vid. §. 17.

Luc. 3. v. 15.

Chrysol. ser. 93.

Matth. 14 v. 10.

Hebr. 11. v. 37.

XVI. Per salutem vestram, omnia sanctorum perlustrate martyria, reperietisque, omnes sub malefactorum titulo mulctatos fuisse morte; exordiamur à martyrio Christi. Volentes Judæi innocentissimum Dei filium tradere morti, ut sacrilegium iniquum colore imbuerent justitiæ, eum tanquam blasphemum modò accusarunt & malefactorem: *Nisi hic esset malefactor, non tradidissemus eum tibi:* modò ut populorum subversorem detulerunt: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributum dari Cæsari.* Tandem duo falsi testes in medium processere: *Novissimè accesserunt duo falsi testes.* Ecce morientem Christum sub titulo malefactoris. Mortuus est magnus Baptista, & non ob aliquod malefactum imò potius, quia bene fecerat, mortem subire coactus fuit; veritatem requiramus à Tyranno. Dic mihi Herodes: *Quam accusationem habes adversus hominem hunc?* Quare magnus moritur Baptista? quare moritur? respondet Herodes; quia sanctus est: *Metuebat Herodes Ioannem; sciens, eum virum justum ac sanctum.* O insane, ergone morte perimis Joannem, quia justus est? institue processum, falsos examina testes, ne sanctum injustè occidisse dicaris. Non, respondet Herodes; Joannes non ut malefactor, sed potius tanquam sanctus morietur. Subsistite mecum ò Auditores & obstupescite: hic Christus, illic degit Joannes; quamvis Christus innumera operaretur mirabilia, nullus tamen ipsum pro Deo reputavit; Joannes autem, qui nullum unquam patravit miraculum, neque requisitis ad Messiæ dignitatem pollebat partibus, à toto mundo fuit existimatus Deus: *Cogitantibus omnibus, &c.* progrediamur ulterius. Moritur Christus, moritur & Joannes; Christus sub titulo malefactoris: *Nisi hic esset malefactor &c.* Joannes sub titulo justi: *Sciens, eum virum justum & sanctum.* Eripite vos me ex labyrintho præsenti. Aliquane Joannem specialis comitabatur bonitas, non reperta in Christo? nequaquam; quare igitur rarum adeo obtigit Sancto Joanni privilegiũ, ipsi denegatum Christo? Insignissimam auribus vestris excipite philosophiam. S. Paulinus Episcopus Nolanus magnum Baptistam *Evangelii sacram januam, metamque legis* nuncupat; quasi diceret Sanctus: Joannes antiquæ legis est terminus, novæque principium; quod assertum totaliter ex scriptura sacra, ex illo Sancti Marci textu desumptum videtur, ubi dicitur: *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem*; lex antiqua & prophetiæ usque ad Joannem perseverarunt; & ab eo postea incœpit lex nova. Vos scitis ò Philosophi, quòd in viventis generatione, præexistens corrumpatur forma; quæ antea informabat materiam, & alia vivens introducatur forma, quia *generatio corruptio alterius.* Non quasi in uno instante, sit terminus formæ desinentis, & in alio instanti immediatè succedenti, sit principium illius, quæ incipit esse; quia *post unum instans temporis, non potest aliud immediatè sequi.* Neque inter unius formæ instans terminativum & alterius initiativum, aliquid mediat temporis; hinc enim inferretur, materiam pro eo temporis spatio, manere omni viduatam formâ; neque tandem in uno eodemque instanti ambæ formæ simul eandem informant materiam, quia naturaliter impossibile est, plures formas simul pro eodem instanti temporis, in una reperiri materia. Quomodo igitur resolvemus difficultatem? dicendum est, idem omnino instans formæ desinenti esse

Christus moritur ut malefactor.

Ioan. 18. *v.* 30.

Luc. 23. *v.* 2.

Matth. 26 *v.* 60.

Ioannes ut justus.

Marci 6. *v.* 20.

S. Paul. in natali S. Felicis

Matth. 11. *v.* 13.

Arist. In lib. de gener.

extrinsecum, formæ autem incipienti intrinsecum, ita ut *in eodem instanti sit verum dicere; nunc forma non est, & antea erat;* inque eodem instanti, verum sit asserere: *Nunc primò vivens est, & antea non erat.* O accomodatissimam proposito meo philosophiam! statuite ò Auditores, legem antiquam veluti mortuam fuisse legem, quia *neminem perduxit ad vitam*; lex autem evangelica, lex est vivorum, quia lex est gratiæ, vitam impertiens animæ; quam ob causam, ut auctumo, Apostolus inquit. *Littera occidit*, scilicet lex vetus; *spiritus autem*, qui lex nova est, *vivificat.* Dum igitur nova esset facienda generatio, quale arbitramini terminativum legis veteris, & initiativum fuisse instans legis novæ? Certè non aliud, præterquam Joannes, qui fuit *Evangelij sacra janua, metaque legis*; atque ita resolvere possumus & asserere, Joannem exstitisse *primum non esse* legis veteris, & *primum esse legis* gratiæ, quia *lex & Prophetæ usque ad Ioannem.* Ast singularem advertite, quam Philosophus adducit prærogativam; scilicet quòd in instanti initiativo intrinseco illius formæ, quæ incipit; *ipsa forma est secundùm totum suum esse;* cum enim forma vivens sit ens permanens, & non successivum; *est in eodem instanti secundùm totum suum esse simul*; si itaque gratia, quæ forma est & vitam tribuit, *est ens permanens*, sequitur, quò gratia *tota simul & secundùm totum suum esse*, fuerit in Joanne, qui ideo pariter nomen possedit, quod *gratia* interpretatur. Et quia gratia sanctificans à Theologis nuncupatur justitia inhærens, per necessariam consequentiam infertur, quòd, sicut Joannes legis gratiæ exstitit principium, ita pariter & justitiæ fuerit initium; quia si justitia consistit *in reddere unicuique, quod suum est;* Joannes primus omnino fuit, qui cuique tradidit suum, quod ad eum spectabat; & principaliter quidem Christo: interroganti namque mundo, quis esset Messias; hancque omnibus Joanni dignitatem offerentibus, ipse respondit: *Non sum ego Christus; medius vestrum stetit, quem vos nescitis; ego non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Itane? inquit cœlum; primus omnium Joannes servavit justitiam, renuntians ei, ad quem pertinebat, Messiæ dignitatem? *Non potuit Ioannes mori morte communi, qui natus est privilegio singulari.* Minimè decet, Joannem ordinariâ deleri morte, & sub injusti titulo, quandoquidem primus ille fuit justitiæ observator, Messiæ dignitatem ei, cui debebatur, renuntians.

Heb. 7. v. 19.

2. Cor. 3. v. 6.

Ioan. 1. v. 26.
Marc. 1. v. 7.
Cur non pereat ut reus.

XVII. Ex hisce planum fiet, quare S. Joannes, & non Christus, ab omnibus fuerit existimatus Messias; Christus dicere nequibat: *Non sum dignus*: nulla enim aut in cœlis aut in terris reperibilis est excellentia, quâ ipse sit indignus; Joannes autem quoties Messiæ dignitas ei offerebatur, semper humillimus dicebat: *Non sum dignus.* Quâ humilitate suâ privilegium meruit, quale nec ipsemet possedit filius Dei. Nequaquam sublimia adeo dicere præsumpsissem ego, nisi id me docuisset magnus Pater Augustinus, à præclarissimo quodam relatus scriptore, dum inquit: *Reputari Ioannes potuit Christus, & noluit; & quia noluit, dicens humiliter: non sum dignus, existimari meruit Christus.*

S. Aug. l. 4. in Ioan. apud Mendoz. in libr. reg.

XVIII. Ast incœptum prosequamur ordinem. Omnes inter corporeas & spirituales creaturas, quænam sublimius exaltata fuit, quàm Domina nostra Maria? nulla omnino: illa super omnes Angelorum choros elevata fuit de qua dicitur: *Exaltata est sancta Dei genitrix super*

Ps. 44. v. 10. Humilitas Mariæ præ omnibus exaltavit. *choros Angelorum ad cœlestia regna.* Illa Filii dextram in cœlis meruit occupare: *Astitit regina à dextris tuis.* Atque ut breviter omnes eius magnificentias unicâ constringam, suffecerit dicere cum Alberto Magno, quòd *Maria fuit mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium.* Unde Maria tantam consecuta est magnificentiam, ut virginali in utero trinum immensumque Deum comprehendere posset? Luc. 1. v. 49. & 48. respondeat ipsamet in deliciosissimo illo, à se composito, cantico: *Fecit mihi Dominus magna: qui potens est; quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

XIX. Sed deseramus creaturas, cœlum conscensuri. Christum Patri præposuit. Divinas inter personas, nonne Verbum incarnatum ad patris dextram considet? utique: *Sede à dextris meis.* Ps. 109. v. 1. Qua de sessione Maldonatus discurrens, Maldo. in ps. 109. in dictum psalmum ita scribit: *Sedere Christi ad dextram patris significat Christum non solum esse æqualem patri, sed etiam majorem, non quidem reipsâ, sed quò ad nos, ex functione officij & administratione Ecclesiæ;* Joan. 5. v. 22. *neque enim juxta Ioannem, Pater judicat quemquam, sed totum judicium dedit filio.* Undenam Deus incarnatus tantam supra Patrem obtinuit prærogativam? an non audistis, quod S. Paulus ad Philippenses scribit, nimirum quòd in incarnatione sese Phil. 2. v. 7. adeo exinanierit, ut cum Deus esset, se servum fecerit? *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Perque totius mortalis vitæ suæ cursum, nullam virtutem majoris fecit quam humilitatem: *Discite à me,* Matth. 11. v. 29. *quia mitis sum & humilis corde:* & tandem in vitæ suæ termino, sese humiliavit usque ad crucem, duos inter latrones exspirans: Phil. 2. v. 8 *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Tanta hæc humilitas, Christi fuit exaltationis origo.

XX. Conscendamus sublimius. Quis divinæ justitiæ, propter peccata nostra summè offensæ, plenam dedit satisfactionem, nisi humilitatis exilitas? Divinæ satisfecit justitiæ. notate subtilem doctissimi cujusdam patris ponderationem. Christus ad pedes sese prosternens Sancti Joannis, Matth. 3. v. 13. *petiit ab eo baptizari;* cui Joannes: Domine, ego vilissima creatura Deum baptizare debeo? v. 14. *Ego potius à te debeo baptizari.* Agedum respondit Christus: v. 15. *Sine modò:* Seponamus cæremonias: *Sic nos decet adimplere omnem justitiam.* Oportet, ut divinæ justitiæ uterque præstemus satisfactionem. Videamus in præsenti ante omnia, quam Christus per baptismum suum compleverit justitiam? scitisne, quam justitiam? notate. Homo vilissima erat creatura, & nihilominus arroganter super omnes concupiit sublevari creaturas; imò cùm miserabilis esset, Deo præsumpsit appropiare per æqualitatem: Gen. 3. v. 5. *Eritis sicut Dij.* In summa; suam egredi attentavit sphæram & centrum; itane? dicebat justitia divina; retrudatur homo in locum suum, Gen. 2. v. 7 & quia homo de terra est: *Formavit Deus hominem de limo terræ;* locus autem terræ proprius subtus aquis est, ideo Deus homo factus sese humiliet, aquis subiiciatur & baptizetur, ut per hujusmodi humilitatis actum, divinæ satisfiat justitiæ. Conceptus iste Cromatij est, inquientis: Cromat. super hunc locum. *Non sui causâ baptizari Dominus venit, sed causâ nostri, ut humilitate compleret eam justitiam, quàm superbè primus homo neglexit; & terreo suo loco recedens, altiorem ambivit.*

XXI. Ast si Christus fuit ille, qui, dum se in baptismo humiliavit, divinæ satisfecit justitiæ, quomodo itaque ad S. Joannem dicit: Matt. 3. v. 15. *Sic nos?* ò magne & immense Domine: *Sic nos?* quot igitur mundi sunt redemptores? forsitanne duo? absit.

D. Th. 3. p. abſit. Subvenite mihi ò docti; an non certum eſt, quòd *pura creatura quantumcunque elevata per gratiam, non poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccatis aliorum?* utique, quia *gratia Redemptoris eſt gratia capitis*; creatura autem quà talis, nequit eſſe caput, cùm ſit corporis myſtici membrum. Adjungite inſuper, quòd peccatum *ſaltem objectivè* ſit infinitum; actio autem creaturæ, propter ſuppoſitum finitum, ſemper eſt finita & limitata; quomodo itaque Chriſtus ad Joannem ait: *Sic nos decet adimplere omnem juſtitiam?* nonne tuarum eſt partium ò Deus meus, ut ſanguine tuo divinæ ſatisfacias juſtitiæ? ita; quomodo igitur coadjutorem acceſſis Joannem Baptiſtam? forſitan quia ſolus non ſufficiebas, qui plenam offenſo Patri ſatisfactionem tribueres? ita eſt, dicit Chriſtus; inſufficiens ego ſolus ſum, neceſſarium eſt mihi Joannis ſubſidium; non turbemini ò ſimplices, quia jam jam illuſtrabo paradoxum.

XXII. Suppono primò, Chriſtum veniſſe in mundum, ut gradatim caſum repararet Adami; ita ut Adamo in Paradiſi horto delinquente, interque belliſſima tempe prævaricationem inchoante, Chriſtus quoque in horto Getſemani, ſuæ dederit paſſioni principium, ſuosque initiarit dolores: *Et hymno dicto exierunt in hortum.* (Matt. 26. v. 30.) Si Adamus in paradiſo terreſtri pomum reſpexit, in eoque ſibi complacuit; ecce Chriſtum facie proſtratum in terram: *Procidit in faciem ſuam.* (v. 39.) Si Adamus in Paradiſo divinum non timuit transgredi præceptum; ecce in horto pavet, contremiſcit & ſanguinem ſudat Chriſtus; *Cœpit pavere, tædere & mæſtus eſſe.* (Marc 14. v. 33.) Si ad pomum vetitum pedibus appropiavit Adamus, illudque manibus contrectavit; ecce Chriſtum non modò ſanctis transfixum pedibus, ſed inſuper ſacratiſſimis perforatum manibus: *Foderunt manus meas & pedes meos.* (Pſ. 21. v. 17.) Si protoparens Adamus Deo arroganter tentavit æqualis eſſe; venerandum Chriſti caput acutiſſimis coronatum ſpinis: *Poſuerunt coronam de ſpinis ſuper caput ejus.* (Ioan. 19. v. 2.) Si Adamus pomum guſtavit, prohibitumque à Deo comedit fructum; ecce Chriſtus os ſuum aceto amaricat & felle: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* (Pſ. 68. v. 22.) Atque ita porro per omnia alia diſcurrendo myſteria, ſemper invenietis, Chriſtum eadem omnino viâ divinæ ſatisfeciſſe juſtitiæ, quemadmodum peccavit Adamus.

XXIII. Hoc ſuppoſito; quid obtulit ſerpens protoparenti noſtro Adamo, dum ipſe prævaricaretur? certo certius æqualitatem Dei: *Eritis ſicut Dij.* (Gen. 3. v. 5.) Oblatũ amplexatus Adam, Deitatem ambivit; oportebat itaque, ut Chriſtus pro ambitioſo hoc Adami actu ſatisfaceret per actum contrarium; ſed quomodo? Divinitatem refutare nequibat, quia *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*; (Philip. 2. v. 6.) & quantumvis ſeſe humiliaret, ut ſervus fieret, cùm Dominus eſſet, *formam ſervi accipiens*; (v. 7.) nihilominus nunquam ſe Deum eſſe negavit; imò potius, quoties interrogaretur: *eſne tu Chriſtus filius Dei?* (Luc. 22. v. 70.) interpide reſpondit: *Vos dixiſtis, ego ſum; ego & pater unum ſumus.* (Ioan. 10. v. 30.) Quid igitur fecit? fortaſſe non fiet ſatis pro iſto Adami delicto? nequaquam, reſpondet divina juſtitia, ſatisfaciet omnino quiſpiam; aſt pro actu illo, pro quo Chriſtus ſatisfacere nequit (non per impotentiam, ſed per repugnantiam) volo, ut ſatisfaciat Joannes Baptiſta. Aſt quomodo Joannes in Dei locum ſubintrare poterat? quomodo? venient Jeroſolymis ſacerdotes, offerentque Baptiſtæ deitatem, dicentes: *Eſne tu Chriſtus?* Baptiſta tanquam ſanctus (Ioan. 1. v. 20.)

ex humilitate respondebit: *Non sum dignus.* In illius humilitatis virtute Joannes Christi intrabit locum, sicque pro ambitioso Adami actu satisfaciet. Itane? dicit Christus; igitur ò Joannes, *sic nos decet adimplere omnem justitiam.* Uterque simul divinæ justitiæ satisfaciamus, oportet; ego factis, tu verbis; ego sanguinis profusione, tu humilitate divinitatem renunciando. Hunc nobis conceptum doctissimus quidam pater exhibet in hæc verba: *O quanti faciendus est D. Ioannes, qui humillimè dicens: non sum dignus: dignus reputatus est, omnem cum Christo adimplere justitiam.*

Matth. 3. v. 15.

XXIV. Indulgete mihi ò Auditores quatenus tandem insignem vobis diversorum conceptuum exhibere possim catenam, vestræ, ut opinor, summæ attentionis pretio perquam dignissimam. Tantâ virtute atque efficaciâ, humilitatis pollet exilitas, ut non modò ipsam magnificet exaltetque divinitatem, sed excedat insuper, dans, nescio quale, ipse sanctissimæ Trinitati complementum. Duabus vicibus Christum Dominum Pater æternus suum declaravit esse unigenitum filium; semel in Jordane, & semel in monte Tabor; in Jordane cœlos legimus reseratos patuisse: *Cœli aperti sunt super eum, & vox patris intonuit: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; neque aliud dicitur in præsenti; in monte thaborio eadem dicuntur verba, sed cum hoc addito: *ipsum audite*: quasi Pater æternus in vertice thaborio dicere voluisset. O mortales, vobis ego Christum declaro, non pro meo duntaxat amantissimo filio, sed insuper pro universali totius Ecclesiæ sanctæ magistro; ideoque attendite doctrinæ ejus: *ipsum audite.* Pater æterne, idem est in Jordane & Thabore Christus, quare igitur eum in Thabore magistrum declaras Ecclesiæ sanctæ, & non etiam in Jordane? respondet æternus pater, id propterea factum quia in Jordane Joannes Baptista erat, magister Christo superior. Quomodo? Joannes Christo superior? ita; an non videtis manum ejus super Christi caput baptizati? Christi caput est divinitas: *Caput Christi Deus.* Joannes itaq; supra divinitatem consistit; ast unde id meruit, ut manum suam super divinitatem elevare posset? quia se indignum reputavit, qui calceamenta ejus contingeret: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Audite Chrysostomum sanctum: *Manum, quam solvere calceamenta dixit indignam, supra caput suum Christus attraxit.*

Hum. exaltat & perficit Trinitatē.

Matth. 3. v. 16. & 17

Matt. 17. v. 5.

Ioan. supra Christum.

1. Cor. 11.

Luc. 3. v. 16.

Io. Chrys. ho. 38. ad Popul.

XXV. Sed quomodo? si Christus in Jordane inferior est Joanne, quare igitur Christus à Patre inibi declaratus fuit unigenitus filius? respondet æternus Pater; quia baptismus peccatum eluit; videns itaque mundus Christum baptizari, eum peccatorem esse reputasset, ne id in animum vestrum inducatis ò mortales; ne Christum, qui baptizatur, peccatorem esse arbitremini; nequaquam, quin potius certi estote, ipsum esse filium meum, & ut talem vobis eum declaro: *Hic est filius meus, in quo mihi bene complacui.* Quia autem duæ sunt personæ in Jordane, scilicet Christus baptizatus & Joannes baptizans, te ego interrogo æterne pater, de quo loqueris, dum inquis: *Hic est filius meus dilectus*? de Christo aut de Joanne? respondeo tibi, ait Pater: *Super quem videris descendentem spiritum meum, ipse est.* Illum ego designo, super quem descendet Spiritus Sanctus; descendit autem divinus Spiritus in forma columbæ supra caput Christi: *In specie columbæ visus est.* Atque

Matth. 3. v. 17.

Ioan. 1. v. 33.

Matth. 3. v. 16.

que ita testificanti Spiritui sancto testis conjungitur pater; & ecce duos testes in favorem divinitatis Christi. Sed nunquid tres sunt in cœlo testes? ita: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum & Spiritus Sanctus.* In Jordane sunt duo duntaxat; scilicet Pater (*Hic est filius meus dilectus*) & Spiritus Sanctus, *qui in specie columbæ visus est*: testimonium hic deficit verbi. O æternum verbum, tu ipsum tuam attestare divinitatem. Nequaquam, dicit verbum: *Si enim testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat; laus in ore proprio vilescit.* Si ego de memetipso testimonium dederim, testimonium meum à suspicione minimè immune erit. Quomodo itaque fiet? incompletumne manebit sanctissimæ Trinitatis testimonium? id neutiquam conveniens est; quis igitur vices subibit Verbi? Theologi quidnam est Verbo maximè vicinum? Resolvit Hugo Cardinalis, dicens: *Nihil est Verbo immediatius voce*; nulla res Verbo magis est vicina, quàm vox. Et pariter juxta Philosophum: *voces sunt expressivæ conceptuū*: vox verbi est declarativa. Notate: magnus Dei filius Verbum est Patris: *Verbum æterni Patris*: & Joannes vox est, qui de se protestatur, dicens: *ego vox clamantis in deserto*: Joannes itaque solus Verbum declarare potest; Joannes igitur vices subeat Verbi, & complementum addat sanctissimæ Trinitatis testimonio. Quid multis? in medio divinarum personarum collocatur Joannes, digitoque Christum designans, ait *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Itane? Joannes itaque Baptista sacratæ Trinitatis testimonio tribuit complementum; deficiente namque Joanne, testimonium defecisset Verbi, atque ita sanctissimæ Trinitatis testimonium mansisset incompletum, auscultate divinum hac de re testimonium & conceptum S. Petri Damiani, dum ait: *Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, Spiritus Sanctus in specie columbæ demonstratur; sed adest Ioannes, totius medius Trinitatis.* Vos superaddite *Complementum*, ut vitam meo impertiamini conceptui.

(Margin: 1. Ioan. 5. v. 7. — Matth. 3. v. 17. v. 16 — Ioan. 5. v. 31. — 2. Cor. c. 10. v. 18. — Ioannes ut vox Verbo vicinissima. — Hug. Card. — Ioan. 1. v. 23. — v. 29. — S. Pet. Dami.)

XXVI. Unde tantam Joannes meruit prærogativam, ut vices subiens Verbi, testimonium compleret Trinitatis? nunquid Joannes vox erat? ita: *Ego vox*: Quid autem nihilo vicinius quàm vox? *Nihil est vilius voce*, inquit Hugo Cardinalis; dum se nihilum reputavit Joannes, ipsam exaltavit divinitatem. Vultisne dignoscere, quantum sese exinanierit & vilipenderit Joannes? Notate; quare Baptista nullius unquam exstitit miraculi patrator, quemadmodum Evangelista dicit: *Nullum signum fecit Ioannes*? ò Deum! omnium sanctorum maximus nulla operatur miracula? responderi posset, nullum à Joanne perpetratum fuisse prodigium, quia ipsemet naturæ erat miraculum; nunquid enim miraculum esset, infantem in utero loqui materno? ita; Joannes autem locutus est, priusquam nasceretur; *Nondum nascitur, & saltibus loquitur*, inquit Chrysostomus; id quod hisce verbis S. Evangelista Lucas expressit: *Exultavit infans in utero ejus.* An non prodigium foret, degere in mundo hominem sine cibo & potu? utique. Joannes autem Baptista *venit in mundum, non manducans, neque bibens.* An careret miraculo, hominem carne vestitum, Angelum exprimere? neutiquam? Joannes autem homo terrenus, angelicam repræsentavit formam: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Finaliter an non miraculum esset, creaturam pro Deo haberi?

(Margin: Ioan. 10. v. 41. — Cur S. Ioannes non fecerit miracula. — Chrysost. — Luc. 1. v. 41 — Matt. 11. v. 18. — Malach. 3. v. 1.)

haberi?

haberi? maximè; Joannes, pura creatura, ab omnibus pro Deo æstimatus fuit; *Cogitantibus omnibus de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus.* Cum igitur ipse Joannes in se quoddam erat miraculum *in abstracto*, quo fine operatus fuisset miracula?

Luc. 3. v. 15.

XXVII. Convenientius nihilominus ad propositum responderem ego, quòd Joannes non patrarit miracula, quia unum operatus est, infinitis æquivalens miraculis. Quodnam illud? se minoravit per humilitatem, seque nihilum reputavit & humilitatis suæ exinanitione ipsam Christi magnificavit divinitatem; ita ut, si Joannes sese non minorasset per humilitatem, nunquam Christus receptus fuisset pro Messia. Dicite mihi, quo fine Joannes venit in mundum? nonne ut veram indigitaret lucem? ita: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Ignorabat mundus excellentiam Christi, ideoque Joannem adiere Judæi, eum interrogantes: *Esne tu Christus?* quibus Joannes; nequaquam, sed *medius vestrum stetit, quem vos nescitis*: ast quantus iste poterit esse Christus? quantus? vultisne proportionatam ejus mensuram? *Ego non sum dignus, solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Ego, quem vos Deum esse putatis, indignus sum, qui ejus attingam calceos. Notate: Joannes humilitatis suæ exilitate, divinitatis Christi mensuravit & publicavit quantitatem atque excellentiam; & nisi Joannes sese minorasset, Christus non fuisset cognitus & receptus pro magno; ita ut exaltatio Dei à Joannis dependerit exinanitione, prout ipsemet attestatur, dum ait: *Me oportet minui, illum autem crescere*: ut Deus exaltetur, me necessum est minorari. O stupenda & audita nunquam! an non vobis videtur hoc ipsum omnium extitisse miraculorum compendium? propterea itaque *nullum signum fecit Ioannes*; quia scilicet humilitatis suæ exinanitione, Deum, qui infinitus est, magnificavit; ideoque locum meruit tenere Verbi & sanctissimæ Trinitatis complere testimonium.

Ioan. 1. v. 7

v. 26.

v. 27.

Ioan. 3. v. 30.

XXVIII. Nescio, utrùm sublimius quidquam dici possit de humilitate; sola me de reliquo stimulat curiositas, ut intelligam, unde tantam humilitas hauserit virtutem, ut ipsum valeat magnificare Deum, & perfectionem tribuere sanctissimæ Trinitatis testimonio. Religionis meæ Augustinianę splendor, S. Thomas de Villanova, divinis humilitatem exornat præconiis; in particulari autem discutiens hujus virtutis essentiam, ita eam cum S. Bernardo definit: *Humilitas est virtus, quâ quisque ex vera sui cognitione, sibiipsi vilescit.* Aut, sicut alii dicunt: *Humilis est ille, qui seipsum nihil esse cognoscit.* Vera in eo consistit humilitas, quòd creatura cognoscat, se nihil esse; hoc supposito, dicerem ego, solam humilitatem esse infinitam & naturæ divinæ; pro cujus intelligentia notandum est, duplex posse assignari infinitum; alterum positivum, (quod omnem imaginabilem complectitur perfectionem, quale solus est Deus,) privativum seu negativum alterum, omnem excludens perfectionem, & istud est nihil: quemadmodum itaque infinitum positivum ejus est perfectionis, ut nulla ipsi superaddi possit, quia *infinito nulla fit additio*; ita è converso infinitum privativum, scilicet nihil, adeo est imperfectum, ut nihil in eo reperiri possit perfectionis aut quippiam in eo destrui; quia si à nihilo posset auferri nihil, jam non esset nihil: atque ita si infinitum positivum, ideo est infinitum, quia omnem includit perfectionem; atque omnem exclu-

Quomodo humilitas exaltet Deum.

S. Th. Vill. conc. 1. de S. Martino.

cludit imperfectionem; infinitum privativum etiam dici poterit infinitum, saltem *analogicè & per similitudinem*, quia omnem excludit perfectionem positivam & directè negationem includit cujuscunque entitatis positivæ. Cum igitur juxta Metaphysicos, *relativa sint ejusdem naturæ & disciplinæ*, persuadeo mihi, nihilitatem infiniti privativi, saltem in quantum relativum est, eiusdem esse conditionis cum excellentia infiniti positivi; quia sicut *nihil* directè penetrari nequit, nisi à solo Deo, qui infinitum est positivum; ita quoque sublimitas & magnificentia divinitatis à solo eo cognosci potest, qui per humilitatem se agnoscit esse nihil, quod est infinitum privativum.

Humilitas divinitas. XXIX. Quam ob causam S. Petrus Chrysologus humilitatem divinitatis condecorat titulo, inquiens: *Dissimulat se in ipsa divinitate divinitas*; & Deus humilitatem nostram suâ persolvit divinitate, factusque servus, ut suis ministraret servis, sese inclinat humilitati: *Humilitati se inclinat divina majestas.* Ex hisce resolutio patet problematis; scilicet quòd humilitatis exinanitio tantam possideat æstimationem & valorem in terra, quantam eminentia divinitatis in cœlo; quandoquidem per humilitatis exilitatem, magis divinitatis resplendet excellentia, hæcque nostræ pretium constituitur humilitatis.

Resol. Probl.

XXX. Et ecce vobis rationem, propter quam Christus hodie, Centurionem loquentem audiens, fuerit admiratus; dicebat namque Centurio: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; nam & ego homo sum sub potestate constitutus.* (*Matth.* 8. *v.* 8.) Quid importat ly *Homo*? *Homo derivatur ab humo*, *humus* autem idem est, quod terra; quasi igitur volebat Centurio, Domine, ego homo sum, ego vilissima sum terra, indignus sum, ut tantus dominus meos subintret penates. Ad hæc Christus stupore plenus, ille, inquiebat, Centurio me suâ magnificat humilitate & submissione, excellentius asseri nequit. Centurio itaque opus perfecit majori dignum stupore, per humilitatis suæ exilitatem, quàm Christus per divinitatis suæ eminentiam.

XXXI. O quàm felicem judicarem hodie si auditorum præcordiis sanctam hanc virtutem imprimere scirem aut possem. Dic mihi ô vir, responde mulier; quid es? nescis? Deus quid sis, te edocet: *Homo terra es; & in terram ibis.* Terra es & terra eris; nunquam veritati assensum præbes? tibi ipsi assentire, certus, quòd in te, vivæ carnis characteribus, quid sis, mater expresserit natura in duobus oculis nostris & medio nasi. Oculus figuræ est sphæricæ, quasi unius O expressivus; nasus autem cum tribus ossiculis velut M repræsentat; lege itaque ex omni patre, semperque reperies, quòd sit OMO. *Homo derivatur ab humo*, prout paulò ante insinuavi, *humus* autem idem est, quod terra. Tu vir, tu mulier terra es; si autem terra es, quorsum itaque tanti tui luxus, tot ornatus & vanitates? cur non consideras, te hodie aut cras mortuum futurum sub terra? cur non perpendis, solam humilitatem veræ eminentiæ esse genitricem; audi, quam tibi tradit S. Isaacus doctrinam: (S. Isaac li. de contemp. mundi.) *Vilipende te ipsum, & habebis gloriam Dei in teipso; nam ubicunque humilitas nascitur, gloria oritur Dei: quod si habebis humilitatem in corde tuo, habebis gloriam Dei in corde tuo.* In peccatis hæres ô homo? offensis Dei involutus es? *Vilipende teipsum, & habebis gloriam Dei in temetipso*; cum-

cumque hac consideratione, scilicet te terram esse, aliquam pauperibus impertire eleemosynam, me interim tantisper respirante.

PARS SECUNDA.

XXXII. CRas contrapositionem habebimus scripturæ sacræ, dum Christus ex una parte dilectionem commendat inimicorum, dicens: *diligite inimicos vestros*: ex alia verò odium præcipit parentum & consanguineorum: *Qui non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus*; sequens itaque statuemus problema: ad quid magis obligetur Christianus; an ad amandos inimicos, an verò ad odio habendos parentes & consanguineos?

XXXIII. Quia autem hodiernus dies sanctissimo Sacramento est consecratus, superest, ut breviter elucidemus, quænam sit omnium præstantissima ad gratiæ sacramentalis, in sacra communione, receptionem dispositio? Angelicus Doctor S. Thomas obstupefactus totus, propter sacratissimi panis excellentias, exclamat: *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, servus & humilis.* Reservemus in alias occasiones ly *pauper & servus*, hodie sequens duntaxat discussuri verbum: *Humilis*. Quare humilibus specialiter sacramenti promittitur plenitudo? scitisne quare? ad docendum nos, quòd optima ad sacram communionem recipiendam, & ad se gratiæ sacramentalis capacem efficiendum dispositio sit sola humilitatis virtus.

In offic. corpor. Domini.

XXXIV. Observastisne docti, totum hoc, quod in sacramento reperitur, nil nisi meram spirare humilitatem? in materia nihil apparet præter humilitatem. Quare Ecclesia latina in pane azymo corpus Christi consecrat? cur non infermentato? dicetis forsitan cum Algero; id ideo fieri ab Ecclesia, ut se conformet Christo, qui consecravit *in azymis sinceritatis & veritatis*; ast ego replico; quare Christus non consecravit in pane fermentato? pater subtilitatis S. Petrus Chrysologus sequentem nobis assignat rationem: *In fermento non est moles magnitudinis, sed tumoris, & conspersio tali specie conflata est, non ditata.* Panis fermentatus ad extra apparet magnus, ast in rei veritate non nisi inflatus est, & ab intra vacans, potiusque superbiam denotat, quàm humilitatem. Itane dicit Christus? nolo igitur panem istum pro materia corporis mei; azymus apposité deservit, quia humilitatem spirat.

Materia Eucharistiæ humilis.

S. Chrysol.

XXXV. Iterum nunquid Eucharistiæ forma totaliter humilitate vestita est? Quare Christus hostiam aut calicem consecrans, non dixit: *Hæc est divinitas mea?* Scitisne quare? ex humilitate. Si enim in incarnatione divinitas primum obtinuit locum, humanitate ad instar famulæ existente; in Eucharistia totaliter evenit oppositum, in ea enim divinitas sese humiliat, estque *per concomitantiam*; atque hanc ob causam Christus non dixit: *Hæc est divinitas mea.*

Sicut & forma.

XXXVI. Quidquid demum in sacramento reperitur, quid est aliud, quàm humilitatis expressio? si Christus in incarnatione sese Mariæ subjecit, ab eaque esse naturale recepit; in Eucharistia subdit se sacerdoti, & ab eo esse recipit sacramentale: atque ideo Scotus ait, quod si per impossibile Christus non fuisset natus ex Maria; sacerdos nihilominus per consecrationis verba eum præsentem sisteret altari. Unde tanta in sacramento humilitas? Audite magnum P. Augustinum: *Ver-*

Item totum Sacramentum.

Verbum illud, quo pascuntur Angeli, factus est Panis, quo pascuntur homines, saginantur illo angeli in cœlo; sed semetipsum exinanivit in terra, ut disceret humiliari homo, & sic humiliatus panem Angelorum manducaret homo. Voluit Christus, ut adeo resplenderet in sacramento humilitas, quatenus disceret homo humilitatem, mediâque illâ fructum participaret sacramenti.

XXXVII. Vultisne perfectius cognoscere, quàm insignis ad sanctissimum sacramentum recipiendum dispositio sit humilitas? notate quid singulare: increata sacratæ Triados majestas, decora magis apparet per humilitatis exilitatem, quàm per divinitatis eminentiam; pro cujus probatione vos ego interrogo, quid est optimum & pulcherrimum in Paradiso? Zacharias Propheta sanctissimum respondet esse sacramentum, dum ait: *Quid est bonum & pulchrum ejus, nisi granum frumenti & vinum germinans virgines?* Per frumentum Glossa speciem intelligit panis, sub qua latitat sacrata Christi caro; per vinum autem, alteram interpretatur speciem, sub qua pretiosus continetur sanguinis: *Quid est bonum & pulchrum eius*, inquit Glossa, *nisi corpus Christi consecratum in pane frumenti?* Ast si in Paradiso increata eminet trium divinarum personarum excellentia in una essentia, quomodo inquit Zacharias, pulcherrimum atque optimum, quod possidet Paradisus, esse sacramentum? Theologi, vos me à mendacii macula liberate. Nunquid in sacramento humanitas est Christi *ex vi verborum*, à supposito divino suppositata? & ubi una reperitur divina persona, nonne tota adest sanctissima Trinitas? utique, in sacramento igitur tota latet reclusa sacratæ Triados excellentia; atque adeò asserere: optimum & pulcherrimum Paradisi, est sacramentum, idem est, ac dicere; quòd sanctissima Trinitas, in sacramento reclusa, sit omnium in cœlo formosissima. At si ita est; quomodo Trinitas maximè dicitur decora, in sacramento latitans, quod nullâ divinitatis pompâ vestitum excellit? In hoc fundatur conceptus. Citra omne dubium in incarnatione se humiliavit Dei filius, figuram induens servilem: *Formam servi accipiens*: perque totum mortalis vitæ suæ tempus, excessivè suam demonstravit humilitatem, tantis se submittendo pœnis, atque ipsi finaliter morti; in sacramento autem adeo se exinanivit, ut nequierit profundius: cùm enim homo esset ac Deus, cibum se consecrat, quem homo quotidie manducare queat; cumque esset immensus, quem cœlum capere non poterat, sub quacunque minima etiam hostiæ particula recludi elegit: *Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Poteratne infinitus Deus se magis exinanire? minimè. Propterea itaque Trinitatis eminentia apparuit venustior, etiam sine divinitatis pompa; quia si juxta regulam philosophicam, *sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*; & iterum juxta Christi assertum: *Qui se humiliat, exaltabitur*; consequenter dicendum est: *Qui se magis humiliat, magis exaltabitur.* Cum itaque Deus trinus & unus, in sacramento cum accidentibus panis sese cooperiens, sese exinanierit atq; humiliarit, ut nunquam amplius, ideo in sacramento formosior apparet ac magnificentior; ecce vobis proposito & asserto nostro accommodatissimam sancti Bernardi auctoritatem, inquientis: *Sola humilitas, est quæ exaltat; Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet, quò cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descen-*

Margin notes: *Zach. 9. v. 17.* — *Glossa* — In sacr. tota Trias. — *Phil. 2. v. 7.* — *Matt. 23. v. 12.* — *S. Bern. ser. 2. de Ascens. Domini.*

sum invenit, quomodo crescit; veniens incarnari, pati & mori; propter quod & Deus exaltavit illum: & quia in sacramento magis se exinanivit, propterea juxta Zachariam in sacramento magis decorus apparet. Si itaq; humilitas tanto pollet vigore, ut ipsi trini uniusque Dei magnificentiæ decorem addat & venustatem, quid ni eadem homini optima erit dispositio ad recipiendam gratiam sacramentalem?

Christum cœlis intulit humilitas. XXXVIII. Permittite, ut discursum notabili quâdam terminem exaggeratione, Propheta David Salvatoris ad cœlestes portas describens accessum, notat, Redemptorē imperiosâ voce præcepisse
Ps.23.v.7. Angelis: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales:* responderunt
v. 8. Angeli, dicentes; quisnam est iste, qui imperiosè adeo nobis jubet? *Quis est Rex gloriæ?* quibus Christus: an me non cognoscitis? ego sum rex gloriæ; subitò, si-
v. 9. ne mora: *Elevamini portæ æternales & introibit rex gloriæ.* Ast quis tandem erit rex iste gloriæ? an non habes aliud evidentius signum, quo te manifestes? Ita: aperite, quia ego ille sum, qui in hominis defensionem decertans, omnes vici infernales inimicos, inque dextræ hujus virtute mortem subjugavi. Heus, agedum, è vestigio aperite, patefacite portas. Necdum paruêre Angeli, sed renitentes iterum pe-
v. 10. tiêre: *Quis est iste rex gloriæ?* Tunc Christus, finiamus, inquit, processum: *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* O Domine virtutum? Regina virtutum est humilitas; cum igitur virtutum sis Dominus, imperator es humilitatis; repente itaque sine ulla interposita mora, ingredi permittite magnum hunc humilitatis Dominum. Porro ex hisce talem formo discursum: si Christo Domino, Paradisum intrare volenti, ingressus non patuit nisi mediâ humilitate, quomodo vos præsumitis Christum in Eucharistia existentem, in vestras intraturum animas sine humilitatis virtute? Audite S. Ambrosium, taliter à fortiori argumentantem: *Si tantum Christo* S. Ambr.
profuit humilitas sua, cui verò non proderit? ser. 20. in
& si illum sic exaltavit, quem non augebit. Ps. 118.

XXXIX. Omnium humilitatis actuum excellentissimus & fructuosissimus est, Christianum se ad pedes prosternere confessarij, seque recognoscere indignum propter peccata sua; in eodem tempore, quo humiliatus, dixerit: *Domine, non sum* Mat. 8.
dignus: in eodem dignum se reddet pleni- v. 8.
tudine gratiarum omnium, quæ sunt in sacramento.

XL. Sed ò clementissime Deus, quis nostrum sanctam hanc poterit observare virtutem, nisi prius illam tu nos docueris, verus humilitatis magister? nonne tu dixisti? *Discite à me, quia mitis sum & humilis* Mat. 11.
corde? Itaque *tu qui superbis resistis & hu-* v. 29.
milibus das gratiam; concede nobis veræ humilitatis virtutem, ut nunquam tuam indignationem provocemus elati, sed semper tuæ gratiæ capiamus bona, subjecti.

Amen.

PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
PRO FERIA SEXTA POST CINERES.
DISCURSUS
De amante, qui odit cum amore inimicorum.

Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros. Matt. 5. v. 44.

PROBLEMA
Ad quid potius obligatus Christianus; an ad amandum inimicos, an ad odio habendos parentes? & uter sit principalior divinæ dilectionis effectus; exaltare illum, qui amans ignoscit; aut annihilare inimicum, cui ignoscitur?

INTRODUCTIO.
I.

Omnes inter celeberrimas sententias, propositiones illustrissimas & asserta maximè digna, qualia unquam commendavit antiquitas, aut in cœlum usq; sublimarunt sapientes; credo ego, & firmiter teneo me verum credere, quòd una hæc Principis eloquentiæ sententia; scilicet multò difficilius amicitiam è mundo nostro proscribendam, quàm solem è sua exterminandum sphæra; credo, inquam, constanterque sustineo, quòd sententia illa inter reliquas omnes unica palmam ferat, veluti decora inter flores rosa, sicuti adamas inter gemmas; interque minutas firmamenti stellas sol ipse princeps triumphat. Ideoque sicut hujusmodi soli ascribimus currum, in quo invidè contendunt argentum & aurum, gemmæ & lumen, flammæ & radii, natura & ars, opulentia & magisterium, ad significandum, quòd hicce magnus planeta reliquis omnibus palmam præripiat in venustate & splendore; ita pariter & amori cor obtigit in solium, quod nativi coquina est caloris, fons vitæ, scaturigo sanguinis, venarum origo, & primogenitum membrorum.

II. Si sol spectabilis est & decorus, quia universum aureorum radiorum suorum pandens thesaurum, totum illuminat mundum, tenebras fugat, flores depingit, cœlum adornat, terram inaurat, omniumque animos lætitiâ perfundit & exultatione, mirabiliter adeo operans, ut totidem oculi atque ora pandantur ad contemplandum eum in terra, quot absconduntur ad obstupescendum eum in cœlo; quis formosissimum esse negabit amorem, quandoquidem *beati, qui in amore Dei decorati sunt*?

III. Si sol calefacit, & calefaciens aureas suas dilatat flammas, dilatansque suis universum implet incendiis; ita ut nulla

nulla detur in sylvis planta, non herba in in prato, non piscis in mari, non gramen in campo, non fera in nemore, non volucris in aëre; non vita in flammis, non operatio in sphæris, non volatus per aëra, non iter per terram, non lapsus inter aquas, non halitus ullus; nisi inibi solis agat virtus nisi ea suo sol calefaciat & accendat calore: *Nec est, qui se abscondat à calore ejus.* Amor pariter præ quocunque alio præcepto, suas longè latèque spargit, expandit atque dilatat aureas flammas: *Latum mandatum tuum nimis.*

Ps. 18. v. 7.

Ps. 118. v. 96.

IV. Quod porro attributum ò Auditores, quod nomen claræ unquam lucis fonti impositum fuit, quo non etiam opulentissima virtutum vena nuncupetur? Si ingens est solis gloria, quod ex vaporibus, qui eum obumbrare gestiunt, præclaram efformet coronam; quænam excelsior poterit reperiri gloria, quàm malum recompensare bono, odium amore, atque inimicum in dilectum convertere amantem? dicite de omni eo, qui talis est, integritati ejus sublimem deberi filiationis divinæ coronam: *Ut sitis filij patris vestri.* Hoc amoris præceptum Christus hodie ex una parte promulgat, inquiens: *Diligite inimicos vestros*; ex alia verò parte nobis præcipit, ut, si discipuli ejus esse voluerimus, parentes oderimus: *Qui non odit patrem & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quid afferemus? gratiosum excipite problema; scilicet ad quid Christianus magis sit obligatus, an ad inimicorum amorem, an ad odium parentum? quisque sit principalior dilectionis divinæ effectus; exaltare amantem, qui offensam illatam remittit; aut annihilare inimicum, cui culpa condonatur? hodiernus non nisi de amore meus instituetur discursus, vos itaque sermoni amoroso amantes vos exhibete auditores, & incipiamus.

Matth. 5. v. 45.

v. 44.

Luc. 14. v. 26.

Probl.

V. Verum enimvero si Christus hodie ò Auditores dilectionem præcipit inimicorum: *Diligite inimicos vestros*: quomodo postea apud S. Lucam, odium imperat parentum, inquiens: *Qui non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus?* Grave adeo hocce dubium censuit S. Pater Gregorius, ut dixerit: *Quomodo parentes præcipimur odisse, qui jubemur & inimicos diligere? nunquid simul odisse possumus & diligere?* quid hocce rerum? si Christus dilectionem urget inimicorum, quomodo jubet odium parentum? forsitan quòd amor simul cum odio subsistere possit?

Luc. 14. v. 26.

S. Greg. ho. 37.

VI. Magna atque excellentia vobis hodie propositurus, insignem quandam in medium adduco scripturæ sacræ authoritatem, ex S. Matthæo desumptam, qui tradit venisse vice quadam aliquem Synagogæ doctorem ad Christum, eumque ita interrogasse: *Magister quod est mandatum magnum in lege?* Magister, quod est maximum totius Christianæ legis præceptum? cui Christus? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & hoc est primum & maximum.* Primum & principalissimum, in lege mea contentum, præceptum in eo consistit, ut homo ex toto corde suo me diligat: *Secundum autem simile huic est; diliges proximum tuum sicut teipsum; & in his duobus præceptis universa lex pendet & prophetæ.* Alterum præceptum, primo neutiquam inferius, mandat amorem proximi. Hic vos ego ò Auditores ad magni cujusdam mysterii considerationem invito. Quin amor Dei super omnia sit primum & principale totius christianæ legis præceptum, nemo est, qui dubitet; id omnes norunt, hoc nemo non intelli-

Christus odiũ præcipit & amorem.

Matt. 22. v. 36.

Matt. 22. v. 37.

Amor proximi est amor Dei.

ibid. v. 39. & 40.

git; ast amorem proximi divino æqualem capere nequeo. Ergone amor Dei non est actus excellentior, quàm amor creaturæ? itaque idem omnino quis præstat, qui hominem amat, ac alius, qui Deum diligit?

VII. S. Paulus quid amor sit proximi, describens, sublimius quid insinuare videtur; audite, quid asserat: *Qui proximum diligit, legem implevit.* Quisquis suum amore prosequitur proximum, totam perfectè legem observavit; inque ejusdem capituli fine, infallibilem statuens consequentiam, ait: *plenitudo* ergo *legis est dilectio*: id quod S. Joannes hisce confirmat verbis: *Si hoc tantum feceritis, sufficit.* *Rom. 13. v. 10.* Edicite vos mihi ò Docti; an non igitur quicunque proximum amat, ad summum evangelicæ perfectionis apicē conscendit? ut hisce dubiis dignum reddam responsum, ante videamus oportet, ad quem statum sublimetur ille, qui suo ignoscit inimico? Incipiemus autem à terra, inde sublimiter adeo conscensuri, ut ipsum exsuperemus cœlum.

VIII. Prætereo nobilium & Magnatum esse proprietatem, suis injurias remittere inimicis; neque actio ulla generosior reperiri potest & gloriosior, quæ animum declaret nobilem & regium, quàm nullam ab inimico extorquere vindictam. Totus quondam ferebatur crudelis Saulus, ut omnes Christi Jesu aboleret sequaces, dumque in terra reperet, cœlesti circumfusus lumine, vocem audiit: *Saule, Saule, cur me persequeris?* *Act. 9. v. 4* Cui ille voci: *Quis es Domine?* Tu quis es, qui mihi loqueris, ò Domine? Saule, cujus illa est, quam audis vocem? non cognosco eam. Quis est, qui tibi loquitur? nescio eum: cui respondes? non video ipsum; ast si non vides eum, neque scis, neque cognoscis eum; cur igitur ipsum Domini titulo honoras? Respondet Saulus: persona, quæ se à me offensam reputat, mihique apertè denuntiat, dicens: *Cur me persequeris?* quæque ulcisci se posset, attamen ne in minimo me lædit, talis inquam persona limites excedit animi plebei, talis Spiritum omnino generosum, nobilem & heroicum fovet. Audite Cardinalem Hugonem super illa verba (*Quis es Domine*) ita ad intentum nostrum *Hu. Card.* accommodè discurrentem: *Hæc verba ab animo Regio conjectans, quamvis illum non cognovisset, dignum tamen regio titulo judicavit.*

IX. Neque pro hisce stabiliendis, catalogum vobis historiarum texendum arbitror, siquidem centum mihi & mille suppeterent hujusmodi. Quis unquam injuriis condonandis magis addictus fuit, quàm Julius, Cæsarum primus? Au- *Plutarch.* dite, quid de eo attestetur Plutarchus: *Hostibus*, inquit, *suis invitis salutem dedit; nonnullis honores quoque & magistratus, veluti Bruto & Cassio.* Octavianus, generosa Augustorum aquila, quam non exercuit mansuetudinem in suis ignoscendo malevolis? Nunquid Otto Imperator ip- *Sen. l. 1. de* semet cum Marco Celso, infensissimo ad- *Clem. c. 10* versario suo, in gratiam redire procuravit? Alphonsus Neapolitanus certificatus *Tacit. li. 1.* Riccium, pedestris exercitus capitaneum, à se defecisse atque rebellasse, quid respondit? Quantumvis justè meas ego possem exercere vindictas, nihilominus potius eligo traditionem pati & ruinam, quàm ulcisci. Quid de Philippo Macedoniæ rege asseremus? Qui licet diversis ex *Lud. de* motivis invitaretur, ut furorem suum *Dom. in* contra Athenienses exerceret, nihilomi- *hist. lib. 1.* nus destinatis ad se Atheniensium legatis coram edixit: *Quid possum facere, quod sit Atheniensibus gratum?* Ad quæ verba quidam

dam Oratorum inhumane ſubjunxit, dicens: *Nihil æquè, ac te ipſum ſuſpendere.* Quis ſimilem patiens devoraſſet inſolentiam? Nihilominus Rex cum omni civilitate reſpondit: *At vos cæteri Legati Athenienſib⁹ nunciate, quas Philippus contumelias audit impunè.*

X. Hæc inter non poſtremum meretur locum, quod Cardinalis Baronius commemorat de Diogene Romano, Imperatore Conſtantinopolitano, qui confligens cum Aſſa, Soldano Ægypti, victus ſuccubuit, carceribuſq; mancipatus fuit; contigit igitur in decurſu temporis, ut vinctum ſuum victor interrogaret Aſſa: quid equidem tu mihi feciſſes, ſi tibi victoriâ favente, me comprehendiſſes? Cui Imperator: modum ego excogitaſſem novum, ut te crudeli cujuſcunque demum mortis tormento diſcerpſiſſem. Cui Aſſa: idem ego adversùm te præſtare, manuſque tibi ultrices injicere poſſem; aſt quia Soldanus ſum, nolo crudelitatis tuæ fieri imitator; ſcio namque, Deum Chriſtianorum præcipere injuriarum remiſſionem, id quod exequi volo: *Et ego,* inquit Soldanus, *tuam certè non imitabor crudelitatem, quandoquidem veſtrum audio præcipere Chriſtum, ut parcatis inimicis veſtris.* Verum enimverò quorſum tempus inſumimus in enarrandis famoſarum perſonarum gentilium hiſtoriis.

Baron. to. 10. an. 1071.

XI. Scripturas ſacras adeamus: quare arbitramini, ſervum illum, qui Domino ſuo decem millia talentorum debebat, gratiam conſecutum, & ab omni debito abſolutum fuiſſe; ipſum tamen, cùm non niſi centum denariorum eſſet debitor, ſuo neutiquam debitum dimiſiſſe conſervo? Audite Chryſoſtomum; Dominus ignoſcens rex erat: *Simile eſt regnum cœlorum homini regi;* debiti itaque remiſſio à dignitate oriebatur remittentis, regiam operantis actionem; aſt ille qui dimittere detrectavit, ſervus erat, homo vilis, animique abjecti: *Vide Domini charitatem & ſervi crudelitatem; qui pro decem millibus talentis debitum dimiſit, Dominus erat; ſed qui crudelitatem oſtendit, erat omni ferâ ſævior & ſervus.*

Matth. 22. v. 2.

D. Chryſoſt. in cat. D. Thom.

XII. Bonus latro cruci affixus, unde intulit, Chriſtum eſſe magnum mundi monarcham, cœlique regem? ſi eum vilipendi vidit, quomodo igitur dicit: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum?* ſi eum ab omnibus conſpexit derelictum, vulneratum, blaſphematum; quomodo ipſum Paradiſi nuncupat regem? quid hæretis? an igitur neſcitis, quid ante dixerit Chriſtus? *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Itane? Chriſtus ignoſcit, patremque rogat, ne vindictam ſumat de inimicis? magnus itaque iſte eſt Dominus, nobilis & rex coronæ. Ecce vobis in promptu Theophylacti conceptum, dicentis: *Idcircò Chriſtum Dominum, ut regem cognitum aſſeverat, quia libenti animo injurias hoſtibus condonavit.*

Unde Chriſti in cruce noſcitur deitas.

Luc. 23. v. 42.

Luc. 23. v. 34.

Theoph.

XIII. Vultiſne dignoſcere, adquem conſcendat nobilitatis gradum, quisquis, amore Chriſti, ſuo ignoſcit inimico? Notate; qui inimicis veniam condonat, ipſum Deum ad majorem gloriam ſublimare videtur. Equidem quid Eccleſia ſancta docere intendit, quando cum Deo in miſſæ ſacrificio loquens, ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* infinitas tibi referimus gratias ſumme Deus propter immenſam tuam gloriam. Quis unquam perſonæ alicui gratias egit, quia ipſa exaltata fuit? gratiæ redduntur propter beneficia recepta. Sanctus Paulus magis magiſque dubium auget, dum infit, *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei;*

Indulgentia Deum exaltat.

§. 15.

Rom. 3. v. 23.

omnes

omnes prævaricati sunt, ideoque necessariam habent Dei gloriam. Subintrat hoc loco magnus P. Augustinus & quærit; quis hanc consequetur gloriam? peccatores forsitan! nequaquam, ipsi enim sunt incapaces boni: *Ex eo enim, quod omnes sub peccato fuerunt, alieni procul dubio sunt effecti à gloria Dei.* Si itaque peccatores minimè sint capaces, quis eam recipiet? quis? ipsemet Deus, inquit S. Augustinus, qui dum suis ignoscit inimicis, suam magnificat gloriam: *Egent quotidie gloria Dei, id est, ut Deus magis ac magis parcendo peccatoribus, glorificetur.*

Tom. 7. de nat. & grat. cont. Pelag. c. 4.

Divinam illustrat justitiam.

XIV. In quo igitur sublimatur Deus, dum suis parcit inimicis? in quo? in attributis omnibus. Et primò quidem magis ejus resplendescit justitia; cujus probationi favet divi Pauli sententia, differentis de eo, quod æternus Pater pro nobis præstitit peccatoribus, in hæc verba: *Quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius; ad ostensionem justitiæ suæ, ut sit ipse justus.* Deus redemptionem operatus est peccatorum, ut divinam manifestaret justitiam, ipseque Deus justior appareret. Hic apostolicus textus D. Thomam movet, ut interroget, quænam hæc fuerit justitia, in redemptione nostra manifestata? illa forsitan, mediâ quâ Deus nos justificat, nosque justos efficit ac sanctos? aut verò illa, per quam Deus ipse sanctus ac justus est? Respondetque Angelicus ipse: *Per remissionem peccatorum, Dei justitia ostenditur, quâ ipse justus est; sive justitia, quâ alios justos facit.* O sententiam auro dignam! sed quomodo ô sancte Thoma? ergone dicemus, Deum ignoscere peccatoribus, ut suam patefaciat justitiam, inque sanctitate crescat? Ita, respondet Angelicus: *Ut sit ipse justus.* Proprium Deo est ignoscere, si Deus nón pepercisset, non se Deum probasset. Peccatoribus itaque ignoscit, ut magis magisque in sua resplendeat gloria.

Rom. 3. v. 25. & 26.

S. Thom. lect. 3. in epist. ad Rom.

Probat omnipotentiam.

XV. Relucet quoque omnipotentia, juxta quod Ecclesia attestatur, dum ait; *Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo & miserendo maximè manifestas*; Sicut Isaias: *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & exaltabitur, parcens vobis. Exaltabitur.* DEus indulgendo sublimatur. Itane? dicit Ecclesia sancta, ergò dum peccatoribus ignoscis, exaltaris? Ideò tibi propter gloriam tuam infinitas agimus gratias; id est, gratiarum tibi actionem referimus, quòd nobis ignoscas; & quia, dum nobis parcis, te magis reputas gloriosum, ideo *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

Isa. 30. v. 18.

XVI. Tantam indulgentia injuriarumque remissio Deo affert nobilitatem atque excellentiam, ut si Christus non fuisset per naturam nobilis & per nativitatem à Patre sancto, nobilissimus nihilominus magnusque Dominus exstitisset propterea duntaxat, quia peccatoribus ignovit. Audite peraptã S. Pauli sententiã, de Christo loquentis: *Et Dominus quidem JEsus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit.* Magnus Dominus JEsus in ipsa nocte, quâ traditus fuit, proprium suum corpus suis impertiit inimicis. Ad quid hanc putatis addi particulam: *Et Dominus?* An non sufficiebat dicere: *Et JEsus quidem?* Non, dicit S. Thomas, sed adjunxit Apostolus ly *Dominus*; ut disceremus, quòd, si Christus secundùm natales suos nobilitate dominioque caruisset, primariam nihilominus nobilitatem obtinuisset ex sua

1. Cor. 11. v. 23.

S. Th. lect. 5. sup. epi. ad Cor. sua in inimicos beneficentia: *Dominus dictus est IEsus*, Inquit S. Thomas, *quia tradidit sacramentum corporis sui in eadem nocte, quâ tradebatur.* Si itaque ipse Deus, dum suis parcit inimicis, exaltatur; quis tandem vestrum asserere audebit hominem istum suâ exui famâ & reputatione, qui suis benefacit inimicis?

XVII. Ast quàm exile est, nobilem magnumq; dominũ in mundo esse, quandoquidem inimicorũ dilectio ignoscentem amantẽ omnibus replet virtutibus, nobilissimumq; efficit in magna curia cœlesti? Mittens Christus Apostolos per universum mundum atque infallibile iis, ex quo ab omnibus pro cœli electis recognoscendi essent, statuens indicium, *in hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* (Ioan. 13. v. 35.) Principale signum, unusquisque vestrum meus probabitur electus & magnus in Paradisi curia, mutua erit inter vos dilectio. Quare Christus pro signo potius non assignavit potentiam faciendi miracula, ejiciendi dæmones, resuscitandi mortuos, aut alia perpetrandi prodigia? responsum capite ex iis, quæ jam jam dicturus sum. Vix gloriosus Stephanus hæc fuerat effatus verba: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*; (Act. 7. v. 59.) & ecce suam confestim finivit vitam: *Cum hæc dixisset, obdormivit, in Domino.* O Domine, Stephanus pro suis orat inimicis, tuque eidem, loco præmii, mortem immittis? cur non potius vitam illius prolongas, ut in eo exemplum capiant omnes suis ignoscendi adversariis. Neutiquam, ait Deus; non vivet ultra Stephanus, sed indilatè morietur; quantumvis enim integrum superstes expleret æternitatis cursum, nunquam tamen actum elicere posset magis heroicum, magis excellentem & sublimem, quàm pro suis orare inimicis.

Nota de tempore mortis S. Stephani.

Audite magnum P. Augustinum: *O felix somnus, & requies vera; ecce, quid est requiescere, pro inimicis orare; & certè tàm divinam in se ostendit filiationem homo, inimicorum amore possessus, ut hanc virtutem nactus, quasi nihil amplius habeat, quod requirat.* (Serm. 2. de S. Stephano.)

XVIII. Veruntamen quantumcunq; vobis hucusque dixi, mihi omnino videtur insufficiens; plura edisseram: quisquis suum amat inimicum, prædestinatus est; id quod idemmet magnus P. Augustinus in hæc nobis verba expressit: *Magnum est, esse benevolum erga eum, qui nihil tibi mali fecit; sed multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis, imò prædestinationis est signum, ut tuum quoque inimicum diligas, & eum, qui tibi malum fecit.* (S. Aug. in Enchi. c. 33.)

XIX. Majorem vultis excellentiam? Impossibilis est, statuque fruitur innocentiæ, imò beati cujusdam possidet dotem, qui injurias suo remittit inimico. Aaron quondam in medium ignis prosiliisse legitur, quem Deus miserat de cœlo, ut seditiosam turbam devoraret: *Cucurrit Aaron ad mediam multitudinem, quam devastabat incendium, & stans inter mortuos & viventes, plaga cessavit.* (Num. 16. v. 47.) Cur non & Aaron in medio periit flammarum? Audite textum: *Stans Aaron in medio populi, quem devastabat incendium, pro populo, à quo tam acriter injuriam habuit, deprecatus est, & propterea statim plaga cessavit.* (Ibid. v. 48.) Aaron graviter sese offendenti, remiserat ignoveratque populo; atque ideo quasi in statu existens innocentiæ, aut veluti impassibilitate & beati cujusdam dote gaudens, nullam ab igne passus est infestationem, *Rectè*, inquit S. Augustinus, *qui in corde, proximorum culpas venialiter dimiserat, ejus vestigio defensos ignis de cœlo missus urere non audebat.* (S. Aug. de mirabilibus sacræ script. lib. 1. c. 29.)

XX. Quan-

XX. Quamcunq; demum aliam conclusurus excellentiam, vos ego interrogo: utrum Deo magis dicetis similem; an peccatorē, suo ignoscentem inimico; an verò justum, cui ignoscitur? audite scripturam. Obvius Jacob fratri suo Esau, nō obstante, quòd hic Deo exosus esset, ita allocutus fuit: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Quid dicis ò Jacob? tu reprobum, tu peccatorem Deo nuncupas æqualem? Ita, dicit Jacob, quia parcere est Deo proprium: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Esau, etiam peccator, mihi ignovit; Deo itaque similis existit. Deo ignosci nihil potest, utpote impeccabili & indefectibili; quantumvis igitur ego justus sum, attamen tanquam veniam consecutus me Deo similem nuncupare nequeo. Si itaque ille, qui parcit & ignoscit, tot tantisque plenus est virtutibus, si prædestinatus, si in divina curia magnus, imò si ipsi Deo similis existit; meritò asseruit Christus, amorem, unicum fore indicium, quod quis ab omnibus reputetur electus, inque cælesti curia magnus, unde S. Chrysostomus inquit: *Omisis miraculis, quæ ipse esset facturus, dilectionis signo eos tractat, quoniam hæc maximè sanctorum hominum est indicium; etenim omnis virtutis fundamentum est dilectio.*

Gen. 33. v. 10.

Aug. in Enchi. c. 33.

Chr. ho. 71.

XXI. Multa equidem vobis hucusque dixi de inimicorum dilectione, attamen nihil omnino adhuc asseruisse mihi videor. Hanc unam duntaxat hodie accipite propositionem: Qui ignoscit amans, ille per amoris virtutem, Deus evadit terrenus, imò viva quædam trini uniusque Dei effigies; ne divertatis sensus vestros ab intento. An memoriam vestram subterfugit interpretes sacri, quod Deus ad Moysen loquens dixit: *Fac tibi serpentem æneum, & pone eum pro signo, & quicunque percussus aspexerit eum, vivet?* Duæ magnæ difficultates hoc in textu occurrunt enodandæ; prima est, quomodo possibile fuerit, ut serpens ex ære fusus, salutem & vitam conferret percussis? Secunda, admisso, id per divinæ potentiæ virtutem potuisse fieri, quæro an non eidem Moysi præceperat Deus, ut nullam omnino faceret sculpturam aut imaginem, propter, idololatriæ periculum? Utique: *Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem, quæ est in Cœlo sursum, nec eorum qui sunt in aquis.* Quomodo igitur ô Deus nunc præcipis Moysi, ut æneum exaltet serpentem? Quid si Hebræi hunc adorarint serpentem? ne timeatis, inquit Deus; Siquidem non tam facile. Hebræi volent adorare serpentes, siquidem ab iis gravissimè sauciati fuere; & dato casu, quod Hebræi propter jussum meum, volent æneum hunc adorare serpentem, qui eorum repræsentat inimicos; hic non idololatriæ sed divinus actus erit; imò Hebræi obtutu amoroso vel solam offensorum suorum intuentes figuram, Dii evadent, salutem recepturi & vitam.

Num. 21. v. 8.

Ignoscens Deus fit terrenus.

Exod. 20. v. 4.

XXII. Sed quomodo id possibile erit? Notate, inquit S. Ambrosius, quod *amor tuus operi tuo nomen imponit.* Vultisne dignoscere, quis sit hic aut ille homo seu persona? Amor notitiam ingeret: *Si terram amat, terra est; Si cœlum amat, cœlum est: Si Deum amat, Deus est*; Quæ doctrina veræ consonat Philosophiæ, quia sicuti intellectus intelligendo *fit res intellecta*; ita & amans, amando, in amatum transmutatur objectum. Hoc supposito, curiosum movet dubium S. Thomas & quærit, utrum sit melius, diligere amicum vel inimicum? Respondetque, respiciendo bonitatem objecti amati, scilicet objectum materiale; melius est amare amicum,

S. Ambr. l. de Offi.

2. 2. q. 27. a. 1.

An melius amore amicum vel inim.

cum, quam inimicum; quia amicus seipso est amabilis, non autem inimicus: attendendo verò ad objectum formale; plus est, amare inimicũ, quã amicũ. Qui enim amicũ diligit, id facit propter bonitatem creatam, v. G. quia doctus est, quia cognatus, quia dives; aut ob similia alia motiva; & ut plurima paucis: amicus diligi potest propter bonitatem creatam; inimicus autem nullam in se habet bonitatem amabilem, imò potius tanquam inimicus, odio dignus est, cur vos inimicum diligitis? duntaxat quia Deus ita præcepit, ita ut, si quis suum amat inimicum, hoc ideo tantummodo faciat, quia Deum amat. Itane? homo inimicum suum diligendo, Deum amat? qui itaque misericors suum amat adversarium, Deus evadit; Quando igitur Hebræi â serpentibus vulnerati, ex amore Dei serpentem æneum, mordacium serpentium figuram amoroso respicient obtutu, nullam exercebunt idololatriam, quin potius actum elicient divinum, imò tunc Dii evadent, eandemque ob causam vitæ restituentur.

XXIII. Ex hisce intelligentiam haurire poterimus plurium scripturarum. Cur arbitramini noluisse Deum, ut Moyses terram promissionis intraret? Respondet S. Theodoretus: *Non permisit, hunc summum Prophetam, introducere populum in terram promissionis, ne illum tanquam Deum populus adoraret.* Ast quænam erat in Moyse excellentia, quæ bonitas, propter quam populus eum adorasset veluti Numen? Quæ bonitas? peccanti populo Israelitico per vituli adorationem, in tantum Deus irasci cæpit, ut idololatras statuerit annihilare; ad quem Moyses: Domine *aut parce populo huic, aut dele me de libro vitæ.* Itane? Moyses indulgentiam petit pro inimicis Dei? ipse igitur Deus est.

St. Theod: 4. 44. in Deut.

Exod: 32. v. 32.

XXIV. Quare etiam Christus qui semper *Filius hominis* nominatus fuit; & specialiter quidem in judicio? *Cum venerit filius hominis*: in Jordane, in monte Thabor & Calvario dictus fuit *Filius Dei*? Animadvertite, in judicio severus existet malefactorum inimicorum suorum vindex, ideoque appellatur *Filius hominis*. In Jordane autem sanctũ instituit Baptisma, peccatorum deletivum; in Thabor de sua egit passione, futuro omniũ totius mundi peccatorum pretio; inq; Calvario ipso illa indulgentia crucifigentium, pro qua oravit, vox fuit, ipsum denuncians Deum.

Matth. 19. v. 28.

Matth. 3. v. 17.

XXV. Qui suis ignoscit inimicis, non modo Deus est terrenus, sed etiam viva sanctissimæ Trinitatis est atque comparet imago. In hominis equidem creatione divinæ dixêre personæ? *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quid obsecro est in homine, propter quod ad imaginem Trinitatis factus dici possit? Scitisne, quid? inimicorum amor; Sicuti enim in Trinitate personarum est distinctio, essentiæque unitas; ita & in amore inimicorum, inter discordes affectuum reperitur unitas; audite S. Bernardum: *Oportet id quod est ad imaginem cum imagine convenire, & non in vacuum, nomen imaginis participare; præsentemus ergo in nobis imaginem Dei vivi in vinculo unitatis cum inimicis nostris.*

Gen. 1. v. 26.

Bern. c. 1. de Anima.

XXVI. Contemplari vultis ignoscentem in viva æterni Patris imagine? imò (in sensu pio & Christiano) ipso quasi venerabiliorem æterno Patre? Audite quandam, judicio meo, minimè vobis ingratam ponderationem. Sanctus Stephanus à suis crudeliter lapidatur inimicis, postquam orasset pro iisdem, elevatis in Cœlum oculis, *ecce*, ait *video*, *Cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Gratias

Act. 7. v. 55.

as Domino meo, qui cœlos intueor patefactos, & Christum Jesum consistentẽ ad dextram paternam. Videtur mihi ô Stephane gloriose, quod inimicorum tuorũ adversus te persecutio tuam turbaverit mentem; quomodo enim asseris te Jesum
§. 32. vidisse stantem? nunquid non Christo, ad
Ps. 109. v. 1. cœlos ascendenti, Pater æternus dixit: *Sede à dextris meis*? Relinquamus hic Stephanũ contemplatione defixum Christi stantis.

§. 31. XXVII. Et rationem quandam investigemus, ob quam Christus, specialis dicatur Abrahæ & Davidis filius, juxta illum
Matt. 1. v. 1. S. Matthæi textum: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham.* Circa quod Rupertus Abbas inquirit, quodnã hi duo speciale habuerint meritũ, ut ipsi soli inter tot alios pro patribus Christi recenserentur? transeat equidem, Abrahamum Christi patrem nuncupatum fuisse, utpote qui proprio suo filio non pepercit; ast David quod habuit meritum? quin potius, an non ipse adulter, superbus & homicida exstitit? ita; quomodo igitur Christi pater appellatur? Audiamus primò quandam Sancti Gregorii Nysseni doctrinam.

(Cur Christus vocetur filius Abrahæ & David.)

XXVIII. Christus in precatione dominica, modum nos orationis ad Patrem
Matt. 6. v. 12. fundendæ edocens, in hac forma ut oraremus, præcepit: *Pater noster dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Æterne pater nostra nobis ignosce peccata, quemadmodum nos ignoscimus inimicis nostris. Res hæc admirabilis valde, inquit S. Gregorius, nunquid nõ Christus nos instruxit, ut in omnibus actionib⁹ nostris æternũ patrem imitaremur? utiq;: *Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est*; quomodo igitur quò ad hanc duntaxat actionem, scilicet quod est ignoscere inimicis,
v. 30. voluit, ut pater æternus noster fieret imitator? supremus itaq; pater ille, qui est prima omnium regula & prima increata bonitas, ab omnibus imitabilis creaturis, ejus, qui amans ignoscit, imitator erit atq; discipul⁹? Respondet sanctus, quid putatis amorem esse inimicorũ? rem forte exilẽ & nullius momenti? minimè equidem; sed actio est adeo excelsa, ut, cùm in omnibus aliis virtutibus & perfectionibus summus Pater nostrum sit exemplum, quod omnes nos imitari debemus, quò ad hanc nihilomin⁹ actionẽ, scilicet offensæ remissionem, ipse noster velit esse imitator & discipulus. *Quemadmodum Deus*, verba sunt Gregorii, *bene agentibus ad imitandum est propositus; ita* S. Gr. Nyss. Or. 5. in ora. Dom.
vice versa affectionem tuam Deo ad bonum pro exemplo vult esse. Ast quid eximii in se continet inimicorum amor, ut ipse etiam Pater æternus sese imitatorem & discipulum constituat ejus, qui suis parcit inimicis?

XXIX. Notate in præsenti scripturam quandam theologalem, præter quã si nihil aliud ego hodie in medium adduxissem, vel ipsa sola ab humanitate vestra liberalissima coronari mereretur. Patres Theologi, quænam sunt operationes sanctissimæ Trinitati propriæ? respondetis, quod intelligere & amare; intelligere essentiale est omnibus tribus commune personis; at intelligere notionale est Patri æterno proprium. Quodnam est intelligere notionale? est illud, quo Pater generat Verbum. Ita & amare, quod patri est proprium, nõ est illud, medio quo ipse producit Spiritum sanctum, quia hoc etiam filio commune est. Quodnam igitur erit? difficultatem enodat Apostolus, inquiens: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam adhuc cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Amor æterno Rom. 5. v. 8.
Patri proprius ille, quo Verbũ filium suum in mundũ misit. Ast quomodo? duos charitatis actus erga nos exercuit summus Pater,

primum, mittendo, & ablegando ad nos Divinum suum verbum: *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, misit Deus filium suum in mundum:* secundum elicuit, dum nos Spiritus sancti dono locupletavit: *Spiritus paraclitus, quem mittet vobis pater; ille vos docebit omnia.* Quare æterno Patri magis proprius est amor, quo nobis filium suum, quàm quo nobis spiritum sanctum misit? Si filius persona est divina, persona quoque divina est Spiritus sanctus; imò donum est amorosius Spiritus sanctus, quàm verbum divinum, quandoquidem Verbum *ex vi suæ processionis*, neque Donum neque amor est: quare igitur amor ille Patri æterno proprius est, quo filium suum in mundum misit? Edicite mihi: ad quem Spiritus sanctus ablegatus fuit? nonne ad justos & amicos? utique; ecce igitur causam, amor amicorum non soli proprius est Patri, sed omnibus tribus communis personis divinis; Filius autem quibus destinatus fuit? inimicis & peccatoribus: *Cum peccatores essemus, misit Deus filium suum:* amor inimicorum soli competit æterno Patri. Audite sanctum Theod: *Deus autem insignem in nos charitatem ostendit, quia mors Christi non pro justis, sed pro peccatoribus fuit.*

Ephæs. 2. v. 4.

Ioann. 14. v. 26.

Rom. 5. v. 8.

S. Theod. in epist. ad

XXX. Imitaturus itaque pater æternus amorem inimicorum etiam in ipsis creaturis, non obstante, quòd prima omnium sit regula atque supremus magister, quem omnes imitari debemus; quò ad actum tamen remissionis injuriarum, nostris vult inhærere vestigiis, nosterque esse discipulus, quam ob causam amor inimicorum non modò proprius est æterno Pætri, sed ipsum etiam, qui offensas remittit, quasi ad summi æterni Patris promovet magisterium: *Affectionem tuam pro exemplo vult esse.*

XXXI. Atque ideo David Christi genitor denominatus fuit, sicut & Abraham; qui ut Rupertus Abbas discurrit: *Ratio docet, non multo minoris meriti fuisse, pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse unigenito filio propter Deum; id fecit David inimico suo infestissimo, ob quã causam maximè juratum illi esse arbitramur; quod semen vel caro ejus assumenda esset in filium Dei, quia maximè causa ista facit filios Dei.*

Rep. Ab de vita verb. Dei l. 4. v. 24.

XXXII. Et ecce vobis causam, cur Stephanus, Christum viderit stantem, Stephanus pro inimicus suis intercedendo veluti magister evaserat & pater Dei, atque ideo Christus per affectum, se Stephani quodammodo filium perhibebat; quia autem bonorum morum Schola docet, ut filius stet præsente patre; ideo Christus in pedibus erectus visus fuit. Ecce vobis auream D. Petri Damiani sententiam: *Dicas mihi sanctissime Stephane, quomodo stantem vidisti Iesum, de quo scriptum est: sede à dextris meis? stans visus est Dominus, tanquam filius in conspectu patris; habebit enim Dominus veluti Patrem, Stephanum pro inimicis orantem.*

D. Pet. Dam. Ser. de S. Steph. Act. 7. v. 55. Ps. 109. v. 1.

XXXIII. At subsistamus tantisper: Duos itaque patres Christus habet; alterum naturalem in cælo, alterum per affectum, quasi patrem spiritualem, eum scilicet qui inimico suo parcit in terra; ad præsentiam patris naturalis *sedet*, ad præsentiam hujus *stat*; qui itaque offensas remittit (si ita loqui ausim) ipse quasi æterno Patre venerabilior esse videtur. O quæ excellentia!

XXXIV. Desideratis quoque intueri eum, qui veniam donat offensori, vivæ Filii imaginis expressivum? Clarus est Evangelii textus; *Vt sitis filii patris vestri.* Pro majori nihilominus hujus corroboratione, specialem quandã consideratione instituã. Infinita Christus in vita sua operatus est miracula, nunquam tamen propter aliquod

Matth. 5. v. 45.

aliquod eorum pro Deo habitus fuit; in cruce autem pendulum, absque eo quòd ullum inibi perpetraret prodigium, Centurio protestatus est Deum, dicens: *Verè filius Dei erat iste.* Dicetis utique mihi; pater, conceptus hic antiquatus est; scilicet Christum ideo agnitum fuisse in cruce pro Deo, quia pro crucifixoribus suis orabat: modestè; non illud ego asserere intendo: sæpius equidem Christus ignovit peccatoribus; nonne paralytico dixit: *Remittuntur tibi peccata tua?* ita; quare igitur tunc temporis non fuit creditus pro Deo? Nonne ad Magdalenam ait: *Vade in pace, remittuntur tibi peccata tua?* ita; quare igitur pro eo tempore non fuit cognitus ut Deus? superaddamus Christum pro crucifixoribus in vita sua orasse, Centurionem autem Christum non fuisse confessum pro Deo nisi postquam Salvator emiserat spiritum, dicente Evangelistâ: *Cum exspirasset, exclamavit Centurio, dicens: verè filius Dei erat iste:* unde igitur Centurio motus fuit, ut Christum profiteretur Deum?

Marc. 15. *v.* 39.

Luc. 7. *v.* 48.

XXXV. Fontem adeamus, unde plures oriuntur profluuntque conceptus, quàm sanguinis guttæ. Ex aperto Christi latere per Longini lanceam; aqua profluxit cum sanguine, juxta illud Evangelistæ testimonium: *Exivit sanguis & aqua.* Duo mihi dubia occurrunt in hocce facto; primum est, cur ex latere Christi mortui sanguis profluxerit & aqua; secundum, cur prius emanarit sanguis & postea aqua? duplici dubio duplex correspondebit conceptus. Quo fine ex Christi mortui latere sanguis promanavit & aqua? edicite obsecro, quot fuerint admissa peccata in Christi passione? inter reliqua, duo specialiter; unum cum aqua, alterum cum sanguine; in aqua offendit Pilatus, quando aquâ manus lavans, Christum condemnavit ad mortem: *At ille lavit manus coram populo, dicens; accipite eum vos & crucifigite,* Sanguine deliquerunt Judæi, quando omnes contra Christum vociferantes, dixere: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Quia itaque aqua injuriam significabat, illatam Christo à Pilato; sanguis, autem offensam Judæorum; ideo moriens Christus, voluit sibi aperiri pectus, unde sanguis profluxit & aqua; sanguis injuriæ significativus à Judæis illatæ; aqua autem, offensam denotans Pilati. Conceptus hic est S. Cyrilli Jerosolymitani, dum ait: *Exivit è latere Christi, sanguis & aqua, propter duas cædes; alteram judicantis, alteram clamantium & dicentium: sanguis ejus super nos & super filios nostros.*

Ioan. 19. *v.* 34.

Duo admissa scelera in passione Christi. *Matt.* 27. *v.* 24.

v. 25.

S. *Cyr. Ierosol.*

XXXVI. Ast quare primò egressus est sanguis, deinde Aqua? scitisne quare? docet Aristoteles, quòd *ira est ascensio sanguinis circa cor.* Dum quis irascitur, subitò omnis sanguis ad cordis se recipit arcem, qui ante per venas dispersus erat; ideoque iracundus totus videtur in facie pallidus & exsanguis. Quandonam obsecro, Christus maximam habebat rationem irascendi adversus hominem? nisi quando inaudita hominis atrocia crucifixit Christum? ut itaque, ait Christus, universus cognoscat mundus, me ne quidem in tali etiam horrendæ impietatis tempore in iracundiam exarsisse, aperiatur pectus meum, primoque loco inde effluat sanguis, secundo aqua; ut expulso sanguine, qui iræ est occasio, universus intelligat mundus, cor meum ne quidem eo etiam tempore, quo ab homine crucifixus fui, irâ excanduisse.

XXXVII. Videns itaque Centurio, Christum nō modò in vita, sed etiam post mor-

mortem suis ignoscere inimicis, certè, inquit, non alius hic esse potest, præterquam Deus. Conceptum hunc doctus quidam pater sequentibus expressit verbis, inquiens: *Et quomodo ille centurio Christum non proclamasset Deum, quem videt etiam mortuum pro crucifixoribus exorantem?*

XXXVIII. Tandem quoque intueri optatis offensæ remissorem, vivam esse spiritus sancti imaginem? speculum reinvisamus eorum omnium, quotquot suis ignoscunt inimicis. Gloriosissimus Stephanus postquam dixisset: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*: mox ad cœlum conversus, ait: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Difficultas non consistit in eo, quod eximius invictusque Martyr post lapidationem se profiteatur beatum; quòd viator petris obrutus, efficiatur compræhensor, gloriâ coronatus; quòd existens adhuc in certaminis campo, tranquillâ se pace frui glorietur; sed id, quod mihi stuporem causat, est punctum sequens; videlicet quod protestans se æternum Patrem in proprio conspicere throno, & in dextra patris Verbum divinum, mentionem nullam faciat Spiritus sancti: *Video cœlos apertos & Iesum stantem.* Vos mihi hujus causam assignate ô docti. Nunquid juxta S. P. Augustini testimonium: *Totus pater in filio & Spiritu sancto est; totus filius in patre & spiritu sancto est; nullus illorum extra quemlibet illorum est?* Theologia hæc certissima est; qui unam videt personam, omnes tres videt; neque etiam per Omnipotentiam divinam fieri potest, ut quis beatus patrem intueatur sine filio, aut patrem sine filio & spiritu sancto; quia *relativorum viso uno, necesse est, videri & aliud.* Quomodo itaque invictissimus Martyr, S. Stephanus, Patrem luminum à se conspici asserit cum filio ad ejus dextram, nulla Spiritus sancti facta mentione?

Act. 7. v. 59.

v. 55.

§. 43. S. Aug.

XXXIX. Dubium theologicum per Theologiam explicetur oportet. Nonne certum est ô docti, proprium Spiritus sancti attributum, amorem esse? utique; quia sicut Patri, qui à nullo procedit, attribuitur potentia; & filio, qui per actum intellectus à solo Patre procedit, appropriatur sapientia; ita spiritui sancto, qui per actum voluntatis à Patre & filio procedit, appropriatur amor. Pater propter potentiam, dicitur Creator; filius propter sapientiam, salvator; & Spiritus sanctus propter bonitatem, amor denominatur seu amator.

Amor attributum Spir. S.

XL. Sed quomodo? Spiritus sanctus nuncupatur amator? quorum amator? quibus sese communicat Spiritus sanctus? quomodo ipse amatoris obtinet titulum?

XLI. Ut difficultati huic satisfaciam, vos mihi ô Philosophi, differentiam assignate, quæ est inter intellectum & voluntatem, intellectum inter & amorem? Certissimum est, intellectum non transportari ab objecto, sed ipse potius omne id, quod intelligit, ad se trahit; unde S. Thomas inquit, quòd *intelligere, est intus legere*; voluntas autem non trahit ad se objecta amata, sed potius egreditur foras, ut amata reperiat objecta: *Trahit sua quemque voluptas.* Sicut igitur Verbum divinum à Patre procedens per actum intellectus, conditionem sequitur intellectus, & consequenter se non communicat *ad extra*, sed æternaliter in sinu permanet paterno: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*; ita è contra Spiritus sanctus; cùm per actum voluntatis procedat, normam induit & formam voluntatis, adeoq; extra se fertur objectum investigans amatum, id

Differentia voluntatis & intell.

S. Th. p. 2. q. 108.

Ioan. 1. v. 18.

id est, se communicat *ad extra*, indesinenter hominibus communicans charitatem, dicente Apostolo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. 5. v. 5.

XLII. Ex omnibus hisce solidum quoddam placeat formare argumentum. Proprietas Spiritus sancti est, amatorem esse hominum, illisque amorem communicare & charitatem; ergò Christianus ille, qui à proximo offensus, amorem ei communicat & charitatem; & loco vindictæ, injuriam illi remittit, in amore similis evadet Spiritui sancto.

XLIII. Et ecce vobis causam, quare gloriosus Stephanus in terra existens, Jesumque videns ad dextram patris, nullam Spiritus sancti fecerit mentionem. Pro suis ille adversariis oraverat, generosè supplicans: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. v. 59. Virtute hujus amoris ipse in Spiritum sanctum creatum transformatus erat; sicque dicere poterat: vidi ego Jesum ad dextram patris, non tamen Spiritum sanctum; divinus namque hic Spiritus, meo inescatus amore, &, ut ita dicam, à supernis illis descendens luminibus, venit ut in me ignoscente suam figeret sedem; aut (cum pietate dixerim Christiana) ego veniam meis donans inimicis, in pectore meo sanctum possideo Spiritum, conformiter illi Ecclesiæ sanctæ testimonio: *Stephanus plenus fide & Spiritu sancto.* Act. 7. v. 55. O nimiam inimicis suis ignoscentium excellentiam! Ne pigeat S. Petrum Damianum audire loquentem, qui totum hunc excellenter confirmat conceptum sequenti discursu: S. Petr. Dam. Ser. de mart. D. Step. *Et quid mirum est, quod Stephanus vidit cœlos apertos, & IEsum stantem à dextris virtutis DEi? mirum est id, quod Spiritus sancti habitaculum meruit dignè fieri, dum pro inimicis oraret.*

XLIV. Si Trinitate quippiam foret excelsius, me sublimarem ulterius; sufficit mihi, quòd inimicis ignoscentium gloriam ad tantum promoverim thronum, quia autem usque modò vestros pasturus intellectus & mentes, in cœlo dimoratus fui; permittite mihi, ut ad vestram cibandam animam, in terram nunc descendam. Quantus est, quisquis suo ignoscit inimico? DEus est, viva est sanctissimæ Triados imago; optimè igitur S. Paulus asseruit: *Qui proximum diligit, legem implevit.* Rom. 13. v. 8. Qui inimicum amat, Deum amat, qui Deū amat, Deus evadit; qui Deus est, peccatū, carnem & mundum odit; qui odit peccatum, observat legem; qui legem custodit, salvatur: obligatio itaque hominis Christiani amor est inimici, quia amando inimicum, implet legem, atque ita dici potest in paradiso existere.

XLV. Econverso omnis vindicativus damnatus est; quia si amator inimici, Deum amat; & amator Dei, legem implevit; ergo osor inimici, Deum odit, divinum flocci pendens præceptum; qui autem Deum odit, totius divinæ legis reus constituitur; quam veritatem Apostolus in sequenti nobis discursu expressit, dum ait: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens, & si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum. Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. v. 1. q. d. Polleat Christianus omnibus imaginabilibus virtutibus; si amore caret ac charitatem in proximum, damnatus est; quia dum non amat proximum, Deum non amat; Dei autem amore destitutus, quid boni possidet? Exemplū audite, quod præcordiis vestris cum characteribus aureis imprimatis velim. Osor inimici damnatus est.

De-

Exempl. Descendenti vice quâdam S. Gregorio Papæ; ut missam celebraret in capella Principis Apostolorum, S. Petri; obvius Sacrista major & ad pedes pontificios genuflexus, ei dixit: Beatissime pater, sanctitas vestra dignetur hodie celebrare & missæ sacrificium offerre pro anima talis Domini; qui omnibus SS. Sacramentis præmunitus, heri mortuus est, totamque substantiam suam pro sanctæ hujus capellæ fabrica consignavit, sperans fore ut Sanctitas vestra ejus foret memor, ipsumque Domino recommendaret. Rationabilis hæc visa fuit Pontifici petitio, ideoque statuit pro benefactoris illius anima sacrificium offerre. Incæpit itaque missæ introitum: *Requiem æternam dona eis Domine, & ux perpetua luceat eis:* vix pontifex hæc finierat verba, cùm ecce vobis subito vocem quandam audivit, dicentem sibi: *Non parcam, non parcam.* Obstupefactus hâc voce sanctus pontifex, & anceps, ne forte illusio esset diabolica, introitum secundâ vice repetivit: *Requiem æternam dona eis Domine.* Et ecce eandem secundâ vice inaudiit vocem, sed terribiliori cum sonitu, dicentem: *Non parcam, non parcam.* Prosecutus est igitur missam sanctus Pater, formidine plenus, finitâque consecratione dum communicaturus hostiam sacram manu gestaret, Deo supplicavit, ut, quid sibi vox illa vellet, manifestaret; moxque ipsemet Deus in hostia sese præbuit visibilem, ita Pontificem allocutus: Gregori, ego sum ille, qui sacrificium pro defuncto isto me non acceptaturum asserui, jamtum enim ad infernum damnatus est, quia discessit in odio & rancore, adversùs proximum suum concepto. O Deum! quis non contremiscit talia audiens? Moritur defunctus, omnibus SS. Ecclesiæ sacramentis præmunitus, omnes suas facultates in fabricam transfert capellæ S. Petri pontifex sanctus pro eo pretiosi sanguinis Christi obtulit sacrificium; & nihilominus periit condemnatus, ita ut nec eleemosyna, nec missa, nec orationes, neque ipse Christi sanguis eum juvare potuerint. Quare? quia cum inimicorum suorum odio mortuus fuit: considera vel hoc unicum duntaxat ô homo, tibique hodie serviet in documentum: interim respiremus.

SECUNDA PARS.

XLVI. Die crastino excellentias inchoabimus & glorias magnæ Dominæ Mariæ, ex Evangelio immaculatam ejus deducturi conceptionem. Problema statuam sequens: uter zelosior exstiterit immaculatæ conceptionis magnæ matris defensor; an subtilissimus Scotus, an verò Angelicus, S. Thomas?

XLVII. Dic mihi ô mundane duellator, quid moliris adversùs inimicum tuum? pater, vindictam; acquiesco, visne eum annihilare? ita sanè. Ama eum propter amorem Dei, tibique sanctè polliceor, illum inimicum tuum omnino redigendum esse in nihil. An non audisti in principio, quòd inimicorum dilectio singulari polleat privilegio, ita ut in eodem tempore, offensæ remissorem exaltet amantem, qui quantò plus boni suo præstat inimico, tantò amplius eum prosternit & perimit. Ecce vobis in promtu scripturam sacram: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi.* Cum videris inimicum tuum præ fame morientem, da illi cibum; si videris eum præ siti deficere, pota eum, humaniterque illum tracta. Ast quid inde sequetur? quid? *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super*

Dilectio inim. exaltat. parcentem & occidit inimicum.

Prov. 25. v. 21.

Ibid. v. 22.

per caput ejus. Si hoc impleveris, plurimum ignis super verticem illius accumulabis, eum vivum combusturus. Estne possibile? ita attestatur Sapiens. Sed qualiter hocce fiet?

XLVIII. Theologi ego Deum in duplici considero statu; primò ut damnatorum vindicatorem in inferno, secundò veluti benignum inimicorum suorum perdonatorem; hoc supposito, vos ego interrogo, quandonam Deus homini majorem infert ruinam; an dum eum pœnâ plectit inferni? an verò quando ei pœnam remittit, eique habitum impertit gratiæ justificantis? vos me docetis, quòd, quando eum castigat etiam cum pœna infernali, non eum consumit, non annihilat, imò tunc eum potius manutenet, ut plus ei inferat pœnæ, quia *non punit ultra condignum*: quando autem ei remittit, conferens illi habitum gratiæ; tunc eum annihilat in esse peccatoris, quia homo jam non amplius manet peccator, sed in eodem momento, quo gratiam consequitur, peccati macula in ipso destruitur, per quam inimicus Dei constituebatur; Deus itaque vindictam quærens ab homine, illi vitam confert; dum autem ignoscit, morte perimit.

XLIX. Dicetis mihi: pater, ita quidem agit & agere potest Deus, sed non homo. Subsistite: nonne vos mihi conceditis, quòd Deus parcendo, annihilet peccatorem? ita; quando autem homo suo ignoscit inimico, nonne conformiter dictis, Deus evadit? igitur de primo ad ultimum, homo suo offensam remittens inimico, eum pariter annihilat, quia post factam remissionem desinit esse inimicus.

L. Pater, verum est, quòd homo ignoscendo suum annihilet inimicum in esse morali; ast ego illum in esse reali annihilare vellem. Acquiesco; ast dicito mihi; *quid est homo?* dicet Logicus: *Est animal rationale.* Nequaquam, quin potius audi Spiritum sanctum: *Time Deum & mandata ejus serva, & hoc est omnis homo.* [*Eccl. 12. v. 13.*] Essentia hominis consistit in timore DEi, ejusque legis observantia. [Inimici suat opes. *Ps. 12. v. 15.*] Hoc supposito, quibusnam assimilantur inimici? scitisne quibus? Apibus eos comparat David, dum ait: *Circumdederunt me apes multæ?* [*Plin. l. de anim.*] Teste Plinio, dum apis vivum quid mordet, suum confestim amittit aculeum, cumque aculeo vitam; dum autem mortuum aliquid mordet, magis magisque vivificatur. Agedum itaque ô homo, vindictam quæris ab illis apibus, inimicis tuis? vis illas perimere? vivum te exhibe, sed quomodo? *Time DEum, & mandata ejus serva.* Remitte ex corde optimo injurias omnes; ita ut, cùm inimicus tuus te repererit vivum, divini præcepti observantem; tuam ille tibi relinquat pellem, suamque amittat vitam: atque hoc ipsum dictis verbis insinuare voluit sapiens: *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum*; [*Eccl. 25. v. 21.*] cùm videris inimicum tuum in necessitatibus constitutum, **benefac illi**: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*: [*v. 22.*] amando illum, ignoscendo illi, infallibiliter confundes eum. *Carbones ignis*, inquit S. Augustinus, *congeres super caput ejus; cùm enim inimico tuo, pio animo benefeceris, quamvis sit impius, crudelis & barbarus, tamen aliquando erubescet, dolebit & pœnitere incipiet.* [*S. Aug. serm. 165. de temp. tom. 10.*] Nunquid dicere solemus, dum quis injuriam passus, confunditur: faciem præsefert, veluti flammam ignis propter verecundiam? ita pariter sapiens ait: *Carbones ignis congeres.* Cùm benefeceris inimico tuo, tunc in virtute hujus actionis tu ad

esse Dei sublimaberis, ille verò confusus manebit.

LI. Diversis itaque ex motivis obligata es ô anima dilectissima tuo ignoscere inimico. Primò propter tuum interesse, quia ignoscendo Deus evadis; secundo, quo plus beneficii exhibueris inimico; eò magis ipsum confundes, imò annihilabis quò ad esse inimici.

LII. Ipsum quoque fovere atque omnem ei offensam remittere teneris; quia totius gloriæ, quam tu tibi ignoscendo acquisivisti, ille operarius atque instrumentum est; imò tunc ipse ministrum Dei agit. Notate insignem quandam scripturæ sacræ authoritatem. Post Mortem Patriarchæ Jacob in Ægypto, qui pater erat Joseph, viceregis illius regni, timentes fratres Joseph, ne forte hic vindictam expeteret, ei dixêre: *Nos quoque oramus, ut servis DEI, filiis patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Nos pedibus tuis advoluti, humiliter tibi supplicamus, ut injuriam ignoscas servis Dei, qui filii sumus patris tui. *Servis DEI*, Fratres Joseph, DEI offensores, crudeles divinæ legis transgressores, proprio sese ore servos DEI jactitant? *ut servis DEI, filiis patris tui?* Ita, inquit Spiritus sanctus. Nonne Ioseph Ægypti exstitit salvator? utique; qui autem fuêre operarii DEI, qui Joseph ad thronum hujusmodi exaltarunt? Proprii fratres; nisi enim hi Joseph vendidissent, nunquam ipse Æpyptum intrasset. O Joseph, dicunt fratres, ne nos consideres veluti traditores; qui proprium vendidimus sanguinem, sed potius nos respice tanquam officiales & servos DEI; nam DEUS patris tui, mediantibus nobis, tuum capiti tuo contexuit elaboravitque diadema; ideoque *oramus, ut servis DEI, filijs patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Nonne dixi vobis, quòd omnis suis ignoscens inimicis, DEUS evadat terrenus & viva sanctissimæ Trinitatis imago? ita; quis autem tantæ gloriæ est operarius? inimicus, cui remissa est culpa; nisi enim ille fuisset, nunquam Christiano favisset occasio ignoscendi; & consequenter nec unquam ad esse divinum sublimatus fuisset. Teneris itaque ô Christiane tuis ignoscere inimicis, hi enim excellentiarum tuarum sunt operarii.

Gen. 50. v. 17.

LIII. Debes tandem tuo ignoscere inimico ex debito gratitudinis, quia nullus omnino, te tanti æstimat, quanti inimicus tuus. Instituerat Herodes sumptuosum imprimis convivium, in quo reliquos inter jubilos & tripudia, muliercula quædam artificiosis nimium choreis suis Regem in suum pellexit amorem, ita ut rex ei dicere non dubitaret: *Pete quod vis, & dabo tibi, etiam si dimidium regni mei petieris.* Abiit itaque puella, & impio matris instructa consilio, quid petiit redux? *Volo, ut des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*; qua petitione *contristatus est rex.* Dicite mihi per fidem vestram ô Auditores, qui maximi fuêre Joannis Baptistæ inimici? Respondebitis mihi: Herodes & Herodias. At ego dico vobis, quòd nullus omninò tanti Joannem fecerit, quanti Herodes & Herodias; vultisne, ut probem? Quid rex obtulit puellæ? medium regnum; quid autem petiit illa? caput Joannis Baptistæ. Inimica igitur mulier pluris æstimavit caput Joannis Baptistæ; quàm medium regnum. Adeamus etiam Regem: *Et contristatus est Rex.* Si rex medietatem regni sui amisisset, forsitan contristatus fuisset? nequa-

Christianus tenetur remittere vi gratitudinis.

Marc. 6. v. 23.

ib. v. 25.

ib. v. 26.

nequaquam, ultrò enim citroque eam obtulerat. Cur itaque afflictus fuit? quia Joanne destituebatur; omnibus igitur rebus aliis Joannem Baptistam præposuêre Herodes & Herodias.

LIV. Concludo itaque, te obligari tuo ignoscere inimico, quia ignoscendo ad esse divinum sublimaris, tuumque inimicum occidis & annihilas; quia ipse minister est DEI, mediante quo tuæ perficiuntur excellentiæ; ac tandem quia nullus te in majori pretio habet, quàm inimicus tuus.

LV. Si porrò id tuus non promeruisset inimicus, an non illud meretur, pro te in cruce mortuus DEUS? an non tantillum sacro ejus rependetur sanguini? Ille te rogat, ille tibi præcipit: *Diligite inimicos vestros.* *Quare igitur*, ait sanctus Augustinus, *non dimittis homini parum, ut dignetur DEUS tibi dimittere multum?* Dic mihi, utra est injuria major, an quam tibi tuus intulit inimicus, an verò quam tu DEO? injuria crescit secundùm qualitatem personæ offensæ; major igitur est tua in DEUM injuria; cur ergò exilem inimico tuo culpam non remittis, ut Deús tibi remittat tuam adversùs se commissam, injuriam gravissimam? Animæ dilectissimæ cordibus vestris sequentem insculpite propositionem: *Nisi dimiseritis hominibus peccata, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Matth. 5. v. 44.

S. August.

Matth. 6. v. 15.

LVI. Extermina, eradica itaque ex corde tuo ô homo odium, iram, vindictam. Tuque ô summe DEUS, si quis est nostrum vindictæ cupidus novum ei impertire intellectum, muta ejus sensum & voluntatem, cordi ferino substitue novum amoris, facque ut omnes evadamus amantes, ut à te summè amemur; ut sanctum inimicos diligendi præceptum observantes, à te remissionem consequamur, gratiam obtinentes in præsenti, quæ gloriæ est securitas. Amen.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE PRO SABBATHO POST CINERES.

DISCURSUS

De immaculata conceptione Mariæ, Dominæ nostræ.

Erat navis in medio mari; & ventus contrarius illi; ascendit JEsus in navim, & cessavit ventus Marc. 6. vers. 47.

PROBLEMA

Uter immaculatæ conceptionis Mariæ acrior exstiterit defensor; subtilissimus Scotus, an Doctor Angelicus? & utra religio magnam Matrem magis proclamaverit immaculatam & puram; Seraphica S. Patris Francisci, an verò Angelica gloriosi sancti Dominici?

INTRODUCTIO.

I.

CErtamen iniêre Scholæ diuturnum nimis ô Auditores: invalescente controversiâ inter scientias summè arduâ, utrùm magnâ Dei mater cum aut sine macula originali concepta esset? primum obtinuit locum lex civilis, affirmativæ fautrix sententiæ; quia scilicet vi decreti universalis: *Omnes in Adam peccaverunt*. *Omnes*, nota est universalis: *Qui totum dicit, nihil excludit*: igitur & Maria peccavit in Adam. (Rom. 5. v. 12.) Lex Canonica contrariam sustinuit opinionem, siquidem lex est infallibilis in sacris canonibus, quòd *qui providet in minoribus, multò magis providet in majoribus*. Sed Deus providit Mariæ in minoribus; verbi gratia, ut pareret sine dolore, non obstante lege pariter universali: *In dolore paries filios*: (Gen. 3. v. 16.) illi providit ne post mortem dissolveretur in pulverem, cùm tamen lex esset communis: *Terra es; & in terram ibis*. (Gen. 3. v. 19.) Ergo à fortiori dicendum, eam provisam fuisse in conceptione, ne maculam contraheret originalem. Tertio loco suam edixit sententiam Medicina sequentem: ego teneo, Mariam peccato originali fuisse infirmam, quia sanguis Christi medicamentũ fuit omnium totius mundi peccatorum purgativum: *Purgationem peccatorum faciens*, qui etiam pro Maria sparsus fuit, ergo & Maria infirma (Hebr. 1. v. 3.) exstitit peccato originali. Nequaquam,

sub-

subsumit Philosophia naturalis, non est hujusmodi Maria passa infirmitatem, quia medicaminum aliud est purgativum, aliud est præservativum; primum confertur *ad expellendum morbum*, secundum *ad roborandam naturam.* Sanguis itaque Christi pro Maria effusus, præservativus fuit, non purgativus.

II. Impotentes itaque scientiæ conciliari ad invicem, unanimi consensu decrevere, causam suam ad superiorem deferre judicem, qui litem communem decideret. Ast quis hic erit judex? Bartolus forsan aut Panormitanus, Hippocrates aut Plato? minimè equidem; nam omnes illi propriæ semper favebunt professioni. Citetur doctissimus Paradisi sanctus, D. Augustinus, expertissimus scientiarum omnium, qui *quidquid est in scientiis, nullo tradente concipit.* (Hymn. hujus Sancti.) Augustine sancte, quod tu formas judicium de Maria, Domina nostra, fuitne concepta in peccato originali, vel non? Respondet Augustinus: *Cum de peccatis agitur, nullam quæstionem habere volo de sanctissima Virgine.* (S. Aug. l. de nat. & grat. cont. Pelag. c. 36) Quandocunque tractatur de peccatis; ego nec possum, nec volo, nec debeo mentionem facere magnæ Dominæ Mariæ. Quid igitur nos hodie facturi sumus ô Auditores? Celebrarunt, non nego, celebrarunt & usque ad cœlos sublimarunt antiqui patres excellentias Mariæ; modò eam nuncupando thesaurum absconditum, pretiosam margaritam, cedrum Libani, olivam campi, Palmam Cades; modò florem agri, rosam purpuream, candidissimum lilium, odoriferum balsamum; modò denique Aquilam realem, puram columbam, arcam pacis, scalam paradisi, portam cœli. Nihilominus ut, quod sentio, eloquar, nullo unquam titulo magis excellenti, nullo unquam attributo magis augusto condecorata fuit Maria, quàm dum altissima navis nuncupata fuit: *Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum.* (Prov. 31. v. 14.) Fuit equidem augustissima Regina, prodigiosa navis, gubernatorem habens spiritum sanctum: *Spiritus sanctus superveniet in te:* (Luc. 1. v. 35.) Navis est, cujus malus altitudo fuit meritorum; *Ego in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis:* (Eccli. 24. v. 7.) Cujus funes, amor Dei & proximi: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis:* (Ose. 11. v. 4.) Cujus candidum velum est ejus puritas: *Dux virginitatis meæ tu es:* (Ier. 3. v. 4.) Cujus remiges sunt cogitationes illius: *Quid videtis in Sunamitide, nisi choros castrorum?* (Cant. 7. v. 1.) Cujus lampas ejus est protectio: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus:* (Prov. 31. v. 18.) Et anchora denique, qua firmatur, fuit spes ejus secura in Deum: *Quid confugimus ad tenendam propositam spem, sicut anchoram animæ tutam & firmam.* (Hebr. 6. v. 18.)

III. Mysteriosam hanc navim hodie nobis exhibere videtur S. Evangelista Marcus, dum ait: *Cùm serò esset factum, erat navis in medio mari.* (Marc. 6. v. 47.) Occidente sole justitiæ originalis, perque præcepti transgressionem, obscuratâ naturâ humanâ: *Cum serò esset factum:* Mystica animæ navis, Maria, æternitatis Dei sulcando pelagus, portui conceptionis propinqua, horrendum in modum impeti cœpit ab universalis legis contrario vento: *Omnes descendentes ab Adamo, debent nasci filii iræ:* (Ephes. 2. v. 3.) quas inter pressuras, singulari favente cœli gratiâ, suam adventans spopondit opem Christus Jesus, inquiens: *Ego sum, noli timere.* Ecce adsum, meam paratus cum sanguine vitam profundere, ut tu discrimen hoc absque ullo pertranseas naufragio: obtulit itaque Christus, in subsidium Mariæ, infinita sua merita, subsitoque omnis remisit ventorum impetus:

Ascendit Iesus in navim, & cessavit ventus. Ecce vobis expressam in hodierno evangelio immaculatam Mariæ conceptionem. Ad terminandam itaque, quam scientiæ suscitarunt, litem, decidi posset, Mariam sine culpa originali conceptam fuisse; ast quia punctus est difficultatis magnæ, volo, exactiorem hodie magisque completam hujus materiæ decisionem fieri: congressus itaque & consistorium habebitur personarum, magis in doctrina excellentium; incipiendo ab iis, quæ in cœlo degunt empyreo, & ab illis progrediendo usque ad abyssum. In prima autem parte curiosum vobis exhibeo problema; uter scilicet acrior fuerit propugnator immaculatæ Conceptionis augustæ Reginæ, subtilissimus Scotus aut Angelicus S. Thomas? in secunda autem parte discutiemus; utra religio magis proclamarit immaculatam, magnam matrem; Seraphica S. P. Francisci, aut Angelica gloriosi Sancti Dominici. Meum interim sordidum dicendi modum, gratæ attentionis vestræ emundet puritas: incipiamus.

Probl.

IV. Porro ut discursus tantò certior & sanior procedat in causa, ante omnia vobis narrativam audire non displiceat, tanquam speciem facti. Complacuerat infinito illi summoque bono post æternam communicationem *ad intra*, liberaliter in tempore sese communicare *ad extra*. Omnium itaque creaturarum corporearum pulcherrimam creavit hominem, quem supernorum illorum bonorum, quibus Deus ipse in cœlo fruitur, participem facturus de duobus ei donis providit: fontibus aliorum omnium; primum erat gratiæ, quod hominem coram divino gratiosum reddebat conspectu; & tanquam filio, jus ei conferebat ad gloriam: secundum erat justitiæ originalis, vi cujus perfectam quandam obtinens rectitudinem, sicuti in continua cum Deo & seipso pace degebat, ita omnium naturalium passionum imperio major, sensum circumferebat subjectum rationi, & rationem Deo. Hæc dona Altissimus protoparenti nostro contulit Adamo, tali pacto, quòd iis fruiturus esset, si quò ad omnia suo esset futurus obediens Creatori; sin minus, quòd iisdem esset privandus, non modò in ordine ad se, sed etiam in ordine ad totam suam posteritatem; ut igitur obedientiæ suæ ederet specimen, in paradiso terrestri collocatus fuit, cum amplissima potestate manducandi ex omnibus quarumcunque arborum fructibus, unico excepto pomo. Sed quid accidit? à muliere decipi se permisit, & mulier à serpente; uterque igitur divinum transgrediens præceptum divinitus concessis exutus est privilegiis, quo facto, sibi & nobis duo gravissima intulerunt damna; alterum corporis, ut scilicet millenis nasceremur subjecti miseriis atque ipsi finaliter morti; animæ alterum quia in eodem momento, quo in utero materno concipitur homo, culpâ maculatur originali.

V. Hoc est ipsum, quod hodie decidendum occurrit punctum; utrùm scilicet Maria in Conceptionis suæ instanti originalem contraxerit maculam, an verò ex singulari privilegio ab eadem fuerit præservata?

VI. S. Paulus qui primus forte omnium punctum hoc intellexit, comparationem instituens inter peccatum Adami & gratiam Christi, ita discurrit: *Non sicut delictum, ita & donum; sed si unius hominis delicto plures mortui sunt, multo magis gratia Dei, & unius hominis Iesu Christi donum* Rom. 5. v. 15.

donum in plures abundavit. Nemo ſibi perſuadeat, inquit S. Paulus, gratiam Chriſti ita operari, ſicuti peccatum Adæ; licet enim peccatum Adami omnes ejus infecerit poſteros; nihilominus multò plures fuere illi, ad quos ſe diffudit gratia Chriſti, quam alii, ad quos ſe extendit peccatum Adæ. Conſiderate diſcurramus ô S. Paule; nunquid gratia Chriſti conceſſa eſt homini, ad liberandum eum à peccato? totidem igitur erunt eorum, quibus obtigit gratia Chriſti, quàm ad quos extenſum fuit peccatum Adami. Nequaquam, dicit S. Paulus, quia inter Adami filios una fuit virgo Maria, cui quidem gratia Chriſti communicata fuit, ipſa nihilominus ab omni immunis manſit Adæ peccato. Modeſtè ô Sanctè Apoſtole, ego namque tibi replico & quæro: nunquid Maria Adami fuit filia? ita; nunquid ipſa generata fuit *per maritalem amplexum virtute ſeminis*? ita; ergo peccavit: quia *peccatum Adæ transfunditur in Adæ poſteros virtute ſeminis.* Quotquot virtute ſeminis virilis deſcendunt ab Adamo, omnes peccato originali naſcuntur infecti; ſed Maria fuit Adæ filia & generata *per maritalem amplexum*; ergo Maria peccatum contraxit originale. Reſpondet S. Paulus & ait; aliud eſt dicere, quòd Maria *peccavit in capite, ſcilicet in Adamo*; & aliud, quòd *peccavit in propria perſona.* Maria, tanquam Adæ filia, *per maritalem amplexum* generata, peccavit in Adamo, debitumque contraxit remotum contrahendi culpam originalem, at in propria perſona neutiquam peccavit; quia in primo Conceptionis ſuæ inſtanti, per ſingulare privilegium præſervata fuit.

Rom. 5. v. 15.

VII. Ignoſce mihi ô S. Paule, adhuc namque difficultas manet aperta. Nunquid Maria in primo Conceptionis ſuæ inſtanti, à Chriſto redempta fuit? Ita; ergo illa fuit mancipium peccati etiam *in propria perſona*: Nullus enim poteſt dici redemptus, niſi ante fuerit captivus; quid reſolvitis ô docti? in hoc totus conſiſtit difficultatis punctus.

VIII. Cui ut reſpondeamus, ſacra cantica adeamus oportet, ubi ſponſus cum Maria loquens, ita ei dicit: *Venter tuus ſponſa ſicut acervus tritici.* Sponſa nobiliſſima, tuus ille virginalis ſinus acervum tritici exprimere & repræſentare videtur. Ergone ô Deus, auguſtiſſime ſponſe, ergone inquam, poſſibile eſt, ut virginalis uteri fructus Chriſtus Jeſus, nihil aliud tibi eſſe videatur, præterquam acervus tritici? auctumabam potius ego, ipſum nuncupandum fore ſalutiferum animarum Chriſtianarum medicamen, quo eum titulo inſignivit S. Ignatius Martyr, inquiens: *Pharmacum immortalitatis.* Quam vos differentiam aſſignatis ô Auditores medicinam inter & triticum? reſpondetis utique, triticum non dari neque aſſumi *ad expellendum morbum*, bene tamen *ad reparandam naturam*; ut ſcilicet illud manducans, non ſuccumbat alicui infirmitati; medicina autem confertur infirmis *ad expellendum morbum.* Hoc ſuppoſito, Chriſtus Dominus noſter, & medicina fuit & triticum; medicina fuit omnibus nobis, qui infirmi in peccatum corruimus originale; Mariæ autem nunquam exſtitit medicina, utpote ſemper incolumi, infirmatæ nunquam; bene tamen purum ei triticum fuit, quia Chriſti ſanguis Mariæ applicatus fuit, *non ut ſurgeret, ſed ſolùm ne caderet.* Audite magnum P. Auguſtinum: *Per eundem ſalus, & Virgini & hominibus; ſed his tardè poſt culpam, Mariæ autem ab initio creaturæ.* (adjungit doctus quidam pater) *In*

Cant. 7. v. 2.

S. *Ignat. M.*

Differentia inter medicinā & triticū.

Chriſtus Redemptor Mariæ.

S. Aug. in conc. de concept.

In cujus utero Christus non pharmacum purgans, sed triticum confortans. Bene igitur concludere possum, ait S. Paulus, & asserere, Mariam à Christo redemptam fuisse, licet nunquam fuerit peccati mancipium; quia fuit redempta *ante lapsum, non post lapsum.* Gratiam habuit Christi, *non ut surgeret, sed solùm ne caderet.*

IX. Protestor ô Sancte Apostole, vel hanc unicam sententiam tuam sufficere, ad decidendam causam in Mariæ favorem; nihilominus ad majorem omnium me auscultantium satisfactionem, solidioremque doctrinæ tuæ confirmationem, aliud quoddam audire optaremus fide dignum testimonium. Fiet ut petistis, inquit S. Paulus; revelationes Brigittæ consulite, eandem in iis reperturi veritatem, ipso Mariæ ore in hæc verba prolatam: *Veritas est, quò ego concepta fui sine peccato originali.*

Li. 1. Revel. S. Brig. c. 49 apud Novar.

X. Domina, ignosce præsumptioni meæ: *Laus in ore proprio sordescit; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Quandoquidem de tuo agitur interesse, assertio tua aliquam suspicionis notam incurrere posset; deficietne omnis doctor classicus, qui tuæ causæ patrocinetur? Nequaquam, dicit Maria; sed recurrite ad duas famosas mundi scholas, alteram subtilem Scoti, alteram angelicam sancti Thomæ; in utraque enim excellentes reperietis authores, meæ fautores & propugnatores causæ.

2. Cor. 10. v. 18.

XI. Adeste docti, auribus animisque attenti, vos autem ô simplices tantillum habete patientiæ; magistri namque utriusque dictæ scholæ, ex altissimis principiis rationes deducunt pro immaculata conceptione. Subtilissimus Scotus ita discurrit: *Si Adam non peccasset, adhuc filius Dei incarnatus fuisset.* Imò si unio hypostatica theatrum erat dignissimũ, in quo comparere & coruscare poterat summum bonum; cum bonitate sapientia, cum sapientia potentia, cum potentia providentia & amor; decebat omnino, ut in eodem actu primo quando se in ordinibus, naturæ, gratiæ & gloriæ communicare decrevit; statuerit etiam divinam suam communicare personam, mediâ unione hypostaticâ; ut Christus, Deus & homo, primum esset omnium creatarum & creabilium rerum principium, ultimusque finis; juxta illud Ruperti Abbatis assertum; *Propter hunc hominem, gloria & honore coronandum, Deus omnia creavit.*

Scot. in 3. sent. dist. 7. q. 3.

Rup. Abb.

XII. Quia autem impossibile est, reperiri fructum sine prævia arbore seu planta, unde fructus procedat; consequenter dicendum, quòd in eodem instanti, quo Christus prædestinatus fuit, qui fructus est (*Benedictus fructus ventris tui*) etiam Maria, fructus illius arbor, fuerit prædestinata. Videamus itaque quo in instanti fuerit prædestinatus Christus, ut inde colligamus & tempus, in quo fuit prædestinata Virgo. Certum est ô docti, quòd Christus ante peccati originalis prævisionem, fuerit prædestinatus non *ut homo* duntaxat, sed etiam *ut filius hominis & ut filius hujus hominis*; *id est, Virginis*; ergo & Maria, ante peccati originalis prævisionem, tanquam Christi mater prædestinata fuit; ne mihi consequentiam negaveritis ô Metaphysici, quia *relativa sunt simul natura, tempore & cognitione*: sed mater & filius sunt relativa; nec filius sine matre, nec mater sine filio dari potest, *in his inferioribus*: cùm igitur Christus, tanquam filius, in primo illo instanti, *quando nondũ erat*

Luc. 1. v. 42.

Maria quando prædestinata ut mater.

Arist. c. de relat.

erat prævisum peccatum Adæ futurum, prædestinatus fuerit; necessum est dicere, Mariam quoque, tanquam matrem, in eodem instanti prædestinatam fuisse.

XIII. Ne autem hancce speculationem meam omni Scripturæ sacræ authoritate destitutam arbitremini; audite, qualiter veritatem hanc Maria ipsa per Spiritum Sanctum asserat, inquiens: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Priusquam Deus ullam aliam creaturam prædestinaret, *Dominus possedit me.* Ego jamtum in mente divina eram electa & præelecta; & ne quis dicere præsumat, me post peccati prævisionem esse cæpisse, noverint & intelligant omnes; *quòd nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Abyssus in scriptura sacra nuncupatur peccatum: *abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*; *Nondum* igitur, inquit Maria, *erant abyssi*; necdum erat peccatum prævisum *scientiâ visionis ut absolutè futurum*; *& ego jam concepta eram*, ego in mente divina concepta degebam. O ingeniosè!

Prov. 8. v. 22.

up. Abb.

Ps. 41. v. 8.

Luc. 1. v. 42.

XIV. Si itaque conceptio in tempore facta ad imitationem idæalis esse debebat, vos consequentiam inferatis ô docti, certo certius cum S. Domascено conclusuri, quòd in Mariæ conceptione, *natura gratiam antevertere ausa non est.* Non præsumpsit naturam prior esse in Maria, quàm gratia? Sed sicuti de Angelis asseritur, quòd *erat Deus simul in eis, condens naturam & largiens gratiam*; ita de Maria sanctus Damascenus asserere videtur, quòd in certo quodam momento, *erat Deus in Maria, prius largiens gratiā, quàm condens naturam*; scio equidem ô docti; non esse dabile hujusmodi *prius*; quia gratia, utpote accidens, supponit subjectum; sed id dicitur juxta nostrum intelligendi modum, quasi

S. Dom. or. 1. de nativ. Virg.

Maria quando prædestinata ut mater.

Natura in Maria non fuit ante gratiam.

Arist. c. de relat.

Deus impossibile quid in Maria operaturus, *Prius erat in Maria largiens gratiam, quàm condens naturam.*

XV. Ecce vobis, inquit Maria, Scotum, admirabilem immaculatæ conceptionis meæ defensorem; adite nunc pariter scholam S. Thomæ, eandem in ipsa percepturi doctrinam.

XVI. Domina, genuflexus te obsecro, ignoscas mihi; si contra mentem tuam, aliquam fecero instantiam. Subtilissimus Scotus immaculatam tuam defendit conceptionem, quia sustinet te in Christi matrem electam fuisse, ante peccati prævisionem, huic suo innixus principio: *Si Adam non peccasset, filius Dei incarnatus fuisset?* quod principium S. Thomas absolutè negat, docens, te matrem Dei electam fuisse post peccati prævisionem; igitur in Schola S. Thomæ non poterit immaculata tua defendi conceptio. Minimè equidem, dicit Maria; loquamini cum Angelico, audietisque, illum amore mei neutiquam dicturum diversum ab eo, quod asseruit Scotus.

Scot. Sent. 3.

XVII. Thoma gloriose, augusta Domina præcipit, ut vestram quoque sententiam, in hac conceptionis materia edicatis. Tu ergo quid sentis? fuitne Maria concepta in peccato originali, aut non? Magnæ, inquit S. Thomas, difficultatis punctum mihi proponitis; difficultas hæc in Schola mea primarios Christianismi vertices in controversiam adegit; quod me concernit, tanti momenti propositio necdum ad fidei articulum accessit. Recordor equidem in pluribus locis meorum librorum, me asseruisse, quòd Maria originale contraxerit peccatum; prout specialiter reperietis, ubi scripsi; quod *beata virgo in originali peccato concepta fuit*; *propter quod B. Bernardus ad Lugdumenses* scri-

Loca, ubi S. Thom. astr. conceptionē maculatā B. Vir. M. *3. Sen. d. 3. a. 1.*

scribit, conceptionem illius celebrandam non esse.

XVIII. Item alio loco asserui: *Secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines præter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt.* 1.2.q.88. a.3.

XIX. Atque iterum meam alibi in hæc verba reperietis responsionem: *Beata virgo contraxit quidem originale peccatum; sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur.* Hocque est totum, quidquid asserui pro una parte, p.3.q.27. ar.2, ad2.

XX. Genuina nihilominus veritas, sincero sensui meo conformis, hæc est, Mariam semper ab originali peccato immunem exstitisse; prout tradidi hisce verbis: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis.* Locã D. Th. ubi dicit oppositum. L.1. Sent. d.44. a 3.

XXI. Idem quoque reperietis alibi in hæc Verba: *Virum de mille unum reperi, id est, Christum, qui esset sine peccato; mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato esset immunis, ad minus originali vel veniali; exceptâ purissimâ & omni laude dignissimâ Virgine Mariâ.* Super Ep. ad Galat c.3.

XXII. Finaliter alio in loco docui: *Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Super Salutationẽ Angelicã.

XXIII. Stupefactus hæreo gloriose Thoma; tu enim Paradisi doctissimus, talis ipso Christi, qui veritas est, ore canonizatus, tu tibi ipsi adeo contrarius? tribus in locis asseris, Mariam originale contraxisse peccatum, in tribus autem locis aliis econtra summam Mariæ puritatem astruis & munditiem in conceptione? cui appositarum adeo harum sententiarum potius præbebimus assensum?

XXIV. Ne in animum vestrum induxeritis, inquit S. Thomas, ne vobis persuaseritis, me mihimet ipsi contrarium esse; quando dixi, communem à Maria fuisse contractam maculam, istud intelligatis semper, non de peccato originali *in propria persona*, sed potius de debito, quo in sensu doctrinam meam auctoritas approbat apostolica: Si enim locutus fuissem de peccato originali *in propria persona*, utique non parum dignus essem censurâ Sixti IV. in extravagante *Grave nimis*; ubi similes de peccato originali propositiones, tanquam falsæ & erroneæ sunt condemnatæ. Si autem alicubi expressam feci maculæ originalis mentionem; Sciatis omnes, hujusmodi assertum à me correctum fuisse & retractatum, hæcque mea finalis est resolutio & intentio, cujus authenticum in hæc verba reliqui testimonium. *Ecclesiæ consvetudo semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa Catholicorum doctrina ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris.* Quotiescunque igitur in scriptis meis quidquam repereritis, auctoritati Ecclesiæ contrarium, totum hoc pro nullo reputari volo, emendari, aboleri; nihil enim ego constanter asserere intendo, nisi ad unguem conforme usui Ecclesiæ, quæ quandoquidem per totum Christianismum, immaculatam Mariæ conceptionem celebrari jubet; ideo nec ego aliter docere intendo, neque aliud quidquam ex scriptis meis nisi huic conforme excerpi velim. Explicatur S. Th. 2.2.q.10. à 12. Probat S. Th. mirificè immaculatam conceptionem.

XXV. Ecce vobis, dicere potest Maria, non modò Scotum, sed & S. Thomam, constantem immaculatæ innocentiæ meæ defensorem.

XXVI. Domina, profiteor equidem, quòd,

quòd, ſicuti ſanctus Thomas & Scotus Eccleſiæ ſanctæ veraciter ſunt columnæ, ita quoque doctrina utriusque aureâ inſigniri mereatur perpetuæ laudis coronâ; Sed uterque doctor eſt privatus; nos hodie pro majori immaculatæ puritatis tuæ confirmatione, auctoritatem optaremus audire ſcripturarum & ſacrorum textuum, doctrinâ pariter Excellentium perſonarum confirmatorum.

XXVII. Agedum, inquit Maria, totum vetus & novum revolvite Teſtamentum, illudque omnium, tam in Cœlo, quàm in terra degentium, ſapientiſſimorum intelligentiæ, repræſentate; polliceor vobis, nullum fore ex omnibus, qui meam non ſit confeſſurus immaculatam innocentiam.

XXVIII. Hîc ego vos Auditores breviſſimo temporis ſpatio, mecũ attentos velim, quia intendo plenum quoddã coadunare conſiſtorium ſeu cætum, in quo per textus ſacros & doctrinas, per rationes Theologicas & legales, immaculata ſtabiliatur auguſtiſſimæ Reginæ conceptio.

XXIX. Et primò quidem omnium meo me animo menteque transferens, ad cœlum ſubvolo empyreum. Quid dixit quondam Deus æternus pater ad antiquum Serpentem? *Inimicitias ponam inter te & mulierem, tu inſidiaberis calcaneo ejus, & ipſa conteret caput tuum.* (Gen. 3. v. 15.) Quin per mulierem hanc Maria intelligatur, nemo dubitet, quia ut S. Bernardus teſtatur: *De Maria dictum eſt ad ſerpentem; inimicitias ponam inter te & mulierem.* (S. Bern. ho. 2. ſup. Miſſus eſt.) Id quod non modò omnes Sancti Patres confirmant, ſed ipſe etiam Deus expreſſè declavit per verbum *Ponam* in tempore futuro; non enim dixit: *Pono* in tempore præſenti, ut inſinuaret ſe non loqui de tunc vivente Eva, ſed de quadam alia muliere adhuc ventura in mundum, & necdum nata, quæ fuit Maria; unde S. Cyprianus ait: *Non dixit; pono, ne ad Evam pertinere videretur; ſed ponam, id eſt, mulierem ſuſcitabo, quæ repudiatâ facilitate credendi, non ſolùm te non audiet, ſed ipſo etiam Gabriele deferente Verbum, rationem de promiſſorum exigat novitate.* (S. Cypr. l. 2. c. 9.) Quid igitur accidit Mariam inter & ſerpentem infernalem, in tempore tantæ inimicitiæ? inſidiabatur dæmon calcaneo Mariæ, prætendens, ut illa peccatum contraheret: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus:* Maria autem iisdem pedibus, inſidiantis contudit caput, quemadmodum ſponſus in canticis atteſtatur, inquiens: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis:* (Cant. 7. v. 1.) O filia Altiſſimi, quàm decoris obambulas greſſibus? Quid pulchritudinis eſſe poterat in pedibus hujus auguſtæ fœminæ? primus pedum ingreſſus in hujus mundi luce, hominis denotat conceptionem; in quo primo motu nullus eſt, quantumcunque ſanctus, qui de pedum munditia gloriari poſſit; quicunque enim, etiam ſanctisſimus, ſemper pedes habes culpâ originali conſpurcatos; ideoque S. Petrus, licet totus purus eſſet, pedum tamen lotione opus habuit: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet;* (Ioan. 13. v. 10.) Quia nimirum in primo in hunc mundum ingreſſu, pedes ſuos culpæ originalis maculâ defædârat; unde S. Ambroſius inquit: *Mundus erat Petrus, ſed plantã lavare debebat; habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatũ, quando eum ſupplantavit ſerpens & perſuaſit errorem; & ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur.* (S. Amb. de his, qui miniſteriis initiantur.) Adeoque pedum immundities peccatum ſignificat originale: dicit igitur Spiritus Sanctus: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* O ſupremi Principis ſoboles, quantumvis omnes reliqui Adæ

 filii,

filii, quia mundum hunc cum macula originali ingressi sunt, pedes habeant conspurcatos, semper pedum indigi lotione, quantumcunque sancti existant; tui nihilominus *pulchri sunt gressus.* Pedes tuos non inquinarunt dæmonis insidiæ, sed tu potius per illos caput contrivisti insidiatoris, quæ sola in decoram hanc mundi lucem subintrasti, pedes habens adeo venustos, ut dæmonio comminueris peccati originalis caput. Conceptus hic est Ruperti Abbatis, dum ait: *O quàm probè calceata fuisti filia Principis, dum serpentis caput in tua conceptione contrivisti!* Et alibi: *Ni fallor, hæc est illa mulier, quæ apud Salomonem legitur: mulierem fortem quis inveniet? quæ adeo fortis est, ut iniqui serpentis caput contereret.*

Rup. Abb.

Pro. 31. v. 10.

XXX. Ast unde tale Mariæ obtigit robur, ut illa sola inimici infernalis caput potuerit conquassare? An non audistis? Maria unica fuit magni Principis Dei filia: *Filia Principis*; qualem etiam se ipsam nuncupat, inquiens. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Creans Deus hominem, animam illi impertiit medio flatu: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; cumque flatu animam ei contulit, gratiâ & justitiâ originali ornatam; ut igitur sapientia æterna demonstret, Mariam sine culpæ macula, imò cum gratia innocentiæ conceptam fuisse, asserit, Mariam altissimi fuisse filiam? *Ego ex ore Altissimi prodivi.*

Cant. 7. v. 1.

Eccli. 24. v. 5.

Gen. 2. v. 7.

XXXI. Sed quomodo Maria Altissimi fuit filia? nonne filia fuit Joachimi & Annæ? utique, talis fuit secundum esse naturale; sed per adoptionem specialis fuit Altissimi filia, sic nuncupata in Ecclesiastico: *Filia Patris abscondita* qui titulus equidem maximè meritis illius est debitus, sed nimium mysteriosus: nunquid enim SS. Agatha, Catharina, Agnes, aliæque sanctæ, etiam filiæ sunt æterni Dei? pro Excellentis cujusdam conceptus intelligentia, profundam ante audite doctrinam theologicam. Quare Spiritus sanctus â patre procedens, non dicitur filius, sicut Verbum? Utraque persona divina â patre procedit, cur itaque solum Verbum dicitur filius, & non Spiritus sanctus? Respondet S. Augustinus, quòd *solum Verbum est filius, quia solum Verbum est imago patris.* Verbum divinum, utpote per actum intellectus procedens, simile est Patri in natura, ideoque dicitur imago patris; Spiritus sanctus autem cum procedat per actum voluntatis, non procedit similis patri *ex vi processionis*; atque ideo cùm non sit imago Patris, non vocatur filius: nunc progrediamur ad conceptum. Quare sola Maria magni Patris dicitur filia? quia ipsa sola imaginem conservavit Patris; omnes creaturæ reliquæ, quantumvis sanctæ, sicut in conceptionis suæ instanti non modò debitum, sed & maculam contrahunt culpæ originalis, ita nec filiæ sunt illius magni Patris, usque dum sancto Baptismo perfruantur; Maria autem, ab omni semper immunis culpa, quia nunquam Dei imaginem perdidit, sed semper eam conservavit purissimam, ideo specialiter Altissimi filia nuncupatur.

Eccl. 42. v. 9.

S. Aug. l. 7. de Trin.

XXXII. Ast hîc principale urget difficultatis punctum; quare enim sola Maria in instanti Conceptionis suæ, imaginem Dei conservavit, reliquis creaturis omnibus in dicto puncto, ejusdem formæ patientibus dispendium? vultisne responsum? Patris æterni omnipotẽtia prodigiosè operata est in conceptione Mariæ, ut divina in ipsa conservaretur imago. Quam equidem causam esse arbitramini, quòd Maria nullum in vita patrarit miraculum?

culum? non fuit, neq; est in cœlis sanctus, qui non legatur aliquod saltem fecisse miraculum, cur non idem etiam de Maria affirmatur? audite rationem: miracula in virtute divinæ potentiæ fiunt, ut præmientur sanctorum merita; quia ergo in conceptione Mariæ, Pater æternus quodammodo suæ exhauserat vas omnipotentiæ, eique singularem gratiam concesserat, ne in isto instanti in peccatum originale incideret; ideo Maria, mediante divinâ potentiâ, in conceptione sua miraculum operata est omnium miraculorum maximum; quem discursum S. Petrus Damianus hisce nobis verbis expressit: *Nullum miraculum post conceptionem, legimus fecisse Virginem Mariam, quia in ejus conceptione per omnipotentiam DEi, omnium miraculorū maximū factum est, dum ipsa ab omni labe peccati originalis præservata remansit.*

Aug. l. de Trin.

S. Petr. Dam.

Conceptio M. Summa miraculorum.

XXXIII. At si Pater tantum impendit de Omnipotentia sua, ut Mariam à culpa præservaret originali; quid ni credemus, Filium, in matris sui honorem, in eodem innocentiæ negotio, officiosissimè pariter cooperatum fuisse? audiamus, quid increata dicat sapientia de Filio ad eandem matrem suam: *Vulnerasti*, inquit, *cor meum in uno crine colli tui*: vel unicus duntaxat colli tui capillus feriit cor meum ô mater; prætereamus modò verba illa: *in uno crine colli tui*; illud tantummodo discursuri, quomodo DEus incarnatus in corde suo vulneratus fuerit à Maria. Nonne Longinus lanceâ suâ latus ejus perforavit? utique; quia sancto Joanne teste: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit*; quomodo igitur asserit se à Maria sauciatum? Respondet S. Bernardinus Senensis; Longinus divinum feriit pectus, Judæi sacras dilacerarunt carnes; at Christus omnia ista vulnera pertulit pro Maria: *Pro matris amore carnem assumpsit, & vulneribus primis vulneratus est.* Ast hic loquendi modus magis fovet difficultatem. Nonne Christus pro omnibus mortuus fuit? Ita, subsumit S. Bernardinus, pro omnibus fidelibus mortuus est Christus; *sed plus pro Maria redimenda, quàm pro aliis venit in mundum.* Lyplus, inquit Berchorius, *significat quandam excellentiam & superabundantiam gratiarum*: Pro omnibus Christus mortuus fuit, sed potissimum pro Maria Matre sua; quia illius quoq; exstitit Redemptor, quamvis per modū ordinario longè sublimiorem; ast quis fuit iste modus adeo præclarus? fuit præservatio Mariæ à peccato originali; si enim hęc prærogativa nō obtigisset Mariæ, quid particulare ei dedisset, nō collatū Joanni Baptistæ aut aliis sanctis?

Cant. 4. v. 9.

Joan. 19. v. 34.

S. Bern.

Berch.

XXXIV. At si Pater æternus, ejusq; filius incarnatus tantum præstitêre, ut immaculata præservaretur Maria, forsitan Spiritus sanctus, tanquam sponsus divinus, eundem in finem nihil operatus fuerit? Respondeat Archangelus Gabriel, ablegatus ad Mariam nuncius: *Spiritus sanctus*, inquit ille, *superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* O augusta Domina, spiritus ille divinus, qui est indissolubilis increatarum personarum nodus, superveniet in te, suâque virtute tuos obumrabit splendores. Erras ô Paranymphe cœlestis; Spiritus sanctus superveniet in Mariam? nonne satius dixisses: *Veniet in te?* Non, dicit Archangelus, sed *superveniet, id est, iterum veniet.* Duabus vicibus Spiritus sanctus descendit in Mariam; semel in incarnatione, humanitatem Christi formans in visceribus ejus; & semel diu ante in ejus conceptione, præservans ipsam à peccato originali. Audite S. Bernardum, ita apposite discurrentem: *Bene dixit (superveniet) quoniam prius venerat* in

Luc. 1. v. 35.

Sp. S. bis descendit in Mariã.

D. Bern. serm. 14. sup. Missus est.

in Virginem, id eſt, in utero matris exiſtentem, eam à culpa originali præſervando.

XXXV. Atque ex his ſenſum modò intelligo S. Petri Damiani, in ſermone de Maria, ita loquentis: *Electam & præelectam Spiritus ſanctus rapuit illam.* Quomodo? ergone Spiritus ſanctus rapuit Mariam? Exemplo me declaro. Debitor v. g. ad Eccleſiam confugit, tanquam ad aſylum; ſequuntur eum miniſtri juſtitiæ, omnemque lapidem movent, ut compræhendant ipſum; accurrunt interim quatuor aut ſex ſacerdotes, qui videntes inſultum, miſeri partibus patrocinantur. Satellites auxilium invocant regium, ſacerdotes elatiori voce, papale; illi ad juſtitiam, hi ad immunitatem appellant eccleſiaſticam. Rumorem hunc ſubaudiens quidam auctoritate pollens Prælatus, fuſte apprehenſo, ſatellites fugat, & reus eripitur. Ita ad propoſitum in conceptione Mariæ, vires in unum conjunxêre dæmones, ut caperent eam; accurrerunt Angeli in ſubſidium ejus; hinc dæmones, qui erant pro parte culpæ originalis, opem implorabant Luciferi; illinc Angeli, qui partem tuebantur gratiæ, favorem urgebant ſanctiſſimæ Trinitatis; hac in tragœdia ſuperacceſſit Spiritus ſanctus, aſſumptoque crucis ligno, ſpiritus infernales in fugam vertit, Mariamque præſervavit; atque hic eſt prædictorum verborum ſenſus: *Spiritus ſanctus rapuit eam.*

D. Petr. Dam. in ſerm: de Annunc.

XXXVI. Quantum allaborarunt ſacræ Perſonæ divinæ in præſervanda Maria; tantundem immaculatam ejus innocentiam mundo annunciarunt & publicarunt; primò Angeli, poſtea Prophetæ, deinde Apoſtoli & finaliter omnes in Eccleſia militante.

XXXVII. Incipiamus ab Angelis. Nomine omnium angelicorum cœtuum, comparens Archangelus Gabriel, felix ad Mariam detulit incarnationis nuncium hiſce verbis: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* DEus te ſalvet, gratiis plena, hoſpitium DEI. Angele ſancte quare dixiſti: *Ave?* nonne melius erat dicere: *Salve Reginâ?* minimè equidem, reſpondet Angelus per S. Bonaventuram, quia *A* idem eſt quod *ſine VE*, id eſt, *peccato.* *Ave* ſignificat *ſine culpa*; Mariam ſalutavi cum *Ave*, ut mundo manifeſtem, ipſam eſſe ſine peccato, *Propter omnimodam culpæ carentiam*, inquit Sanctus Bonaventura, *meritò in principio ſalutationis ei dicitur: Ave.*

S. Gabriel Mariæ nuntiat immac.

S. Bonav. in ſpecul. c. 2.

XXXVIII. Admitto ô Angele reſponſum tuum; aſt ſi in principio eam nuncupaſti à peccato immunem, cur poſtea ipſam appellas gratiâ plenam in verbo immediatè ſequenti? necdum ipſa conſenſit in maternitatem, quomodo igitur dici poteſt *gratiâ plena?* Quid, ait Angelus, exiſtimatiſne tunc prius Mariam gratiâ fuiſſe plenam, quando conſenſit in maternitatem? nequaquam Domini mei, nequaquam; ſed prius & multo quidem tempore ante, omnibus illa cœleſtibus donis accumulata fuit, quia in conceptionis ſuæ inſtanti; cum juſtitia originali totam poſſedit gratiarum plenitudinem. *Cum dixit Ave*, inquit ſanctus Fulgentius, *ſalutationem illi cœleſtem exhibuit; ſed cùm dixit, gratiâ plena, oſtendit omnem iram fuiſſe excluſam primæ ſententiæ, & plenam omnimodæ benedictionis gratiam fuiſſe collatam.* Imò S. Teſiphon, Epiſcopus & Martyr, ſancti Jacobi majoris diſcipulus aſſerere non dubitavit: *Nunquam Angelus Mariæ dixiſſet; gratiâ plena; ſi ea in peccato originali concepta fuiſſet.*

S. Fulg. ſerm. de laud. Virg

S. Teſiph.

Moyſes immac. probat concept.

XXXIX. Ab Angelis ad Prophetas progreſſum faciamus, plurimum hucusque allata corroboraturos argumenta, & in perſona omnium, magnus præeat Moyſes. Recenſet famoſiſſimus hic mundi annalium ſcriptor, quòd, Deo univerſum creante, omnia luce caruerint & perfectione; creavit equidem in principio cœlum, at hoc non niſi poſt quartum à creatione diem, ſole lunâ & ſtellis adornatum fuit; cœlo ſucceſſit terra, at pariter inanis, & poſt trium duntaxat dierum ſpatium, condecorata herbis. Vultiſne amplius? Homo ante creationem ſuam nil niſi exilis limus erat, animatus tandem flatu Dei. Quid multis? *Creavit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua*: ecce vobis terræ imperfectionem: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; ecce totum imperfectum, tenebriſque involutum mundum. Sola aqua eo fruita fuit privilegio, ut nunquam perfectionis & bonitatis fuerit expers; imò de ipſa dicitur; quòd *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Quare in univerſi creatione, dum omnes creaturæ apparuere defectuoſæ, ſoli aquæ inter omnia elementa, ſine ullius etiam inſtantaneæ imperfectionis admixtione, gratia indulta fuit decoris & perpetuæ ſancti Spiritus aſſiſtentiæ? Reſpondet magnus Tertullianus: *Cùm tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſiderum informes apparent, & triſtis abyſſus & terra impura, cœlumque rude; tunc ſolus liquor, ſemper materia perfecta & læta, de ſuoque pura, dignum vectaculum Deo ſubjiciebat.* O quæ excellentia! *Solus liquor &c.* Solam aquam Deus creavit perfectam, etiam in ſua primæva origine, quia ad inſtar rhedæ Spiritui ſancto ſervire debebat: *Dignum vectaculum Deo ſubjiciebat*: Sed quam ob cauſam ſpiritus ille divinus ſolam aquam adhibere voluit loco rhedæ? quomodo? an igitur neſcitis id, quod Chriſtus dicturus erat? *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non introibit regnum Dei?* Aqua in lege nova, in virtute ſpiritus ſancti, veluti fæcunda quædam adoptivorum filiorum Dei mater eſſe debebat; itane? aqua igitur Deo tot gratiæ filios parturire debebat? propterea nunquam ullis involvitur tenebris, imperfectioni nulli, ſed aſſiſtentiâ ſemper fruitur Spiritus ſancti. Quid ad hæc ô Auditores ſi aqua, creatura inanimata, ideo duntaxat, quia Deo filios adoptivos productura erat, privilegium obtinuit rarum, ut nullis unquam fuerit obfuſcata tenebris, ſed ſemper recreata per ſancti Spiritus præſentiam; quod privilegium, quodve indultum non dicemus divinitus conceſſum fuiſſe auguſtæ illi Reginæ, quæ pariter cum ſancti Spiritus aſſiſtentia, non filios Dei adoptivos, ſed naturalem ipſiuſmet Dei filium productura erat? reſolvite intrepidè, principaliſſimam gratiarum omnium, quas Deus contulit in Mariam, fuiſſe hanc, quod nunquam tenebrarum paſſa fuerit umbram aut ſignum peccati, ſed aſſiſtentiam divini Spiritus, cum infinitorum bonorum abundantia poſſederit ſemper.

Gen. 1. v. 1. v. 2.

ibid.

Solius aquæ inter elementa privilegium.

Tertull. l. de Bap. c. 4.

Cur aqua, Sp. S. rheda.

Ioan. 3. v. 5

Aqua mater filiorum Dei.

XL. Neque immaculatæ Conceptionis favorem, minus ſtatuent Apoſtoli, quàm in Prophetarum perſona denunciarit Moyſes; & duo quidem ex omnibus hodie adducentur in medium, uterque Evangeliſta; primum locum tenebit Matthæus, ſecundum Joannes. S. Matthæus Chriſti genealogiam deſcribens, ab Abrahamo incipit & terminat in Maria: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filii David, filii Abraham; Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ &c.* Tres mihi ingentes difficul-

S. Matt. probat im. M. concept.

Matt. 1. v. 1. & v. 16.

Tria dubia.

cultates movet locus iste; prima est, quòd S. Matthæus progenitores Christi enu-
§. 42. merans, non meminerit Adæ; & S. Lucas eosdem genitores recensens, Adæ quidem mentionem faciat, sed nullam Mariæ: cur uno in loco omittitur Maria, immediata Christi mater; in altero autem Adamus, à quo omnes omnino homines descendunt? secunda gravior est difficultas; scilicet quòd S. Matthæus non recenseat genitores Mariæ: scitis utique, quòd Jacob ille, qui pater fuit Josephi, fuerit & pater Melchi; Melchi pater Pantheris, Panther Parpantheris, Parpanther Joachimi, & Joachim Mariæ; adeoque ita computus institui debuisset. *Iacob autem genuit Melchim, Melchim autem genuit Panthera; Panther autem genuit Parpanthera, Parpanther autem genuit Ioachim; Joachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.* Quare non memorantur genitores Mariæ? Ultima hujus loci difficultas consistit in eo, quòd omissi fuerint Melchi, Panther, Parpanther & Joachim; cur scilicet quatuor subticeantur proavi; nec plures, nec pauciores.

XLI. Subintrat hic Evangelista Joannes, qui dum Mariam luce circumdatam describit, lucem nobis impertiet pro tribus dictis enodandis difficultatibus. Dicit itaque S. Joannes sese ingens in cœlo
Apoc. 12. v. 1. vidisse prodigium: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Per mulierem hanc communis SS. Patrum sententia Mariam intelligit, id quod S. Bernardus in hujus textus (*signum magnum &c.*) interpretatione præ reliquis omnibus expressit. Id autem, quòd in præsenti dubium mihi movet, in eo consistit, quòd Joannes dicat se Mariam vidisse sole vestitam, lunâ calceatam & stellis coronatam; quæ visio neutiquam veritati consona videtur; quia si Maria per diem visa fuit, credibile est, visum fuisse solem; ast quomodo simul cum sole potuit videri luna, quæ per diem non apparet? si autem visio nocturno contigit tempore, admitto, potuisse videri lunam; ast quomodo cum luna sol videri potuit, qui per noctem non resplendet? Audite, quid dicat S. Damianus; Nox symbolum est conceptionis animarum, juxta illud Jobi: *Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est: conceptus est homo.* Iob. 3. v. 3.
Dicit itaque Joannes; in quarumcunque aliarum creaturarum conceptione, non sol, sed sola potest videri luna, cumque luna peccati originalis caligo; in conceptione autem Mariæ; sol & luna comparuit; luna quidem, tanquam præses noctis; sol verò, quia in nocte conceptionis Mariæ, nullæ peccati originalis apparuerunt tenebræ, sed sol justitiæ Christus visus est semper. Ecce vobis ipsissima D. Pe. Damia. ser. 2.
sancti patris verba: *Caro Mariæ de Adam assumpta, culpam Adæ non admisit; sed singularis ejus puritas in candorem lucis æternæ conversa est.* q. d. Conceptionis Mariæ nox in diem conversa fuit, quia in nocte illa nullæ fuerunt observatæ peccati tenebræ, sed semper sol justitiæ, Christus: *In candorem lucis æternæ conversa est.* de Assump. V. M.

XLII. Hâc præviâ, à S. Joanne subministratâ luce, non fuerit modò difficile, ad solutionem progredi dictorum trium dubiorum. Adam peccati originalis caput & causa fuit; Maria autem à communi illa macula exempta fuit; quoties igitur (inquit Spiritus sanctus) recensebitur Adam, peccati originalis causa, nullam volo fieri mentionem Mariæ, ab hujusmodi culpa immunissimæ; ubi autem mentio inciderit puræ atque innocentis Mariæ,

Mariæ, subticeatur Adamus, utpote omnium malorum origo. Ast quare non fuerunt recensiti genitores Mariæ? Respondet S. Gregorius Papa; genealogia Christi fuit quasi canalis, per quem originale fluebat peccatum; videns itaque S. Matthæus, peccatum originale ad genitores usque Mariæ pervenisse, aliò divertit ordinem quasi dicturus: non progrediatur ulterius macula originalis, quia Mariæ appropinquamus. Ast cur quatuor duntaxat Evangelista subticuit Mariæ proavos, nec plures, nec pauciores? An non scitis, quòd *Deus visitat iniquitatam Patris in filios, usque ad 3. & 4. generationem?* Si Evangelista commemorasset Melchi, quartum Mariæ proavum; peccatum originale Melchi, à Deo etiam in Maria requiri potuisset. Absit, ait cœlum; ne quidem nominetur Melchi neque alii tres Mariæ genitores; ut intelligat mundus universus nunquam in Maria investigari potuisse originale peccatum.

ob. 3. v. 5.

Exod. 20. v. 5.

D. Pe. Damia. ser. 2. de Assump. V. M.

XLIII. Abundè sufficiens mihi dixisse videntur Angeli, Prophetæ & Apostoli cum Evangelistis; superest, ut Ecclesiam quoque militantem audiamus cum primariis suis ministris ad complementum consistorii. Quid dicit Ecclesia, in laudem Mariæ? *Felix namq; es sacra virgo Maria & omni laude dignissima.* Maria omni dignissima laude? omni igitur caruit originali culpa; quia S. Petrus quidē laude dignus fuit, utpote senatus Apostolici princeps & caput, cœlique janitor; non tamen omni laude dignus fuit, utpote tertiò perjurus. S. Paulus multam meruit laudem, qui tot ac tantas pro Christo sustinuit persecutiones, & tanquam vas electionis christianam fidem prædicavit, at non omnem promeruit laudem, quia aliquamdiu crudelissimus exstitit Ecclesiæ sanctæ persecutor. Utriq; Joanni laus magna debetur, alteri tanquam perpetuæ virginitatis cultori, alteri tanquam præcursori Christi; ast neuter dici potest omni dignissimus laude; quia illi quis nescio, ambitionis nævus adhæsit, dum prælaturas concupivit; hic autem culpâ originali infectus fuit. Sola augusta cæli Regina dici potest *omni laude dignissima*; quia illa sola sese conservavit liberam, & ab omni etiam originali immunem culpa. Et iterum si Mariam Ecclesia nuncupat *Templum Dei & sacrarium Spiritus sancti*, quomodo asseremus, originale in Maria fuisse peccatum? nisi forte admittere velimus, Spiritum sanctum quandoque in loco habitasse prophano. Occludatur os hujusmodi quodcunque simile quid asserere præsumit, Ps. 92. v. 5 quia *domum Dei decet sanctitudo.*

XLIV. Sacra Concilia, summique pontifices, qui sunt principaliores Ecclesiæ præsides, fortassis astruent contrarium? quid resolvit Concilium Jerosolymitanum, 44. annis post incarnationem Christi ab Apostolis celebratum? audite quid ex eo referat pater Lezzana in Apologia pro Conceptione c. 13. *Illa Virgo, illa Maria, illa sancta, in instanti suæ conceptionis fuit ab originali peccato præservata, & ab omni culpa immunis.* Cujus veritatis testimonium, totius collegii Apostolici nomine, sanctus quoque Apostolus Andræas post se scriptum reliquit, assignatâ insuper asserti ratione, veraciter juxta judicium meum convincente; dicit itaque: *Quia primus Adam formatus fuit ex terra immaculata, ideo necessarium fuit, ut de immaculata Virgine Christus nasceretur.* Oportebat, Christum ex virgine nasci immaculata; quia si primus Adam ideo duntaxat, quòd animam, quæ Dei flatus est, in se recepturus erat, de

Lezzana in Apol. pro Conc. c. 13.

S. Andr. Ap. in li. de pass. S. Andr. apud presbyter. Acuya.

I terra

terra immaculata formatus fuit; quid ni Maria pura erit atque immaculata, utpote divinum in se receptura verbum, quod flatus est æterni Patris?

XLV. Porro ne vos tædio afficiam, ex consulto reliqua omnia concilia prætereibo, quæ curiosior in Episcopo Serrano fusius reperiet. Quid statuit Concilium Tridentinum? *Declarat*, inquit, *sancta synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi agitur de peccato originali, beatam & immaculatam Virginem Mariam.*

Serr. lib. 2. de imm. Conc. c. 7. per totum. Trid. sess. 5. decr. ult. de pecc. Orig.

XLVI. Ex summorum pontificum, qui sunt primi Ecclesiæ sanctæ rectores, assertis, unicum in præsenti vobis suffecerit Pauli V. qui ait: *Sua sanctitas decrevit & mandavit omnibus Christi fidelibus, ut in posterum non auderent asserere, quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali.* Et Greg. XV. *Præcepit omnibus personis Ecclesiasticis, ut in sacrosancto Missæ sacrificio ac divino officio celebrandis, tam publicè quàm privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti deberent.* Quod totum hodie denique sanctissimus Dominus noster, Alexander VII. confirmavit.

Paul. 5. An. 1617. const. 7. Greg. 15. An. 1623. Alex. VII.

XLVII. Theologia pariter nostro subscribit assumpto, quæ licet diversis, iisque solidis omnibus, instructa sit rationibus; una tamen pro præsenti suffecerit ex omnibus, quæ est hujusmodi. Deus potuit & voluit, fuitque decens præservari Mariam ab originali culpa; ergo immaculata & pura fuit. Deum posse S. Lucas testatur, inquiens: *Non est impossibile apud Deum, omne Verbum.* Cui & consonat illud Jobi: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi solus Deus?* Qui voluerit, non est cur dubitetur, cùm non sit repugnantia neque motivum contrarium; & quidni tandem fuisset decens? quia qui dixit; *honora patrem & matrem, ut decretum à se promulgatum observaret, omnem gratiam & honorem contribuit;* inquit S. Hippolytus apud Novarinum.

Luc. 1. v. 37. Iob 4. v. 14. Deut. 5. v. 16. S. Hipp. apud Aloys. Novar.

XLVIII. Imo ex hoc efficacissimum quoddam eruitur argumentum, quod plurimis elicit sudorem. Si Deus per potentiam suam absolutam nequiit matrem producere, Mariâ meliorem, quidni Maria à peccato præservata fuit? unum è duobus est admittendũ; aut quod Maria originalem non contraxerit culpam, aut quòd Deus matrem aliam creare potuerit, meliorem Mariâ.

XLX. Porro ut controversiæ hujus juridica fiat decisio, legem pariter audiamus, oportet. Sed quid lex resolvere poterit, si lege universali conclusum erat: *Omnes in Adam peccaverunt?* Et nonne lex erat universalis, quòd *omnes nascimur filii iræ?* aut forte lex illa Jobi particularis erat: *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram?* Bene habet; triplicem mihi opposuistis contrariæ legis clypeum, triplici pariter legis armaturâ ego retundam impetum. No vistisne legem vestram *Princeps ff. de legibus*, ubi asseritur, quòd *Princeps legibus subjectus non est, eadem tamen privilegia, quæ ipse habet, concedit Augustæ?* Summus Principum Christus est: *Princeps Regum terræ;* suprema principissa, Maria: *Domina mundi.* Maximus princeps Christus nunquam legi peccati subditus fuit, *qui peccatum non fecit.* Cœli Regina quidem legi subjecta erat, utpote filia Adami, *secundum seminalem propagationem.* Nihilominus in gratiam & favorem ejus, favorabilis hæcce lex in cœlis promulgata fuit: *quòd Christus legi peccati originalis subditus non est; Maria autem etsi subdita sit,*

Rom. 3. v. 23. Eph. 2. v. 3. Iob. 14. v. 4. Lex docet M. esse exemptam à lege. Apoc. 1. v. 5. 1. Pet. 2. v. 22.

Chri-

Christus tamen eadem privilegia ipsi concedit per gratiam, quæ ipse habet per naturam. Id quod libro Esther figuratum esse videtur, ubi Deus Mariam ita affatur: *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* *Esth. 15. v. 13.*

L. Abundène vobis satisfactum est, inquit Maria? jam enim in pleno Consistorio, in favorem immaculatæ conceptionis meæ conclusum est. Domina, quid dicam? si jurare liceret in hoc loco, firmissimo ego juramento attestarer, in sessione hac plenissimam fuisse factam immaculatæ Conceptionis tuæ probationem. In supremo divinarum personarum Consistorio, primum edidit testimonium Pater, secundum Filius, tertium Spiritus sanctus; testimonium forte Patris, Filii & sponsi aliquam poterit suspicionis incurrere notam? Angeli tibi sunt familiares; Apostoli, tui sunt Amici; & omnes denique in Ecclesia militante tui sunt servi. Ut autem conclusio omni careat suspicionis umbrâ, optaremus etiam ab inimicis tuis aliquod audire testimonium.

LI. Acquiesco, inquit Maria; ecce, capitalem inimicum meum audite Lutherum; quid igitur asserit Lutherus? *Piè credi potest, beatam Virginem ab omni peccato originali fuisse præservatam.* *Lutherus.*

LII. Domina, non convenit Catholicos miscere colloquia cum hæreticis; loquatur alius quidam inimicus tuus. Terminemus, inquit Maria; dæmonium forsitan intento subserviet? utique, sciatis namque, diabolum pleno ore meam buccinare immaculatam conceptionem. Audite probationem egregiam. Postquam impius Judas Christum Dominum nostrum vendidisset, tandem pœnitens, seipsum in furcam adegit: *In fine, laqueo se suspendit.* Non miror ego suspendium Judæ, quandoquidem peccatum ejus multò atrociora promerebatur; in eo duntaxat pro præsenti mea situata est difficultas, quòd post peccatum Judæ, Deus voluerit, ut corpus ejus dæmon intraret: *Intravit Satanas in Iudam.* Domine, deliquit S. Petrus, prævaricatus est S. Tomas, & tamen neutrius corpus legitur ingressus Satan; quare igitur vis, ut Judæ corpus obsideat? *Matt. 27. v. 5. 5.55.* *Luc. 22. v. 3.*

LIII. Potestisne causam mihi assignare, cur nunquam diabolus tentarit Mariam? ô insane spiritus, Deum tentasti qui impeccabilis est secundùm naturam; Mariam non tentasti, sanctissimam quidem, ast puram creaturam?

LIV. Supponite, quòd diabolus, dum adversum nos pugnans succumbit, adeo confringatur viribus animumque despondeat, ut non compareat amplius, veluti didicimus in conflictu illo contigisse, quem cum Jobo habuit; à quo cum superatus esset, nunquam amplius in Dei conspectum prodire voluit; sed necessum fuit, diversos ablegari justitiæ divinæ ministros ad compræhendendum eum; conformiter bibliis 70. interpretum, ubi dicitur: *Et factum est, quadam die venerunt Angeli Dei, ut assisterent coram Domino, & venit diabolus in medio eorum.* Quid autem existimatis eum attentasse, taliter ligatum in medio Angelorum? Dicit S. Julianus author Græcus: *Captus erat, & fugam meditabatur.* O, dicebat diabolus, si possem fugere, si possem me divino subtrahere conspectui. *captus erat &c.* *Biblia 70. Interpr. Iob. 1. v. 6.* *S. Iulian.*

Cur dæmon non tentarit Mariam. Ecce vobis causam, cur dæmon tentarit Christum, & nunquam Mariam. In instanti conceptionis Christi, dæmon non prætendit, ut Christus peccatum contraheret, quia, cùm non esset Christus generatus *per seminalem propagationem*, nullum habeat peccati contrahendi debitum; ex alia verò parte cum nesciret seu ignoraret diabolus personam Christi, voluit tentare eum in deserto. In instanti autem conceptionis Mariæ, dæmoniū prætendit, ut Maria contraheret peccatū utpote generata *per maritalem amplexum*. Maria debitum habebat saltem remotum (De proximo paulo post agemus) atque ideo diabolus prætendebat, ut Maria maculam contraheret originalem; at quia per singulare privilegium præservata fuit, succubuit dæmon. O, dicit diabolus, si Maria in conceptione sua, quando meum erat futura & fieri debebat mancipium, mea evasit Domina; non est cur amplius eam infestem. Conceptus hic dignissimus à docto quodam patre circumfertur expressus in hæc verba: *Ad Mariam non ausus est accedere Satan, qui accessit ad Christum; quia forte in Conceptionis momento victus remansit à Virgine, qui eam vincere prætendebat.* *Avēdagn. in Mar. disc. 3.*

LV. Interim tota causa ad Dei tribunal devoluta fuit, qui Advocatum Fiscalem designavit Davidem. Heus, ait Deus ad David: *Contere brachium peccatoris & maligni.* Quia diabolus prætendit, ut Maria suum sit mancipium, volo, ut eum torturæ subiicias, ad eliciendam veritatem. Quomodo? dicit David, tu temerarie spiritus, filiam meam molestare præsumpsisti? filiam meam, in Dei matrem electam? ad torturam ò impie insidiator; quid sentis, quid judicas temerarie de conceptione Mariæ? Domine veritatem dico: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Quomodo igitur ausus fuisti inquietare illam? temeritatem tuam reste exsolves. O sanctissime rex diabolum in furcam adiges? spiritus est corporis expers; quomodo itaque facies? scio, inquit David, Judam seipsum adactūrum in patibulum, propter traditionem Christi à se consūmatam; ideoque diabolus intrabit corpus Christi, ut cum Juda, tanquam Christi traditore suspenso, simul suspendatur & diabolus tanquam Christi matris insidiator. Audite Titelmannum: *Suspensus est Iudas, & cum Iuda suspensus est Satan; suspensus est Judas, ut traditor Christi; suspensus est Satan, ut tantæ matris insidiator.* *Ps. 10. v. 15.* *ibid.* Cum Iuda suspensus est dæmō. Titelm. in Alleg.

LVI. Ecce vobis ô Auditores omnimodè probatam immaculatam Mariæ Virginis conceptionem, à divinis personis, Angelis, Prophetis, Apostolis, Ecclesia, Conciliis, scripturis, textibus sacris, Theologia & lege; restat, ut enodemus problema, uter scilicet tot inter Athletas, zelosior fuerit immaculatæ Conceptionis Virginis propugnator; subtilissimus Scotus, an Sanctus Thomas? Ex dicendis in secunda parte plenum obtinebitis responsum; sed ante respiremus.

PARS SECUNDA.

LVII. Crastino die Christum illum, quem pater misit in mundum, ut crucifigeretur, in desertum à spiritu sancto ductū cōtemplabimur, ut tentaretur. Curiosum erit problema; quæ scilicet ex divinis personis nostrum magis promoverit bonum, aut Pater æternus Christum mittendo in mundum, ad crucifixionem; aut verò Spiritus sanctus, eundem Christum ducendo in desertum, ad tentationem.

LVIII. Ut autem in præsenti decidatur; uter constantior fuerit immaculatæ Con-

Conceptionis defenſor, ſubtiliſſimus Scotus, an ſanctus Thomas; prius diſcutere neceſſum eſt, utra Religio magis proclamarit magnam Matrem, immaculatam & puram; an Seraphica ſancti Patris Franciſci, an verò Angelica glorioſi ſancti Dominici.

LIX. Pro intento meo ſuppono primò, utramque hanc religionem, omnibus beatiorem atque feliciorem eſſe, quam eis prærogativam ipſa auguſtiſſima Regina Maria donavit in Proverbiis, inquiens: *Beati, qui cuſtodiunt vias meas; & qui vigilant ad fores meas quotidie, & obſervant ad poſtes oſtij mei.* O quot beati indeſinenter vigilant ad portas palatii mei! quomodo? Maria palatium poſſedit? ſcio equidem; illam fuiſſe nobiliſſimam & regiâ prognatam ſtirpe: *Regali ex progenie Maria*: neq; etiam me latet, eam omnibus bonis temporalibus exutam vixiſſe; ita quidem, ut ne minimam quidem reperiens domunculam, divinum filium ſuum in præſepio parere coacta fuerit: *Reclinavit eum in præſepio.* Quomodo itaque dicit: *Qui vigilant ad poſtes oſtij mei?* Palatium, de quo loquitur Maria, eſt ipſamet auguſtiſſima Domina, taliter nuncupata in ſcriptura: *Domus pudici pectoris, templum repente fit DEI.* Magni hujus palatii portæ ſunt ingreſſus, quem illa primum fecit in hunc mundum; exitus autem, quando ipſa præſenti relicto mundo abiit in cœlum. Conformiter dictis, primus Mariæ in hujus mundi lucem ingreſſus, fuit pura ejus & immaculata conceptio; dum igitur dicit: *Beati, qui obſervant ad poſtes oſtij mei*; idem fuit, ac ſi dixiſſet: O beatos & felices illos, qui immaculatam meam defendunt Conceptionem.

Prov. 8. v. 32. & v. 34.

in offic. nativ. V.

Luc. 2. v. 6.

in hymn. nat. Dom. ad laudes.

LX. Quin Seraphica religio ſemper acclamârit, plenoque ore immaculatam Mariæ Conceptionem profeſſa fuerit, nemo veſtrum eſt, qui ignoret. Idem omnino indeſinenter ore & corde Angelica præſtat ſancti Dominici, cujus irrefragibile teſtimonium, ſanctiſſimum perhibet Roſarium, quod in ea toties per diem recitatur. Quid enim aliud importat: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum*, niſi ut Maria innocentiſſima, puriſſima & ab omni peccati umbra immunis deprædicetur? prout paulo ante, cùm de S. Archangelo Gabriele ageremus, vobis demonſtravi. Pro majori nihilominus votorum veſtrorum expletione, Catalogum conſulere poteritis famoſorum illuſtriſſimæ hujus Religionis Doctorum, qui à prima Ordinis hujus inſtitutione, immaculatam ſemper defenderunt Mariæ Conceptionem; quorum copioſam ſeriem in Epiſcopo Serrano reperturi eſtis. Suffecerit unum adduxiſſe ex omnibus, ipſum ſcilicet glorioſiſſimum Patrem S. Dominicum, ſacri hujus Ordinis Fundatorem, qui in Tr. de corpore Chriſti, citata adducens S. Andrææ Apoſtoli verba, inquit: *Sicut primus Adam fuit ex terra virginea, & nunquam maledicta formatus; ita fieri decuit in ſecundo Adam, ſcilicet Chriſto, cujus terra, id eſt, Virgo Mater nunquam fuit maledicta; unde nec originale peccatum contraxit, aliàs non benedicta fuiſſet, quouſque mundaretur à culpa.*

Ordo S. Dom. Mariam in dies clamat immacul.

Luc. 1. v. 28.

Serr. l. 2. de immac. Conc. cap. 30.

S. Dom. apud Serr. l. 2. de concept. c. 30. n. 2.

LXI. Reſpondebitis mihi, quòd Religio Seraphica Mariam non modò immaculatam proclamet ac puram, ſed etiam liberam & immunem à debito. Fortaſſis Angelica S. Dominici non defendit idem? Recordemini ô Auditores, quod ſi in ſtudiis doctrinæ meæ Scholaſticæ, inque tribus particularibus totius Philoſophiæ & Metaphyſicæ libris, ſemper ſanctum Thomam & Scotum conciliare conatus fui;

Auctor conciliat S. Thom. & Scot.

fui; quidni idem hodiè efficere potero in materia prædicabili, quæ in tantum Mariæ redundat honorem? Dico itaque, si quæstio est de debito remoto, id est, quòd Maria peccatum originale contraxerit, *non in persona propria, sed tantùm in alio tanquam in capite, non morali sed naturali*: hoc Scotus nec negat, nec negare potest; quia illud non derogat dignitati & puritati Mariæ; & nisi istud in Maria debitum admittatur, quomodo multæ salvari poterunt sanctorum Patrum propositiones? & particulariter quidem sancti Augustini, dum ait: *Caro Mariæ est caro peccati*? Caro Mariæ caro fuit infecta, quia fuit in Adamo, *tanquam in capite totius naturæ*; in quo consistit ratio debiti remoti. Eodemque modo alius quidam difficilis ejusdem sancti Doctoris textus conciliari poterit, in quo asserit; quòd *solus Christus peccatum non habuit, quia solus ipse extra voluntatem carnalis libidinis venit; nec fuit ibi maritalis amplexus*. Quomodo illud S. Augustini assertum subsistere posset? *Maria venit ex libidine carnis per maritalem amplexum*. Igitur peccatum originale contraxit? Absit, absit; dicit tota subtilis schola: ad hoc ut Maria *per maritalem amplexum* concepta dicatur, sufficit asserere, quòd illa debitum remotum contraxerit; sique mortua est, *id non fuit in pœnam peccati, sed ob conditionem naturæ*. Loquendo igitur de remoto debito, nullus istud in Virgine negabit.

S. Aug. l. 5. cont. Iulian. v. 15.

Lib. de bapt. parv. cont. Pelag.

LXII. At si agitur de debito proximo, quod contrahitur in persona propria, consistitque in conceptione *Ex libidine carnis cum inclusione pacti*; id est, cum ordine ad primum patrem, tanquam ad caput morale; schola subtilis, tritæ suæ insistens viæ & recepto inibi principio, quòd scilicet Maria fuerit electa ante prævisionem peccati, & ante illud pactum, quod Deus iniit cum Adamo, faciliter & liberè Mariam eximit à debito proximo.

LXIII. Tota difficultas, ingens admodum, se tenet penes Scholam Thomisticam, quæ sui tenax primi principii, scilicet quòd Maria post peccati prævisionem in DEI matrem prædestinata fuerit postque pactum istud, quod DEUS cum protoparente nostro pepigit, constituens eum caput morale totius suæ posteritatis: quo præsupposito, impossibile videtur eximi posse Mariam à debito proximo; nihilominùs animadvertite, quanta sit omnium Angelicorum patrum in augustam matrem pietas & veneratio. Non obstante dicto suo principio, Mariam asserunt immunem à debito proximo, iisdem in præsenti utentes rationibus, quibus eam superius probarunt ab omni remotam originali culpa; quia, inquiunt, potuit DEUS decreto particulari ordinare, ne peccatum Adæ transfunderetur in personam Virginis, sed ut in primo conceptionis suæ instanti, per singulare privilegium, præservaretur; neque hoc particulare decretum alteri illi universali, quo DEUS statuerat, ut peccante Adamo, omnes ejus inficerentur posteri, ullatenus repugnat, quia etiam præsupposito illo pacto, DEUS non destitutus fuit jure & libertate suâ, ut redimere & condonare posset, cuicunque vellet. Utq; omnem auferam scrupulum, & sensum clarius eloquar: quis Deo prohibere potuit, quò minus in illo instanti, quo Adamum constituit tanquam morale totius posteritatis suæ caput, quò minùs, inquam, ab hujusmodi obligatione suam excluderet matrem? si itaque DEus de-

decernere potuit, ut peccante Adamo, omnes ejus posteri (exceptâ solâ suâ matre) incurrerent peccatum; atque hujusmodi exceptio in maximum cederet Mariæ honorem: utique resolvendum est, ita Deum fecisse, & non aliter.

LXIV. Nunc tempus urgere videtur, ut meum ego patefaciam sensum. Quid mirum, si seraphica Religio augustissimam Dominam non modò à culpa, sed etiam à debito eximat peccati originalis? quia supposito antecedenti (cui illa constanter innititur) scilicet Mariam ante peccati prævisionem, ad dignitatem maternam electam ac prædestinatam fuisse; sicut & ante omne pactum & legem; hoc, inquam, supposito antecedenti, per necessariam consequentiam infertur, eam non modò à culpa, sed & à debito præservatam fuisse. Ast immaculatam celebrare & à lege communi præservatam, Cœli Reginam, quæ post peccatum prædestinata fuit; hæc maximarum summa est gloriarum, quibus insigniri potest Angelica, & nunquã laudata satis religio Dominicana.

LXV. Atque hunc, crediderim ego, sensum esse posse aliquorum veterum patrum, dicentium; Mariam prius cecidisse in culpam, & postea sanctificatam fuisse; qui proinde ita sunt intelligendi: prius fuit peccatum Adæ & lex universalis, ut omnes ab eo descendentes peccatum contraherent originale; à qua postea lege per speciale decretum fuit præservata Virgo.

LXVI. Ast hîc mihi objici videor: in schola Thomistica nunquam hujusmodi accinitur cantilena; imò si veritati standum est, S. Thomas in materia de conceptione Mariæ semper hæsit anceps. Accommoda oppositio cui ut satisfaciam, discursum meum sequenti dubio terminabo; quis plus præstitit Ecclesiæ sanctæ; an subtilissimus Scotus, immaculatam Virginis conceptionem omni cum libertate propugnans, aut verò Angelicus Doctor, circa dictam materiam dubius? permittite, ut responsurus à Thoma Angelico ad Thomam transeam Apostolum, qui omnibus credentibus coapostolis resurrectionem Christi, solus mansit incredulus. Utra majorem in Ecclesia parturiit utilitatem, fides & credulitas Apostolorum omnium, aut infidelitas unius increduli Thomæ? Non auderem ego tanti negotii momentum attrectare, nisi S. Gregorius decidisset punctum, qui de S. Thoma Apostolo agens, inquit: *Plus nobis ad fidem profuit infidelitas Thomæ, quàm fides omnium credentium discipulorum*; D. Greg. h. 26. cujus sequentem assignat rationem: *Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita, magis in fide solidatur.* Nisi sanctus Thomas Apostolus, incredulus fuisset, nisi ipse Christi vulnera attigisset, nisi ipse plagas renovasset; nunquam nos sanati, nunquam nos in fide fuissemus solidati; igitur *plus profuit nobis ad fidem infidelitas Thomæ, quàm &c.* Ex hisce meum me intentum consecutum video; plurimum utique præstitit Seraphica S. Francisci religio, quæ subtilissimo Scoto ductore, immaculatam semper acriter defendit Mariæ Conceptionem. At nisi Angelicus Doctor in materia hac perstitisset dubius, quandonam tantæ difficultatis materia solidè discussa fuisset? ne autem sigillatim materiam discutiam; creditisne veritatem hanc per totum orbem Christianum ita ventilandam fuisse? minimè utique; bene igitur concludere possum & asserere: *Plus profuit Ecclesiæ dubitatio angelici Thomæ, quàm assertio Scoti.*

LXVII.

LXVII. Quid superest ô augustissima Domina, immaculata Mater, nisi ut pias hasce voces meas acceptes, quas tanquam odoriferum incensum, sanctissimo tuo hodie consecro nomini, obsecrans, ut tui pientissimi oculi respiciant populum istum, qui tuis adeo intentus laudibus, charissimum habuit hunc sermonem panegyricum audire, in diversas immaculatæ conceptionis tuæ laudes diffusum? *Eia ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte.* Et quantumvis indignissimus ego servus tuus, cum fragili navi & sine remis, immensum puritatis tuæ oceanum intrarim, meam tamen imperfectam actionem ne respicias; sed dignare nostra contemplari corda, fidem & spem; ut sanctissima intercessione suffulti, ad recipiendas ab æterno patre majores gratias, disponamur, qui tanta cum abundantia divinas tibi communicavit gratias, ut finaliter æternâ fruaris gloriâ, *quàm mihi & vobis concedat DEus. Amen.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO PRIMA DOMINICA Quadragesimæ.

DISCURSUS

De tentationibus Christi & valore Bullæ sanctissimæ Cruciatæ.

Ductus est JEsus à spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo. Matth. 4. v. 1.

PROBLEMA

Quæ ex divinis Personis plus fecerit in utilitatem nostram; an pater æternus, Christum in mundum ablegans ad crucifixionem; an verò Spiritus sanctus, eundem Christum ducens in desertum ad tentationem?

Et unde suam potius originem traxerit bulla sanctæ Cruciatæ; an ex ex morte Christi in cruce, an verò ex tentatione ejusdem Christi in deserto?

INTRODUCTIO.

I.

QVis non obstupesceret ô Auditores contrarios hodie contemplans dæmonium inter ac Christum successus? duobus in locis egò Christum considero cum diabolo; primò in aspero deserto, postea in sacro convivio. In-

In deserto Deus ille, qui semper dæmonis fuit Dominus, ab eodem iniquè tentatur; in cænaculo Satanas, quem semper conculcavit Christus, ab eodem Christo in Juda mysteriose adoratur. In deserto diabolus tribus tentationibus aggressus est Christum; in cœnaculo easdem tentationes contra diabolum executioni mandavit Christus; in deserto namque tentator ad
Matth. 4. Christum ait: *Dic, ut lapides isti panes fiant.*
v. 3. Et postea: *Mitte te deorsum*: ac tandem:
v. 6. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*
v. 9. In cœnacula vera petra Christus, (*petra autem erat Christus*) in vivum convertitur panem: *Ego sum panis vivus*, ecce primam adimpletam tentationem. Idem Christus in vertice consistens Ecclesiæ sanctæ, ad
Matth. 26. v. 26. verba illa (*hoc est Corpus meum*) subitò se præcipitare videtur deorsum super altare; ecce consummatam secundam. Et tandem ad Judæ pedes prostratus Salvator, videtur quasi in eodem Juda ipsum adorasse satanam:
Ioan. 6. v. 71. *Vnus vestrum diabolus est, cæpit lavare pedes ejus.*
Ioan. 13. v. 5.

II. Hodie autem Christum præteriturus cum dæmonio agentem in cœna, ad desertum me conferam; in quod dum vix ingredior, apparatum conspicio bellicum, duos inter atlethas institutum: quorum alter in aciem modò prosilit, lapidibus in-
Matth. 4. v. 3. structus: *Dic, ut lapides isti panes fiant*; mo-
v. 6. dò radiis circumfusus ambitionis: *Mitte te deorsum*; modò armatura circumdatus
v. 9. argenti & auri: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Alter è converso retundit impetus,; modò per jejunium (*Cum*
v. 2. *jejunasset*) modò per humilitatem, se pu-
v. 4. rum insinuans hominem (*Non in solo pane vivit homo*) & modò tandem per scripturæ sacræ auctoritatem: *Scriptum est enim.* Primus vilem adeo & abjectum consecutus est exitum, ut tandem totus confusus
v. 11. & victus campo excesserit: *Reliquit eum diabolus.* Secundus autem tantæ fuit magnanimitatis, ut cum applausu angelicum
ibid. sibi demeruerit servitium; *Accesserunt angeli & ministrabant ei.* Tanta ac tot inter mysteria, quod nobis hodie pro præsentis discursus materia deservict? Christus ille, qui hodie à spiritu sancto ductus est in desertum, ut tentaretur, est idem Christus, quem ante in mundum misit æternus pater, ut crucifigeretur; vos itaque ego interrogo. Ubi Christus majorem subiit pœnam & molestiam; an dum in cruce mortuus est super Calvarium, an verò dum in deserto tentatus? Utrum spectaculum in sanctissimæ Trinitatis conspectu apparuit gloriosius; mors Christi in cruce, an verò tentatio ejusdem in deserto? quia autem Christus hodie thesaurum homini impertit indulgentiarum, scilicet bullam Cruciatæ; & homo duos Christo rependit regales pro dicta Bulla; discutiemus finaliter, ad quid teneatur ulterius in recompensam Bullæ dictæ. O Deum! quantum duobus contribuis regalibus? Si vos in discursu hoc, vestrum expenderitis cum attentione silentium, non gravabor ego meum in prædicando erogare laborem. Inchoemus.

III. *Ductus est Iesus à Spiritu in desertum.* A quo spiritu ductus fuit Christus in solitudinem? Forsitan à malo? nequaquam; quia ab alio spiritu in desertum ductus, & ab alio inibi tentatus fuit. Quis Spiritus tentavit Christum? diabolus: *Vt tentaretur à diabolo*: Quis itaque spiritus eum duxit in desertum? Omnes sancti patres spiritum hunc sanctū fuisse asserunt; ita enim docent S S. Chrysostomus, Gregorius Magnus & Angelicus Thomas, *A spiritu sancto inspirante, ductus est Iesus in desertum.* S. Th. in cat. aur.

IV. Ita ut Christus ille, qui prius à Patre æterno in mundum missus fuerat ad crucifixionem, idem postea à Spiritu sancto ductus fuerit in desertum ad tentationem; resumo principale dubium: utrum spectaculum sanctissimæ Trinitati existitit gloriosius; an mors Christi in Calvario, an ejus tentatio in deserto?

Cur Christus tentatus in deserto.

V. Pro tanti dubii solutione, ab hac ordiamur quæstione. Quare Christus voluit tentari in deserto? difficultas consistit in eo; quia Christus nos in oratione Dominica docuit, ut æterno Patri supplicaremus, ne nos sineret appeti tentatione: *Et ne nos inducas in tentationem.* Si petiit à tentatione præservari, quomodo itaque hodie se tentari permittit? atque iterum: si tentari elegit, quare à Spiritu §.38. sancto voluit duci? forte quia ipse auxilio indigebat, aut de victoria ambigebat.

VI. Observastisne hodie, quot nominibus nuncupetur adversarius noster? §.37. Matt.4.v.3. primò dicitur Diabolus: *Vt tentaretur à diabolo*; deinde nominatur tentator: *Accedens tentator*; & tandem Satan: v.10. *Vade retro Satanas.* Quare juratus inimicus noster tot hodie sortitur nomina?

v. 3. VII. Examinemus Evangelium: *Et accedens tentator:* appropiavit infernalis hostis, utpote non sciens certa cum scientia Christum esse Deum; ut enim vos nostis ò docti, & Angelicus nobis Præceptor tradit, nec dæmon nec ullus Angelus notitiam habuit naturalem aut mysterii incarnationis aut cujuscunque alterius supersubstantialis: cognoverant quidem mysterium incarnationis *quo ad substantiam*, id est, admirabilem futuram duarum naturarum unionem in uno supposito; attamen circumstantiæ eos latebant, scilicet, incarnationis tempus, locus & finis.

Dæmonem latuit incarnatio. p.1.q.57.a.5.

VIII. Et quantumvis Lucifer in nativitate Christi, cælestes illos audiisset Angelorum cantus: *Gloria in excelsis Deo*: Luc.2.v.14. nihilominus paulo post vidit eundem Christum ab ira Herodis profugum in Ægyptum: *Tolle puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Matt.2.v.13. Viderat eum à Magis adoratum: *Et procidentes adoraverunt eum*; v.11. at simul eum conspexerat plangentem in præsepio: *Vagit infans inter arcta.* Audierat, eum à patre æterno unigenitum denominari filium: *Hic est filius meus dilectus*; Matt.3.v.17. at paulo post videt eum in horridum abduci desertum: *Ductus est in desertum.* Matt.4.v.1. Obstupuerat illius 40. dierum jejunium: *Cum jejunasset 40. diebus & 40. noctibus*: v.2. quem tamen tandem agonizare videt præ famis angustia: *Postea esuriit.* Atque ita de Christi divinitate incertus Lucifer, eum tentaturus accessit.

IX. Corpore formato aëreo, in ætate matura, totus accessit decrepitus, gestans barbam longam & canam, cervice dimissâ, capite inclinato, sacco usque ad pedes coopertus, rudi cinctus fune, & arundinem manu gestans: hac igitur in forma ita eum affari cæpit. Salve chare domine, unicum solatium spei meæ, unicum oculorum meorum desiderium; ô quæ hodie mihi obtigit fortuna, dum præsentiâ honorari merui tanti Domini. Maxima sane fuit æterni Patris sapientia, dum te in mundum misit, temporibus adeo corruptis & perversis, in quibus tota nostra periit Israëlitica Respublica; in quibus vitia triumphant, opera bona conculcantur; summum sacerdotium exponitur venale, ministri furtis & rapinis, virgines stupris, maritatæ inquinantur adulteriis; sanctuarium prophanatur, &, quod impietatis caput est, omnia hæc & similia sub specie sanctitatis perpetrantur, O ingentem Dei

Discurrit dæmon cum Christo.

Dei misericordiam, tot ac tantos benigne supportantis defectus! Ast video te pallidum nimis & macilentum; quandoquidem venisti ad honorandum nos in hoc aspero deserto, & nostra futurꝰ es redemptio, ne, precor Domine, tantam adversus te exerceas severitatem; profectò si mihi quidquam supeteret, quo vires tuas refocillare possem, refectiunculam aliquam tibi offerrem (ô charitatem pilosam) at in hoc aspero deserto, ut vides, nil præter lapides reperitur; si itaque tu Dei filius es, cur lapides istos non commutas in panes? *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Subsistamus tantisper in primæ hujus tentationis discussione, ingentia namque mysteria ex eadem eruemus.

Ibid. v. 3.

X. Dicit itaque ad Christum tentator: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. O stulte nimis*, exclamat S. Thomas de Villa nova, *quid ais? si filius Dei est, nunquid eget pane? nonne ipse est Panis Angelorum & panis vitæ?* O quanta ignorantia tua, ô diabole: Si Christus est Dei filius, tu eum pane indigere tibi persuades? nonne ipse est angelicus panis, vitam impertiens omni, manducanti se? Si autem prudenter te egisse existimas, audi me & sequenti responde argumento. *Audi maligne*, (Verba sunt dicti S. Præsulis) *vel convertet, vel non? si non, quomodo tentat is cum lapidibus? non enim est fames tam rabida, quæ comedat lapides. Si convertet, putasne, pane tam mirabiliter ab ipso converso, poteris eum superare? qui tantam habet potentiam, ut panes, faciat ex lapidibus, non te superabit, unde ergo tanta Audacia?* nimium es rudis & ignorans; ast pauca dixi.

Dæmon rudis. S. Th. Vill. Argum. contra dæmonem.

XI. Quis non te afferet insipientem? mortuum præ fame ut præcipites, ei lapides offers? ô misera bestia; si præ fame moritur, cibos ei delicatos beneque conditos præsentare debuisses; merito tibi cum S. Petro Chrysologo objecerim: *Esurienti tenera, non dura offerre debuisti.*

S. Pet. Chrys. ser. 11.

XII. Compatiamini ô Auditores, quia diabolus non modò rudis & stultus est, sed insuper miser & inops, qui in tota sua potestate nil nisi lapides possidebat. Sed quomodo diabolus est pauper? ergone mundi dominus nil habet præter lapides? nihil penitus, quia quando superbissimus ille spiritus substantiam suam divinitati comparandæ totam impendit (*Ascendam in cœlum, ero similis altissimo*) in tantam prolapsus est miseriam atque inopiam, ut amissis omnibus cælestis gratiæ thesauris, nihil retinuerit residuum quod suis offerret, præter lapides. Audite S. Maximum: *Quia aliud non habebat, quod offerret esurienti, postulat in cibum saxa mutari.*

Dæmon miser. Isa. 14. v. 14. S. Max. ho. 2. de jejun.

XIII. Non pauper duntaxat, fatuus & rudis est diabolus, sed & traditor infamis; simulat se percutere pedem, & ferit caput. Dic mihi ô bestia infernalis, responde ad hoc sancti Petri Chrysologi argumentum: *Nonne poterat Christus famem convertere in saturitatem, qui potest in panem lapides commutare?* Si tu judicas, Christum lapides in panes convertere posse, quare diffidis aut cur non etiam recogitas, ipsum posse efficere, ut fames fiat saturitas? atque insuper, unde tanta tibi pietas & commiseratio? unde tibi, omnibus crudeliori tigribus, tanta hodie erga famelicum compassio & charitas? O Domini mei: *latet anguis in herba*; Sub opere illo misericordiæ, actus latitat crudelitatis: fictè & simulatè agit proditor, sub boni specie decipiens; iniquitatem asportans, sed chlamyde vestitam charitatis, dicente S. Petro Chrysologo: *Signum panis petit, ut jejunium refugiat*; *panem*

dæm. traditor. S. Pe. Chrys. ser. 11. dæmo. fictus.

malus ingerit consolator, ut virtutem mutet, & propositum violet jejunantis. Et S. pariter Gregorius magnus inquit: *Antiquus hostis tantâ se arte palliat, ut plerumque vitia virtutes fingat, & vel ipsa capitalia pallio virtutis obtegat.* Quo fine aut motiva factum fuisse arbitramini, quod diabolus per Pilati uxorem, voluerit Christi mortem impedire? *Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter illum.* Quis non destupeat, dum diabolus Christi agit advocatum, qui sibi invicem magis contrariantur, quâm luci tenebræ. Creditis fortasse, diabolum Christi partibus patrocinari? minimè equidem: dæmon est quidem malitiæ epilogus, ideoqne nulli non accurratissimè, invigilandum est; non enim omne quod rutilat, aurum est; Sub aquis operatur, fraudesque suas coloribus distinguit virtutum. Suspicabatur impostor, ex morte Christi salutem mundo proventuram, ideoque Christum morti eripere moliebatur, ut totum genus humanum æternæ semper maneret subjectum damnationi; quam veritatem penetrans Rabanus, sequentem format discursum: *Nunc demum diabolus intelligens, per Christum se spolia sua amissurum; sicut primum per mulierem, mortem intulerat, ita per mulierem, vult Christum de manibus Judæorum liberare; ne per ejus imperium, mortis amittat imperium,*

D. Greg. l. 37. in Iob. mora. l. 17.

Matt. 27. v. 19.

Rab. in Cat. D. Th. in c. 27. Matt.

XIV. Simulator est dæmon ac traditor iniquus, fictè vulnus intentans pedibus, sed in rei veritate caput volens detruncare. Egregiam notate subtilitatem. Quo tempore Christum requisivit tentator, ut lapides converteret in panes? utique quando Christus post 40. dierum jeiunium famere cœpit: *Postea esuriit*; ut primum quadragenario jeiunio fames successit; *Tunc accedens tentator, dixit ei; dic ut lapides isti panes fiant.* Quid prætendit dæmon per hanc tentationem? forte si Christus, conversis in panes lapidibus, comedisset, peccasset? nequaquam, quia quicunque nostrum, volens transacto jejunio corpus suum reficere & manducare, non modò non peccat, sed etiam juxta dictamen rationis operatur; quia Deus nec mortem, nec corporum nostrorum quærit infirmitatem, sed potius ut integras conservemus vires, Quid igitur intendit diabolus, petens, ut Christus lapides in panes converteret, ac postea manducaret? quid moliebatur? annihilationem Christi; sed quomodo? audite; si Christus propter famem suam, lapides in panes conversos manducasset, utique non fecisset malè; quid ergo? campum pandisset apertum calumniæ dæmoni, siquidem dixisset: quandoquidem hic tantâ premitur fame, ut lapides in panem mutare cogatur, utique Deus non est, & quia sine cibo sese manutenere nequit, indubiè magnus est veterator. O traditor infamis, Christo subsidium offers, ut Occasionem captes negandi ejus divinitatem? audite, quàm egregiè in præsenti moralizet S. Cyprianus: *Diabolus ingenium calliditatis suæ exercens, sanctimoniæ deditos doloris commoditatibus invitat, ut perdat.*

Matt. 4. v. 2. v. 3.

S. Cyp. l. 3. epi. 1.

XV. At si Diabolus Christum in hac prima intentione illudere voluit, quare non potius petiit, unicum solum lapidem in unum duntaxat converti panem? deser tum istud non quatuor, aut decem, aut lapides paucos, sed ingentem continebat saxorum quantitatem: Si Christus omnes illos lapides in panes convertisset, quis omnibus iis frui potuisset? principalis hæc est tentatio dæmonis, quâ universo supplantat mundo totumque orbem

Dæm. semper superflua suadet.

bem

bem redigit in desolationem, scilicet persuadere unicuique nostrum, superfluitatem & abundantiam esse necessariam, & exilem substantiam non sufficere; unde videns diabolus Christum præ fame mori; ei dicit: Domine, tantæ fami tuæ sublevandæ non sufficit panis unus, ideoque omnia illa saxa converte in panes, hanc tentatoris fraudem Theophylactus sequentibus, nobis expressit verbis: *Usus est diabolus numero plurali, volens Christum ad superflua instigare.* Quasi nobis diceretur: si videritis mulierem quampiam, tot habere domi vestes, quot conditioni & statui ejus sufficiunt, & nihilominus suum molestare maritum, ut plura comparet vestimenta; concludite, eam esse à diabolo obsessam & spiritum malignum in suo circumferre corpore; quia scilicet ultra necessitatem superflua petit. Si quis nobilis non nisi tot & tot habet proventus, & nihilominus erogat duplum; resolvite incunctanter, eum fanaticum esse & diabolicum, quia id agit, quod quærit & intendit diabolus, qui *semper vult ad superfluum instigare.*

Theoph.

XVI. Ast scire percuperem, cur prima diaboli contra Christum tentatio fuerit circa gulam? imò & prima tentatio, quâ protoparentes nostros in Paradiso aggressus est serpens, fuit in materia gulæ: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis?* quo fine noster nos inimicus tentat in gula? quo fine? ut humanam annihilet naturam; unde namque ruina mundi suum trahit principium? à gula; ad quod intentum notate quandam S. Ambrosii subtilitatem. Mundi hujus machinam supremus Deus efformaturus, primo die creavit lucem: *Dixit Deus, fiat lux & facta est lux*; secundo die novum ei addidit decorem, & sic deinceps 3. 4. & quinto die; sexto autem die, post animalium & hominis creationem, ut textus loquitur: *Requievit Deus ab universo opere.* O summe Deus ô Majestas divina, cur non progrederis, sed mundi terminas creationem? Quid dicitis ô docti? potentia forte deficiebat in Deo? aut forsitan repugnantia erat ex parte effectuum? neutrum; quia Deus infinitæ est potentiæ, & sine ea Deus non esset; neque etiam ex parte effectuum, ulla fuit repugnantia, quia vel ipsi Philosophi naturales concedunt, posse Deum centum & infinitos creare mundos, si vellet; quare igitur Deus completâ diei sexti creatione, *requievit ab universo opere*? S. Ambrosii subtilitas semper quidem bene difficultates penetravit, quas adorsa est; in præsenti tamen divinum quid operatur. Creavit igitur, inquit Sanctus Doctor, Deus lucem in primo die, quia in isto die nulla erat creatura, quæ manducaret. In secundo pariter die Deus divisit aquas, posuitque firmamentum in medio illarum, quia nec in illo die edebatur; atque ita deinceps 3. 4. & quinto die, progressus est Deus in multiplicanda universi decoris creatione, quia in nullo istorum dierum ulla erat creatura comedens. Sexto autem die animalia Deus creavit, eorumque omnium caput hominem; quæ dum vix creata essent, indilatè eduliis indulgere cœperunt. Itane? Deus inquit, in mundo comedunt homines? manducant homines? ex nunc cessabo ab omni operatione mea; quandoquidem homo cum animalibus cibos frequentare & ventri vacare cœpit, omnis mea cessabit creatio; atque ita, quamdiu non edebatur in mundo, Deus suam continuavit actionem in creando,

Cur prima tentatio gulæ.

Gen. 3. v. 1.

Gula malum.

Gen. 1. v. 3.

Gen. 2. v. 2.

Cur Deus die 7. quieverit.

do, decorem accumulans decori; ut primum autem homo edere cæpit, confestim cessavit ab omni creatione ulteriori. Ecce vobis ipsissima sancti Doctoris verba: *Primus usus mundi à jejunio cœpit, secundus dies in jejunio fuit; tertio die pabulum terra germinavit, sed jejunium disciplina cœlestis servavit; quartus & quintus dies in jejunio fuit: sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta est edendi potestas & usus escarum; ubi tamen cibus cœpit, ibi finis factus est mundi*; ne Angelus quidem meliorem efformasset discursum: *Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi*: terminato jejunio, terminata fuit & fabrica mundi. Ideo itaque adversarius noster circa gulam nos tentat, quia vellet nobis occludi cœlum; quia vellet, ut Deus sisteret influxum gratiarum suarum.

D. Amb. l. de jeju. c. 3.

XVII. Sed qualiter ad hanc gulæ tentationem respondendum erit? Quomodo ei occurrendum? cum uno *Non. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quidquid per manus offertur diaboli, nunquam acceptandum, semper ei cum *Non* renunciandum est. Quid tibi quærendum est ô homo, pro sustentatione tua? Verbum ex ore Dei procedens. Quod istud est Verbum? Deus est incarnatus, qui primò in æternitate per viam intellectus in mente patris generatus fuit: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Verbum hoc Christus est incarnatus, qui postea in tempore generatus fuit ex Maria Virgine: *Verbum caro factum est.* Verbum hoc Deus est incarnatus, qui in altari sub accidentibus panis velatus latitat: *Verbum caro panem verum, Verbo carnem efficit.* Et ut terminem, Verbum est Deus ille crucifixus, qui prædicatur sincero prædicatorum ore: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Solus iste cibus tibi vitam conferre poterit, quia *quod factum est in ipso, vita erat.* Atque hucusque quidem egimus de prima tentatione.

Tentatio gulæ quomodo vincenda. Matt. 4. v. 4.

Ps. 44. v. 2.

Ioa. 1. v. 14

Luc. 11. v. 28.

Ioan. 1. v. 4.

XVIII. Progrediamur ad secundam. Videns iniquus tentator, primum assultum vacuas evanuisse in auras, quid fecit? *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinaculum templi, & dixit ei: si filius Dei es, mitte te deorsum.* Immoremur pariter huic secundæ tentationi. Quid dicit ad Christum diabolus? *Mitte te deorsum.* O Spiritus infernalis, quandoquidem tu dæmon es, cur non ipsemet conatu improbo Christum impellis, deque altitudine ista eum præcipitas? audite S. Hieronymum: *Cum sit valde debilis, suadere potest, præcipitare non potest*: diabolus adeo est timidus, abjectus & pusillanimis, ut non præsumat simile quid attentare; ideoque S. Thomas de Villanova ita unumquemque nostrum alloquitur & movet: *Christiane, si non te mittis; te ille non mittet; hortari potest, sed te præcipitare non potest; porrigit tibi gladium, sed tu te jugulas, quia nemo læditur nisi à seipso; quid ergo tentatorem incusas? tua est culpa.*

2. tentatio Matt. 4. v. 4. 5.

S. Hier.

S. Th. Vill.

XIX. Non tam deformis est diabolus, sicuti depingitur; neque adeo formidabilis, quemadmodum vobis imaginamini; exprimitur equidem in specie fera, terribili & horrifica; at si quis propius accedit, veritatis explorandæ gratiâ, adeo inveniet eum pavidum & excordem, ut nunquam de die, sed per noctem duntaxat comparere audeat, teste scripturâ sacra: *Cum dormirent homines, venit inimicus & superseminavit zizania in medio tritici*; quin hic zizaniorum seminator fuerit dæmon, adeo certum est, ut neutiquam in dubium revo-

Dæmon per noctē tantum comparet.

Matt. 13. v. 25.

revocari debeat; scire tantummodo cuperem, quare diabolus de nocte veniat, in obscuro, omnibus dormientibus; dubitabat forte, ne zizania per diem seminata non innotescerent? herba mala, etiam non seminata super petras crescit. Quid igitur? S. Petrus Chrysologus totum hoc dæmonis asscribit formidini & pusillanimitati; non audebat per diem comparere, quia timebat, ne forte notatus, compelleretur fugam inire; imò credo ego, quòd vel unicus etiam puerulus eum in fugam adegisset. *Insidiator*, inquit S. Pater, *vigilantes fugit, appetit dormientes, & maximæ infirmitatis est indicium, dormientibus irruisse.*

S. Petr. Chrysolog. serm. 97.

XX. Videte impotentiam & timiditatem dæmonis, dum etiam ad unicum oppugnandum hominem, non unum duntaxat exercitum, sed integras adhibet legiones. Diabolus vice quâdam nimis sibi sentiens pœnalem esse Christi præsentiam, *adiuro te*, ait, *per Deum vivum, ne me torqueas*; ad hæc Salvator illius requisivit nomen: *Quod tibi nomen est?* Quomodo omniscie Domine, nonne tu omnium rerum nomina nosti? cur itaque modò, quasi nesciens, nomen istius spiritus interrogas? Respondet Christus; me non latet ullatenus ejus nomen, sed volo, ut ipsemet diabolus illud altâ voce exprimat, ut omnes intelligant, quis ipse sit. Quod igitur nomen habebat spiritus ille? audite: *Legio nomen mihi est*; nuncupor legio, quia multi sumus in hoc homine. O DEUM! integra dæmoniorum legio, diabolorum millia & millia adversus unum pauperculum hominem? Ita, quia tantus dæmonibus inest timor & pavor, ut contra unum hominem non sufficiat exercitus unus, sed integræ requirantur legiones; per hoc itaque nos Dominus docere voluit, fugiendum esse diabolum, non timendum; unde S. Petrus Chrysologus ait: *Hoc ideo facit; ut doceat, cavendos esse dæmones, sed non timendos.* Notate: legio juxta militiæ Romanæ computum, est numerus: 6666. si ergo tot diaboli miserum hunc affligebant, quomodo dicit Christus: *Exi immunde spiritus?* S. Euthymius respondet: *Multis dæmonibus imperat, quasi esset unus, propter ipsorum imbecillitatem.* Si itaque tam exilis est 6666. dæmonum potentia, ut vix sufficiat contra hominem unum; quid obsecro moliri aut efficere poterit diabolus unicus? quapropter S. Petrus Chrysologus unumquemque Christianum ita commonefacit & adhortatur: *Age o Christiane, incede securus; manus tenuis & tam multa dæmonum, quæ sic metuit inermem, fugiet procul dubio, si videat, si sentiat; si cognoscat armatum.*

Marc. 5. v. 7. & 9.

ibid.

S. Petr. Chrys. ser. 16.

S. Euthymius hic

S. Chrys. serm. 27.

XXI. Tantus dæmonis est languor, debilitas & imbecillitas; ut vel unico etiam flatu atteratur. Revocate in memoriam, illam, quam sacerdos adhibet cæremoniam, quando quem baptismali abluit unda; sacerdos diabolum fugaturus, qui ratione peccati originalis, animam in sua tenet possessione, his eum verbis aggreditur: *Exi ab eo spiritus immunde, & da locum Spiritui sancto advenienti, & recede ab hoc famulo Dei.* Quo dicto, ordinat Ecclesia, ut sacerdos tertiò sufflet in faciem infantis: *Tunc sacerdos exsufflet ter in faciem infantis, ad modum crucis.* O extravagans cæremonia! nonne melius foret, minitari diabolo cum despectu? Non, *Exsufflet ter*; quia diabolus tantâ languet debilitate, ut vel unicus eum flatus exanimet ac perdat. Ita Ambianus; *Rectè enim exsufflatur & projicitur tanquam pulvis à facie venti, confusus in sua nequitia diabolus.*

Flatus sternit dæmonē.

Rit. Rom. de Sacros. Bapt.

In Bibliot. veter. patrum to. 9.

Quam

Quam veritatem & Angelus expressit, ad Tobiam inquiens; *Fumus extricat omne genus dæmoniorum.* (Tob. 6. v. 8.) Quomodo David dæmonem ejiciebat è corpore Saulis? Sono cytharæ: *Percutiebat David cytharam, & Spiritus malignus recedebat ab eo.* (1. Reg. 16. v. 23.)

XXII. At videamus, quo duxerit diabolus Christum, quando illi dixit: *Mitte te deorsum*: scitisne, quo? *supra pinnaculum templi.* (Cur dæmon Christum duxerit in Ecclesiã.) O sancte DEus! quis unquam audivit similia? diabolus in Ecclesia? diabolus in locis sanctis? quid habet agere dæmon in Ecclesia? quid? suo fungi officio; quod habet officium? præcipitare, quotquot sunt in Ecclesia. Ergone pater, nullus eorum, qui in Ecclesia orationibus & bonis operibus vacant, tutus & securus est? Audi Christiane & memoriæ tuæ imprime, quod jamiam tibi dicturus sum. Solo excepto Paradiso cœlesti, (Ubique tentatio.) in quo sanctissima Trinitas cum beatis moratur spiritibus, nullus omnino locus est, quantumcunque sanctus, in quo sit extra periculum cadendi; si desertum intraveris sacræ cujusdam Religionis, factus Religiosus aut Eremita, diabolum inibi reperies, loco panis lapides tibi offerentem. O quot petras, quot duritias, quot tentationes subire & sustinere coguntur miseri Religiosi?

XXIII. Pater, si ita est, nunquam Religionem intrabo; quem itaque statum eliges? presbyterium amplexabor. Itane? fortè in eo petras declinasti? quid putas esse, in sacerdotio sæculari vivere? fortè hujusmodi non tentantur? audi: si Religiosus tentatur per lapides; sacerdotes sane ambulant super unicum capilli filum, de momento in momentum præcipitio proximi. Quare pater? quia dæmon sacerdotes ad apicem turris campanilis traducit, ibique consistentibus libertatem, largitur & commoditatem; dumq; bonus sacerdos in supremo deliciatur jucunditatum vertice, quid ei dicit dæmon? quid illi suadet diabolus? Domine presbyter, insigni parte gavisus es voluptatum, jam *mitte te deorsum*, dissipa cervicem. O miser sacerdos, hæc ipsa libertas tua tibi cedit in præcipitium. (Matth. 4. v. 6.)

XXIV. Pater, nec Religiosus nec sacerdos ero, sed in sæculo persistam? Ab equo ad asinum, rem acu tetigisti sæcularis? quid putas esse statum sæcularem? si Religiosus tentatur in lapidibus, & sacerdos in continuo periclitatur præcipitio; sæcularis utique in via graditur inferni. Quare pater? quia diabolus sæculari exhibet ficta illa mundi bona: *Omnia regna mundi & gloriam eorum*: (ibid. v. 8.) Quod spectaculum, ingens causat pauperibus martyrium; inops namque, dum alium videt manducantem, se autem præ fame mori, desperat; quando alios videt ridere, se autem ad planctum necessitari, corde crepat; hos similesque effectus in paupere sæculari spectaculum causat mundi. De divitibus autem quid attinet dicere? Dives in eodem momento, quo solutionem suam accipit à diabolo, se militiæ infernali ascriptum videt: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* (ibid. v. 9.) Omnia ista mundi bona habebis, veruntamen cum hac conditione, ut mihi servias.

XXV. Pater, si res sic se habet, ad Paradisum transibo terrestrem. O miser, nonne protoparentes nostri paradisum incoluére terrestrem? ita; nunquid & inibi fuerunt tentati? *Cur præcepit vobis DEus?* (Gen. 3. v. 1.) Vultisne, rem vobis ut tremendam & terribilem dicam? ipsummet adite cœlestis Paradisi suburbium, ubi Angeli fuêre creati in gratia, priusquam intrarent ad gloriam; vel ibidem etiam draconem reperie-

Apoc. 12. v. 7. perietis, decertantem cum Angelis: *Factum est prælium magnum in cœlo, & draco pugnabat.* Advigila ô Christiane, quia non est ullus tantæ sanctitatis locus, quò non penetret diabolus, ad tentandum nos.

Superiores maximè tentati. XXVI. In omnibus autem dictis locis, qui potissimùm passi sunt insultus dæmoniacos? scitisne qui? civitatum vertitices, Ecclesiæ, conventus aut domus cujusdam superiores. Qui amplius? reliquis justiores & sanctiores. Observastisne tempus, quo Christum aggressus est diabolus? immediatè post baptismum Jordanis, ductus est in desertum, ibidemque tribus appetitus tentationibus. Hîc ego à vobis requiro, quot intercesserint anni à nativitate Christi usq; baptismum ejus? Arnoldus Carnotensis 30. assignat: *Arn. Carnot.* *Ab ortu Salvatoris usque ad baptismum, triginta annni defluxerant.* Quare Christus in toto 30. annorum spatio, ne unicam quidem passus fuit tentationem; vix autem baptizatus, tribus tentationum insultibus appetitus fuit? vultisne, respondeam? in Christi baptismo, cœli reserati fuêre: *Matt. 3. v. 16.* *Cœli aperti sunt super eum*; Spiritus sanctus in forma columbæ super ejus caput descendit: *Spiritus sanctus in specie columbæ visus est.* Cur Christus Baptizatus. Patris æterni vox insonuit, declarantis eum non modo suum filium, sed & universale Ecclesiæ sanctæ caput: *Ibid. v. 17.* *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Christus in deserto continuum 40. dierum & 40. noctium observarat jejunium, asperrimæ elicuerat actus pœnitentiæ. Itane? dicebat diabolus; Christus Ecclesiæ sanctæ caput sanctissimæ? hæc mihi deserviet esca. Diabolus capita quærit & superiores, quia corruente civitatis aut communitatis cujusdam capite, residuum corpus totum facillimè prolabitur in perditionem; se & justis singulariter insidiatur, quia peccatores habet, quando vult. Concinnè S. Petrus Chrysologus inquit: *D. P. Chrys. sol. serm. 96.* *Sicut hostis non obsidet mortuos, sed impugnat viventes; sic diabolus non peccatores quærit, quos possidet subjugatos; sed ut justos capiat, sic laborat.*

XXVII. Quare arbitramini dæmonem fulguri assimilari? ita namque apud S. Lucam dicitur: *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* *Luc. 10. v. 18.* Cur dæmon fulguri potius comparatur, quam grandini aut alteri tempestati, agros destruenti? Cur dæmon fulguri comparatur: crediderim ego, diabolum à Christo fulguri æquiparatum fuisse propter effectus fulguris; de hoc namque scribitur, quod totam activitatem suam modo exerceat extraordinario: quia ubi percutit, medullam consumit, absq; eo quòd corticem contingat, vinum absorbet, at vas non offendit; gladium consumit in vagina, & vaginam ipsam relinquit illæsam; violentis furorum suorum ignibus argentum concoquit & aurum, inoffensâ remanente bursâ; duritiem penetrat dissipatque saxorum & æris, sed paleam non attingit; ut plurima paucis, vires suas exercet contra illa, quæ meliora sunt. Comparavit itaque Christus Dæmonem fulguri, q. d. Diabolus ad instar fulguris ubi unicè furit, improbè obsidet, ubi maximam reperit sanctitatem; ubicunque hæc præeminet, ibi maximè perniciosum molitur ictum? suæ malignitatis aciem unicè in destructionem dirigit illorum, qui in servitio Dei reliquis perfectiores sunt. Perquàm aptissimè S. Cyprianus inquit. *Eos diabolus quærit dejicere; tanquàm fulgur, quos magis videt floridos in virtute.* *S. Cypr.*

XXVIII. propter quid autem omnes eos tentat? scitisne? quid ad Christum

Matth. 4. v. 6. stum diabolus dixit in summitate templi? *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* O bestia infernalis, Deo suades præcipitium? si Deus est, cadere nequit; si cadit, Deus non est; O fatue & rudis spiritus! Audi, quid tibi objiciat S. Petrus Chrysologus: *Errasti diabole, nec tentare scivisti; cadere non potest Deus.* Quare diabolus non consuluit Christo, ut se sublevaret in cœlum? quid tibi promittis ô Christiane, quòd fortasse diabolus tibi quidquam sit consulturus, conducens ad cœlestia? falleris; scisne, quid tibi proponat inimicus? præcipitium, quod te adigit in infernum; plura subjungerē, nisi S. Maximus abundè id suppleret, inquiens: *Semper diabolus nos provocat ad ima descendere, quia jam se novit ad infera descendisse.*

Chrys.

S. Maxi.

3. Tentatio.

29. Non sufficiebat Lucifero, duplicis Christum, maximo cum opprobrio suo, appetiisse tentationis assultu; quid ergò fecit? *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi,* & gloriam eorum, & dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Signate textum, quia sicuti tentatio hæc omnium fuit ultima, ita omnium terribilissima.

Matth. 4. v. 8.

Dæm. infatigabilis.

XXX. *Iterum assumpsit eum diabolus.* Tanta est diaboli in nos tentando industria & indefatigabilis assiduitas, ut nunquam lassetur; si non hoc die, crastino; si non crastino, perendino. Ecce, quia hodie primò assilit Christum, inquiens: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Non contentus opprobrio, quod victus incurrit in prima tentatione, redit secundâ vice, dicitque ei: *Mitte te deorsum.* Neque post secundam subjugationem emendatior, tertiâ vice revertitur; ast quid tunc fecit? *Ostendit ei omnia regnâ mundi & gloriam eorū.*

quomodo monstrat omnia regna.

XXXI. Ast quomodo possibile erat, ut diabolus in sublimi isto monte, totum Christo exhiberet mundum? ascendat quispiam supra quemcunque altissimum montem; duo, aut quatuor, aut ad summum pauca aliqua conspiciet regna, at omnia videre est impossibile; quomodo itaque diabolus omnia mundi regna Christo repræsentavit? superaddite huic alteram difficultatem, longè majorem. Propheta Jeremias, *aspexi*, inquit, *terram & ecce omnia nihil.* Totum circumivi mundum, & reperi omnia esse merum nihil; si, quidquid in mundo est, omnino nihil est, quomodo itaque diabolus Christo regna exhibuit & glorias? Vultisne certam & veracissimam regulam, unde dignosci possit servus Dei & sequax diaboli? quisquis in mundo existens, id quod nihil est, pro auro reputat, diabolus est, aut ad minus res illas diabolico intuetur oculo, ille autē, qui in mundo degens, id quod aurū est nihilū reputat, talis sanctus, justus & servus Dei est.

Ier. 4. v. 35.

XXXII. Quid autem diabolo Christus respondit, postquam hæc ei ficta bona exhibuisset? audite: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quidquid vides, totum tuū erit, si tantummodo vel semel tua mihi genua curvaveris. Creditis forte dilectissimi, quod diabolus animam tentans, quidquam ei dare velit? fallitur nimium, quisquis ita credit. Diabolus tentans non modò non largitur quippiam servis suis; sed etiam, si quid dat, subitò eos reexspoliat, totumque recipit; non recedamus ab historia præsenti. Quando diabolus totum Christo obtulit mundū, dicens: *Hæc omnia tibi dabo:* cujus erat mundus? quandoquidē diabolus eum Christo obtulit, dicendū est, quod illius dominiū dæmon possederit. Subsistite: quot intercesserunt anni inter ruinam Luciferi è Paradiso prolabentis & tempus tentationis Christi? anni 4000. Inter tot annorum sæcula, quàm multas eū

Matth. 4. v. 9.

Dæm. fallax.

ſibi animas acquiſiviſſe putatis? innumeras utiq; ; eſſetne autem poſſibile, quòd nulli iſtarũ animarũ aliquã mundi gloriã communicaſſet? omninò id incredibile eſt, quia ipſe liberaliſſim⁹ eſt, omniq; ſervienti ſibi dicit: *Hæc omnia tibi dabo*: ſi ergò diabol⁹ omnib⁹ illis ſervis ſuis, adeò numeroſis, ſemper aliquã dedit mundi huj⁹ gloriã; quomodo Chriſtum tentans, aſſerit ſe plenũ totius mundi habere dominiũ? audite, unum e duobus concludendũ eſt; aut quòd diabolus ſervis ſuis nihil unquã donet, aut quòd dona ſubitò reaccipiat, omnibuſque beneficiis ſuos indilatè exuat ſequaces.

XXXIII. Imò pejora aſſeverabo de diabolo; equidem quid dicit tentator Chriſto? *Hæc omnia tibi dabo*; diaboli dona reſpiciunt futurum, *dabo*; quod autem ſibi dari vult exigit pro præſenti; *Si cadens, adoraveris me.* Negotiator falſus, quidquid vendit, præſenti vult recompenſari denario; aſt dum ipſe comparat, ſolutionem procraſtinat.

Dæm. neſcit dare. XXXIV Et quidem ſi promiſſis ſtaret, tolerabilius foret; at ingentia promittit & loco beneficii omnia aufert. O diabole, quâdam vice dicebat Deus, quid ſentis de Iob.1.v.10. ſervo meo Job? cui dæmon: *Nonne tu vallaſti eum*? Job tuus ſervus eſt, quia in plurimis benefeciſti ei. Itane? reſpondit Deus, vade itaq; tu & attenta, ſi poſſis eum dejicere, ipſumq; tibi lucrari. His dictis abiit dæmon, inq; primo aſſultu omnes occidit filios, omnem ſuccendit ſementem, peſſimoq; ulcere ſanctũ percuſſit à capite uſq; ad pedes. O maledicte diabole, ſiccine tibi promittis te Job lucraturum? nonne dixiſti, ideò Jobum Deo per amorem adhærere, quia Deus illi benefaciebat? quare igitur idem non præſtas? Domini mei, diabolus dare neſcit, ſed lucrari ſibiq; acquirere vult animas, abſq; eo quòd contribuat quidquam.

XXXV. Multa equidem dixi, nihilominus adhuc longè pejora dicenda reſtant. Quidquid nobis diabolus dat, totum hoc nobis cum noſtro ſemper damno largitur; audite namq; quid dicat: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, primò noſtrũ vult caſum, & poſtea promittit donum; *Dabo, ſi cadens.*

XXXVI. *Si cadens, adoraveris me.* Ecce vobis abyſſum & ſummam ſummarum malitiæ diabolicæ. Quid dat diabolus ſervis ſuis? bona temporalia quæ ſunt merum nihil: *Aſpexi terram, & ecce omnia nihil.* Quid autem exigit? adorationem: *Si cadens, adoraveris me.* O crudelitas inaudita, ô malitia infernalis! propter nihil vult adorari, nihilum adoratione recompenſari; fictum Chriſto offert mundum, ut acquirat divinitatem.

XXXVII. Et ecce vobis rationem, quare tot nominibus appellatus diabolus. *Infernalis noſter inimicus*, inquit Lucas Burgenſis, *quia omni nos arte oppugnat, & omni nos tentationum genere tentat, ideo habet tot nomina propria.* Scitiſne rationem, quare inimicus noſter tot habeat nomina? quia adeo crudelis eſt & barbarus, ut nullam pertranſeat ſemitam, nullum omittat modum aut formam, atterendi non modò hominem, ſed & ipſum, ſi poſſibile eſſet, Chriſtum. Luc. Burg. Dæm. varia habet nomina.

XXXVIII. Itane? dicit Chriſtus, æterne Pater, tanta eſt dæmonis malitia, tam atroces & vehementes eius tentationes? propterea rogo te, nomine omnium meorum fidelium, ne nos vallo circumdari permittas tentationis: *Ne nos inducas in tentationem.* Si tamen volueris, ut confligamus cum crudeli inimico; id precor, ut fiat cum aſſiſtentia Spiritus ſancti: Matth 6. v. 13.

ideoque *ductus est Iesus in desertum à Spiritu sancto.*

XXXIX. Sed ecce novam hinc difficultatem: si Spiritus sanctus Christum comitatus est in desertum, ut tentaretur; quare non etiam ipsum usque ad Calvarium comitatus fuit, ut crucifigeretur? Ecce vobis rationem. Nullum habet commercium mors Christi in cruce, cum tentatione Christi in deserto; magis Spiritui sancto placuit tentatio Christi in deserto, quàm ejusdem mors in cruce. S. Cyrillus Alexandrinus difficilem movet quæstionem & petit, quinam martyres dicendi sint famosiores; an illi primitivæ Ecclesiæ, scilicet S. Laurentius, S. Stephanus & alii; aut verò hi, qui tempore Antichristi cruciabuntur? respondet autem, insigniores futuros martyres hos, quam illos; quia primitivæ Ecclesiæ martyres cruciabantur per manus hominum; hi autem tempore Antichristi per manus dæmonum martyrisabuntur; quantò autem homine pejor est dæmon, tantò graviùs & excellentius martyrium; ita concludit dictus S. Doctor: *Nunquid non beatus erit martyr, qui tunc pro Christo martyrium pertulerit? Ego illum dixerim super omnes martyres, nam qui antea præcesserunt, certamen habuerunt tantum cum hominibus; qui verò tempore Antichristi patientur, personaliter cum Satana pugnabunt.* Quia igitur Christus in cruce martyrizatus fuit manibus Judæorum, in deserto autem exagitatus fuit per Diabolum, ideo Spiritus sanctus potius elegit Christo assistere in tentatione deserti, quàm in morte crucis.

S. Cyr. Alex. Qui martyres famosiores.

XL. Non solùm Spiritui sancto, sed & toti sanctissimæ Trinitati magis placuit tentatio Christi in deserto, quàm mors ejusdem in cruce. Nunquid enim, si Christus non fuisset tentatus in deserto à diabolo, nihilominus crucifixus fuisset? minimè equidem; quia ut Doctor Gentiū dicit: *Si Dominum gloriæ cognovissent: non utique crucifixissent.* Si Christus fuisset pro Deo agnitus, non fuisset crucifixus; quare enim fuit crucifixus? quia non fuit cognitus ut Deus, quare autem non fuit cognitus talis? quia Christus post 40. dierum & 40. noctium jejunium, apparuit famelicus: *postea esuriit*: Sicque famelicus se tentari permisit: *Accedens tentator.* Ita ut Christus fuerit crucifixus, quia non fuit agnitus Deus; fuerit autem non agnitus, quia fuit tentatus: crucifixio itaque Christi in Calvario, originem traxit à tentatione Christi in deserto.

1. Cor. 2. v. 8.

Crucifixio Christi orta ex tentat.

XLI. Si autem crucifixio, ortum habet à tentatione, utique concludere possumus, plus præstitisse Spiritum sanctum, dum Christum duxit in desertum ut tentaretur; quam æternum Patrem, dum eundem Christum misit in mundum ut crucifigeretur: nisi enim Spiritus sanctus Christum duxisset in desertum ad tentationem, nunquam crucem subiisset Christus.

Resol. Probl.

XLII. Atque ita pariter resolvere licet, gloriosius longè spectaculum exhibuisse sanctissimæ Trinitati tentationem Christi in deserto, quàm mortem ejusdem in cruce; non modo quia mors Christi à tentatione originata fuit, sed quia Christus majorem in deserto pœnam subiit & cruciatum in tentatione, quàm in Calvario, in crucifixione; in Calvario Christus crucifixus fuit à Judæis, in deserto tentatus à dæmone; insuper in Calvario Judæi solam intendebant animæ Christi à divino corpore separationem, diabolus autem in deserto sejunctionem divinitatis ab humanitate.

XLIII.

XLIII. Si itaque Christus majorem sensit pœnam & cruciatum in tentatione, quàm in crucifixone, facilis superest resolutio ad secundum principale dubium; unde suum habet principium bulla sanctissimæ Cruciatæ, à Christi morte in cruce, aut à tentatione ejus in deserto? Dicite mihi ò docti, quid est bulla sanctissimæ Cruciatæ? quantum ad præsens vos mihi respondetis cum S. Thoma: *Bulla seu Indulgentia est thesaurus Ecclesiæ, & actus jurisdictionis spiritualis, quo relaxantur pœnæ debitæ pro peccatis.* Bulla hæc thesaurus est Ecclesiæ, in quo recluduntur omnes passiones, labores, tormenta & mors Christi Domini nostri, cum meritis matris ejus & omnium sanctorum cœli. Quandoquidem igitur Christus majorem subiit pœnam & angustias graviores in tentatione, quàm in crucifixione; consequenter dicendum est, quòd licet bulla Cruciatæ essentialem à morte Christi dependentiam habeat, originem nihilominus ducat à tentatione in deserto.

XLV. At pater, si Christus tot tantosque pro nobis subiit mærores atque angustias, tam in deserto per tentationem, quàm in cruce per mortem; ad quid igitur bulla? priusquam respondeam, Christum hodie præ fame ferè mortuum recordor: *postea esuriit*; sit itaque vobis recommendata eleemosyna pro Christi pauperibus, dum interim ego respiro.

PARS SECUNDA.

XLV. Domini mei intelligite; potestisne dicere, quando sit futurus judicii dies? respondebitis; *De die illo nemo scit, neque filius hominis*, ast nunquid aliquam ejusdem habere poterimus conjecturam? quando prædicatores discurrunt de judicio, apertum monstrant infernum, resque adeo proponunt terribiles, ut ipsos ferme etiam Angelos in horrorem coniiciant. Ego in substantia non asseram aliud, nisi quòd universale judicium sit in nostra manu situatum; & sicuti homo est prima & principalis causa omnium istorum horribilium eventuum, qui in fatali isto die accident; ita & homo, si vult, impedire, poterit, ne unquam sibi obtingat judicium.

XLVI. Resumo objectionem; Si Christus tantos pro nobis exantlavit mærores & angustias, in deserto per tentationes, & in cruce per mortem, & insuper tot instituit sacramenta; quorsum igitur bulla sanctæ cruciatæ? audite; bulla ista *est Thesaurus Ecclesiæ, quo qui bene usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Bulla sanctæ Cruciatæ est thesaurus Ecclesiæ sanctæ, continens in se superabundantia Christi, Mariæ Virginis, omniumque Paradisi sanctorum merita. Si autem nosse desideratis, quid sit iste thesaurus, respondeo cum S. Thoma; *Est actus jurisdictionis spiritualis, quo relaxantur pœnæ, debitæ pro peccatis*: ut intelligar ab omnibus, ita meum explico sensum. Duplex est in peccato mortali reatus; alter culpæ (illa scilicet macula, quæ nos Dei inimicos constituit) pœnæ alter, qui contrahitur per peccatum. Reatus culpæ directè non remittitur per bullæ virtutem; sed requiritur sacramentum pœnitentiæ, virtute cujus, reatus pœnæ æternæ transmutatur in temporalem. Quando summus Pontifex, ad intercessionem Catholicæ Majestatis regis Hispaniæ, thesaurum hunc fidelibus dispensat, tunc non modò tota remittitur pœna, peccatis nostris debita; sed ipse insuper Deus contractum quendam confirmat manu propriâ, seseque

Marginal notes: 1. Cor. 2. 8. — Crucifixio Christi à exaltat. — Resol. probl. — *Sap. 7. v. 14.* — *2. in peccato reatus.* — Deus cōtrahit cū portante bullam.

que obligat ad dandum non modo centum pro duobus, sed tantum quantū volueris; at cui se Deus obligat per dictum contractum? scitisne cui? duos eroganti regales. Uter autem magis remanet obligatus; à quo recipit bullam; an verò Deus homini, qui duos expendit regales?

Probl.

XLVII. Dubium hoc, inprimis grave, subitò me impellit & inducit, ut declarem istud, quod communi passim ignorantium ore circumfertur. Quid dicit vulgus? pater, ergo indulgentiæ venduntur? nonne melius esset, si bulla daretur gratis? aut nunquid ad minus satius & consultius foret, si dicti duo regales insumerentur in beneficium pauperum? pro responso insignem quendam audite sacræ scripturæ textum. Consistente quondam Christo Domino nostro intra ædes Simonis supervenit Magdalena, vas secum deferens unguenti, ut ungeret pedes ejus; quod obsequium ut vidit Judas, mox indignatus, objecit: *Vt quid perditio hæc? poterat unguentum istud venundari & dari pauperibus.* Quæ hæc prodigalitas? nonne satius fuisset unguentum istud vendere, & comparatam inde pecuniam distribuere inter pauperes? Non, dicit Christus, sed *bonum opus operata est in me*; Magdalena optimè fecit, ideoque volo unguentum istud asservari in diem mortis meæ: *Sinite, ut in diem salutis meæ servet illud; pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ad benefaciendum pauperibus, aliæ sese offerent occasiones. Quis hæc non admirabitur? an non igitur ô Domine eleemosynæ virtus plurimum & sæpe sæpius à te nobis commendata fuit? ita; quomodo igitur modò potius vis, pecunias adhiberi in beneficium tui exanimis corporis, quàm in subsidium pauperum?

Cur duo dentur regales.

Marc. 14. v. 4. v. 5.

v. 6.

v. 7.

Respondet Christus; quod datur pauperibus, mihi vivo exhibetur; volo autē insuper, ut & mortuo corpori meo servitium præstetur; quia non volent Iudæi sepelire corpus meum, sed & insuper oblivione delere nomen meum, dicentes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius.* Volo ut in die mortis meæ, pio obsequio foveatur corpus meum, in exaltationem Ecclesiæ sanctæ. Accommodam audite applicationem. In Turcia mortuus fuit Christus, quia autem inibi infidelitas fidem sepelivit Christianam, Rex Catholicus in Turcia bellum gerit contra infideles, quod ut felici successu continuetur, supplicavit Sanctissimo Domino pro subsidio. Pontifex petitioni adeo piæ annuens, thesaurum aperuit Ecclesiæ sanctæ, bullamque hanc suis dispensavit fidelibus, cum hac tamen conditione, ut nemo ejus particeps fiat, nisi duos det regales in subsidium belli contra infideles. Est autem multò melius, magisque expediens, ut pecunia ista pro bulla erogetur, quàm ut inter pauperes distribuatur; quia pauperibus subveniri potest in diversis aliis occasionibus, at exaltationi sanctæ fidei nunquam opportunior deserviet occasio, quàm præsens.

Ier. 11. v. 19

In Turcia Christus obiit.

XLVIII. Atque eo quidem libentius magisque voluntariè debet unusquisque dictos duos dare regales, quò certior est, totum hujusmodi donum in singularem cedere totius Christianismi utilitatem. Sed quomodo? audite: post sacrilegam Christi Domini venditionem, impius Judas, pœnitentiâ ductus, *retulit triginta argenteos in templo.* Congregati itaque Satrapæ & principes, consilio præhabito, quid de ista pecunia facien-

Quam utiliter pecuniæ dētur pro Bulla.

Matt. 27. v. 3.

faciendum foret, concluserunt tandem, dicentes: *Non licet mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est*; quomodo itaque impensa fuit dicta pecunia? *Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Quare potius pretio sanguinis Christi ager comparatus fuit in sepulturam peregrinorum, quàm alterius populi? Sepultura denotat quietem, peregrini autem sunt Christiani: *Peregrinamur in hoc sæculo.* Pretium itaque sanguinis *in sepulturam peregrinorum* impensum fuit, id est, in seu ad quietem Christianorum. Quando quiescunt Christiani? quando oppugnantur infideles, ibidemque vexillum erigitur fidei Christi; duobus itaque regalibus, quos pro bulla expenditis, quietem vobis comparatis.

v. 6. — v. 7. — 1. Cor. 5. v. 6.

XLIX. Non solam autem vobis acquiritis quietem, sed, ut paulo ante dixi, dum bullam accipitis, proque ea duos erogatis regales; tunc Deus quendam vobiscum init contractum, vi cujus se manu propriâ obligat, se daturum vobis non modò centum pro duobus, sed etiam quantum volueritis. Attendite probationi, quæ in promptu adest. Moribundus senior Tobias, suum ad se accersit filium, cui, post multa egregia data documenta, tandem in fine subjunxit, dicens: *Indico tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti Gabelo, & chirographum illius apud me habeo, quod, dum illi ostenderis, statim restituet.* Scias fili mi, Gabelum decem talenta à me accepisse mutua, qui mihi propterea contractum fecit obligatorium, suâ firmatum manu; non erit necessum, ut eum ad judicium provoces, aut solutionem violenter extorqueas, aut executoribus eum divexes; sed hanc duntaxat ei perhibe scripturam, moxque tibi, sine ullo justitiæ rigore, totam pecuniam restituet. Chirographum hoc bulla est, pro qua si duos dederitis regales, cui eos erogatis? Deo; quia Deo offeruntur in subsidium belli, inque defensionem Ecclesiæ sanctæ; tunc igitur vos actum bullæ fundatis cum Deo; & Deus in eodem tempore sese obligat, ad dandum vobis centum pro duobus, imò quantum volueritis. Ecce vobis auctoritatem S. Petri Chrysologi, verè auream: *Si homo homini, exiguæ chartulæ obligatione constringitur, cur Deus tot ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non existet?* Si homo sese obligat homini, per folium, imò per particulam chartæ, quidni dicemus Deum nobis obligatum manere in virtute tot bullarum?

Tob. 4. v. 21. & 22 — S. Chrysol.

L. Forsitan autem vos duorum istorum regalium, quos tanquam capitale in actum bullæ impenditis, jacturam facere existimatis? minimè equidem; imò totum capitale vobis reservatur in cœlo. *Emite absque argento,* dicit Dominus apud Isaiam, *& absque ulla commutatione vinum & lac.* Quidquid vobis placuerit, comparate, sed sine pecunia. O inauditum comparandi modum! quotidie equidem videmus res sine pecunia dari, aut sine pecunia mutuari; sed impossibile est, res sine pecunia comparari aut vendi. Respondet S. Bernardus, quòd licet ad obtinendam plenariam indulgentiam, duos expendamus regales, nihilominus certi sciamus, pecuniam istam non perdi, sed nobis ipsis reservari in cœlis; ecce vobis ipsissima sancti Patris verba: *Absque argento gratia emitur, quia totum quod pro ea datur, nobis in cœlo melius retinetur.*

Isa. 55. v. 1. — S. Ber. ser. 2. de resurr. Dom.

LI. Neq;

LI. Neque hoc duntaxat, ſed & inſuper Deus homini magis obligatus manet propter duos regales, quàm homo Deo propter bullam; in cujus aſſerti probationem, nolo quidquam aſſerere aliud, præterquam quod in effectu contigit. Venit V. G. quiſquam ad confeſſionalem ſedem, mihique dicit? pater, habeo caſus, non modò Ordinario, ſed & ſedi apoſtolicæ reſervatos. Quid conſilii? fili mi habeſne contractum cum Deo? pater, habeo bullam cruciatæ; Itane, bullam poſſides? illa eſt quidam contractus, vi cujus ſummus pontifex in perſona Dei, tribuit mihi confeſſario, per Ordinarium approbato, ſolvendi tibi cenſum duorum regalium; quid igitur petis? abſolutionem à caſibus reſervatis? *Ego te abſolvo &c.* Venit alius & dicit: pater ego ſum excommunicationi innodatus, *à jure vel ab homine* latæ, ſatisfeci parti; quid remedii? habeſne bullam Cruciatæ? ita pater; *Ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis &c.* Pater, dicet alius Eccleſiaſticus, violavi cenſuram Eccleſiæ, ideoque incidi in irregularitatem, ſumque impotens meum exequi officium, quid remedii? habeſne bullam? habeo; ecce igitur initum cum Deo contractum: *Ego diſpenſo tecum ſuper irregularitatem, in quam incuriſti &c.* Accedit alius & ait: pater ego anno præterito (neſcio utrùm ex devotione, utrùm ex animi inconſideratione) votum feci tot diebus jejunandi in ſeptimana, adeundi pedibus nudis talem Eccleſiam, orandi tot & tot coronas; modò autem tot implicor continuò negotiis, ut nequeam executioni mandare, quæ vovi; quod datis remedium? obtinuiſti bullam Cruciatæ? ita pater. Salva res eſt, in virtute itaque dictæ bullæ, commuto tibi votum aut vota tua, in talia & talia pietatis opera. Lamentatur alius: Pater, non poſſum manducare piſces, optarem per quadrageſimam frui lacticiniis; quid remedii? bullam habes? ita pater. Do itaque licentiam edendi lacticinia, *ſervata forma jejunii.* Pater, dicet alius, ad reſtitutionem magnæ cujusdam ſummæ obligor, neſcio autem perſonas quibus, hæc facienda eſt; quid conſilii? Bullam tibi acquiſiiſti compoſitionis? ita pater. Itaq; *ego te abſolvo &c.* O Chriſtiane bullâ frueris ſanctæ Cruciatæ? conſerva eam in pectore tuo, tanquam theſaurum cœleſtem; ſi autem necdum eius beneficio gaudes, vade, accipe eam, ſecurusque eſto de gratia.

Valor & effectus Bullæ.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

DIE LUNÆ POST DOMINICAM I. Quadrageſimæ.

DISCURSUS

De horrendis eventibus in Die finalis judicii; in quo lætus comparebit omnis charitativus in vivos; lætior ille, qui liberalis in mortuos; lætiſſimus omnium, qui miſericors fuit ſibi ipſi.

Cum venerit filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes. Matth. 25. v. 31. & 32.

PROBLEMA

Uter Chriſti adventus majorem nobis timorem incutere debeat & terrorem; an ultimus judicii univerſalis, quando iracundus mortis ſententiam laturus adveniet; an vero primus, quando idem ille Chriſtus, totus venit benignus, ut millena nobis vitæ bona conferret?

Tandem autem ad omnium conſolationem concludetur, eſſe in libera uniuſcujusque, noſtrum poteſtate, ſi volumus, ut judicium univerſale nobis obveniat, aut non?

INTRODUCTIO.

I.

S. *Aug. ſer.* 109. *de temp.* DIvinarum ſcientiarum archivium, S. Auguſtinus, pater meus, agens ex inſtituto de judicio univerſali, grave adeo dubium movet, ut neſciam ſi melius potuerit proponi aut acutius reſolvi. Ego, inquit S. Doctor, ſcire percuperem; quare univerſale judicium tribus in anno vicibus commemoretur in Eccleſia ſancta, cùm tamen reliqua omnia Chriſtianæ fidei myſteria ſemel tantum quolibet anno repræſententur? Nativitas Chriſti unâ duntaxat vice exhibetur in feſtis natalitiis; paſſio ſimiliter & mors Chriſti in una tantùm hebdomade ſancta, reſurrectio ſemel tantùm in paſchate; judicium autem univerſale, non unâ aut duabus, ſed tribus in anno vicibus exhibetur. Primò enim in Dominica 24. poſt Pentecoſten, mentio fit judicii: *Cum videritis abominationem deſolationis*; in prima Dominica Adventus pariter repræſentantur horrenda univerſalis

Cur tertio per annum fiat judicii mentio

§. 2. Matt. 24. v. 15.

salis judicii signa; *Erunt signa in sole, luna & stellis.* Hodie quoque idem exprimitur fatalis Dies: *Cum venerit filius hominis.* Quare itaque, inquit S. Augustinus, omnia Christianæ fidei mysteria semel duntaxat memorantur in anno, judicium autem universale toties?

Luc. 21. v. 25.

II. Pro responsi intelligentia, aliud ego vobis Dubium propono & quæro. Quod est peccatum omnium gravissimum, quod humana potest perpetrare fragilitas? David asserit, quòd negatio Dei peccatum sit ignorantium: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus;* negatio autem judicii, delictum impiorum: *Propter quod irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret.* Quare negatio judicii majus est peccatum, quàm negatio Dei? respondeat S. Hieronymus: *Si mente cernerent homines, quale judicium imminet mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculi.* Si homo toto animo contemplaretur diem illum fatalem, sine dubio omnem solicitè caveret offensam Dei; omnia itaque humanæ fragilitatis peccata originem trahunt ex eo, quòd non consideretur judicium; quia igitur, inquit S. Augustinus, Ecclesia vult ut ab omnibus defectibus semper remoti simus, ideo tertiam quolibet anno ingerit judicii mentionem; *Propterea toties se judicem fore venturum minatur, ut non inveniat, quos puniat, cùm venerit.*

Ps. 13. v. 1.

Ps. 10. v. 13.

Negatio judicii crimen maximum.

III. Ast si Deus ille, qui in ultimo judicii die venturus est, idem ille Christus est, qui ante in incarnatione apparuit; uter adventus majorem nobis terrorem & pavorem incutere debet; an ille ad judicium universale, quando Christus totus iracundus, mortis sententiam adversum nos pronunciabit; aut verò primus, in quo idem Christus summa apparuit cum benignitate, millena nobis præter vitam collaturus bona? Id ipsum primo loco examinabimus, postea discussuri, ad communem omnium consolationem, qualiter in die illo fatali lætus sit compariturus omnis in vivos charitativus, lætior qui beneficus in mortuos; lætissimus omnium, qui sibiipsi exstiterit eleemosynarius; placeat tibi ô æterna Majestas Deus, *qui das verbum Evangelizantibus virtute multa,* placeat tibi, singularem mihi hodie impertiri spiritum & robur, ut Auditorum meorum cordibus ultimos tremendi illius judicii eventus imprimere valeam. Vosque ô mortales, coram quibus hodie de judicio discurro, vestrum omnes suspendite judicium, meque in silentio auscultate: incipiamus.

probl.

IV. *Cum venerit filius hominis.* Christus itaque, qui semel venit per incarnationem, ut omnibus nobis mortalibus vitam conferret, revertetur in judicio finali, ut morte mulctet peccatores? Ita; ast quæ inter unum & alterum adventum mediat differentia? audite comparationem. Si in primo adventu in forma venit Salvatoris (*Ecce rex tuus venit tibi Sion justus & Salvator*) in secundo figuram induet tremendi judicis: *Quoniam venit judicare terram.* Si in primo venit tanquam mitis mutusque agnus (*Tanquam Agnus coram tondente se obmutescet*) in secundo veluti furibundus irrruet leo; *Tanquam leo rugiens, quis non timebit?* Si in primo venit, ignem seminaturus amoris (*Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat?*) in secundo veniet, iræ atque indignationis flammas dispersurus; *Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Si in primo venit, cum mille bonis impertiturus vitam (*Veni ut vitam habeant & abundantius habeant*) in

Comparatio inter utrumque adventum.

Isa. 62. v. 11.

Ps. 95. v. 13.

Isa. 53. v. 7.

Amos. 3. v. 8.

Luc. 12. v. 49.

Ps. 96. v. 3.

Ioann. 10. 10.

secundo

secundo veniet, improbos præcipitaturus in infernum: *Ite maledicti in ignem æternum.* Si hæc est veritas, uter itaque adventus majorem Christiano timorem terroremque incutere debet; an ultimus judicii, quando Deus ingruet indignatione plenus, ad æternum nos ignem condemnaturus; an verò primus, quando totus apparuit benignus, tum gratiâ tum mille nos aliis bonis locupletaturus?

Matth. 25. v. 41.

V. Ut huic difficili admodum problemati respondeamus, plura occurrunt consideranda. Primò, quid facturus sit supremus judex in die illo fatali? deinde quo fine instituendum sit judicium adeo publicum? tertiò, quandonam executioni mandanda sit justitia, admodum rigorosa? quartò, quinam eventus occurrent in hujusmodi spectaculo? tandem, quæ sit omnium istorum origo horrorum? Discutiamus primum: quis in isto lacrymarum die futurus est judex? clarè eum nobis Evangelista exhibet, dum ait: *Cum venerit filius hominis:* erit ipsemet majestate plenissimus Deus, in figura humana. Heu mihi! igitur idem ille Deus, qui in mundum veniens, factus est homo, ut nobis vitam daret, idem ille in judicium procedet ut nobis inferat mortem? Itaque Deus ille, qui pro nobis judicatus fuit ut homo, idem secundâ vice veniet hominem judicaturus in forma hominis? Igitur ille Jesus, qui noster fuit, Salvator totum suum pro nobis effundens pretiosissimum sanguinem, inque cruce moriens; idem ille contra nos in judicio vindictam urgebit, nosterque severus existet judex? quomodo? exclamat magnus Thomas de Villa nova: *Ergo habebo judicem, quem habui redemptorem.*

Quis Judex.

S. Th. Villa.

VI. Difficilius multò est Dubium subsequens, quo scilicet fine instituendum sit judicium universale? difficultas consistit in eo; quia nimirum tribus in judiciis destinati sunt inimici Cœli. Primò quidem dum vivunt in hoc mundo; secundò, quando moriuntur & anima separatur à corpore; tertiò tandem, in illa generali citatione, quando secundum animas & corpora sua damnati fuerint ad infernum. Dum homo vivit, inque peccato degit; moritur gratiæ & veluti in inferno agit sub miserrima dæmonis servitute; dum moritur, animâ corpus deserens & ad Dei tribunal confestim abducta, ab eodem Deo tanquam in judicio particulari, ad gloriam admittitur aut ad pœnas damnatur; neque hæc sententia, possibile est, ut revocetur unquam; quo igitur fine, de novo ad judicium generale animæ citantur cum corporibus, si jam multo ante tempore judicium subiêre & condemnationem? *Adquid, alterum generale judicium?* exclamat uterque S. Thomas, scilicet Angelicus & Archiepiscopus Valentinus, *si jam post mortem per judicium particulare est judicatum*; ad quod D. Thomas ita respondet. Post mortem homo judicatus fuit tanquam persona particularis, & duntaxat quò ad animam; in die autem ultimo judicabitur ut membrum humanæ Reipublicæ, & non modò quò ad animam, sed etiam quo ad Corpus; ita ut pœna illa, quæ in primo judicio cæpit, in secundo sit consummanda: *Et pœna, quæ ante judicium universale inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur.*

Cur judicium fiet publice.

D. Th. p. 3. q. 88. a. 1. in resp. ad 1.

VII. Magnus pater pauperum, gloriosus S. Thomas de Villa nova, aliud quoque urgens admodum responsum tradit, dum inquit: Virtus non modò præmium, sed & honorem meretur, imò honor est proprium & debitum virtutis præmium; ita quoque peccato non sola est infli-

S. Th. Vill. conc. 1. de jud.

infligenda pœna, ſed in majus ſupplicium confuſio illi ſuperaddenda eſt & ignominia. Ecce vobis ipſa S. Præſulis verba: *Oportet igitur ad perfectam & integram juſtorum remunerationem & malorum retributionem, ut, ſicut felicitatem juſtorum honor comitabitur & gloria; ita iniquorum miſeriam confuſio ſequatur & pudor. Quod ſi in ſecreto fieret retributio, non modica retributionis pars deeſſet utrisque.* Tam prima, quam ſecunda reſponſio optima eſt, noſtro pleniſſimè ſatisfaciens dubio.

Judicium vicinum. VIII. Sed quando neceſſarium adeo judicium erit, quando incipiet? quando? adeo quidem vicinum eſt, ut judex ipſas civitatis hujus portas concutere videatur; Si mihi non creditis, fidem præſtate Scripturæ ſacræ. *Matth. 24. v. 3.* Interrogavêre quondam Apoſtoli Chriſtum: *Quod ſignum oſtendis nobis adventus tui & conſummationis ſæculi?* Quod habemus indicium, quando futurum ſit judicium univerſale? quibus Chriſtus; ecce vobis infallibile fatalis iſtius diei ſignum: *Ejus ſigna. v. 12.* *Cum abundabit iniquitas & refrigeſcet charitas, tunc incipient iſta fieri.* Audis ô Chriſtiane? *Cum abundabit iniquitas.* Quæ hodie non dominantur in mundo flagitia? & quod caput eſt, ubi charitas proximi? quale eſt ſignum? eſt certum ſignum, judicem civitatis portis imminere.

Antichriſtus venit. IX. Pater, maximè manifeſtum judicii finalis indicium eſt nativitas Antichriſti; usque modò autem nihil nobis conſtat de iſtiusmodi monſtri exiſtentia. O utinam, non eſſet in mundo Antichriſtus ô utinam Deo huic crucifixo placeret, quòd unicus tantummodo Antichriſtus natus eſſet! Quid eſt Antichriſtus? idem, quod inimicus ſeu contrarius Chriſto. Nonne omnes in mundo peccatores ſunt capitales inimici Chriſti? Hic uſurarius, ille concubinarius, iſte Eccleſiaſticus, qui vel luti aut peius fortè vivit quàm ſæcularis, quo nomine nuncupandus eſt? Antichriſtum appellate eum.

X. Aſt quid faciet in judicio Antichriſtus? *Dabit ſigna & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* *Matt. 24. v. 24.* Operationes exequetur adeo horrendas, ut ipſimet etiam prædeſtinati, ſi poſſibile foret, in diſcrimen forent adducendi. *Qui eſt filius peccati.* O Deum immortalem! ſi vel ipſis prædeſtinatis in judicio non erit ſecuritas, quid de peccatoribus? Sed unde Antichriſtus tantam habebit vim & efficaciam, ut etiam ipſos electos ſit in periculum conjecturus? S. Paulus Antichriſtum deſcribens, dicit, quod *eſt homo peccati;* *2. Theſ. 2. v. 3.* non modò quia totus ex peccato compoſitus erit, veluti ex materia; ſed quia eò pertinget iniquitatis, ut poſt crudelitatem atrociſſimam in terra exercitam, ſe ſupra ipſum Deum elevare præſumpturus ſit: *Extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus.* *Ibid v. 4.* Subſiſtite mecum. Quando erit judicium? quando comparebit Antichriſtus; quid eſt Antichriſtus? *Homo peccati.* Conſummato itaque peccato, incipiet judicium. *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem.* *Iacob. 1. v. 15.* Quis noſtrum eſt ſine peccato? nullus; omnes itaque in judicio ſumus, *& ſecundum præſentem juſtitiam* ad infernum condemnati.

XI. Sed pater, ſi Chriſtus nobis indicia certa aſſignat imminentis judicii, quomodo itaque juxta Evangeliſtas, *de die illo nemo ſcit, neque filius hominis?* *Marc. 13. v. 32.* creditiſne, An Chriſtum latere diem & horam finalis judicii? *An Chriſtus neſcit diem judicii.* ſi illi pater æternus plenariam dedit poteſtatem, mundum judicandi univerſum (*Pater non judicat quemquam ſed totum judicium dedit filio*) *Ioa. 5. v. 22.* quidni certiſſimè novit diem, horam, imò & ipſum momentum judicii inſtituendi? Quomodo itaque aſſeritur; *De die illa nemo ſcit, neque* *Nuzza.*

que filius hominis? quia Christus nescit diem judicii ad revelandum, quia si revelaret, inquit pater Nuzza, *homines morerentur præ timore.* In die illo fatali, horrendi adeo accident casus & eventus, ut quasi ipse etiam Deus istos scire nollet,

Judicium terret dæmonem.

XII. Tanto terrore pleni erunt successus istius judicii ut nulla non persona, tam in cœlo & terra, quàm in inferno existēs, vel solo audito judicii nomine, sit atterēda, incipimus ab inferno. Quare diabolus, tempore exorcismi, se præcipitē agit in terrā, cur ore spumat, cur tot⁹ timid⁹ contremiscit? quid tibi est ô maligne Spirit⁹? Patres Ecclesiastici, quomodo finiūtur orationes exorcismi? audite, quomodo terminentur: *Qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.* Audiens dæmon, Deum processurum ad finale judicium, ut cum vivis judicet mortuos, totumque mundum æternis expurget flammis, tanto obruitur terrore, ut ferendo impar, prosternatur; unde Tertullianus inquit: *Interminabilis illius diei judicio territus timet, & ad ignis æterni memoriam pertimescit.*

Tertull. li. de Resurr.

XIII. Relinquamus diabolum in inferno. Quis sanctior exstitit Jobo, quem Deus ipse canonizavit? Tantâ ipse pollebat justitiâ, ut de seipso diceret: *Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.* Nihilominus in consideratione judicii, *quis mihi tribuat*, inquit, *ut in inferno protegas me & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Videte; Job vir sanctissimus, eligit potius in inferno abscondi, quàm iratum Dei vultum sufferre in judicio; quemadmodum in persona Jobi sanctus Chrysostomus discurrit, inquiens: *Maluerim infinita fulmina sustinere, quam adiratam Dei faciem adversantem videre.*

Iob. 13. v. 18.

Iob. 14. v. 13.

S. Chrys. ho. 47. ad popul.

XIV. Nunquid S. Joannes in matris utero sanctificat⁹ fuit? ita: *Ex utero matris meæ vocavit me Dominus nomine meo.* Nunquid sine omni peccato vixit? Ita: *Ne levi saltem maculare vitam.* Nunquid fuit omnium sanctorum maximus? utique: *inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ.* His non obstantibus quid fecit? puer fugit in solitudinem: *Antra deserti teneris sub annis.* Quare? audite S. Chrysostomum: *Sciebat Ioannes Christum esse venturū, & ideo voluit se in deserto latere.* O Deum! puer sanctus adventum Christi totaliter benigni sufferre nequiit, quid igitur faciet peccator in advētu Christi indignati & iracundi?

Isa. 49. v. 1.

Matt. 11. v.

Cur Joa. B. fugit in desertum.

XV. Angeli Spiritus beati in judicio totaliter hærebunt attoniti: *Virtutes cælorum movebuntur*: quare? respondet S. pater meus Augustinus: *tam terribile erit judicium, ut etiam ab Angelis timeatur*; & alibi: *Cum genus humanū judicabitur, etiam cœlestes ministri pavebunt, & de terribili judicii apparatu, horrendâ formidine contremiscent.*

Matt. 24. v. 29.

Angeli judicium horrebunt.

Ser. 130. de temp.

XVI. Vultisne, horribiliora eloquar? magna Dei mater, ab omni etiam originali immunis peccato, quare in valle Josaphat tumulari elegit? causam sequentem Bernardus assignat; id scilicet ideo factum, ut omnes nos disceremus, universale illud judicium tanto fore plenū terrore, quem irati judicis aspectus causabit; ut illa potius eligeret inibi manere in sepulchro mortua, quàm in rigoroso judicio comparere viva: & nihilominus hæc est ipsa magna Dei mater.

Cur Maria in valle Josaphat sepulta.

XVII. Usque modò nimis exilia dixi; ipse Christus, qui judex erit, considerans se totum Christianum judicaturum, expavescit & copiosum sudat sanguinem. Existens Salvator in horto Gethsemani, ad patrem conversus, ait: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; ne vobis persuadeatis, Christum tunc temporis mortem recusasse, quin potius semper

Christus sanguinem cursudarit.

Matth. 26. v. 39.

mortem concupivit. Quid ergo requirebat? audite. Gethsemani erat in monte Oliveti, cujus vallis erat vallis Josaphat, in qua fatale peragetur judicium; cùm itaque Christus hoc loco consisteret, ita secum ipse discurrere cæpit. Hoc in loco ego modò effundo meum pro homine sanguinem; ast in eodem pariter loco, quot aliquando à me ad infernum animæ condemnabuntur? O pater æterne, *transeat à me calix iste*; vel hæc unica cogitatio se solâ sufficiens est, ut me perimat. Quâ de causâ factum fuisse existimatis, ut Christus in cruce languens, postquam suam patri animam recommendasset, subitò *inclinato capite tradiderit spiritum*? Elevarat in cœlum oculos, cùmque in forma judicis indignatū adeo contra peccatores, Patris sui vultū observasset, horrendo nimis obtutu perterrit⁹, eiq; sufferēdo impar oculos suos terrā vers⁹ inclinavit, subitòq; exspiravit, Audite D. Augustinum: *Inclinato capite tradidit spiritum, quia hanc pœnam videndi Deum adiratum, damnatis reliquit.*

Ioan. 19. v. 30.

D. Aug. in Enchir.

XVIII. Quid itaque particulare occurret in judicio, quid tantum ipsimet Christo terrorem incutiet? vel nunc ad unum omnes præ horrore exanimemini. Primò totus mundus cælestis & elementalis incineratus videbitur atque consumptus; corpora cœlestia eclipses patientur, suis exuenda splendoribus: *Sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cœlo cadent.* Angeli omnes, tam boni quàm mali in destructionem conspirabunt peccatorum: *Virtutes cœlorum movebuntur.* Absumpto mundo, omnes in momento resurgent mortui, cum ipsius stupore mortis: *Mors stupebit & natura; cum resurget creatura, judicanti responsura:* Omnesque resuscitati in vallem convenient Josaphat. Archiducem ager S. Michael Archangelus cum regali sanctæ crucis vexillo, cui innumerabilis succedet cælestium spirituum exercitus, horum vestigia prement homines justi & prædestinati, Judici supremo associati, qui augustissimum conscendet inter nubila thronum; agmen claudent infelicissimi peccatores cum divinæ justitiæ instrumētis, omnes compræhensi, omnes ligati & conducti à dæmonibus. Ut primum tota hæc multitudo in locum judicii advenerit; dispositis sedibus, tribunale conscendet supremus judex; liber vitæ & mortis aperietur judiciumque inchoabitur,

Totus mundus incinerabitur.

Matth. 24. v. 29.

XIX. Sed quinam omnium primi examinabuntur? Respondet S. Petrus: *Incipiet judicium à domo Dei.* Primi erunt Angeli & Spiritus beati: *Timebunt Angeli & territi purgabuntur.* Post illos examinabuntur omnes sancti, justi & electi; circa quid? Respondet in persona Dei regius psaltes: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Justitiæ trutina in judicio ipsam discutiet sanctitatem & justitiam. *Heu mihi*, exclamabat S. Bernardus: *Si justitias judicabit, quantò magis injurias?* Si Deus cum tanto rigore, justitiam, virtutem atque opera bona ponderabit, quid faciet de offensis & injuriis.

1. Pet. 4. v. 17.

Iob. 41. v. 16.

Ps. 74. v. 3.

XX. Ab his convertamur ad impios, rigorosum contemplaturi, non Gentilium, non Paganorum, non Turcarum, non Mororum, non Hæreticorum, non Judæorum; sed perversorum Christianorum examen. Quam circa rem hi primò examinabuntur? S. Matthæus ad hoc respondet, dum ait: *De omni verbo otioso reddent homines rationem in Die judicii.* Quæ Verba S. Ambrosius ita subsumit: *Si pro verbo otioso ratio exposcitur, quanto magis pro verbo impuritatis & turpitudinis?* Si Deus tam severus verborum otiosorum

Matt. 6. v. 37.

futu-

futurus est judex, quid statuet de verbis scandalosis? de verbis lascivis, detractoriis & blasphemis? Si Deus insurget adversùs dicta & verba, quidni væ operibus malis?

XXI. Hic mihi spiritus deficit & vita; quare? quia Deus strictissimam exiget rationem omnium beneficiorum Christianis præstitorum; quæ tamen ipsi Christiani, per divinorum præceptorum observantiã, recompensare neglexerunt. Juxta hodierni Evangelii textum, in isto iræ, indignationis & vindictæ die judex comparebit in forma humana in throno de nubibus: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus.* Quid denotant nubes? divinam misericordiam: *Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis mei inter me & terram.* Compariturus itaque judex in ultimo illo die, in throno nubium, in throno veniet misericordiæ. O Deum! quis hæc audiens, præ doloris cruciatu non exanimabitur? putatisne, Deum in throno compariturum misericordiæ, ut aliquam in vos pietatem exerceat? fallimini; augustum misericordiæ thronum in die illo conscendet Domin9, ut eadem cum misericordia Christianos malos ad mortem condemnet perpetuam. Audite notabilem afferti hujus probationem. S. Joannes Evangelista in raptu constitutus, visis horrendis judicii signis, testatur, peccatores omnes atterritos nimiumq; pavidos, partim hàc, partim illàc devolvendos in fugam, & ad saxa montesq; conversos, dicturos: *Cadite super nos & abscondite nos ab ira Agni, quoniam veniet dies magnus iræ, & quis poterit stare?* O saxa, ô petræ, ô montes devolvamini super nos & abscondite nos ab ira & furore agni irati; appropinquavit enim magnæ vindictæ dies, & quis sustinere poterit? O infantilem timorem! ira Agni?

Matt. 24. v. 30.

Cur judex in Throno nubeo.

Gen. 9. v. 13.

Nubes Symbolum misericordiæ.

Apoc. 6. v. 16.

dentibus caret agnellus, quibus mordeat; armis, quibus offendat; quomodo itaque peccatores in judicio iratum expavescent agnum? quem arbitramini hunc esse agnum, lupis rapacibus, peccatoribus adeo formidabilem? Christus erit, qui & in nativitate & in vita & in morte sua, mansuetum semper se perhibuit agnum; in nativitate: *Ecce agnus Dei*; in vita: *Ipsum sequuntur agnum omnes animæ justæ*; & tandem in morte: *Tanquam agnus innocens, ductus ad victimam.* In judicio itaque rei comparebunt peccatores, & immaculatus agnus Christus, qui venerat in mundum, omnibus nobis daturus vitam, tunc videbitur iratus, ut mulctet reos morte? Ita sanè; quis autem poterit cruciatum sufferre adeo horrendum? quis sustinebit, ut ab eodem ad ignes condemnetur æternos, qui in mundum venerat, ut omnes & singulos coronaret in gloria? *Intolerabilis dolor est,* inquit S. Cæsarius, *si quis causas mortis incurrat, unde vitæ gaudia comparare potuisset.*

Ioan. 1. v. 29.

Apoc. 14. v. 4.

Ier. 11. v. 19.

S. Cæsar. ho. 5.

XXII. In eo tamen principalis dubii ratio non consistit. Christus ille, qui in nativitate, vita & morte sua mansuetum egit agnum, in judicio ferociam induet truculentissimi leonis, conformiter illi prophetiæ Amos: *Quasi leo rugiet, & quis non timebit?* id quod Jeremias clarius expressit, dum ait: *Dominus de excelso veniet, & quasi rugiens rugiet;* rugitus autem leoni est proprius. Quare itaque peccatores plus horrebunt Christum ut agnum, quàm ut leonem? Ecce vobis responsum præsens. Beneficia à Christo tanquam agno collata, pœnas provocabunt & supplicia, quæ ipse Christus reis infliget, tanquam leo; judicii supplicia orientur ex beneficiis contemptis & minimè agnitis cum observantia legis.

Amos 3. v. 8.

Ier. 25. v. 30.

XXIII.

XXIII. Quod quàm clarè scriptura sacra attestetur, audire non dedignemini. Idem S. Ioannes Evangel. qui judicii rigores describit, commemorat inter cætera; judicem in illo ultimo die, gladium in ore suo portaturum, utrâque parte acuminatum: *Et de ore ejus exibat gladius, ex utraque parte acutus.* (Apoc. 1. v. 16.) In dextra septem circumferet stellas: *Et in manu dextra septem stellas* (v. 16.); veste indutus sacerdotali: *vestitum podere* (v. 13.); medius inter candelabra: *Et in medio septem candelabrorum aureorum, vidi similem filio hominis.* (ibid.) Sancti patres Geminianus, Petrus Damianus, Zeno & Lauretus, per gladium, utrâque parte acutum, Spiritum sanctum intelligi posse asserunt, dicentes: *Per gladium, ex utraque parte acutum, intelligere possumus Spiritum sanctum qui à patre Filioque procedit,* (S. Gem. Laur. D. Pe. Dam. & D. Zeno.) Per septem stellas in manu contentas, intelliguntur gratiæ gratis datæ; per septem candelabra aurea, septem sacramenta; per vestem pontificiam, dignitas sacerdotum? ex his altissimum modò oritur dubium. Si judex acutos ab ore vibrabit enses, quomodo in eodem simul tempore conspicietur stellas gestare in manibus, gratiarum gratis datarum significativas? Si judex cum veste sacerdotali in medio apparebit septem Sacramentorum, quomodo ex ore ejus acutissimi scintillabunt mucrones? Si Spiritus sanctus est totus benignus, ipsaque suavitas, (O quàm suavis est, Domine Spiritus tuus,) (Sap. 12. v. 1.) quomodo acutissimus gladius poterit nuncupari? Christiane contremisce, & nisi cor tibi lapideum sit, totus in planctum resolvere contritionis. (De exacta judicii ratione.) In die judicii supremus judex in Throno nubium comparebit, quæ dictæ erunt misericordiæ; quia in unum simul congregabuntur unienturq; omnes gratiæ, omnia à Christo præstita beneficia, à primo nativitatis puncto usque ad ultimum vitæ in cruce, omniumque strictissima instituetur ratio: tuncque ingratis peccatoribus ille, qui mansuetissimus primò exstitit agnus, atrocissimus erit leo; misericordiâ in justitiam, gratiis in pœnas, beneficiis transeuntibus in supplicia. Audiatur Veronensis Episcop⁹, S. Zeno: *Omnia Dei beneficia peccatoribus in judicio militabunt ad pœnam.* (D. Zeno.) Quomodo *Dei beneficia peccatoribus militabunt ad pœnam?* Vult asserere sanctus præsul, quod in judicio supremus comparebit judex, gladium portans ore & stellas manibus, gratiarum gratis datarum significativas; & insuper septem aureis circumdatis candelabris, quæ sunt 7. Sacramenta. q. d. O Christiane, redde rationem omnium, quas tibi contuli gratias & beneficia; quomodo usus fuisti sanctissimis Sacramentis? qualiter sanctis respondisti inspirationibus? heu heu ingrati peccatores, tunc illæ gratiæ vobis cedent in pœnas, ipsa beneficia in supplicia, ipsa sacramenta gladios vobis acuent in vestram damnationem.

XXIV. Deinde amictu circumdatus pontificali, ad sacerdotes se convertet, dicturus: Vos ô ministri sacrati corporis mei, vos vicedii in terra, quomodo altissimâ hâc sacerdotali dignitate functi fuistis? quâ conscientiæ puritate ad altare sanctum accessistis? ô summe Deus, cur non hodie Angelorum quispiam descendit, qui meum mihi cor feriat? Dic mihi ô sacerdos, cum qua conscientia toties celebrasti? Noveris ô indigne, noveris, hanc ipsam sacerdotalem dignitatem, æternæ damnationis tuæ fore expostulatricem.

XXV.

XXV. Tandem adveniet Dominus cum cruce; *Tunc apparebit signum filii hominis; hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit;* dicetque: ô ingrati peccatores, rationem reddite illius, quem pro vobis in cruce hac profudi copiosissimum sanguinem. Heu miseros! adversum quos tunc idem ille sanguis, eadem illa crux æternam urgebit damnationem; quia *omnia Dei beneficia peccatoribus in judicio militabunt ad pœnam.*

XXVI. Præmisso hoc districto justorum, reorumque examine: *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum.* Angeli, divinæ justitiæ ministri, segregabunt peccatores à justis, electos collocaturi ad dextram, præscitos profligaturi ad sinistram: *Statuet oves à dextris, hœdos autem à sinistris;* & ad primos judex conversus, lætus hilarisque totus dicet: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Venite ô animæ beatæ, inque passionum & sanctarum operationum vestrarum præmium, æternæ gloriæ accipite possessionem. Post hæc ad præscitos & peccatores conversus, summa cum indignatione dicet: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Matt. 13. v. 49.

Matt 25. v. 33.

Ibid. v. 34.

Ibid. v. 41.

XXVII. Adeste ô mortales; quis hujusmodi audiens sententiam, non illicò exspirat præ pavore? Milites, in horto quærentes Christum, ad vocem hanc: *Ego sum;* ceciderunt in terram. *Quid judicaturus faciet,* inquit S. P. Augustinus, *qui judicandus hoc fecit?* Si Christus in horto, ubi quærebatur judicandus, duobus amicabilibus verbis sexcentos milites prostravit in terram, qui leoninam præseferebant generositatem, quid fiet in valle Josaphat, in quam descendens Omnipotens, tremendam mortis sententiam contra peccatores pronunciabit?

Ioan. 18. v. 6.

XXVIII. Sed quare peccatores in judicio sententiam accipient maledictionis æternæ? audite ô mortales. An non recordamini, Christum ficulneæ infertili & infructiferæ maledixisse? ita namque S. Marcus nos docet, inquiens: *Videns fici arborem secus viam, venit ad eam, & non inveniens in ea, nisi folia tantùm, maledixit eam, dicens: nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & continuo arefacta est ficulnea.* Quid mali fecerat arbor ista, ut æternam mereretur maledictionem? Respondet Abulensis: *Christus aliquantulum laboraverat, declinando ad ficulneam, & quia fructus non invenit, maledixit illam.* Ficulneam extra viam creverat, & Christus, ut suâ eam præsentiâ honoraret, laboriosè eam adierat; nullius autem in ea repertis fructibus, cum videret, ingratam arborem singulari huic beneficio minimè correspondere per competentes summo benefactori debitos fructus, eidem maledixit. q. d. O arbor ingrata, ego, qui sum pedum auctor, defessus sum, ita ut te meâ nequeam honorare præsentia, neque tu me optato recreare fructu; ideoque sis maledicta in terra semper. Vestros mecum firmate gressus. Si arbor, propter quam Christus nonnisi tres aut quatuor fecit passus, exsiccata fuerit & maledicta, quia non respondebat collato beneficio; quid fiet de peccatore, intuitu cujus Deus non paucos modò instituit gressus, sed de cœlo descendit in terram; perque triginta tres annos; angustias, sudores ac tandem ipsam passionem & mortem sustinuit in cruce? quomodo idem ille Dei in terram adventus, non denunciabit urgebitque æternam adversus peccatores maledictionem?

Cur Christus maledixerit ficui.

Marc. 11. v. 13.

Abul. in c. 21. Matt.

Matt. 25. v. 41. Resol. Probl. *Ite maledicti in ignem æternum.* Ecce vobis solutionem adducti problematis. Omnia in secundo judicii adventu supplicia in eos desævient, qui flocci æstimarunt beneficia adventus primi; nihili habita, imò à peccatoribus contempta, primi Salvatoris adventus beneficia, severissimas provocabunt judicii pœnas. Majorem itaque Christiano timorem incutiat oportet, primus Christi adventus, quando omnes vivificaturus apparuit benignus; quàm adventus in judicio ultimus, quando judex justissimâ inflammatus irâ, mortis sententiam pronuntiaturus, comparebit.

XXIX. Si evidentiora quæritis hujus veritatis testimonia, auscultare non pigeat, quod mea modò mihi suggerit memoria. Dicit hodie Evangelista, quod Matt. 24. v. 29. *in illa die sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Suprema illa majestas in obscuro comparebit; quomodo in obscuro? nunquid non oppositum sustinet Isa. 30. v. 26. Isaias, dum ait: *Et erit in die illa lux lunæ ut lux solis, & lux solis septempliciter major.* Si in judicio, Luna solis induet fulgorem, & sol septempliciter rutilantiores solito diffundet radios, quomodo Evangelista inquit: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum?* Respondet Chrysostomus, diem illum fatalis judicii, fulgentissimum fore Christo & electis; peccatoribus autem summè tenebrosum: sed quare?

Judicium Justis luminosum. Obscurũ impiis. §. 36.

XXX. Duo in præsenti elucidanda occurrunt; primò, qui sint horribilium istorum suppliciorum in judicio futuri ministri? secundò, qua ex materia, terrifica illa tormenta sint efformanda. Existimatisne, Deum ipsum hujusmodi atrocissimorum in judicio cruciatuum auctorem fore? nequaquam. Ipse peccator minister erit; ecce vobis afferti probationem, dubio alteri associatam, quod multo tempore menti meæ obversatum fuit. Loquens supremus Deus de misericordia, se patrem nuncupat (*Pater misericordiarum*) per os Apostoli; qui tamen cum de justitia & suppliciis agit, Deum, non patrem, sed Dominum appellat, dicens: *Vltionum Dominus.* Duæ istæ nobilissimæ divinæ perfectiones, quò ad officia, inter se discrepãt; in venustate nihilominus & dignitate pares sunt, ut pote una simplicissima substantia in Deo; neq; inter se distinctione aliqua reali distinguuntur, quemadmodum scholæ loquuntur, sed utraque est una realiter entitas, ita ut nec Deus magis misericors sit, quàm justus; nec minus justus, quàm misericos; ex quibus apertè infertur, quòd, si pater appellatur misericordiæ, pater quoque dicendus sit justitiæ; &, si misericordia Dei filia denominatur, quidni & justitia, utpote eadem res cum misericordia, Dei filia nuncupanda erit? justissima de causa, justitia lamentari posset & dicere; quomodo? Misericordia Dei filia nominatur & ego quid sum? forsitan serva? nonne illi sum similis, æqualiter infinita, potens & æterna? quid mihi deficit? dicat itaque & ego filia. Nihilominus dicit cœlum: *Pater misericordiarum & Dominus ultionum.* Sed quam ob causam? in exemplo me declaro. Demus patrem, cui filius est ex bona, nobili, sibique pari conjuge progenitus; quomodo appellabitur hujusmodi genitor? indubiè pater talis filii; si autem idem ille alium procrearit filium illegitimum, exque muliere vili natum, pater quidem erit talis filii, at pater illius vocari renuet; quomodo itaque appellabitur? Dominus aut patruus. Nunc ad propositum; sciendum

2. Cor. 1. v. 3. Ps. 93. v. 1. Cur Deus pater misericordiæ, & non justitiæ. Matt. 25. v. 34. Orig. Luc. 16. v. 12.

endum est ante omnia, misericordias illas, quas Deus nobis exhibet, omnes in sinu & visceribus generari bonitatis divinæ, nobilissimæ matronæ, singulari præcellentis formâ, ejusdemque cum Deo conditionis; atque ideo respectu illius Deus nominatur pater? *Pater misericordiarum.* Supplicia autem & vindictas, quibus Deus aut in vita præsenti, aut in judicio plectit, undenam oriri existimatis? ex vilissima muliere, ex progenie infima. Quæ autem est ista? culpa humana; atque ideo recusat Deus vocari pater justitiæ & suppliciorum, sed nomen eligit Domini: *Vltionum Dominus.*

XXXI. Elucidetur amplius veritas præsens in quodam facto, quod ego proposito nostro maximè judico deserviens; prius tamen audiamus Origenem qui sententiæ, electis & prædestinatis à judice latæ verba discutiens, interrogat: *Cur sanctis non solùm dicitur: venite benedicti, sed additur: patris mei? quibus autem dicitur, maledicti; non dicitur patris mei?* & respondet: *quia benedictionis administrator est ipse pater; maledictionis autem unusquisque sibi est author, qui maledictione digna operatus est.*

Matt.25. v.34. Orig.

XXXII. Audiamus factum & successum utriusque illius, inter quos quanta intercessit dissimilitudo in vita, tantam quoque disparitatem habere in morte. Exstincto divite Epulone, cujus gulæ & amictui tributum præstitit terra & mare; obiit pariter & mendicus Lazarus, deliciosarum divitis epularum Tantalus; sed audite per salutem vestram, audite discrimen: *Factum est, ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis.* Ut primum Spiritus nobilis corpus reliquit Lazari, subito in occursum volavit integer Angelorum exercitus, qui eum certatim sublevarunt, rectoque tramite ad Empyreum deduxerunt. Sed *mortuus est dives.* Quis infelicem hanc animam deduxit ad infernum? Videte, considerate, iterumque solicitè considerate; reperietis sanè à nullo eam abductam fuisse: *Sepultus est in inferno.* Dic nobis ô sancte Evangelista, quis animam istam ad pœnas deportavit? Si anima Lazari ad cœlum ab Angelis delata fuit, cur non & anima Epulonis ad infernum à dæmonibus? notabilis hæc est observatio, sed magnam continet responsio doctrinam. Lazarus transibat ad gloriam, in sinum Abrahæ; Epulo autem ad infernum in carcerem tenebrorsum; gloriam nobis contribuit Deus, ideoque ad illam non pertingimus ex nobis ipsis, sed portamur: *Vt portaretur ab Angelis.* Ad pœnas autem, ad supplicia & incendia infernalia non indigemus duce aut portatore; sed nos pedibus nostris soli soli eò deferimus, per negligentias & culpas nostras.

Luc.16. v.22. *ibid.*

XXXIII. Unde Angelicus Doctor tradit, quòd *liber vitæ idem est, quod prædestinatio*; prædestinatio & liber vitæ idem sunt; cujus hanc assignat rationem: *quia consuetum est apud homines, in aliquo libro conscribi eos, qui ad aliquid eliguntur.* Si ita est; tale ego infero consequens: *quòd liber mortis idem est, quòd reprobatio.* Non dicit S. Thomas: *Non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur.* In domo Dei, vitæ liber reperitur, in quo omnes electi & prædestinati descripti sunt; liber autem mortis, nomina continens præscitorum, non habetur in domo Dei. Ubinam igitur hunc reperire erit? ubi? in archi-

S. Th. p. 1. q. 24. a. 1. ad 3. Quid liber vitæ.

In cœlo non est liber mortis.

vio peccatorum; ibi apertus invenietur liber mortis, ubi omnes legi poterunt præsciti.

XXXIV. Job pariter de suppliciis & pœnis tractans, quas peccatores propter delicta sua sustinere coguntur, quid resolvit? audite: *Vidi eos, qui impiè agunt, flante Deo, periisse.* Vidi, omnes peccatores in die judicii, unico flatu, à Deo castigandos esse. O Deum immortalem! nunquid ô sancte Propheta, Deus improbos per flatum puniet? si dixisses; gladiis eos confodiet, aut flammis absumet; intellexissemus propositionem. Sed; flatu castigabit? ita, dicit Job. In quo consistit flatus? Glossa ordinaria doctè id resolvit, inquiens: *Nos aërem conflamus, dum ab extra intus trahimus; & ab intus extra reddimus.* Qui respirat, aërem accipit deforis & intus ad se attrahit; & postea eundem remittit foras, ita ut non respiremus per aliquid proprium, in nobis ab intus existens, sed per aliquid, quod advenit forinsecus. Dicit itaque Job; Deus peccatores flatu castigat, quia non punit eos per instrumenta propria, de cœlo procedentia, non; sed per instrumenta, ab ipsis subministrata peccatoribus. Ecce verba Glossæ: *Deus ergo in retributione flare dicitur, quia ab exterioribus causis, intus judicii consilium recipit; & ab interno consilio, exterius sententiam emittit: id est, à malis nostris, quæ extra videt, judicium intus disponit; & ab interiori conceptu, extra damnationem facit.*

Iob, 4. v. 9.

Glossa Ord.

XXXV. Cognito suppliciorum auctore, nunc quoque materiam examinemus, ex qua dicti cruciatus & pœnæ formantur. Quomodo appellatur dies judicii? Ezechiel eum nubis seu nebulæ diem intitulat: *Ecce veniet dies nubis; ululate, ecce appropinquavit dies nubis.* Thronus pariter judicis, prout paulo ante diximus, ex nubibus constabit: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus.* Quapropter iste severæ justitiæ dies, denominatur dies nubis: brevitatis amore, omnem aliam præteribo explicationem. Tradunt philosophi in tractatibus suis meteoricis, nubes, fulgura, tonitrua, atque omnes denique meteorologicas impressiones, non ex aërea aliqua formari materia; sed ex vaporibus atque exhalationibus, de terra sursum ascendentibus; ex quibus vaporibus generata fulgura, tonitrua, ignes, sagittæ, postea in terram devolvuntur cum miseranda illius strage. Ad intentum loquamur. In judicio comparebit Judex, nubeo sublimis in throno, diesque ipse *dies nubis* appellatur; ut discamus, omnia peccatorum supplicia, ex propriis eorum flagitiis generanda fore; unde si te hodie, ô peccator, supplicium invasit famis, belli aut contagionis, pœnas hujusmodi tu tibi ipsi ex peccatorum tuorum materia fabricasti; cumque in die judicii te flamma consumet ac ignis; noveris, hunc te ignem flammasque succendisse culpis propriis. Audi Silvianum: *Ipse sibi parat peccator quisque, quod patitur; nos calamitatum nostrarum authores sumus; nos cœlestis iræ ignem accendimus, & nos, etiam Deo nolente, nos ipsos cruciamus.*

Ezech. 30. v. 3.

Cur judicium, dies nubis.

Meteoria notabilis.

Silv. l. 6. de provid.

XXXVI. Ecce itaque rationem, quare in judicium Deus veniet in obscuro? Omnia supplicia, quibus conficiendi sunt peccatores in judicio, ex ipsis desumentur peccatis; quia autem peccata in scriptura nominantur tenebræ (*dilexistis magis tenebras, quàm lucem*) ideo

Ioan. 3. v. 19.

ideo in judicium procedet judex in obscuro.

XXXVII. Puniendo autem judex in obscuro, rigorosiorem, quam unquam alias, exercebit justitiam. Nonne observastis, fore ut in judicio terra contremiscat. *Terra tremuit & quievit, cum exsurgeret in judicio Deus.* Quo fine consurget hujusmodi terræ motus in judicio? in morte quoque Christi *terra mota est*; scitisne, cur in morte Christi terra tremuerit? Respondet P. Ascanius Martinengus, quia licet Christus Dominus, toto vitæ suæ tempore, misericordiam exercuerit in peccatores, non tamen totam impendit misericordiæ suæ plenitudinem; in Calvario autem, dum moreretur, totum voluit divinæ misericordiæ profundere thesaurum, ideoque terra commota fuit: *Vt concusso corpore*, inquit doctus ille pater, *effunderet sanguinem in remissionem peccatorum.* Ita pariter in judicio terra tremet, quia licet Deus in vita hac justitiam exerceat, pœnisque plectat peccatores, semper nihilominus justitia individuam comitem habet misericordiam; in judicio autem tantus erit justitiæ rigor, ut totum profundendum sit vas iræ divinæ. *Terra movebitur*, inquit idem pater, *cùm exsurget in judicio Deus, ut totum effundatur vas iræ divinæ.* Erit denique justitia in obscuro, sine pietate.

Psalm. 75. v. 9.

Matth. 27. n. 51.

Cur in judicio tremet terra.

Pater Ascan. Martin.

XXXVIII. Quia igitur justitia apparebit in obscuro, nulla in homine pars erit, æterni expers supplicii. Oculos perterrefaciet horribilium visio monstrorum; auditum percellent suspiria & planctus, olfactum conspurcabit fœtor & pestilens putredo; gustum fel exacerbabit, igne temperatum; tactum flammæ penetrabunt infernales; animam perpetua exanimabit divinæ visionis privatio, totumque in corpus supplicia desævient interminabilia. Quæ erit in judicio horribilium adeò eventuum causa? peccata nostra. Quis ultimum istum iræ, indignationis & vindictæ causabit adventum? alter primus, tot innumerabilibus gratiis & beneficiis, à nobis minimè recognitis, onustus & plenus adventus. Quis denique judex in die illo ultimo, contra nos mortis feret sententiam? Christus ille benignus, qui primò venit vitam daturus nobis. Contemplemini itaque ô mortales tot ac tanta primi adventus beneficia, quæ si contemptui habuistis aut imposterum flocci facturi estis, certo certius vobis promittatis, vos severa ultimi istius diei supplicia experturos.

XXXIX. Tandem ita magnus pater concludit Augustinus: *Fratres pertimescite diem judicii, quoniam in die illa superius erit judex iratus, inferius chaos horrendum, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, interius conscientia urens, exterius mundus exardens, & quo fugies ô peccator? latere non erit possibile, apparere intolerabile; quid ergò facies ô miser? tu te statues contra faciem tuam, tu te facies esse testem, teque judicem tui, tu clamabis adversùm te, tuque proferes sententiam tuam contra te; & quid dices ô miser?*

S. Aug. in Enchir.

XL. Sit maledictus dies nativitatis meæ, sit maledicta hora, quâ cœlum vidi; maledicta terra, quæ me vivum sustinet, maledicti lumbi patris mei; maledictus venter, in quo conceptus sum. Quid mihi prodest, natum fuisse in mundum, qui hodie condemnor ad infernum? quando autem inde egredi potero? nunquàm; ergò intermina-

biles sunt pœnæ meæ? interminabiles. Nunquam itaque refrigerium consequentur afflictissima membra mea? nullo unquam tempore. Igitur immutabilis mihi status & locus? omninò immutabilis. Æterni itaque dolores mei? æterni; cruciatus mei finem nesciunt? nesciunt omnino.

SECUNDA PARS.

XLI. Quandoquidem crastino die Christus comparebit cum virga in manu, eumque pueri proclamant JESUM; elucidare conabimur, quando Christus sit Salvator noster; an, dum nos flagellat & percutit; an verò, dum nobis beneficia exhibet ac gratias?

In manu nostra salus & interitus.

XLII. Ut tandem præsenti discursui coronidem imponam & promissis meis satisfaciam; pro communi consolatione resolvam, in libera uniuscujusque nostrum libertate situm esse, ut experiatur aut omne subterfugiat judicium; ecce ô Christianæ, in tua manu electio aut damnatio tua situata est; juxta voluntatem tuam paradisus tibi obtinget aut infernus.

XLIII. Sed quomodo? videamus, quis tantos inter tamque horribiles fatalis istiusmodi judicii eventus, subsistere poterit impavidus, hilaris, optimèque contentus? Respondet ad hoc Regius psaltes, dum ait: *Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio.* In ultimo illo severæ justitiæ die omnes etiam angelos tremor invadet; *Virtutes cœlorum movebuntur.* Unus nihilominus intrepidè in eo comparere poterit. Quis? charitativus: *Qui miseretur & commodat.* Neque id solus affirmat David, sed si benè observastis, ipsa æterna veritas, Christus JEsus, idem omninò dedit testimonium, dum totum universalis judicii negotium in duas distribuet classes. Quibus itaq; obtinget Paradisus? charitativis: *Quia esurivi, & dedistis mihi manducare; propterea venite benedicti patris mei, percipite regnum.* Æterna autem damnatio quib⁹ intentatur? immisericordibus & in pauperes crudelibus: *Quia esurivi & non dedistis mihi manducare; propterea ite maledicti in ignem æternum.* Hîc ego subsisto, totusque stupore plenus vos interrogo: quare in judicio, nullius, præterquam solius eleemosynæ, inque pauperes crudelitatis mentio instituitur? forsitan solam in prædestinatis reperire erit charitatis virtutem? præsciti quoque nullo alio quàm solius in pauperes crudelitatis vitio laborabunt? Respondet S. Petrus Chrysologus, charitatem omnium esse virtutum reginam, ipsique in cœlis primatum concedere reliquas virtutes omnes: *Hoc solum Deus clamat, quod comedit pauper, quia in cœlo prima est esurientis annona, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis.* Bona equidem doctrina; ast cum bona sancti licentia dixerim, mihi necdum plenè satisfactum esse. Nunquid in prædestinatis prævalet martyrium, seu effusio sanguinis pro fide Christiana, nonne virginalis puritas omnem superat eleemosynam? nunquid in præscitis peccata infidelitatis, hæreseos, sacrilegiorum, blasphemiarum graviora sunt, quàm crudelitas in pauperes? S. Augustinus nobis hodie aditum patefaciat. Tres sunt species charitatis; prima in vivos, secunda in mortuos, tertia in semetipsum: prima quid infiniti participat, ita ut quasi Deus non videatur quasi sufficiens possidere patrimonium, ad

Psal. 111. v. 5.
Cur in judicio, fiat solius mẽtio eleemosynæ.
Luc. 21. v. 26.

Matth. 25. v. 35.
ibid. v. 41.
S. Chrys. Serm. 8.

ad recompensandam eam, secunda major est prima, sed tertia superat omnes.

XLIV. Incipiamus à prima; quanta est eleemosyna, quæ vivis exhibetur egenis? dico ego, tantam in ea reperiri infinitatem, ut quodammodo Deus illam recompensare nequeat. An non asseruit Salvator: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*? quidquid præstatis pauperi, id totũ Christus recipit in persona propria. Hoc supposito, insuper supponite cum magno doctore Richardo, operationes Virginis Matris, quas illa circa Christum præstitit, qua eum fasciis involvendo, quà serviendo, quà nutriendo; licet humanæ fuerint & finitæ quò ad principium operans, nihilominus quia personæ exhibebantur, quæ erat homo Deus, actiones evasisse theandricas; id est, divinas, humanas & infinitas; non quidem sicut illæ sunt Christi *elicitivè*, sed *terminativè & objectivè*; id est, quia homini Deo exhibitæ sunt. Quæ doctrina si vera est, quemadmodum verissima est; quidni asserere poterimus, opera misericordiæ esse theandrica, id est, divina & humana & infinita? non quidem quò ad principium, sed quò ad objectum.

Matth. 25. v. 40.

XLV. Suppositâ hâc eleemosynæ, vivis ob Dei amorem exhibitæ, infinitate, audite insignem quandã à S. Chrysostomo nobis traditã doctrinã. Sanctus itaq; in illius textus explicatione (*Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*) ita discurrit: *Fœneremur Deo, per eleemosynam; fœneremur, quo debitorem inveniamus eum, non judicem; veneratur enim debitor fœneratorem, veneratur & erubescit*: Deus eleemosynarii debitor evadit; novistis utique, quod debitor suum revereatur creditorem, eoque viso, quasi erubescens, verecundiâ suffundatur: quando autem debitorem pudet in conspectum venire sui creditoris? tunc infallibiliter, quando debito suo integrè satisfacere nequit; tunc enim ipsum ubique declinat & fugit; ac si quando illi fortè fortuitò obvius fiat, videbitis, quòd suum ille creditorem humillimâ submississimâq; facie revereatur, imò totus rubore perfundatur præ ignominia. Ita pariter DEUS, cognoscens se charitativi debitorem, reverentiâ eum demulcet, adque ejus præsentiam rubore impletur; *Veneratur & erubescit*. Sed quare erubescit? an nescitis? erubescit, quia videt nihil sibi superesse, quò satisfaciat. Sed quomodo? DEO forsitan abundantia deficit bonorum, inter infinitos cœli thesauros? atque insuper quod est hocce adeò magnum debitum? fortasse ob frustuli panis, aut alterius cujusque teruncii pauperibus factam erogationem, tantum debitum Deus contraxit? Ita; illam ergò dationem Deus recompensare nequit *ad æqualitatem*? non. O Deum! igiturne tanti pretii est tantillum panis aut exile poculum aquæ, ita ut Deus cum omnibus suis thesauris, nequeat pro illis satisfacere *de condigno*? ita ut propterea erubescat & confundatur? ita, dicit S. Chrysostomus; non retracto doctrinam, non recedo à sententia semel pronunciata: *Veneratur Deus & erubescit*: Quantumcunque amplum Dei patrimonium & infinitum cœli præmium, totum admitto; quia tantæ excellentiæ, aut ut verius loquar, tantæ in divino conspectu superexcellentiæ est opus pietatis, scilicet pauperem saturare, hospitale invisere, aut alios infirmos consolari egenos; ut cœlesti trutinæ impositum, comparatum ad infinitam, immensam & interminatam gloriam, unicum similis pietatis opus

D. Ioan. Chrys. ho. 5. de pœnit.

Prov. 19. v. 17.

Deus debitor eleemosynarii.

Reveretur eleemosynarium.

Eleem. recompensare nequit Deus.

opus, in pondere & virtute sua ipsam vincat cœlestem gloriam; ita ut Deus operis hujus factus debitor, profiteatur se eidem plenè satisfacere non posse; unde quotiescunque eleemosynarium videt, eum veluti suum creditorem *veneratur*; & quasi plenam satisfactionem præstare impotens, *Erubescit*: quo in rubore magis condecorari videtur, quia juxta Apostolum, *talibus hostiis pulchrescit Deus*. Tantumque per eleemosynas debitum Dei accrescit, ut totum Dei patrimonium, quantumvis amplissimum, totumq; cœlum, non videatur sufficiens, ut justam illi ac debitam satisfactionem retribuere possit. Quare igitur ô Auditores liberalitatem, imò prodigalitatem in pauperes non exercetis? an non videtis, quantum pecunia nostra valorem accipiat in manu pauperum: thesauris, imò cœlo æquivalet; imò ipsum cœlum est insufficiens pro ea recompensatio.

Eleem. in vivos & mortuos

XLVI. Intellecto exercitæ in vivos charitatis valore, nunc quoque pretium audire placeat charitatis, mortuis exhibitæ. Magna equidem sibi præconia vendicat charitas in vivos, sed longè majora atque excellentiora meretur charitas in mortuos; ecce vobis testimonium scripturæ sacræ. Abiit Magdalena ad ædes Pharisæi, vase instructa unguentiferæ, *& stans retro secus pedes ejus, lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & ungento ungebat*; ita rem contigisse commemorat S. Lucas, sed hinc transeamus ad S. Matthæum, inibi reperturi, quòd eadem Maria Christum investigarit, prandentem in domo Simonis Leprosi, ad quem cum accessisset, solito audacior, profudit pretiosissimum unguentum super caput ejus: *Effudit super caput recumbentis*. Notate differentiam, singulari dignam animadversione. Primâ

M. Magd. bis fudit unguentũ, & diversimodè.

Matth. 26. v. 7.

vice Magdalena unguentum profudit super pedes Christi: *Unxit pedes ejus*. Secundâ vice, generosior evadens, relictis pedibus, unguentum suum digniori loco, venerando scilicet Christi capiti consecravit: *Effudit super caput*. Quænam ô Auditores hujus in Magdalena mutationis subest ratio? eadem est Magdalena in utroque loco, & idem utrobique Christus, sicut, & unguentum; quare igitur primâ vice, unguento deliniuntur pedes, & alterâ caput? jam subtilitatem vestram attigisse arbitror id, quod D. Chrysostomus asserit. Utrâque equidem vice, idem fuit unguentum secundùm speciem, eadem Magdalena, idemque Christus; ast primâ vice dictum obsequium Magdalena Christo præstitit vivo; secundâ autem vice, majoris æmula perfectionis, servitium Christo exhibuit, mortuo: *Mittens hæc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*. Atque ideò secundus hic actus, tanquam opus pietatis in mortuos, magis exaltatus fuit; unguentum effusum in Christi vivi obsequium, magni quidem est valoris, sed collocatur ad pedes neque æstimatio ei tanta tribuitur; obsequium autem Christo mortuo exhibitum, majoris est pretii, ideoque huic sedes in capite locatur; pro cujus confirmatione insuper notate, in primo loco simpliciter dici: *Attulit alabastrum unguenti*, nulla facta mentione pretii; in secundo autem loco expressè dicitur, *Attulit alabastrum unguenti pretiosi*. Quare hîc nominatur pretiosum? quia in secunda vice unguentum in obsequium cessit mortuorum; unde & Christus in secunda vice de Magdalena loquens pluribus eam extulit laudum præconiis: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memoriam*

Ioan. 12. v. 3.

Argum. pro eleemosyna mortuo

Matth. 26. v. 12.

Luc. 7. v. 37.

Matth. 26. v. 13.

riam ejus. Concludite itaque, opera pietatis in vivos esse quidem maxima, at longè iis majora, quæ in refrigerium præstantur mortuorum; quia prima locum obtinent ad pedes (*unxit pedes*) secunda autem ad caput: *Super caput recumbentis.*

XLVII. Et justissime quidem; quia si actus misericordiæ aut pietatis in alium, tantò est excellentior, quanto majores ille, cui subvenitur, experitur miserias; & mortuorum miseriæ omnibus vivorum afflictionibus infinities sunt graviores; per necessariam consequentiam infertur, opera pietatis in mortuos, longè majora esse aliis, quæ conferuntur vivis.

Argum. pro eleemosyna in mortuos.

XLVIII. Ex omnibus hucusque dictis stringens quoddam argumentum efformemus cum necessaria consequentia. Benefacere pauperibus vivis, opus est infallibiliter excellentissimum, sed benefacere mortuis est longè excellentius; vos modò inferatis consequentiam: si opus misericordiæ in vivos, adeò est sublimè & dignum, ut quid veluti contineat infinitatis, & sit actio theandrica, tanti valoris, ut, nisi Deus foret Deus, justè eam recompensare nequiret; imò etiã ut Deus existens, quasi per totum patrimonium suum eidem satisfacere non possit *ad æqualitatem*; & tanquam verecundus debitor in eleemosynariorum creditorum suorum conspectum prodire erubescat; quanti valoris & pretii erit actus misericordiæ in beatos mortuos? Nolim ego in dictis encomiis aut parcus esse aut temerariè profusus; vos itaque ô Auditores investigate, perquirite & enarrate quæcunque peregrina vocabula; promitto equidem nunquam vos ad altissimum hunc perventuros conceptum. Tu itaque ô divina misericordia, tu loquere, tua nobis ut edissere vota, tu nobis pretium manifesta operum misericordiæ, mortuis exhibitorum; tu nobis edicito, quanti sit valoris hæc missa aut rosarium, illa eleemosyna, istud jejunium; tu debitas & convenientes poteris enarrare laudes, nollem enim ego illuc conscendere linguâ, ubi meus non præsumit pertingere animus; id duntaxat superaddo: si charitativus in pauperes poterit in judicio comparere securus, quanto majorem sibi in die illo securitatem & lætitiam promittere poterit, qui in mortuos exstitit charitativus?

XLIX. Si denique eleemosyna mortuis exhibita, tanto pollet valore, quid de ea dicemus, quam Christianus propriæ exhibet animæ? Hîc subintret necessum est D. Augustinus, qui qualemcunque tam vivis quàm mortuis misericordem, ita alloquitur: *Quomodo misericors esse poteris alteri, qui crudelis es tibi?* Datur quispiam in peccato mortali existens, & nihilominus multam in alios charitatem exercet. Quid tibi, inquit D. Augustinus, quid tibi prodest charitas in alios, dum animam tuam præ fame emori finis? *Si vis facere eleemosynam, à te incipe.* Prius charitatem exhibe animæ tuæ, eam prius eripe â peccato, & fac ut degat in gratia. Hanc exigit Deus charitatem; hæc charitas est omnium sanctorum operum regina; hæc est, quæ primo omnium loco, in divinæ prædestinationis libro scripta reperitur, hujus Christus in judicio meminerit, inquiens: *Quia esurivi & dedistis mihi manducare, propterea venite benedicti patris mei, percipite regnum.*

Eleem. quæ optima.

S. Aug.

L. Accommodè igitur ego à principio resolvi, in libera cuiuscunque Christiani potestate situm esse; ut in die judicii, à tremenda illa mortis sententia liber sit & immunis. Si enim judicium atque omnes horribiles illius eventus origi-

ginantur à peccato; relinquat homo peccatum, & securissimus stare poterit, certus se in prædestinatorum numerum esse referendum, collocandumque ad dextram Christi, ubi totus lætus, vocem hanc audiet: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Amen.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

FERIA TERTIA POST DOMINCAM I. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De usu justitiæ & sanctissimo Nomine JEsu.

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, commota est universa civitas, dicens: quis est hic? populi autem dicebant; hic est JEsus Propheta à Nazareth. Matth. 21. vers. 10. 11. & Joan. 2. v. 15.

PROBLEMA

Uter actus præplaceat DEO; an justitiæ exercitium, an verò cujuscunque alterius sacrificii oblatio?

Et ad nos omnibus bonis locupletandos, atque ab omnibus malis eximendos, utrum inter omnia, quæ in Empyrei thesauro continentur nomina, possit nobis magis esse propitium; an ineffabile Dei, an verò JEsu nomen?

INTRODUCTIO.

I.

PAradoxam vobis exhibeo propositionem ô Auditores, ubinam Christus mirabilior apparuit atq; augustior? an hodiè, dum assumpto in manus flagello in medium processit, profanatores templi castigaturus; an verò, dum in cœna sacratissimum Eucharistiæ panem dispertiit inter Apostolos? S. Joannes Chrysostomus Christum considerans, armis instructum justitiæ, *inter omnia*, inquit, *mirabilia, quæ fecit Iesus, hoc mihi videtur mirabilius.* Nihil ego in tota Christi vita, omnibusque actionibus ejus, tantâ arbitror dignum esse admiratione & stupore, quemadmodum est hic justitiæ actus, contra templi violatores consummatus. Quomodo ô sancte pater, an non mutatio aquæ in vinum, majoris exstitit stuporis actus? nonne mirabilior fuit tot mortuorum resur-

Chrys. ho. 21. in Ioan.

surrectio? Et ut reliqua omnia prætercam, nonne sanctissimi sacramenti institutio & SS. corporis communicatio, Apostolis facta, omnium mirabilium cumulus exstitit? Non, dicit S. Chrysostomus; quia quando Christus instituit Eucharistiam, eamque dispertiit inter Apostolos, nullus in admirationem raptus fuit; imò tunc temporis non modò non fuit cognitus pro Deo, sed etiam actualiter Judæ factus incognitus; ex tunc enim impius ille suam adorsus est traditionem,
Ioan.13. v.30. *Cum accepisset ille buccellam, continuò exivit,* Ast quando hodie visus fuit in manus assumpsisse flagellum, totam confestim civitatem confudit perturbatio: *Commota est universa civitas, dicens; quis est hic?* Cœperuntq; populus & pueri omnes titulum illi attribuere magni Prophetæ, elatâ voce clamantes: *Hic est Iesus, Propheta à Nazareth.* Unde hæc omnia? quia Christus hodie formam induit judicis, ut adversùm delinquentes sententiam ferret; mirabilior itaque est Christus, flagello armatus in profanatorum punitionem, quàm pane sacrato instructus in beneficium Apostolorum. Hoc supposito, gratiosas modo mihi aures præbeatis velim. Christus hodie justitiam exercet ac misericordiam; justitiam cum negotiatoribus, misericordiam cum infirmis; negotiantes non modò percutit & flagellat (*cùm fecisset quasi flagellum de funiculis*) sed etiam omnes foras expellit extra Ecclesiam:
Matth.21. v.12. *Omnes ejecit de templo*; insuper & suis eos exuit mercaturis: *Nummulariorum sedes evertit.* Infir-
v.14. mis econtra dedit incolumitatem: *Accesserunt ad eum cæci & claudi, & sanavit eos.* Inter hæc, pueri Christum flagellantem simul & beneficium videntes, eum nuncupant Jesum: *Hic est Iesus, Propheta à Nazareth*; plura sanè mihi in præsenti requirenda occurrunt. Primò, uter actus Deo magis placeat; an exercitium justitiæ, an verò cujuscunque sacrificii oblatio: deinde quandonam Christus se nobis exhibeat Jesum Salvatorem; an dum nos flagellat & percutit, an verò dum nobis benefacit & bona confert? id quod discutiemus in prima parte. Tandem cum infantibus seu pueris, Christum flagellantem proclamantibus Jesum, elucidabimus, quodnam inter omnia, in cœlestib⁹ thesauris recondita nomina, maximè sit propitium, ad nos omnibus bonis ditandos & omnibus malis liberandos? ineffabile Dei aut sanctissimum Jesu nomen? sanctum hoc nomen nullus non reveretur, quod cœlum, terra atque ipse veneratur infernus; me igitur hodie de justitia, aliisq; heroicis Jesu actibus discurrentem, reverentiali fovete silentio incipiamus. Problem.

II. *Commota est universa civitas.* Quæ hodierna Christi actio totã commovit civitatem? actus justitiæ: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis; ejecit ementes & vendentes de templo.* Exercitium itaq; justitiæ, adeò admirabile est, ut integram stupore impleat civitatem? Ita sanè, audite beatum Nicodemum, qui Christum in forma judicis conspiciens, exclamare non dubitavit: Domine, *nemo potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit DEVS cum eo;* Ioa.3. v.2. impossibile est, ut quisquam alius præter DEUM, hujusmodi exerceat actus. Admiranda certè sententia. Ergò qui justitiam operatur, DEUS est; sublevemini omnes mecum Auditores humanissimi. Hinc colloco sacerdotem, solemne & sanctum altaris sacrificium peragentem; illinc verò judicem, qui sententiam denunciet ex justitia in quendam, patibuli reum: crederetisne, Officialem hunc, justitiæ executo-

rem, non modò evadere in sacerdotem, sed insuper gratius longè DEo exhibere sacrificium, quàm fuerit ipsa mors Christi? auscultate probationem. Prævaricantibus ingratissimis Israëlitis per vituli aurei adorationem, indignatus Moyses, digno, ait, delictum hoc plectatur supplicio; agedum itaque: *Occidat unusquisque fratrem & amicum & proximum suum; feceruntque filij Levi juxta sermonem Moysis, & ceciderunt in illa die quasi vigintitria millia hominum.* Ingens utique hæc fuit clades; ast quantum fuit hocce factum? audite: filii Levi in unico die 23. millia hominum ex iis mactarant, qui adoraverant vitulum & impuræ illi deitati præstiterant tributum; nullâ filiorum ad patres, neque patrum ad filios habitâ ratione aut compassione. Quo peracto Capitaneus Generalis Moyses ad ipsos conversus, agedum, inquit, generosi milites, filii Levi: *Hodie consecrastis manus vestras Domino, unusquisq; in filio & fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Noveritis ô filii Levi, vos, heroicam adeò hodiè perpetrando actionem, vestras DEo consecrasse manus & cœlestem obtinuisse benedictionem; cujus benedictionis participes facti fuêre filii Levi? audite textum: *Ponent thymiama in furore suo & holocaustum super altare suum.* Officium exercebunt sacerdotale, DEo incensum offerentes & holocausta. Quandonam autem id fecerunt? quando? *Hodie.* Quis non obstupescat? siquidem novimus omnes, indictæ internecionis die nullum intervenisse oleum sanctum, sed quantitatem sanguinis; nullum adhibitum fuisse thuribulum, incensum nullum, sed enses & pugiones; nullos ab iis oblatos fuisse agnos, hircos aut vitulos, sed proprios interemptos parentes, amicos & proximos,

Exod. 32. v. 27. & 28.

Ibid. v. 29.

Deut. 33. v. 10.

Quomodo itaque dicis ô Moyses, illos DEO consecrasse manus suas? *Hodie.* Audite Oleastrum: *Si judex aut tortor malorum es, non putes, te irreligiosum aut profanum; quoniam non minus DEum hoc opere colis, quàm si divina & sacrificia manibus sacratis offerres; sacrificium acceptissimum est, peccatores punire, quemadmodum sanctos colere; nec minus benedicitur, qui injustum necat, quàm qui justum extollit.* Quando Principi, superiori aut judici justa se causa offert infligendæ pœnæ, ne talis honorem suum aut dignitatem ullatenus amissurum se timeat; quia ipsa illa manus, quæ reum castigat, egregium DEO sacrificium offert; tamque DEO & cœlo efficitur gratus, omnis justitiæ executor, quàm Sacerdos consecrans.

Ole. in c. 32. Exod. in annot. morali.

punitio rei est sacrificium.

III. Ex his faciliter textus cujusdam deducetur notitia, mihi semper visi difficilis. In oratione dominicali quotidie precari solemus: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.* Qualiter obsecro nos creaturæ sanctitatem addere valemus & gloriam infinito illi nomini, quod omnis gloriæ fons est & origo? quomodo nos nomen istud petimus sanctificari, quod infinitum omnis majoris incapax est gloriæ & sanctitatis? Respondet Mirandulanus, nos non supplicare, ut divinum nomen sanctificetur in se, hoc enim est impossibile: sed *ut glorificetur in creaturis;* Sed quomodo Deus glorificari potest in creaturis? audite: *Vel per misericordiam, quando reddit præmia æterna; vel per justitiam, quando rebellantes punit: patet enim, quod utrumque cedit in gloriam DEI; quia non minor CHRISTI gloria est, videre Iudæos in tam longa captivitate, plenos omni miseria; quàm videre Christianos, qui eum colunt & crucifixum adorant.*

Matth. 6. v. 9.

Mirand. in Orat. Dom. to. 1.

Glo-

Glorificatur Deus non modò per misericordiam, sed etiam, per justitiam. Tam gloriosa cœlo exhibetur victima (*cateris paribus*) per reum in furca, quàm par sacrificium in manibus sacerdotis.

IV. In quo sensu Regius psaltes locutus fuisse videtur, quando beneficiorum aliquorum sibi præstitorum catalogum texens, ita discurrit: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portu filiæ Sion.* Tu ô supreme domine me exaltas & magnificas, ut in portis Sion decantem glorias tuas. In scriptura per portas civitatis intelliguntur tribunalia, in quibus sententia fertur in sceleratos. Hoc supposito dicit Pater Fernandez: *Dicas mihi ô bone Rex, qui cantus isti, & quæ laudationes in portis Ierusalem? ad portasne sedebas, pulsando cytharam, laudesque divinas concinendo?* Cui deinde difficultati ipsemet Doctor ita respondet: *Non minus Deum laudabat in judiciis, quàm in templis; proferendo sententias, quàm instruendo cantandoque psalmos; nec minus Deo servit, Deumque colit ac laudat judex judicando, quàm clericus in choro cantando; nec minus Deo placet puniens justitia, quàm deprecans religio.* Maximo cum mysterio regius propheta asseruit, se, dum pro tribunali sederet prævaricatorem judicaturus, divinas celebrare laudes, ut noverimus omnes, eum non minus Deo gratum exstitisse in tribunali, quàm in templo; neque minus judicem, dum reum judicat; quàm sacerdotem, dum in templo consecrat, Dei servum esse.

Ps. 9. v. 15

P. Fernan. in c. 34. Gen. sect. 5. n. 13. tom. 3

Iudicare reum, est laudare Deum.

V. Imò vultisne, ut extraordinariam quandam exaggerationem in medium adducam? Præplacet Deo justitia inter omnia sacrificia, quod vel exinde patet, quia æternus pater mortis Christi sacrificium exhiberi voluit, ut divina exerceatur justitia; ad quod propositum, delicatam quandam notate ponderationem. S. Paulus summam Dei, quâ nos redemit, gratiam commemorans, ita resolvit: *Justificati gratis per gratiam ipsius;* & postea subdit: *Quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* Sublimis loquendi methodus, ô docti; quid enim asserit Apostolus? per gratiam illius salvi facti estis, quem Pater dedit mundo, ut proprio vos sanguine salvet; & hoc quidem ad demonstrandam rigorosam justitiam suam, in ordine ad remissionem omnium peccatorum præteritorum. Sancte Apostole ego non intelligo discursum tuum: si Christus nos gratis salvavit sanguine suo, quomodo igitur in eo locum habuit justitia? *Si gratis, quomodo ex justitia? & si ex justitia, quomodo gratis?* Sed hoc transeat; quid immediatè subjungitur? *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Ergone à peccatis præsentibus & futuris neutiquam redempti sumus? si punctus hic in cathedra discutiendus foret, nescio, quam sortiretur glossam; ast in pulpito taliter difficultati respondeamus, dicendo per ly *remissionem* non intelligi veniam, hoc enim modo difficulter penetrari posset textus apostolici profunditas, sed per *remissionem*, exercitium seu actum denotari justitiæ, quemadmodum dicere solemus. Iste non satisfacit justitiæ *de toto rigore*, frigide nimium & remissè procedit. Ita pariter in præsenti rigorosam voluit exequi justitiam, quia scilicet usque ad tempus istud nimis videbatur egisse benignè & remissè (si ita dicere licet) sed quomodo aut quo in puncto pater æternus processerat remissè? scitisne in quo? in infligenda pœna; licet enim olim sæpe castigasset delinquentes,

Rom 3. v 24 v. 25

Iustitia Deo gratior præ sacrificio.

nunquam tamen ullum intulerat supplicium ad æqualitatem culpæ, semper justitia fiebat *citra condignum*. Vos siquidem nostis ô docti, certam quandam peccato inesse infinitatem *saltem objectivè*, cui tamen pœna semper correspondeat finita & limitata, utpote limitato & finito inflicta supposito; cùm itaque nulla sit finitum inter & infinitum proportio, nunquam poterat per pœnam hujusmodi satisfieri justitiæ *de toto rigore*. Atque ita dici poterat, Deum remisè procedere in puniendis peccatis præteritis; volens igitur, ut *de toto rigore* satisfieret justitiæ, propter culpam Adami, ordinavit, ut Christus moreretur in cruce; qui cùm suppositum esset divinum & infinitum, pœna quoque ad infinitam pertigit satisfactionem; atque inde *Proposuit eum pater propitiatorem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ*: ita ut pater æternus propter divinæ justitiæ exercitium, solemne illud mortis Christi sacrificium ordinarit; magis itaque Deo placere videtur divinæ justitiæ exercitium, quàm ipsum sacrificium. Atque hanc ob causam quia Dei filius hodie actum exequitur justitiæ, flagello armatus, hanc dico ob causam omnes in admirationem & stuporem rapti fuere; *Commota est universa civitas.*

VI. Sed quæ justitia continebatur in fasciculo funium? forte Christus, more Religiosorum, disciplinam aliquam infligere voluit? prætereamus id in præsenti; quid est, quod universus obstupuit populus? hominem forte, virgam manibus portantem, quâ exturbabat profanatores? notate: dimorabantur in templo Ecclesiastici, insuper potentes alii & opulenti, mensas habentes plenas pecuniis; si judex quispiam in divites & titulatos justitiam exerceat, maximum reputatur miraculum, sine ullo dubio; at titulatos & divites, ad ignoti cujusdam, nil præter unam disciplinam manu tenentis conspectum, relictis pecuniis profugere, hoc ego miraculum arbitrarer omnium maximè stupendum; atque ideo *commota est universa civitas*, quo etiam ex motivo S. Hieronymus asserit: *Inter omnia mirabilia, hoc videtur mirabilius*.

Iustitia in divites est miraculũ.

S. Chrys. ho. 38. op. imperf.

VII. Ast quare Christus manibus propriis justitiam executioni mandat? cur non adhibet Apostolos? non decebat, Christum apparere punitivis armatum instrumentis, maximè si tanquam rex pacificus consideretur; præterquam etiam si consideremus id quod evenit quotidie, scilicet judices, qui contumaces ad mortem condamnant, non esse ipsosmet pœnæ determinatæ executores, sed provinciam hanc hominibus vilissimis & abjectissimis committere. Neque etiam iste agendi modus Christum decebat, tanquam supremum Ecclesiæ sanctæ prælatum, quandoquidem S. Paulus Episcopi exprimens conditiones, reliquas inter enumerat & hanc: *Oportet Episcopum esse non percussorem*; in quæ Cardinalis Cajetanus ita discurrit: *Turpe est Episcopo, esse delinquentium percussorem, debet enim non propria manu, sed aliena percutere delinquentes.* Neque Christo ut Deo conveniebat, propria manu punire malefactores; unde cum Deus ingentem illam pœnam Pharaoni inferre vellet, cujus David meminit in Psalmo 77. eam non manu propriâ, sed operâ intulit dæmoniorum: *Misit in eos iram & indignationem per Angelos malos.* Quomodo igitur Christus hodie flagellum propriis apprehendit manibus? *Cum fecisset quasi flagellum.* Necessum est, ut pro responso, delinquentium

Iust. cur propriis Christi manibus exercita.

§. 14.

Eccles. mercatores sunt fures.

1. Tim. 3. v. 3.

Cajet. in c. 3. Tim.

Matt. 21. v. 13.

Ps. 77. v. 49.

tium conditionem & exceſſuum factorum inquiramus qualitatem. Scitiſne, qui fuerint delinquentes? perſonæ exiſtentes in templo, hæ autem ſunt Eccleſiaſtici; Eccleſiaſtici mercatores, inferni ſunt carbones; unde S. Joannes Chryſoſtomus hanc nobis doctrinam tradit: *Homo mercator aut vix aut nunquam poteſt placere Deo, & ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator vel ſi voluerit eſſe projiciatur ab Eccleſia Dei.* Vos ſententiam hanc explicetis, me namque, qui explicem, impotentem profiteor.

S. Chryſ. ho. 38. ope. imperf.

VIII. Quid rei aut perſonæ particularis competit Eccleſiaſticis negotiatoribus? ſunt fures & falſarii, qui ſi fuerint pecuniarum avidi, ipſum Deum exponent venalem; ſi autem circa bona ſpiritualia negotientur, à diabolo obſeſſi ſunt & incantatores, imò ipſis peiores dæmoniacis; ſingula probemus ſeorſim.

IX. Eccleſiaſtici negotiatores ſunt fures & latrones. Chriſtus hodie negotiatores iſtos in templo reperiens, ita eos legitur fuiſſe aggreſſus. Quomodo ô temerarii quę tanta veſtra in ædibus meis audacia? igiturne ignoratis, quòd *domus mea domus orationis eſt?* quomodo vos eam in latronum ſpecum tranſmutaſtis? *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Qualiter Eccleſia poteſt latronum effici antrum? dupliciter; primò ſi latrones omnia ſua ſpolia aſportent, inque ſpelunca, quæ illorum domus eſt ſeu manſio, recondant. Hodie autem peccator (præſertim verò Eccleſiaſticus) ubi omnia peccata ſua abſcondit? in Eccleſia; ita etiam ut, qui ex mortis aut cædis timore, non præſumpſerit mulierem quampiam contemplari, propriæ inhærentem feneſtræ, non erubeſcat eandem motivo & fine inhoneſto intueri in ipſa Eccleſia; talis itaque Eccleſiam in latronum ſpeluncam commutat.

Eccleſ. mercatores ſunt fures.

Matt. 21. v. 13.

X. Secundò Eccleſiaſtici vertunt Eccleſiam in ſpeluncam latronum hoc modo. Deus, quatuor aut ſex latrones dimorari ſimul in aliqua ſpecu, hi igitur vigilem deſignant, qui omnes obſervet viatores. Interim pertranſit unus, quo conſpecto, vigil ſui memor officii, heus, inquit ô ſocii, video aliquē tranſeuntem; cui reliqui, quis eſt? pauper quidam pedeſter; relinquamus eum præterire, quid enim propter teruncium nos incommodare volumus? poſtea duos aut tres continget prætervehi equites; heus ſocii, tranſeunt homines albi. Qui? habentne ſecum aliqua impedimenta? habent; egrediamur omnes. Vadunt itaque omnes ſimul, & infelices iſtos totaliter exſpoliant. Ita quoque quatuor ſexve erit in Eccleſia reperire ſimul Eccleſiaſticos; interim Sacriſta ſignum inſonat cujusdam defuncti; eo omnes invitati quis, inclamant, obiit? pauperculus quidam hujus parochiæ. Vadat ſolus hebdomadarius. Auditur aliud mortui ſignum; quis vivere deſiit? Dominus talis & talis, qui unicuique funus concomitanti unam facem delegavit. Itane? egrediamur omnes. Quo vos nomine hujusmodi Eccleſiaſticos inſigniretis? nuncupate eos latrones, qui Eccleſiā taliter tractant atq; ita in illa degunt, quemadmodum in ſpelunca latronum.

Proprietas latronum.

XI. Sunt inſuper falſarii. Intelligere percuperem, quare Chriſtus non conduxerit Judam ſecum in montem Taborium? Domine, ſi impius Judas glorioſam majeſtatem tuam in monte Tabor contemplatus fuiſſet, forte horrendam iſtam traditionem nunquam attentaſſet, vendendo te Judæis atque efficiendo, ut in ignominioſo crucis trunco morereris; quare non admittis eum in aliorū conſortium,

Cur Judas non fuerit in Thabor.

ut

ut simul cum iis glorioso illo fruatur spectaculo? Vultisne meam audire resolutionem auscultatores humanissimi? Apostoli, quos secum Christus destinarat conducere in montem Thabor, coram populo Hebræo testimonium perhibere debebant gloriæ Christi; prout à S. Joanne factum legimus, dum ait: *Vidimus gloriam eius.* Judas autem malus erat testis; quare? quia Ecclesiasticus erat negotiator; mercatores ordinariè fures sunt & latrones, prout jam probavimus, deque Juda specialiter dicitur: *Fur erat & loculos habebat.* Fures, qui tantâ ardent pecuniarum siti, reputetis falsarios, utpote qui vel pro uno aut altero teruncio centum admittent juramenta falsa,

Ioan. 1. v. 14.

Ioa. 12. v. 6.

XII. Vultisne idem vobis manifestius probem? Deus vice quâdam ad Prophetam Zachariam conversus, contemplare, ait tantisper visionem hanc, dicque mihi, quid rei videas? *Quid tu vides Zacharia?* Domine, *video volumen volans.* Septuaginta interpretes legunt: *Video falcem volantem.* Video quid extraordinarii; quodnam istud? falcem, quæ per aëra volat. Scias (inquit ad hæc Deus) scias, falcem istam rigorosi cujusdam supplicii indicem esse: *Venit ad domum furis & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* Horrenda hujusmodi pœna domum furis & falsarii invadet. Notate argutè, duo illa, scilicet furem & falsarium, ita ad invicem hærere connexa, ut in eadem dimorentur domo. Itane? fur ergo simul est falsarius? Non itaque Judas montem Thabor conscendat, non enim bonus futurus est veritatis testis, quia tanquam negotiator est fur, tanquam fur autem est falsarius; sique propter 30. denarios pretium vendidit mundi, quidni amore pecuniæ, falsum testificabitur contra Petrum, Jacobum & Joannem, quando hi mysterium Transfigurationis divulgare incipient? apage igitur ô Juda & cave, monti appropinquare Thaborio, ut noverint omnes, Ecclesiasticos negotiatores, pecuniarum amore absorptos, non modò fures sed & falsarios esse.

Zach. 5. v. 2.

ibid. v. 4.

Eccl. merc. sunt fures & falsarii.

XIII. Si autem circa Ecclesiæ victimas & bona negotientur spiritualia, Simoniaci sunt. Qui dicuntur Simoniaci? prætereo illos, qui ecclesiastica comparant aut vendunt beneficia; hi enim omnes turpi simoniæ maculâ conspurcati, excommunicationem incurrunt majorem, à qua non nisi à solo Pontifice absolvi possunt, juxta decretum Pauli II. & Pii V. Si porro requisieritis, quid per beneficium Ecclesiasticum intelligatur; respondeo, non deesse Canonistas, qui sustinent per beneficia Ecclesiastica, intelligi posse etiam officia Mendicantium, qualia sunt Generalatus, Provincialatus, Guardianat[9], Prioratus & Correctoratus; licet enim hæc non sint beneficia ecclesiastica, sunt nihilominus officia regularia, quæ beneficiis ecclesiasticis comparari possunt; sententiam hanc non quidem stabilio tanquam universalem, sed sufficit mihi eam esse probabilem. Insuper contra Simoniacos pœna infamiæ statuta est, conformiter capiti *Si quis præbendas*; in quo decernitur: *Emptor atque venditor & interventor nota infamiæ percellantur.* Et in religionibus bene ordinatis contra Simoniacos proceditur, tanquam contra Reipublicæ traditores. Quare itaque dæmoniaci sunt & incantatores, Simoniaci omnes? audite: quis fuit primus Simoniæ author? Simon magus; quare primus simoniacus fuit magus? ad significandum, à nullo, hujusmodi posse admitti iniquitatem, nisi dæmonia possideat in corpore.

Sunt Simoniaci.

Simoniacus est magus.

XIV. Vul-

XIV. Vultisne, ut rem eloquar terribilem? Ecclesiastici Simoniaci ipsam destruere moliuntur Trinitatem. Hujus asserti veritatem ut percipiatis, vos ego interrogo, utrum peccatum fuerit gravius; an Judæ, qui filium Dei vendidit; an verò Simonis, negotiantis circa Spiritum sanctum? uterque divinam offendit personã, Simon per pecuniam voluit sibi comparare Spiritũ sanctum. Ast notate: Judas Christum vendens, solum offendit æternum patrem, ad quem filius relationem dicit; simoniacus autem Spiritum sanctum irritans, omnes consequenter offendit personas divinas, quia spiritus sanctus est Patris & Filii nexus. Ratio itaque, quare Christus hodie, etiam cum aliquali sui præjudicio, statuerit propriis ipse manibus flagellum agitare, fuit hæc; quia scilicet sufferre nequibat in templo tales delinquentes; quin etiam ut insuper intelligeremus, hujusmodi prævaricatores talia ac tanta promereri supplicia ut solus Deus illos punire valeat.

Aliud Simoniæ malum.

XV. Ast hic novum consurgit dubium, præteritis longè gravius; observastisne, quam profanatoribus illis Christus pœnã inflixerit? *Cum fecisset flagellum de funiculis*: Salvator ardenti motus zelo, ut sacrilegos istos castigaret, flagellum adhibuit. Ubi acceperat dictos funes? ab ipsis negotiantibus; ut scilicet discamus, nos à Deo per eadem puniri instrumenta, per quæ nos eum offendimus. Nonne Judas periit, suspensus in collo? utique: *Laqueo se suspendit.* Quod fuerat ejus peccatũ? traditio, quando dixit. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* unde vox illa procedebat? ex gutture. Itane? subsumit V. Beda: *Dignam sibi pœnam Judas invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Subtilius S. Joannes Chrysostomus inquit; volebat Judas osculari Christum in horto, quia autem staturæ erat pusillæ, non nisi extenso collo, ad divinum os pertingere poterat. O infamis, inquit S. Doctor, *O miser atque infelix guttur, quod hodie Domino ostendis ad osculum crastina die extendes ad laqueum.* Omnium optimè sanctus Leo: quem Judas offendit in traditione? caput Ecclesiæ sanctæ: *Caput Ecclesiæ Christus.* Judas itaque suspensus, inq; capite punitus periit, quia verum caput, quod Deus est, offenderat: *Iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaverat caput, intra verticem retromisit, ut haberet impietas carnificem, & pateretur pœna supplicium.* Lex etenim infallibilis in cœlo lata est: *Per quæ quis peccat, per ea & punietur.* Et Augustinus subdit: *Quæ sunt oblectamenta homini peccanti, sunt instrumenta Deo punienti.* Negotiantes illi Deũ offenderant in funibus, quibus sua asportarant mercimonia, per eosdem itaque funes etiam fuere castigati.

Matt. 27. vers. 5.
Cur Judas periit laqueo.
Matt. 26. v. 15.
Bed.
Chrys.
S. Leo ser. de passion.
Sap. 11. v. 17.
S. Aug.

XVI. Sed ignosce mihi ô justissime Deus; videris namq; mihi debitè indignari non posse, ut tam sceleratum punias populum, latrones, fures, falsarios, simoniacos; ut infames, ut sancti templi profanatores, sacrarum rerum venditores ut plectas, disciplinam adhibes? fulmen de cœlo descendere debuisset, terram aperiri convenisset, quæ omnes vivos absorpsisset; aut ad minus integram verberum furiam in eos emisisses; sed cum una virga funacea? Notate in præsenti insignem quandam cum Hugone Cardinali considerationem. Ego, inquit, ille, invenio, Christum ardenti zelo totum succensum, flagellum quidem in manus assumpsisse; ast nullibi lego, Christum eodem delinquentes percussisse. Quid facis ô Domine? cur flagellare differs populum adeo temerarium? Necdum completum est dubium, neque adhuc finita Hugonis observatio.

ut primum comparuit Christus cum flagello in manu, tota civitas stupore impleta, clamare cœpit: *Quis est hic?* qualis est iste, adeo cholericus, rigorosus & severus? ad hæc supervenientes pueri, elatâ voce clamare incipiunt: *Hic est Jesus, Propheta à Nazareth.* Hunc quem videtis cum virga in manu, sciatis esse Jesum Salvatorem. O gratiosi pueri figite tantisper innocentes gressus vestros: Christus flagellat, & vos dicitis, quia salvat? ecce vobis secundum dubium. Christiane à Deo flagellaris? ita; esto bono animo, quia salvus es; hæc enim est Christi Jesu conditio, quando ille nos percutit, tunc sanat; quando nos exspoliat, omnibusque privat temporalibus bonis, tunc nos cœlestibus locupletat; quando ille nos à se propulsat & deseruisse videtur, tunc ipse nos in Paradisum sublevat. Stabiliamus assertum per scripturam sacram.

Christus puniens sanat.

XVII. Prius tamen non pigeat audire id, quod circa hodiernum Evangelium doctus quidam nostrorum temporum pater observat, inquiens, flagellum in manu Christi non vocari absolute flagellum, sed *quasi flagellum*; ita namque Evangelista scribit: *Cum fecisset quasi flagellum.* Quid sibi vult *Quasi*? quia flagellum in manu Dei non est malum, dicente S. Ambrosio: *Malum quod plerumque putamus, non est malum.* Quid ergo est? Est ingens nobis beneficium? juxta illud Regii psaltis: *Bonum mihi, quia humiliasti me*; circa quæ verba D. Augustus ita discurrit: *Humiliatus sum & bonum est mihi flagellatio à Deo, & pœna est & gratia est.* Et quantumvis flagellum vobis videatur malum, quia nimirum in effectu miserabilis est paupertas, injuriæ præjudiciosæ, infirmitas molesta, terribilis mors nihilominus nullum ex his omnibus est malum. Quid enim ardens iste in fornace babylonica ignis, quid inquam, mali intulit pueris Hebræis? nihil, respondet S. Hieronymus: *Vinculis stricta sunt corpora; uruntur vincula, corpora non uruntur.* Ardens flamma fortunatos illos juvenes cingebat quidem, at nullum eorum contingebat capillum; ardebat sine læsione, osculabatur sine morsu; vincula consumebat non corpora: flagellum itaque in manu Dei non est malum; imò non solummodò non est malum, sed etiam bonum: *Quanta bona facta sunt justo, de malo injusti?* Inquit S. Augustinus; iniquus seu impius, qui flagellum est justi, in manu Dei infinita natus est producere bona, prout apertè Propheta David attestatur, dum ait: *Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es & misertus es nobis.* Circa cujus textus glossam ita exclamat S. Augustinus: *O ira misericors & salubris indignatio; ô ira misericors, quæ sic irascitur, ut subveniat; sic minatur, ut parcat; sic aufert, ut restituat; sic tradit ut eripiat, sic destruit ut muniat, sic abiicit ut recipiat.* Ira Dei nostri est ira misericors, odiens ut amet, derelinquens ut auxilietur, minitans ut ignoscat; spolians ut reddat, destruens ut fortificet, proiiciens ut suscipiat. Si itaque flagellum Dei est malum, operativum boni, utique flagellum non est, sed *quasi flagellum*.

Confirm.

S. Amb. l. de Parad. c. 2.

Ps. 118. v. 71.

D. Aug. in Ps. 118.

S. Hieron. in c. 3 Dan.

Flagellum in manu Dei non est malū.

Ps. 59. v. 3.

Sed bonū.

XVIII. Demus etiam, flagellum Dei nullam tibi afferre utilitatem aut bonum, sed potius esse malum, tibique causare malum; si hoc malum te impedit & avocat à majori malo, nonne pleno ore profiteri deberes, ipsum non esse flagellum, sed *quasi flagellum?* audi insignē Tertulliani discursum, valde à magno P. Augustino approbatum. Dic mihi, inquit magnus ille Afri-

Africanus, quid est horribilius, Chirurgum, qui instrumentis armatus, acutissimis novaculis penetrat usque ad ossa & medullas? qui ferris acuminatis juncturas dividit & nervorum conjunctionem, qui carnes ignitis comburit nodis, membra concutit sine compassione, neque ullam præterit afflictissimi corporis partem, quam non excruciet; quam mordacissimis non irritet cataplasmis? audit Chirurgus gementem, mugientem, stridentem miserum infirmum, & nihil tenerescit in ullo, quin potius ad instar petræ durus persistit; eum carnificē vocat infirmus inhumanum & crudelem hominum occisorem; sed flocci hic facit scommata, nullis flexibilis aut retardabilis contrariis protestationibus, adjurationibus, injuriis aut minis, sed omnibus major, ne apicem præterit ejus, quod sibi proposuit; dividit, lacerat, stringit, distrahit, exprimit, invertit, discerpit sine ulla pietate, omni absq; misericordia: imò inter agonias & infirmi deliquia, inter circumstantium lacrymas & funestissimæ istiusmodi carnificæ in horrores, magis magisque incrudescit. Quis crederet unquam, hunc tantis confectum tormentis, debere postea magno cum affectu, gratiarum pendere actionem suo artifici? exosculari manus illas, quas paulo ante mutilas desiderabat & truncatas? easdem auro & pretiosis replere donariis? id quod per dies singulos ab iis factitari videmus qui desperatam salutem per media adeo atrocia, sed salutaria tormenta, recuperant. Ita pariter & omnino sese gerit Deus nobiscum, eandem in nos piam ille crudelitatem exercet. Destituit te corporali sanitate, ut Infirmitatem auferat Spiritus; Privat te filio, quia nimius in hunc amor oblivionem

Discursus de Chirurgis.

tibi Dei inducebat; permittit obscurati famam, bonumque nomen tuum, quia tu ante flocci feceras, ut nomen tuum in librum vitæ referretur: omnia præsentia tibi in amaritudinem vertit, quia ipse solus tua vult suavitas esse & dulcedo. Atque ita bene asserit Tertullianus non esse hanc Chirurgi crudelitatem vere talem, sed quasi crudelitatem: *Est plane quasi sævitia, medicina de scarpello, de cauterio, de sinapis incendio*; nosque cum eo quo ad præsens punctum asserere possumus, flagellum in manu Dei non esse absolute flagellum, sed *quasi flagellum*,

XIX. Hæc Tertulliani similitudo quantum S. Augustino placuerit, audire non pigeat. Volebat Deus, inquit Augustinus, mederi S. Paulo, in mortem proruenti, ideoque illi tanquam medius sese sistebat progressum inhibens, perterrefaciens, lumine oculorum privans. Sed quomodo? respondet cælestis medicus: *Ego percutiam & ego sanabo.* O Paule, ait S. Augustinus, ne expavescas, ne exanimeris; quia ferrum quod vides, auxilium tibi afferet, non interitum, bonum non malum; horrores isti, qui te percellunt, tua erunt salus: *Dolorem ingerit, sed ut perducat ad sanitatem; molestus est, sed nisi esset, utilis non esset.* Id quod & S. Hieronymus in Epistola ad amicum, & in commentariis supra Prophetam Ezechielem, sequenti expressit decursu: *Instar medici non parcit, ut parcat; crudelis est, ut misereatur; nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem.*

Act. 9. v. 4.

Deut. 32. v. 39.

S. Aug. ser. 34. de temp.

S. Hieron.

XX. Nunquid infirmus post liberationem à morte, etiam per crudeles & venenatas medicinas obtentam, gratias medico immensissimas agit? Ita sanè; in quo nos sanctus Rex David insigni præcessit exemplo, dum Deo benefactori suo in-

Pſ.117.v.1 finitas egit gratias dicens: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Sed ô ſancte Propheta, quid tibi præſtitit Deus? quid?
v.18. *Caſtigans caſtigavit me Dominus & morti non tradidit me.* Punivit me, ut non morerer; flagellavit me, ut à majori me flagello eximeret fuitque mera miſericordia, flagellum meum: *Magna eſt ira Dei, cum non iraſcitur,* inquit S. Baſilius, *quæ putatur eſſe aſperitas, clementia eſt.* Non itaque Deum noſtrum, rigidum appellemus & crudelem, quando in nos manus ſuæ flagellum extendit, quia pietas illa, quam nos reputamus atrociam, licet malum exile inferat, grandius tamen malum tollit. Unde etiam is, qui nullam ſibi à Deo adverſitatem aut pœnam infligi videt, nullam ſibi ſecuritatem ſpondeat, quia juxta
Pet. Bleſ. Ep. 9. Petri Bleſenſis doctrinam: *Procul dubio qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus.*

XXI. Super eſt aſſeram, flagellum in manu Dei, malum eſſe æterni cauſativum boni; quod pro coronide S. Auguſtinus probabit, inquiens: *Viriliter*
S. Aug. in Pſ. 26. *age & ſuſtine Dominum. Quid eſt, ſuſtine dominum? id eſt, ſi ad tempus laboras, in æternum non laborabis; brevis eſt moleſtia tua, æterna erit beatitudo tua; ad modicum doles, ſed ſine fine gaudebis.*

XXII. Ex hac doctrina facile mihi erit demonſtrare vobis, quod Chriſtus, dum nos flagellat, nos ſalvet. Agens David ex profeſſo de ſuppliciis, quibus
Pſ.59.v.3. divina juſtitia gentis Iſraëliticæ exceſſus caſtigarat, ita inquit: *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos; iratus es & miſertus es nobis.* Sed quis hæc extraordinarii diſcurſus methodus? Si Deus indignatus erat, quomodo miſericors nuncupatur? Si percuſſit iracundus, ubi itaque benigni ejus favores? Similem contrarietatem in medium producere videtur idem pſalmiſta, dicens: *Deus tu propitius fuiſti eis,* Pſ.98.v.8.
& ulciſcens in omnes adinventiones eorum. Et pro quia: Quoniam ſeveritatem perhibuiſti in caſtigatione populi adeo ſcelerati; ideo in eos propitius fuiſti & humanus. Nonne hic aperta involvitur contradictio? *Si ulciſcens,* ergo flagallat; *ſi propitius,* ergo ignoſcit. Quomodo? fortaſſis divinæ juſtitiæ gladius, haſtam imitatur Achillis, iſtâ famoſam epigraphe? *Vulnus opem gerit?* aut ut loquitur S. Gregorius: *Foris vul-* S. Gre. l.6. mor.c.18.
nera movet, ut intus delictorum vulnera curet. Utraque difficultas mihi in memoriam revocat quandam Jaſonis hiſto- Hiſtor. Iaſ.
riam, qui propter incurabile quoddam apoſtema, quo pectus premebatur, jacebat à medicis depoſitus & deſperatus; hunc itaque die quâdam capitalis ex improviſo invaſit inimicus, qui vibrato gladio, locum feriit apoſtematis, moxque eum, quem credebat occiſum, ſanavit, vice optatæ mortis, involuntariam conferens vitam. Ita quoque Deum nobiſcum procedere atteſtatur Propheta: *Ulciſcens & propitius eſt.* Quando Deus nos caſtigat & flagellat, tunc nobis propitiatur; ſupplicia Dei noſtra ſunt utilitas; ita ut, quando in nos rigoroſiſſimæ juſtitiæ ſuæ manus extendit, tunc nos ſalvificet. S. Bern.
Audite S. Bernardum: *Hoc vocat pro-* ſer. 42. in cant.
pitiatorem, quòd eorum Deus non perpercit exceſſibus; inque eodem ſenſu David Pſ.59.v.3.
diſcurrit, dum ait: *Iratus es & miſertus es nobis. Iratus es.* Ecce vobis flagellum in manibus ejus ad feriendum te; & poſtea ſubjungit: *Miſertus es nobis.* Ecce vobis bonum & fructum noſtrum.

XXIII. Aſt

XXIII. Aſt quorſum ego deſudo ut probem, tunc Deum nos ſalvare, quando nos flagellat? tunc nos ab eo in Paradiſum vocari, quando ipſe nos dereliquiſſe videtur? Nonne hodie Chriſtus ipſemet cum flagello in manu procedit in medium profanatores ſacrilegos ejecturus? utique: *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Quo autem nomine compellatur idem ille Chriſtus, flagello dicto inſtructus? *Hic eſt Ieſus*: id eſt, ſalvator. Concludite igitur liberè atque intrepidè, Chriſtum tunc potius ſe nobis exhibere ſalvatorem, dum nos percutit & flagellat, quàm dum benefacit & remunerat. Cumque vos in anguſtiis & tribulationibus verſantes, ſenſus & animus veſter interrogarit: *Quis eſt hic?* Reſpondete cum pueris: *Hic eſt Ieſus.* Sed pater, in omnibus noſtris miſeriis & adverſitatibus ad quod potius nobis recurrendum erit, utrum nobis è duobus principalius erit nomen invocandum; an ineffabile Dei, an verò dulciſſimum Jeſu? ut deſiderio veſtro abundè ſatisfaciam; permittite mihi, ut ante pauliſper reſpirem.

SECUNDA PARS.

XXIV. Audiſtis hodie, flagella DEi, noſtra eſſe beneficia; cras intelligetis, divina beneficia, noſtra eſſe flagella; ſub hocce problemate. Uter peccator majorem in judicio habiturus ſit Paradiſi certitudinem; an, qui in mundo vivus, favores expertus cœleſtes; an verò, qui inter vitæ hujus pœnalitates, in pœnitentiæ judicium contra ſe ipſum proceſſit vivus?

XXV. Inter Dei flagella, utrum nomen magis nobis poteſt eſſe propitium, an ineffabile Dei, an verò ſanctiſſimum JEſu? Abulenſis in ſecundi illius præcepti explicatione (*Non aſſumes nomen Dei in vanum*) ita diſcurrit: *Majus peccatum eſt, in vanum accipere iſtud nomen Ieſus, quàm hoc nomen, DEus.* Gravius eſt peccatum, vanè exprimere ſanctum nomen Jeſu, quàm ipſum nomen Dei. Sed quomodò? nunquid Dei ſanctum nomen eſt ineffabile, unitatem ſignificans eſſentiæ & æterni patris perſonam ſupponit? utique; quomodo igitur nomen Jeſu majorem ſibi venerationem vendicabit, quàm nomen DEI. *Abul in Exod. c. 20.* *Exod. 20. v. 7.* Abuſus nominis JEſu, quantum ſcelus.

XXVI. Dubium hoc meæ confeſtim memoriæ ſuggerit illam Apoſtoli doctrinam: *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Audito nomine JEſu ſanctiſſimo, nullum non in cœlo, terra & inferno, genu incurvetur. Placebit aliquantiſper textui huic immorari. Infernum ad ſanctos JEſu pedes ex timore metuque corruere, non eſt cur probem; ſiquidem de facto cum Chriſtus appropinquaret Genezareth, eveſtigio diabolus *Videns à longè Ieſum, ſtatim cucurrit & adoravit eum*: circa quæ verba S. Bonaventura ita ſcribit: *Omnes dæmones in nomine Ieſu contremiſcunt*; cujus hanc aſſignat rationem: quia quando in mundi principio, Lucifer contra Deum rebellavit, in virtute JEſu in abyſſum corruit præcipitatus: *Nolite mirari, ſi nomen Ieſu omnes dæmones expaveſcunt, quia ejus virtute ſatanas cum omnibus Angelis ſuis de cœlo expulſus, cecidit ſicut fulgur.* Difficultatem itaque nullam patitur aſſertum Apoſtoli, dicentis, quòd ad JEſu nomen, genu flectat infernus. *Pſ. 2. v. 10.* *Marc. 5.* *S. Bonav. to. 2. ſer. 4.* Infernus adorat JEſum.

XXVII. Neque etiam admiror, ad idem ſanctum JEſu nomen, omnes terrenas, etiam inanimatas proſterni creaturas. Nunquid enim terra, ut JEſum mor- *Et omnes creat. inanimatæ.*

mortuum majori cum reverentia exciperet, suum prius excussit pulverem? utique: *Terra mota est.* Aquæ maris JEsum veneraturæ, nonne in solidam transiêre terram, ut sicca iis Christus imprimeret vestigia? ita sanè: *Ambulabat Iesus super aquas.* Nunquid & luminaria cœlestia, dum JEsum viderent mortuum, suos pariter vultus nigro obtexêre velamine? *Tenebræ factæ sunt super universam terram.*

Matth. 27. v. 51.
Matth. 14. v. 25.
Matth. 27. v. 45.

XXVIII. Quoad creaturas viventes, idipsum longè clarius patet. Augustissima Domina Maria, quæ ad primam Angeli salutationem turbata, dixerat: *Quomodo fiet istud?* mox ut audiit: *Vocabis nomen ejus Iesum:* evestigio humillimè prostrata, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Quid Maria. Luc. 1. v. 34. v. 31. v. 38.

XXIX. S. Paulus, qui ferox gradiebatur Ecclesiæ sanctæ persecutor, auditâ illâ voce: *Saule, Saule, cur me persequeris?* Subitò quæsivit: *Quis es Domine?* & ut responsum: *Ego sum Iesus Nazarenus;* sine mora corruit in terram; qui postea tanto exarsit in JEsum amore, ut vivus in omnibus epistolis suis ejus memor, ipsum 219. vicibus expresserit; & mortuus, truncato capite, tribus vicibus JEsum inclamarit.

An S. Paulus quoque. Act. 9. v. 4. v. 5.

XXX. S. Augustinus Manichæorum sectâ contaminatus, vocem audiit dicentem sibi: *Tolle, lege; tolle, lege.* Apertoque libro, illum sacræ scripturæ textum subitò reperit: *Induimini Dominum IEsum Christum.* Moxque ut oculos deflexit ad nomen JEsu: *subitò omnes dubietatis tenebræ diffugerunt.* Atque adeo clarum manet, tam infernum quàm terrâ adorare Jesum.

Rom. 13. v. 14.

XXXI. Sed quomodo verificabitur S. Pauli assertum, inquientis, cœlorum quoque incolas, sancto Jesu nomini sua incurvare genua? ad hoc S. Bonaventura ita respondet: *Divus Paulus raptus fuit usq; ad tertium cœlum, & Dei amore succensus, statim dixit: ô Iesu, dulcis amor meus; ad cujus sancti nominis invocationem, statim illi cœlestes spiritus genua flectentes, adoraverunt illum.*

An etiam cœlum. S. Bonav.

XXXII. Sed quomodo? nonne Angeli in cœlo semper de facie ad faciem semper DEUM contemplantur? Ita; *Angeli eorum semper vident faciem patris:* Quomodo ergò ad trini uniusque Dei præsentiam non genuflexi, dictam soli JEsu nomini reverentiam exhibent? nequaquam admiremini, quia ipsæ divinæ personæ in maximo pretio habent sanctum Jesu nomen. Utrum vos arbitramini à Patre æterno majoris habitum fuisse; an divinum verbum filium ejus, an verò sanctum Jesu nomen? resolutionẽ vel ex eo deducere potestis, quòd scilicet Pater æternus in thesauro suo cœlesti nullum habuerit donum pretiosius, quod Verbo incarnato conferret, quàm sanctissimum JEsu nomen. Unde S. Paulus inquit: *Propter quod & Deus exaltavit illum; & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Notate, videtur namq; Pater æternus pluris æstimasse sanctum hoc nomen, quàm ipsum filium; quia filium remuneraturus, sanctũ illi nomen impertiit Jesu; unde & ante incarnationem, Christũ hoc nomine nuncupatũ fuisse, Lucas Evangelista in hæc verba attestatur: *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.*

Matth. 18. v. 10.
Nomen Jesu, donũ est Patris.
Phil. 2. v. 9.
Luc. 2. v. 21.

XXXIII. Ipsemet æterni Patris filius huic fortasse nomini reverens non fuit? quid aliud significat illud *inclinato capite* in cruce, nisi sancti hujus venerationem: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum?*

Ioa. 19. v. 30. Ioan. 19. v. 19.

XXXIV. Spiritus sanctus nunquam de cœlo descendere voluit, nisi in nomine Je-

ne JEsu, ipso Christo per S. Joannem attestante: *Spiritus Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo;* Missus autem, *etiam in divinis,* recognoscit mittentem pro suo principio, eique particularem defert respectum. Ergò & ipsæ personæ divinæ sanctum hoc nomen maximi fecêre. Quam ob causam dici arbitramini: *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto?* Nisi ut certificemur, tanti esse valoris Jesum, ut solum ejus nomen, virtutem afferat Spiritus sancti.

Ioan. 14. v. 26. — *1. Cor. 2. v. 3.*

XXXV. Imò si Christiana mihi pietas permitteret, affirmarem, tantum esse valorem Jesu, quantum totius sanctissimæ Trinitatis. Dicite mihi ô docti, potestne hodie baptismus licitè institui cum hac duntaxat forma: *Ego baptizo in nomine Iesu Christi?* sacrum Tridentinum Concilium anathematizat quemcunque ita facientem, quia tota personarum Trinitas exprimi debet juxta illud Christi præceptum: *Baptizantes eos in nomine Patris & filij & Spiritus sancti.* At si ita est, quæritur Apostoli in primitiva Ecclesia baptizabant *in nomine Iesu Christi?* Communis S. Thomæ, omniumque Theologorum responsio est, Apostolos baptizasse *in nomine IESV, ex peculiari dispensatione divina.* Ego dicerem Apostolos baptizasse *in nomine IESV*, quia sanctum hoc nomen totam implicite continet sanctissimam Trinitatem, *IESVS* appellatur filius, filius autem necessariam dicit relationem ad patrem, pater item & filius, mediâ virtute spirativâ, relationem dicunt ad Spiritum sanctum. Quæ si vobis assertio videatur insolita, dicite mihi; quis CHRISTO hoc nomen JESU imposuit? pater æternus: *Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen.* Spiritus quoque sanctus à quo fuit in mundum missus? in nomine JESU, quemadmodum audistis: *Spiritus paraclitus, quem mittet pater in nomine meo.* Nomen itaque JESU toti sanctissimæ Trinitati æquivalere videtur.

Jesu æquivalens Trinitati. — *Matth. 28. v. 19.* — *Phil. 2. v. 9.* — *Ioan. 14. v. 26.*

XXXVI. Atque eandem ob causam crediderim ego, omnes ecclesiæ sanctæ orationes ita terminari: *Per Dominum Iesum Christum*; quare enim non dicitur: *Per Dominum patrem omnipotentem*; vel *per Deum Spiritum sanctum?* Scitisne quare? quia tantundem est dicere *per Dominum Iesum*, quantum *per totam Trinitatem*: Bene itaque asseruit Abulensis, gravius esse peccatum, varie proferre sanctum Jesu nomen, quàm ineffabile Dei; quia ut ipsemet Abulensis subiunxit: *Ecclesiæ communis & laudabilis consuetudo magis honorat hoc nomen IESVS, quàm hoc nomen DEVS* Ad protestationem sancti nominis JESU, omnes discooperiunt caput, exhibentes obsequii & venerationes signa, id quod non fit audito nomine Dei.

XXXVII. Sed unde hoc suam potest trahere originem? Ecce novam vobis considerationem, sancti hujus nominis Jesu magnificentiæ demonstrativam: Prætereo, nomen Dei, tanquam universale, ab omnibus invocari Turcis, Hebræis, infidelibus & quibuscunque aliis, solis exceptis atheis; cum tamen sanctum Jesu nomen, tanquam salutis origo, à solis invocetur Christianis. Sileo pariter, per nomen Dei, solum importari titulum Creatoris; cùm tamen nomen Jesu Redemptorem exprimat & Salvatorem.

XXXVIII.

XXXVIII. Si autem illam videre avetis, quam nomen JEsu, præ nomine Dei dicit excellentiam, in memoriam revocetis oportet illa, quæ supra cum S. Paulo attigimus. Sanctum JEsu nomen ab æterno tota sanctissima Trinitas Christo præservavit, dicente Gersone: *Non quidem fortuitò fuit nomen Iesus impositum Christo, sed ex supremæ Trinitatis consilio, nec ex tempore tantummodo, sed æternaliter, quoniam ante solem permanet nomen ejus.* In tempore autem ipsi idem obtigit, in præmium humilitatis, obedientiæ & pœnosæ passionis. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Si igitur ex pretio in notitiam deveniri potest valoris cujusque rei comparatæ, incipite meritorum Christi valorem æstimare ac ponderare ab eo; *Exinanivit semetipsum*: usque ad illud: *Emisit spiritum.* Nonne quæcunque minima planctus ejus, sudoris & sanguinis stilla sufficiens erat pro infinitis redimendis mundis, si tot essent? citra omne dubium. Si itaque pretium, à Christo pro sancto hoc nomine datum, inæstimabile imò & infinitum fuit, dicendum est, sanctissimum JEsu nomen magis infiniti fuisse pretii, quia datum fuit in solutionem meriti infiniti.

Gers. p. 2. de Circumcis.

Nomen Jesu, præmium meritorum.

Phil. 2. v. 8.

ibid. v. 7.

Matth. 27. v. 50.

XXXIX. Ideoque S. Petrus ait: *Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ex quo loco Origenes motivum sumpsit asserendi, sanctissimum JEsu nomen esse omnium bonorum nuncium. *Ex hoc*, inquit Origenes, *facile intelliges, quomodo omnia bona sit Iesus; si vita bonum est, Iesus est vita; si resurrectio est, Iesus est lux vera & resurrectio: quid amplius: Thesaurus omnium bonorum est IEsus.* Quæ bona potest ulla desiderare anima? bona fortunæ, gratiæ & gloriæ? *In hoc nomine consequimur victoriam, veniam, gratiam & gloriam*; inquit S. Bonaventura.

Act. 4. v. 12.

Et nunciũ bonorum omnium.

Orig. in præfat. Ioan.

S. Bonav. ser. 4. de Circumcis.

XL. Id quod ipsemet Christus juramento confirmans, appromisit, dum ait: *Amen amen dico vobis, si quod petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Juro vobis per DEum illum, qui ego sum, nihil omnino vos in nomine meo petituros, quin illud æternus pater meus vobis concedet.

Ioan. 14. v. 13.

XLI. Victoriam vultis visibilium atque invisibilium inimicorum? per sancti nominis JEsu invocationem, obtinebitis triumphum. Pastorculus David quo medio Gigantem Goliathum attrivit? per unicam petram seu lapidem, cui nomen *Iosue* inscriptum erat, quemadmodum ponderavit Philo Hebræus, inquiens; *Fundâ jecit lapidem & percussit Philisthæum in fronte.* Si vel sola, quantumvis remota, nominis JEsu umbra, victoriam non modò à Gigante uno, sed ab omnibus retulit Philisthæis, quid non præstabit ipsa sancta hujus nominis veritas? *Tu venis ad me*, dicebat David, *In gladio & hasta; ego autem venio ad te in nomine Domini Iesu.*

Phi. Heb. li. de antiq. bibl. circa finem.

JEsu umbra victoriosa.

1. Reg. 17. v. 45.

XLII. Liberationem quæritis à quacunque infirmitate? Sanctum JEsu nomen est cœleste balsamum, quod optatam vobis conferet salutem. Paralyticus per 38. annorum spatium, continuò mancus degens in piscina, unde suam consecutus est sanitatem? Respondeat S. Bernardus: *O stulte, quid tibi cum aqua? si vis recipere sanitatem, ecce fons olei misericordiæ Iesu nomen est, in quo te nullus prohibet lavari.*

Nomen J. sanat.

Ioa. 5. v. 5.

S. Bern. serm. de divite.

XLIII. In mundo diversari vultis sine discrimine? in corde circumferatis sanctũ

Et eripit periculis.

[Et eripit periculis.] Jesu nomen, securi, vos omnia hujus vitæ pericula superaturos. Christus ad Ananiam loquens, scias, ait, Anania, me Paulum [Act. 9. v. 5.] elegisse in vas electionis, *ut portet nomen meum in gentibus*, Sed ô bone Deus, ergone elegisti Paulum, ut tuum duntaxat nomen prædicaret? nonne divinam tuam essentiam prædicare, nonne debebat tua divulgare miracula, tuæ testimonium mortis perhibere, tuam propalare resurrectionem, nonne debebat tuum ultimum adventum in judicium denunciare? ita: quomodo igitur eum elegisti, ut tuum duntaxat portet nomen? Ecce vobis mysterium. Erat Paulus per mundum oberraturus universum, pericula subiturus in mari & terra, in sylvis & civitatibus; insidias passurus ab amicis & fratribus & tyrannis; quemadmodum ipsemet in hæc [2. Cor. 11. v. 26.] verba attestatur: *Periculis in terra, periculis in mari, periculis in falsis fratribus*; ut itaque Apostolus à tot ac tantis eriperetur casibus & malis, nihil præter nomen meum portet, necessum est: *Vt portet nomen meum.* Hoc eum nomen salvabit in terra & mari, eripiet ex carceribus, triumphare faciet contra inimicos, Audite B. [B. Mich. de Carc. ser. 8. de Nativ.] Michaëlem de Carcamo: *Errando in multis periculis, sive equitando, sive itinerando, sive per mare eundo, sive tacendo; in Iesu nominis invocatione illæsus evasit.*

XLIV. Scelerum admissorum remissionem efflagitatis? *In hoc nomine veniam consequeris*; inquit S. Bonaventura, S. [S. Ber. ser. 4. de circum.] Petrus quoque an asserere dubitavit? *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus* [Et veniam donat.] [Act. 10. v. 13.] Et iterum quo fine Christus in Mundum venit, nisi propter peccatorum salutem? [1. Tim. 1. v. 15.] *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Quis Judâ perversior, quis eo in culpa sua fuit obstinatior? & nihilominus, inquit S. Euthymius, si, dum [S. Euthym.] pænitens aiebat: *peccavi, tradens sanguinem* [Matt. 27. v. 4.] *justum*: Si tunc sanctum Jesu nomen expressisset, forte damnationem subterfugisset, quia *longè est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio.* [Nomen Jesu salvasset Judam.]

XLV. Quidni sanctum Jesum nomen omnium nobis peccatorum commissorum veniam impetrabit, quandoquidem [J. dat gratiam.] divinâ nos justificante gratiâ locupletat? gratiæ hujus dispensator est Spiritus sanctus: *Imple superna gratiâ, quæ tu creasti pectora*: Sed Spiritus sanctus ad nos visibilis descendit per Jesum: *Paraclitus, quem mittet pater in nomine meo*: Ergo Jesus, dum corde à nobis invocatur, divinam nobis confert gratiam. Vultisne, clarius idipsum probari? Gratia divina nos adoptivos efficit Dei filios, cœlique cohæredes; omnes autem, quotquot sancto Jesu nomini devoti sunt, filiationem Dei sibi comparant, teste S. Joanne, dum ait: [Ioan. 1. v. 12.] *Dedit eis potestatem filios fieri*; quibus nam data est potestas, ut filii Dei evaderent? *His qui credunt in nomine ejus.* Omnibus invocantibus sanctum nomen Jesu, collata est dicta amplissima potestas. An forte dissimilem doctrinam exhibuit Apostolus, inquiens: *Gratia Dei per Iesum Christum.* [Rom. 7. v. 25.]

XLVI. Non modò gratiam, sed & gloriam nobis affert sanctum Jesu nomen; [Et gloriam.] unde S. Bernardinus Senensis ait: *Scito, quod nullus ibit in vitam æternam, nisi cum illo nomine Iesu inscripta in fronte.* Unde felix ille latro dicto; *Domine memento mei*: [Luc. 23. v. 42] subito audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso*? [v. 43.] Scitisne unde? ex sancto Jesu nomine, crucis vertici affixo; ex eo ille lumen notitiamque hausit, Christus esse beati illius regni Dominum. Ecce vobis aptissimam beati Arnoldi Carnotensis sententiam: *Ad illum titulum, qui erat super-* [B. Arn. Carn. ser. 7. de 7. verb. Do.]

scriptus in cruce, respexit bonus latro, & illam scripturam toto corde perlegens, à Iesu meruit audire, hodie mecum eris in Paradiso.

S. Th. Ser. de Circum. XLVII. Coronidem imponat S. Jesu nominis encomiis, Angelicus Doctor: *Et nomen istud admirabile*, inquit, *& laudabile satis, estque amabile, quia peccatores justificat, justos lætificat, tentatos adjuvat, justis gratiam augmentat & salvat omnes, qui invocant ipsum.* Et S. Bernardus: *Iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ ac totius dedecoris pruriginem fugat.* S. Bern. ser. 15. in cant.

XLVIII. O nomen sanctissimum & omnium laudabilissimum, ut fusius tuas ego excellentias depromam, urget affectus, sed virium obstat defectus, ideoque cum Regio psalte exclamabo: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.* Ps. 8. v. 2. Sanctissimum nomen tuum ipso Dei nomine venerabilius est, quia hoc tibi tanquam vero Deo, in meriti infiniti præmium obtigit, quia igitur omne in te naturale & supernaturale continet bonum, da nobis gratiam, ut visibiles & invisibiles nostros vincamus inimicos, inque debilitatibus nostris, cum salute corporis indulge & animæ, remitte nobis errores præteritos, nos tuos recognosce filios, & tandem tuâ nos gratiâ dicta hîc in terris, ut tua tecum gloriâ gaudere possimus in cœlis. Amen.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

FERIA IV. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

DISCURSUS

Divina beneficia peccatoribus exhibita, esse supplicia; item de pœnitentiæ, immediatè post admissum peccatum adimpletæ valore.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt. Matth. 12. v. 41.

PROBLEMA

Uter peccator in die judicii, majorem sit habiturus Paradiso certitudinem; an ille, qui vivus in mundo cœlestibus fuit gavisus favoribus; an verò alter qui totus in hac vita ærumnosus, judicium pænitentiæ contra seipsum intravit vivus?

INTRODUCTIO.

1. HOdie ô Auditores curiosum vobis asporto problema sagaci vestrâ dignũ intelligẽtiâ. Duo in hodierno evangelio reperiuntur peccatorum genera; hinc Hebræi,

Hebræi, sed peccatores, centum imò & millenis à Christo præventi gratiis: illinc verò Gentiles, etiam quidem peccatores, sed omnibus destituti cælestibus bonis; quinam ex iis in die judicii, majorem habere poterit Paradisi securitatem. Ut dubii gravitas manifestius vobis innotescat; suppono ex Theologia, Deum neutiquam obligatum esse peccatoribus, dicente Apostolo: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Et quantumvis difficilis inter doctos ventiletur quæstio, utrum peccator, primæ gratiæ, *saltem dispositiva*, possit esse causa; nihilominus certum est, quod *nulla dispositio, quantumcunque perfecta, est meritoria de condigno primæ gratiæ.* Potest quidem esse causa meritoria *de congruo*, id est, impetratoria primæ gratiæ, non tamen causa meritoria, *ex justitia*, gratiæ justificantis. Suppono insuper, Deum justis obligatum esse, *ex justitia*; ita ut actus foret injustitiæ, iis negare gloriam; dicente Apostolo. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus est judex. Corona justitiæ?* ex justitia Deus est obligatus justo. Quamvis insuper inter doctos disceptetur, an Deum inter & hominem vera possit dari justitia? nihilominus semper hæc mihi quæstio visa fuit de solo nomine; quia ut tradit Ægidius Romanus, dum de justitia rigorosa tractat, alio nomine nuncupata, *justitia secundum esse*, hæc non potest reperiri inter Deum & creaturam; quia *justitia in rigore est ad alterum, & debet esse inter duos quorum quilibet sit sui juris*; sed creatura propriè *non est Domina sui juris*, quia quidquid possidet, à Deo habet: *Quid habes, quod non accepisti?* Unde loquendo de justitia *secundum quid seu secundum modum*, quæ proprie fundatur in gratia, hæc potest esse inter Deum & creaturam; quia supposita gratiâ sanctificante, potest creatura opus aliquod exercere, quod ex iustitia sit meritorium gloriæ; hujusque justitiæ meminit Apostolus, dum ait: *Reposita est, mihi corona justitiæ.* Concludo itaque, Deum nullatenus obligatum esse peccatoribus ex justitia rigorosa, neque ex justitia *secundum quid*; justo autem quamvis obligatus non sit, per justitiam *secundum esse*, nihilominus ei obligatus est justitiâ *secundum modum.*

Tit. 3. v. 5.

Deus non obligatur iniquis.

Sed justis.

2. Tim. 4. v. 8.

Ægid. Rom. in 3. sent. dist. 19. q. 1. ar. 4.

Inter Deum & creat. non datur justitia stricta.

1. Cor. 4. v. 7.

2. Tim. 4. v. 8.

II. Hoc supposito, aggrediamur propositum nostrum, veniens in mundum Deus, homines forte quæsivit justos? non; sed potius propter peccatores venit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Sed dicite sodes, quos peccatores Deus maximè sibi ducit cordi? illosne, qui viventes centenas & millenas ab eo gratias accepêre: an vero alias, qui omnino infelices, sese judicio pœnitentiæ sistunt vivos. Resolutionem eruamus ex hodierno Evangelio, Hebræi peccatores quidem erant, tanquam populo nihilominus electo varios cœlum indulsit honores & favores, in sacrificiis, Prophetis & veri Dei cognitione; & quod majus est, ipsiusmet Christi morte: *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Gentiles etiam peccatores erant, sed omnino infeciles, sine fide, sine gratia, sine Prophetis. Et nihilominus quid de iis hodie asserit Evangelista? *In judicio surgent viri Ninivitæ cum generatione ista & condemnabunt eam.* In judicio finali gentiles transferentur ad Paradisum, Hebræi ad infernum. O Deum imortalem! ergone Christiani, cælestibus in mũdo cumulati beneficiis & gratiis, in judicio condemnabuntur? econtra autem, qui in hoc mundo exstitêre infelices & cœlesti-

Matt. 9. v. 13.

Luc. 11. v. 29.

cœlestibus destituti favoribus, in die illo fatali de sua salute certi erunt? idipsum hodie primo loco discutietur, cui deinde aliud curiosum succedet. Quid scilicet Gentiles ad subitaneam adeo mutationem & pænitentiam tantam induxerit, ut ad solam Jonæ vocem, idololatriis relictis, mediâ pœnitentiâ ad tantam evaserint sanctitatem, ut in judicio universali futuri sint judices, qui condemnent Hebræos. Deus ille Crucifixus Jonâ major est: *Ecce plus quàm Ionas hic*: cum igitur ipse hodie per vocem meam vos alloquatur, attentas ei & reverentiales aures præbete, dum incipio.

Matt. 12. v. 41.

III. Ut autem discursus initium faciam, te ego interrogo ô homo; esne peccator? ita pater. Deus ne singulares tibi contulit gratias? ita pater. Non ego te perditum, non te assero damnatum, sed plurimum timeo de salute tua; solumque dico: si in peccato es, & Deus simul te gratiis & favoribus afficit, exhorresce, quia in maximo verfaris æternæ damnationis periculo. Non recedamus ab hodierno Evangelio. Accedentes hodie Christum Scribæ & Pharisæi, illi dixere: *Magister, volumus à te signum videre.* Præceptor chare, volumus ut doctrinam tuam aliquo stabilias signo. Quibus Christus: *Generatio prava & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Jonæ Prophetæ.* Gens hæc barbara à me requirit signa, & nullum videbit præterquam illud Jonæ, quod meam denotat mortem. In hoc Christi responso, apertam invenio contradictionem. Populus ille pharisaicus hebraicæ flos erat professionis, quomodo eum Christus nuncupat adulterum? sique gens erat indigna, quare Christus pro eadem se moriturum appromittit? *Signum non dabitur, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Sique pro ipsa se occubiturum pollicetur, cur eandem postea de sua damnatione certificat, dicens: *Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam.* In die judicii consurgent Ninivitæ, ad perpetuam mortem condemnaturi Pharisæos.

Favores cœli an optandi.

Matt. 12. v. 38.

v. 39.

ibid.

v. 41.

IV. Dubium hoc, quod omnium hodie dicendorum fundamentum est, requirit, ut primò petitionem Pharisæorum & deinde Christi ponderemus sollicicitè responsum. In sollicitatione Pharisaica tres eminent gravissimæ imperfectiones. prima fuit adulatio. *Magister.* Ore eum magistrum vocitant, quem in corde ne quidem bonum reputant discipulum: *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Quid est adulatio? peccatum dæmoniorum. S. Petrus amoris impatiens, ut suum in Christum attestaretur affectum, in horto, sancto cum zelo auriculam amputavit Malcho; subitòque Christus, etiam non rogatus notabile perpetravit miraculum, restituendo auriculam servo. Justissima hic mihi sese causa offert interrogandi, quibus hoc miraculum præstiterit Christus? inimicis. Quo tempore? quando Christus pessimè habebatur à Judæis. Subsistite precor tantisper mecum. Hodie idem Christus rogatus à Pharisæis, ut dignaretur miraculum aliquod patrare: *Magister, volumus à te signum videre*: non modò aspere injurioseque respondit: *Generatio prava & adultera*; sed iis insuper, qui ipsum alloquebantur in prima persona (*Magister volumus*) in tertia persona responsum dedit, inquiens: *Signum quærit, & signũ non dabitur ei.* Quodque amplius est aversis oculis ab iis, qui divinam gratiam postulabant, ad illos solummodo se convertit, qui eum paulo ante, satanæ ministrum

Adulatio peccatum dæmonis.

Ioa. 7. v. 15.

Matt. 26. v. 52.

Matt 12. v. 38.

v. 39.

Luc. 11. v. 15. strum nuncuparant: *In Belzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* O sancte Deus ab iis laudes, ab his accepisti injurias; ab iis persecutionem, ab his passus sublimationem; & nihilominus ad capitales inimicos tuos conversus, electis tuis dorsum obvertis, qui te titulo insigniunt magistri.

V. Locum hunc alio simili elucidemus. Eunti Christo in Genesareth, diabolus, qui inibi morabatur, occurrit: Marc. 5. v. 6. *Videns à longe Iesum, statim cucurrit & adoravit eum.* O quanta humilitas, inquit in præsenti S. Chrysologus: *Quid est superbissime Satan? quem promissione regni, ut te adoraret, subdolus ambiebas, nunc tremens prolaberis & adoras.* Nonne tu es superbissimus ille spiritus, qui tibi à Christo adorationem exhiberi volebas? utique: Matt. 4. v. 9. *Hæc omnia tibi dabo*: unde ergo hæc tua tanta in præsenti humilitas? Non modo ad Christi pedes se prostravit diabolus, sed insuper ita prostratus, eum confessus est verum esse Dei filium: Marc. 1. v. 24 & 25 *Iesu, fili Dei vivi, scio, quia sis sanctus & filius Dei.* Sed quid illi respondit Christus? *Obmutesce*, Tace ô bestia infernalis. Quid hocce rei ô Domine? diabolus te sanctum, te verum proclamat Dei filium; tuque illi silentium imponis? quid miramini, inquit S. Chrysologus, quia dæmon Chrys. ser. 17. *ut adulator, non ut devotus & obsequens sic adorat.* Putatisne, diabolum hâc suâ occursitatione & verbis aliquod Christo obsequium præstare voluisse? minimè equidem; quid ergo moliebatur? adulari Christo: quid autem prætendebat per adulationem? audite Chrysologum: Adulationis horror. *Credit infelix, ut, quem tentatione vincere, quem muneribus nequivit inflectere, possit adulatione pulsare.* Persuadebat sibi dæmon, fore ut mediâ adulatione, illum Dei filium prosterneret, quem tantis oblationibus demulcere nequiverat. Ipse itaque diabolus adulationem vitium reputat, omnium horribilissimum; ecce igitur hodiernæ Christi contra Pharisæos indignationis rationem. Adeo coram oculis meis, inquit Christus, abominabiles sunt adulatores, ut mavelim, quemcunque mihi juratum hostem, stricto gladio, ad inferendum mihi mortem, approximare, quàm adulatorem. Et ut breviter resolvam, adulator dæmonium est infernale, dicente Chrysostomo sancto: S. Chry. ho. 13. *Blandiri ut noceat, diaboli est; corripere verò ut prosit, est Dei.* Hæcque prima fuit pharisaicæ petitionis imperfectio. *Magister.*

VI. Secunda fuit enormior, cum enim Pharisæi essent servi & subditi Christo, aggrediuntur nihilominus eum imperio & jussione, dicentes: *Volumus.* Suã quærens voluntatem, est rudis. Quis quis vult res suo dirigi modo, Deumque suæ accomodari voluntati & inani mentis motui, omnino rudis est & idololatra, ut superius probavimus, imò & condemnatus. Christus in transfiguratione super montem Thabor, adeo venustus & gratiosus resplenduit, specialiter autem sancto Petro, ut hic nimiâ illâ pulchritudine raptus totusque absorptus, se continere nequierit, quin in hæc verba prorumperet; ô felicem incolatum! *Bonum est, nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum & Eliæ unum.* Matt. 17. v. 4. Omnes Evangelistæ, factum hoc recensentes, Petro titulum attribuunt ignorantis: *Erat nesciens, quid diceret.* Quomodo? S. Petrus tantus Theologus, in ipsa Christi schola edoctus, *erat nesciens?* Marc. 9. v. 5. Petrus itaq; dum gloriam quærit, rudis dicendus erit? ita quia quisquis suam sequitur voluntatem, stultum imitatur, qui semper

molitur contraria, dicente Abbate Isaiâ: *Qui voluntatem suam amplectitur, præsefert imperitiam.*

VII. Ad quod propositum, in mentem revocate factum luciferi. Erat hic in Empyreo creatus, ut autem ad altitudinem & majestatem Dei pertingeret. (*ero similis altissimo*) quid fecit? ascendit supra stellas: *Conscendam super astra cœli.* Quid deinde? pertigit ad Aquilonem: *In lateribus Aquilonis.* Atque eo ex loco, quò pervenit? ad montem: *Sedebo in monte testamenti.* O stulte, quò te tuus impulit animi impetus? quid dicis, quid agis? in Empyreo, omnium cœlorum supremo, creatus es; utque te exaltes & tuam exequaris voluntatem, ad cœlum descendis stellatum, exinde inferius ad Aquilonem, & tandem in monte sedem figis? Compatiamini ei, inquit S. Bernardus; Lucifer suam expleturus voluntatem, incidit in vesaniam, seipsum dejiciens, cum ad exaltationem anhelaret. Audite, qualiter illi stultitiam suam exprobret S. Bernardus: *Ascendam, dixisti, super astra cœli in lateribus Aquilonis. En insane, tu tibi ex propria voluntate sedem collocas in infima Aquilonis plaga, nebulosa & frigida.* Quidni igitur Petrum nominabimus ignorantem & rudem? quid enim petebat in monte S. Petrus? Ut Christus inibi gressum firmaret: *Bonum est nos hic esse*; cui S. Ephrem in persona Christi ita respondet: *O Petre, si hic manserimus, & tua voluntas adimpleatur, quomodo fient, quæ dixi? quis mundum redimet? & tu quem ligabis & solves?* Nonne in mundum veni, humanam redempturus progeniem? ita. Nonne & tibi claves contuli ad aperiendum cœlum? ita: si autem nos hic in monte substiterimus, quis redemptoris munus executioni mandabit? quis cœlum aperiet? O Petre, Petre, rudis es & sine cerebro.

Isa. 14. v. 14.

Lucifer cur insanus?

S. Bern. ser. 7. in cant.

Marc. 9. v. 4.

S. Ephrem Orat. de Transfig.

VIII. Qui suam sequitur voluntatem, non modò inscius est & imperitus omnino, sed etiam idololatra, audire placeat, quod meæ nunc memoriæ occurrit. Agonizans magnus capitaneus Josue, suos exhortaturus milites, hæc adjecit inter alia: *Nunc auferte Deos alienos de medio vestri.* Agedum milites mei, tollite ea quæ inter vos sunt idola. Juro vobis ô Doctores & interpretes, omnium facile veteris testamenti textuum, hunc esse difficillimum; non enim credibile est, in populo isto, quem tanto cum Zelo sanctus adeo dux, qualis erat Josue? regebat, idola viguisse & Deos falsos; quam sententiam meam solidissimè alia ejusdem capituli verba confirmant, quibus dicitur: *Servivit Israël Domino, cunctis diebus Josue.* Populus Israëliticus divinum semper zelavit honorem, quamdiu vixit Josue. Si ita est, quomodo igitur in eodem capitulo asseritur: *Auferte Deos alienos de medio vestri?*

Quis idololatra?

Josue. 24. v. 14.

ibid. v. 31.

IX. An nescitis id, quod Sauli objecit Samuel Propheta: *Melius est obedire, quàm sacrificare; quoniam quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere.* Ast quomodo iste idololatra dicendus, qui suam exequitur voluntatem? notate; solus Deus est, cujus voluntati in cælis & in terris parendum est; qui igitur juxta suam agit voluntatem, Dei partes sibi assumit, atque ita propriæ sectator voluntatis, suiipsius efficitur idololatra, quia sibi honorem attribuit, soli Deo debitum. Itaque milites mei vos moneo, ne post mortem meam in pejus abeatis, sed in omnibus & per omnia vos

1. Reg. 15. v. 23.

vos divinæ submittite voluntati, ne vel ipsâ hâc morte meâ contristati; si enim volueritis, ut DEus juxta beneplacitum vestrum, meam prolonget vitam, idololatræ estis, propriam adorantes voluntatem. Absit immane scelus: *Auferte Deos alienos de medio vestri.* Propulsate de cordibus vestris vanas hujusmodi cogitationes & divinæ vos conformate voluntati, alioquin idololatriæ flagitium admittetis.

X. Pauca hucusque dixi, qui suæ insistit voluntati, viam sibi disponit ad præcipitium, suámque sollicitat damnationem. Qualia hodie signa exigebant Pharisæi? juxta S. Marcum: *Signa de cœlo quærebant.* Signa de cœlo? cur non de terra? quare non urgebant resuscitationem mortuorum, aut illuminationem cœcorum, aut alia salutifera miracula? qualia autem signa requirebant de cœlo? Respondet S. Euthymius Pharisæos, auditâ Christi concione de futuro judicio, illudque diversis præcessuris prodigiis, exstimulatos fuisse, ut peterent, quatenus sol involveretur tenebris, luna converteretur in sanguinem, cœli dissiparentur ac tandem ingrueret judicium. O stulti, ô insani, ergone vestram efflagitatis ruinam? Ne insipientiam eorum admiremini, subsumit Rufinus; *Signa de cœlo & metuenda petunt, & non signa salutis; quia ubi propria voluntas dominatur, ibi Salus esse non potest, sed perditio.*

XI. Quare existimatis, mulierem illam, quæ pro filiorum suorum primatu instabat, acriter à Christo repræhensam fuisse? quia misera, proprio inducta animi motu, uni filiorum quærebat infernum; in judicio namque ad Christi sinistram, statuentur præsciti, teste Evangelista: *Tunc dicet his, qui à sinistris sunt, ite maledicti in ignem æternum.* O stulta, ô insipiens mulier, non vides, te, dum sinistram postulas, infernum eligere? audite S. Petrum Chrysologum: *Sic petere visi sunt, ut Dominus unum eligeret cum electis, alium reprobaret cum peccatoribus.* Quæ tanti origo mali? propria voluntas. Unde S. Chrysostomus in persona Christi ita eos reprehendit; *Ego vos vocavi ad dextram, & vos vestro consilio curritis ad sinistram?* Hæcque secunda fuit Pharisæorum imperfectio: *Volumus.*

XII. Tertia erat omnium pessima, curiositas; *Volumus à te signum videre.* Signa quærebant, quando infinita experiebantur. Unde mundi cæpit ruina? à fœmina: *A muliere initium peccati.* Quomodo autem mulier tantum poterat causare malum? quomodo? ipsamet respondet; *Serpens decepit me.* Serpens me fefellit. Quis serpens? nunquid Eva in Paradiso creata erat? ita; in Paradiso forsitan serpentes erant? non, quia cæteroquin non fuisset deliciarum locus. Unde igitur processerat dictus serpens? ecce vobis responsum Ruperti Abbatis: *Mulier corpore & oculis vaga, dum per Paradisum incontinenter deambularet, ut curiosa sciret, qualis extra Paradisum mundus haberetur, ei serpens occurrit.* Avida mulier scire, quis esset mundi status extra Paradisum, confines petiit Paradisi, ejusque in limitibus obvium sibi habuit serpentem. O maledicta curiositas, tu fuisti, hodieque es omnium malorum origo. Ecce vobis Pharisæorum imperfectiones; qui propter adulationem dæmonia evaserunt infernalia; qui ut propriæ voluntatis amatores, conversi in idololatras, & tandem pessimo curiositatis suæ vitio populum istum infecêre. Atque hanc ob causam, Christus illos gentem nuncupat parvam & adulteram.

Marginalia: Quis idololatra? — Luc. 24. v. 14. — Marc. 8. v. 11. — Ibid. v. 31. — 1. Reg. 15. v. 23. — Rufin. — Matth. 25. v. 41. — S. Petr. Chrys. hic — D. Ioan. Chrys. — Curiositas ruina mundi. — Gen. 3. v. 13. — Rup. Ab. l. 3. c. 2.

XIII. Sed ô Domine, si Pharisæis illis, propter nimiam eorum impietatem, prout ex ore tuo didicimus, nullum vis exhibere prodigium, dicens: *signum non dabitur eis*: quare postea polliceris tantum illis miraculum; quale est istud Jonæ, significativum mortis tuæ? sique promittis te moriturum pro iis, quando tandem eos certificas de futura damnatione? *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.*

XIV. Ecce vobis solutionem primi puncti. Contremiscite ô peccatores, quia quæ vobis in vita præsenti Deus beneficia præstat, apparenter sunt beneficia, substantialiter autem sunt supplicia, & quidem tantæ supplicia severitatis, ut infallibilem importent damnationem. Audite & obstupescite admirandam nimis
Rom. 1. v. 18. Apostoli sententiam, inquientis: *Revelatur ira DEi de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum.* Ira DEi manifestatur cœlitus propter horrendum quoddam flagitium. Quodnam est hocce peccatum: peccatum est, à certis quibusdam impiis
v. 21. admissum: *Qui cùm cognovissent DEum, non sicut DEum, glorificaverunt.* Certi Peccatores, habitâ DEi notitiâ, ipsum debito destituerunt honore. Peccatum hoc utique gravissimum fuit; sed quæ
Rom. 1. v. 24. DEus propter scelus adeò immane intulit supplicia? quæ? *Tradidit illos DEus in desideria cordis eorum.* Permisit, eos suæ vivere voluntati. O stupendam pœnam! DEus peccatores itaque, omnium maximos, beneficiis plectit? O mortales, DEus vos ab hujusmodi eximat beneficiis. Peccatores estis? ita Pater. In tempore status vestri peccaminosi, Deus vobis benefecit? abundè. Igitur perditorum vos numero accensete; timeo plurimum de salute vestra; arbitror vos damnandos. Quomodo pater? audite ô docti: sunt aliqua in Ecclesia sancta beneficia, quæ ut pro talibus cognoscantur, debent esse revelata; v. g. sacramentum Altaris, in quo sacratum continetur corpus Christi, sub accidentibus panis, certum est hoc esse beneficium, ast citra revelationem nullo cognoscibile intellectu, quòd scilicet nullus intellectus creatus attingere possit, sub accidentibus panis veram esse Christi carnem. Ita pariter sicuti collata cœlitus beneficia, non cognoscuntur ut talia sine speciali DEi revelatione; sic quoque certa dare est supplicia, quæ, nisi DEus revelet, nemo credere potest, illa esse supplicia; imò secundùm apparentiam reputabuntur beneficia. Quæ vera supplicia.

XV. Dicit itaque S. Paulus; DEus graviora obstinatorum peccatorum flagitia, certâ quâdam suppliciorum sorte castigat, quæ, nisi Deus revelârit, nemo arbitratur esse supplicia, quæ autẽ sunt hujusmodi? *Tradidit illos in desideria cordis eorũ.* Rom. 1.
Indulget ipsis prosperitatem, satisfactiones, consolationes & omne beneplacitũ; v. 24.
unde autem constabit, hæc esse supplicia Dei? Ego vobis veritatem eloquar, inquit S. Paulus; sicuti per revelationem scimus, accidentibus panis esse carnem Christi; ita per revelationem certificari possumus, sub accidentibus beneficiorum, substantiam contineri suppliciorum. Quando DEus affligit peccatorem, dicitque ei: *signum non dabitur ei*, apparenter est supplicium; at in substantia ingens est beneficium, ut scilicet hâc viâ peccator ad meliorem frugem reducatur: at quando DEus peccatori, laxatis habenis, omniũ impertitur votorum abundantiam, promittens, se moriturum pro eo; hoc ipsum apparenter beneficium est, sed substan-

stantialiter rigorosissimum supplicium, tanto plenum furore, ut quasi certa sit damnationis tessera.

XVI. Nonne memoriæ vestræ occurrit prodigiosum istud miraculum, quod Christus pauculis panibus numerosissimam turbam satiando, patravit? *De quinque panibus satiavit Dominus quinq; millia hominum.* Saturatis omnibus istis famelicis, Christus ad suos conversus, *Colligite*, dicebat, *fragmenta, ne pereant*; *& collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Magnum mysterium, exclamat Chrysostomus, *æquali numero discipulorum, fuerunt cophini fragmentorum.* Duodenario Apostolorum numero, duodecim correspondebant cophini panis; nonne duplex hoc miraculum erat? utique; non enim omnes modo explevit satietas, sed cuilibet Apostolo unius superfuit cophini abundantia; nunc igitur vos interrogo: unus ille, qui Judæ obtigit panis Cophinus, ei in beneficium cessit? Respondeat S. Chrysostomus: *Erat autem & hoc non parum ad Judæ condemnationem, qui cophinum portabat.* Illa panis abundantia Judæ apparenter fuit beneficium, at in substantia rigorosum supplicium; quia ut S. Augustinus docet: *Illi DEus irascitur, quem peccantem non flagellat.* Si peccatorem videris, à DEo non castigatum, sed suis potius omnimodè fruentem votis; scias pessimum hoc esse signum, talemque in suam currere damnationem.

Joan. 6. v. 11. v. 12. Cophinus panis Judæ damnabilis.

S. Chrys.

S. Aug. in Psalm. 98.

XVII. In cujus confirmationem, sequens egregia vobis deserviat probatio. Profectus ex Ægypto populus Hebraicus, gens benignissimæ DEI manus nimium immemor, in deserto, victus necessitate laborare incipiens, de DEo diffidere cæpit, quasi in omnibus necessariis providere impotenti, unde contra ipsum DEum murmurare non erubuit, dicente textu: *Malè locuti sunt de DEo*, impiè exclamantes: *Nunquid poterit DEus parare mensam in deserto?* Deus sacrilegis his & similibus oblocutionibus justè irritatus, populo suo indilatè pœnam inflixit: *Et ira DEi ascendit in Israël.* Quid igitur fecit? *Mandavit nubibus desuper & januas cœli aperuit.* Ast quo fine apertæ fuêre cœlestes portæ? forsitan ut inde egrederentur fulmina in impiorum punitionem? non; nubibus fortasse præcepit, ut contra impiissimum istum populum lethales sagittas ejacularentur? non: quid igitur rei actum est: *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Domine, populus igitur iste adeo rebellis, omnem pœnam subterfugiet? quare loco supplicii, tanta in eum beneficia confers, tum aquæ ex petra salientis, tum manna de cœlo submissi? Quid, dicit DEUS; vosne hæc beneficia nuncupatis? hujusmodi vos arbitramini esse favores? erratis longè; imò verò dicite, ea esse supplicia severa; beneficio aquæ eos punivi, favore manna ipsos castigavi; mea namque peccatoribus exhibita beneficia, apparentiam habent beneficiorum, at secundùm substantiam severa sunt supplicia. Audite Cardinalem Hugonem: *Non diu distulit Dominus vindictam sumere de murmuratione, sed cum esca eorum erant in ore ipsorum, tunc ira DEi asendit super eos.* Quam nobis veritatem longè clarius expressit Didacus Baeza hisce verbis: *Verberantur Judæi, cum pane de cœlo ditabantur ingrati, putabant miseri à DEO amari & ab eo foveri, summa ab illo beneficia recipiebant indies; sed nullo graviori verbere ab eo affligi potuerunt.* Divinæ fert justitiæ proprietas, ut circa peccatores, luci succedat tenebræ, quieti

Psalm. 77. v. 19.

v. 21. Beneficia Dei sæpius pœnæ.

v. 23.

v. 24.

Hug. Card. v. 30.

Did. Baez. to. 1. l. 3. c. 9.

ti tempestas; ut iis concessæ gratiæ mutentur in vindictam, favores in supplicia, beneficia in flagella, divitiæ in miserias; prosperitas in afflictiones, purpuræ in flammas, convivia in carbones, lautæ mensæ in totidem infernos. Quid diviti Epuloni tot tantaque fuêre bona? quid instructissimæ dapes? cœlestes forte favores? in apparentia fuêre hujusmodi, ast in substantia nil nisi cruciatus inferni; id quod Abraham insinuare volebat, quando, ut vel unicam aquæ guttulam in refrigerium subministraret, rogatus ait: *Fili recordare, quod recepisti bona in vita tua.* (*Luc. 16. v. 25.*) Memineris ô miser, tuas illas commoditates, divitias, epulas & & tripudia, quibus vivens indulsisti, non nisi apparenter fuisse gaudia; at in substantia nonne modò conspicis, quòd tibi flammas succendant multiplicentque infernales. *Ecce*, inquit S. Bernardus, (*S. Bern.*) *tota causa cruciatuum, quia recepisti bona in vita tua.*

XVIII. Persuaseritis fortè vobis, Judam Christo charissimũ dilectissimumq; fuisse, quandoquidem præ omnibus aliis, beneficia Christus in eum contulit in cœna? ego autem dico vobis, miserrimum Judam eadem ex causa punitum fuisse; neque id afferere vereor, auctoritate nitor S. Cypriani, (*S. Cyprian. de Cœn. Dom.*) dicentis: *Melius erat in mola asinaria collo alligata, mergi in pelagus, quàm illotâ conscientiâ, de manu Domini, buccellam accipere*; cujus rationem doctus quidam pater assignat sequentem (*Baez. ibid.*): *Nunquam homo perditus, majori verbere affligitur à DEO, quàm dum favoribus & beneficiis delinitur.*

XIX. Quod totum ex christiana quadam oritur Philosophia, quia scilicet *omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur.* Quidquid obtingit justo, etiamsi apparenter sit supplicium, totum nihilominus mera evadit gratia & beneficium; illud autem, quod peccatori conceditur, licet beneficium sit, attamen in rigorosum convertitur flagellum.

XX. Quo igitur fine, tanta cum aviditate, vitæ hujus commoda desideramus; tanta cum siti, eadem procuramus? quid omnium malorum nostrorum originem tam ardenter concupiscimus? an non videtis, fortunam vos nunquam in sublime elevaturam, quin potius in profundum præcipites acturam? nunquam blanditur sine læsione, tantòque vulnus infligit acerbius, quantò beneficentiam exhibuerat liberaliorem. Ficus per adaquationem exsiccatur, (*Fici natura. Theoph.*) unde Theophylactus ait: *Quantò magis irrigatur, eò magis fit sterilis.* Philippus Rex Macedoniæ, ex tribus successivè advolantibus cursoribus felicia intelligens nuncia, hæc eadem bona nova tanquam augurium interpretatus fuit futuræ adversitatis. Amaus Rex Ægypti suspectas semper habebat prosperitates. Favores, Senecæ à Nerone præstitos, vulnera tumularunt & mortis acerbitas. Dum medicus infirmo quemcunque beneplacitum indulget cibum, ægrum pro desperato habete, dicente Gregorio sancto: *Iis, quorum desperata est salus, quidquid lubet, concedi solet.* (*S. Greg. l. 11. mor. c. 4.*) Prosperitates, quæ titulo gaudent favorum, sive de cœlo, sive per fortunam subministratæ peccatoribus, in effectu nil nisi severa sunt supplicia. Nunquid enim CHRISTUS hodiè Pharisæis appromisit, se moriturum

Matth. 12. v. 39. rum pro ipsis? ita: *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Apparenter hoc fuit beneficium; ast in re infallibilitas exstitit illorum damnationis: Quia *in judicio, Viri Ninivitæ condemnabunt eam &c.* scilicet generationem pessimam.

Servi satanæ de salute securi.

XXI. Qui peccatores salutis suæ habent certitudinem? à cœlo derelicti, qui in vita præsenti mancipia vixêre diaboli. Heus pater, quid dixisti? ne subducatis supercilia, jam jam vobis paradoxum patefaciam. Legitur S. Paulus instituisse processum contra quendam impium Corinthium, propter scelus ab eo atrocissimum patratum; substantia porrò processus, erat hujusmodi: *Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat; & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* O flagitium inauditum, inquit Apostolus, quomodo, Corinthii mei fieri potuit, ut non omnes in lacrymas resolveremini, tale audientes crimen? cur non effecistis, ut tantæ reus iniquitatis è consortio vestro Christiano exterminaretur? Respondent Corinthii, dicentes: *Post factum non est consilium.* Tu Apostole remedium fer & sententiam. Sedit itaque pro tribunali Apostolus, sententiam pronuncians sequentem: *Ego Paulus servus Domini nostri JESV CHRISTI, judicavi tradere hujuscemodi hominem satanæ, ut Spiritus salvus fiat.* Ego statuo, ut sceleratus iste Corinthius satanæ tradatur, ad salvandam miseram illius animam. Quis audivit unquam similia? salvarine potest diaboli servus?

(Margin: I. Cor. 5. v. 1. 2. — v. 3. & 4. — 5. 24.)

XXII. Elucidemus hoc ipsum alio quodam sacræ scripturæ textu. Consulebat Christo sanctus Petrus, ne abiret in mortem: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ad quem Christus indilatè severo vultu conversus, *vade*, inquit, *post me satan*; apage ô diabole. JESU mi, quid dicis? ergone S. Petrus satanas est? ergò Satanæ claves Paradisi commisisti? Judam, ad te cum cohorte in excidium tui venientem, traditorem infamem, dæmonium incarnatum, tuum nominas amicum: *Amice, ad quid venisti?* & S. Petrum, ardentissimo tui inescatum amore, dum tibi mortem dissuadet, satanam appellas?

(Margin: Matth. 16. v. 22. & 23. — Cur S. Petrus dicitur satan. — 5. 24. — Matth. 26. v. 50.)

XXIII. Satanas in dictis locis, non est idem quod dæmon, sed inimicus seu adversarius; juxta quod, hanc vocem expressit Salomon ad Regem Tyri, in hæc verba scribens: *Iam dedit DEus requiem mihi per circuitum, quia non est satan, neque occursus malus.* *Non est satan?* quo igitur abivit? Satan in hoc loco inimicus nominatur. q. d. Quandoquidem regnum meum pace fruitur, neque ullis premitur inimicis, ideo volo ædificare templum DEO meo.

(Margin: 3. Reg. 5. v. 4.)

XXIV. In eodem sensu Christus ad Petrum ait: *Vade post me satan.* q. d. Petre, si tu volueris ut ego mortem subterfugiam, esto certus te mihi esse inimicum; majorem se mihi amicum exhibet Judas, me in mortem tradens. Juxta eundem pariter sensum Apostolus ait: *Iudicavi tradere hujuscemodi hominem satanæ,* q. d. si impius iste & sceleratus Corinthius suam cupit salvari animam, noverit, unicum & efficacissimum remedium esse, si corpus ejus in potestatem cesserit

(Margin: Matth. 16. v. 23. — Inimicus corporis, pœnitentia.)

serit inimici; quis est inimicus iste? Respondet Bacchianus: *Quidquid contrarium deliciis, quidquid contrarium voluptati est, totum caro sentiat, quæ deliquit; est autem deliciis & voluptati contrarium, mortificatio carnis & pœnitentia cordis; & hoc est satan.* Quidquid deliciis adversatur & voluptatibus, nostro contrariatur sensui & carni; quid autem adversatur voluptati? mortificatio, pœnitentia. O peccator, vis tuam salvari animam? Corpus tuum trade pœnitentiæ, & salvus eris.

Bacch. in ep. ad Ianuarium.

Pœnit. Scala cœli.

XXV. Vultisne asserti hujus veritatem dignoscere? auscultate id, quod meæ modò menti occurrit. Pœnitentia est quædam scala, per quam pœnitens rectâ graditur in cœlum, eoque pertingens non modò quasi DEUS evadit, sed ipsiusmet DEI conscendens tribunal, quamcunque adversus se latam divinæ justitiæ abolet sententiam. Porrò pœnitentiam scalam esse, quæ pœnitentem in Paradisum conducit, perlucidè demonstrat mirabilis quidam sancti Laurentii casus. Cùm invictissimus hic martyr craticulæ impositus, totum se combustum, coctum & recoctum contemplaretur (*assatum est, jam versa & manduca*) lætâ voce, ad DEum conversus, in sequentia prorupit verba: *Gratias ago tibi, quia januas tuas ingredi merui.* O gloriose Laurenti, dum hodie clarâ Dei visione frueris: liberè dicere potes, te in Paradiso esse; at dum in craticula cremaris totus & combustus, quomodo reputare potes te in Paradiso degere?

XXVI. Præclari admodum facti hujus responsum nobis subministrabit Leviticus, in quo alias inter leges divinas Hebræis præscriptas, recensetur & sequens: *Anima, quæ juraverit & protulerit labiis suis malè quid facere, & idipsum juramento firmaverit, oblitaque postea intellexerit peccatum suum, agat pœnitentiam de peccato suo.* Anima, inquit DEUS, quæ juraverit se malè facturam; postea autem juramentum ex oblivione impleverit, de peccato suo pœnitentiam agat. Lex ista admodum obscura est, tantamq; continet difficultatem, ut satius discuteretur in cathedra, quam explicaretur in pulpito. Patres Confessarii, si qui fecerit votum & juraverit se mortem illaturum inimico suo, teneturne observare votum? non; quia votum est de materia, quæ resultat in gloriam Dei; homicidium autem potius est offensa DEI. Quomodo itaque in Levitico statuitur: *Anima, quæ juraverit malè quid facere, & non fecerit, agat pœnitentiam de peccato suo.* Paradisiacam in præsenti resolutionem adducit Origenes, inquiens, malefacere in hoc loco idem esse, quod macerare carnem & pœnitentiam agere; *Quantum in hoc loco intelligendum puto, malefacere alicui, adversari est & non indulgere, ut faciat quod vult; igitur, resistenti adversùs Spiritum, si quis juraverit malè facere & macerare eam, & non fecerit, peccati reus erit; eodem enim juramento, quo juravit malefacere carni, juravit benefacere spiritui.* Nec melius dici poterat, nec accommodatius; malè facere, inquit Origenes, idem est, quod malè tractare corpus. Quisquis voverit mortificare carnem suam, tenetur voto, quia gradus pœnitentiæ, cui vacat caro, scala est, per quam anima in cœlum volat; dum crescit pœnitentia, anima Paradiso vicinior appropinquat; cum-

Levit. 5. v. 4.

Orig. h. 3. in Lev.

cumque per pœnitentiam corpus annihilari contigerit, tunc anima intrat in Paradisum.

XXVII. Dicit itaque S. Laurentius: Domine qui suum mortificat corpus, unum cœlestis scalæ gradum conscendit; qui illud subjugat perfectius, plures gradus attingit; ego itaque, cujus caro per ignem tota combusta est & assata, ad Paradisum usque perveni. Audite patrem meum Augustinum: *Cœli januas ingredi meruit, qui tyranno dicebat; assatum est, jam versa & manduca; quantò enim magis corpori pœna datur, tantò magis præstatur animæ jus ad gloriam.* S. Aug.

XXVIII. Pœnitentia non modò scala est cœlestis, sed ubi mediâ illâ pœnitens ad Paradisum pertingit, adeo apparet venustus, ut in Deum transiisse videatur. Observastisne, quando Deus Adamo prævaricatori in Paradiso obvius, illi dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est;* ô decorum Adamum! personam mihi divinam exprimere videtur. Nimium hoc est præconium; quomodo? illene Adamus, quem prævaricatio convertit in bestiam (*comparatus est jumentis insipientibus*) tibi videtur esse Deus? Juxta doctrinam S. Theodoreti, Adamus post peccatum, suam animadvertens nuditatem, se cooperuit foliis ficus: *Consuerunt sibi folia ficus.* Non, dicit Deus, nequaquam ita fiet; Adame, non est ille tuus amictus; per peccatum in bestiam mutatus es, more itaque bestiali vestiaris oportet. Quid igitur fecit Deus? præparavit ei vestem ex pellibus animalium mortuorum: *Fecit ei tunicas pelliceas.* Videns miser Adam in hujusmodi se redactum angustias, veste circumdatum mortis, tantam in eo subiit mortificationem, ut vel sola vestis ei in asperam cesserit peccati pœnitentiam. Itane? dicebat Deus; Adamus vestem illam cum tanta sui mortificatione portat? ideo *quasi unus ex nobis factus est.* Ecce vobis clarissima S. Irenæi verba: *Vestis pellicea, quæ animalium mortuorum præseferebat effigiem, ab Adamo portabatur, in maximæ suæ mortificationis signum; & propterea evectus fuit ad tantam Dei similitudinem, ut de eo dictum sit: quasi unus ex nobis factus est.*

Pœn. assimilat Deo. — Gen. 3. v. 22. — Ps. 48. v. 13. — Gen. 3. v. 7 — v. 21. — S. Iren.

XXIX. Plura dicam, scilicet quòd pœnitens non solùm Deo evadat æqualis, sed in ipsiusmet Dei confidens tribunali, omnem annihilet sententiam justitiæ divinæ contra se pronunciatam à justissimo judice Deo. Numerabat civitas Ninive 120. millia innocentium, neque tamen intuitu horum omnium Deus se commoveri permisit, ut parceret multitudini; sed potius per Prophetam omnibus propalari fecit & dici: *Non parcam Ninive civitati magnæ in qua sunt 120. millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram.* Jonæ imposita fuit provincia fatalem annuntiandi sententiam, totalem que civitatis illius ruinam; Jonas igitur divino obediens præcepto, publicavit edictum: *Adhuc post 40. dies, Ninive sub vertetur.* Memoriæ mandate successum præsentem. Aliâ quâdam vice decreverat Deus quinque nefandas atterere civitates; cui dispositioni contrarius Abraham, ubi, inquit, Domine clementia tua? urbesne quinque abolebis? nunquid, si decem in iis pœnitentes reperti fuerint, omnibus ignosces? ita, dicit Deus, *propter decem non delebo.* O Deus æterne, tu propter decem pœnitentes, paratus es quinque parcere urbibus; & ne uni quidem civitati Ninive placari dignaris, propter tot innocentium millia? Notate successum.

Pœn. evacuat judicium. — Ioan. 4. v. 11. — Ion. 3. v. 4. — Gen. 18. v. 32.

XXX. Post fulminatam à Jona con-

tra Ninivitas sententiam, transactoque 40. dierum spatio, quod pro termino præfixum erat, reperio, sententiam non modò executioni mandatam non fuisse, sed omnes in vita superstites Ninivitas, in extremo judicii die, supremos populi Hebræi judices declaratos fuisse: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista & condemnabunt eam.* Dic mihi ô suprema majestas, nunquid tu civitatem Ninive abolere decreveras? ita: *adhuc post 40. dies & Ninive subvertetur.* Nonne immutabile est decretum tuum? utique: *Ego Deus & non mutor.* Quomodo igitur nunc Ninivitæ non evasere duntaxat vivi, sed etiam supremi constituti sunt Hebrææ gentis judices?

Ion. 3. v. 4.

Malach. 3. v. 6.

XXXI. Rarum quoddam, Ninivitarum factum in præsenti explicandum occurrit. Ninive omnium mundi civitatum erat famosissima, tantæ amplitudinis, ut eam pertransiturus, tres integros impenderet dies: *Civitas magna itineris trium dierum.* Tantis ac tot abundabat incolis, ut soli lactantes & usum rationis necdum assecuti, essent 120. millia: *In qua sunt 120. millia, quæ nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram.* De residuo tot tantisque scatebat vitiis, tamque depravatis erat imbuta moribus, ut nullam bonæ vitæ haberet personam; sufficiatque dicere, ei pro tunc regem imperasse Sardanapalum, adeo flagitiosum, omnique excæcatum ratione, ut non homo, sed titio potius esse videretur inferni; tantæ igitur impietatis civitas vix ut hæc verba audiit: *Adhuc post 40. dies & Ninive subvertetur*: tota confestim in pœnitentiam & lacrymas resoluta fuit; subitò videre erat senes coopertos cinere, viros pedibus nudis gradientes, pectoraque ferientes, juvenes se disciplinis cædentes, puellas luctu indutas, conjugatas in ædibus plangentes, ipsummet Regem cilicio indutum, omnes cum suspiriis & fletibus exclamantes: misericordia, misericordia. Quid viros, quid mulieres memoro? ipsamet animantia bruta conversa fuere ad pœnitentiam: *Ita ut etiam animalia jejunarent.* Itane? dicit Deus; tantane pœnitentia agitur in Ninive? annulletur igitur contra eam lata sententia. Audite S. Hieronymum: *Et libenter Deus mutavit sententiam, cum vidit opera commutata.* Quis sententiam expunxit contra Ninivitas in cœlo scriptam? ipsorum pœnitentia: *Novit Deus mutare sententiam*, inquit S. Ambrosius, *Si tu noveris emendare delictum.* Et S. Petrus Chrysologus: *O quanta vis est in pœnitentiæ luctu, delet omne facinus, & latam divina promulgatione sententiam.* In hujus pœnitentiæ virtute, Ninivitæ in die judicii, in supremos assumentur peccatorum Hebræorum judices. Quare? *quia pœnitentiam egerunt.* O excellentiam sacræ pœnitentiæ!

Ion. 3. v. 3.

Ion. 4. v. 11.

Ion. 3. v. 4.

pœn. enervat Dei sententiā.

S. Hier. in c. 3. Ionæ.

S. Ambr. lib. 2. in Lucam c. 5

XXXII. Nunc igitur ausculta me ô Christiane; Si integra Ninive, horrendis adeo flagitiis plena civitas, ad unicam hanc Jonæ vocem (*Post 40. dies & Ninive subvertetur*) conversa, pœnitentiam egit, nunquid nos Christiani Ninivitis pejores erimus? Ecce, hodie sanctus ille Crucifixus tibi prædicat, admonet, exhortatur; recordare ô peccator, tibi mortem imminere, memento judicii & hiantis inferni; morte repentinâ obrui potes, & cur te non emendas? quorsum exspectas? quid agis? quid cogitas? heus heus agedum ô animæ Christianæ, respondete hodie

Ion. 3. v. 4.

die illi, vos ad pœnitentiam vocanti Deo; & nisi cor habueritis lapideum, præstolemini tantisper ea, quæ mihi pauca dicenda restant; sed antea respiremus.

PARS SECUNDA.

XXXIII. CRas duos contemplabimur confligentes athletas; Chananæam mediâ oratione victricem Christi, & Christum per sacramenti figuram, è corpore obsessæ, fugantem dæmonium; quo fine discutiemus, utri major insit fortitudo & valor; animæ oranti ad vincendum Deum, aut pani eucharistico ad debellandum infernum?

XXXIV. Superest grave mihi elucidandum dubium. Quid permovit gentiles Ninivitas ad subitaneam adeo mutationem? quid eos induxit, ut ad solam Jonæ vocem, relictis idololatriis, omnes pœnitentes, ad tantam pertigerint sanctitatem, ut in judicio universali constituendi sint judices in Hebræorum condemnationem? Factum hoc admirabile adeo visum fuit S. Chrysostomo, ut exclamare non dubitarit: *O rem novam & admirabilem! denuntiatio mortis peperit vitam; & sententia ut lata fuit, evasit invalida.* Majorem id nobis stuporem ingerere debet, qua enim de causa Jonam comparamus Christo? hominem imbecillem Deo Omnipotenti? peccatorem sanctitati Paradisi? inobedientem servum æterno universi Domino? si Ninivitæ crediderunt Jonæ, cur Christo non acquievêre Judæi, toties ac toties illis hodie prædicanti? adjungite insuper: quare Christiani non credunt Deo illi crucifixo? dum ad unius hominis peregrini prædicationem, populus barbarus pœnitentiam est amplexatus, quare fidelem nequidquam movent voces magni Prophetæ Dei? non habuere Ninivitæ motiva illa ad credendum Jonæ, qualia nos Christiani ad credendum Christo; si namque Jonas temporalem denunciavit infelicis istius civitatis subversionem, Christus æternam animæ peccatrici annunciat damnationem ad infernum. Jonas veniebat incognitus & nunquam visus, Christus autem in tot prævisus fuit Prophetarum oraculis; Jonas nullum fuit operatus miraculum coram Ninivitis, in confirmationem doctrinæ suæ; ast Christus in totius mundi conspectu, innumerabilia patravit prodigia. Non profudit vitam Jonas in gratiam Ninivitarum, Christus autem post longam & dolorosam nimis passionem, pro nobis Christianis mortem subiit crucis. Nullam à Jona mercedem exspectabant Ninivitæ, à Christo autem præmium speramus cujusque minimæ operationis, ejus amore præstitæ. Si Jonas non obtinuisset fidem & assensum, nullum incredulis potuisset inferre damnum; Christus autem obstinatos ultimo potest obruere exterminio.

S. Io. Chry. ho. 5. ad pop. Antioch.

Ninivitæ nos confundunt.

XXXV. His omnibus aliud quid superaddite, maximè stupendum. Nunquam Jonas prædicavit pœnitentiam, sed eam duntaxat suasit timore pœnæ, Christus autem à tempore sui de cœlo in terram descensus, semper nobis inculcare conatus est pœnitentiam. Per Judæam enim & Galilæam prædicans, primum hoc ab ore verbum protulit, in pœnitentiæ præconium: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Præmittens præcursorẽ suum Joannẽ, voluit ut populũ ipse baptismo imergeret pœnitentiæ: *Venit Ioannes in regionẽ Iordanis, prædicans bapti-*

Matt. 4. v. 17.

Mar. 1. v. 4.

baptismum pœnitentiæ. Peccatoribus minas intentans iis non alio fine exprobabat aut motivo nisi quia pœnitentiam asperna-
Matt. 11. v. 20. bantur: *Cœpit exprobrare civitatibus, quia non egissent pœnitentiam.* Dum inter prædicandum, populo minaretur; ideo duntaxat fine præstitit, ut omnes ad pœnitentiam adhortaretur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* (Luc. 13. v. 5.) Mittens per mundum prædicatores, illis præcepit, ut nomen celebrarent pœnitentiæ: *Oportebat prædicari pœnitentiam in nomine ejus*; (Luc. 24. v. 47.) Si in cœlis excitatur jubilus & lætitia, certè non alio motivo, quàm honoris pœnitentiæ: *Gaudium est in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente.* (Luc. 15. v. 7.) Tandem omnis Christi actio in hoc tendebat, ut universo mundo valor innotesceret pœnitentiæ: *Exaltatus est ad dexteram Dei patris, ad dandam pœnitentiam in Israël.* (Act. 5. v. 31.) Omnibus in locis propalari jussit, se velle pœnitentiam: *Annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* (Act. 17. v. 30.) In hocce meum consistit dubium: quare ad duo Jonæ
§. 36. verba, nullam prædicantis pœnitentiam, sed solam insinuantis pœnam, tota gentilitas reducta fuit ad pœnitentiam; ad vocem verò Dei crucifixi, qui à primo nativitatis suæ momento usque ad ultimum vitæ terminum, imò & hodie dum gloriosus regnat in cœlo nihil prædicat præter pœnitentiam, nullus Christianus emollitur?

XXXVI. Vultisne mysterium, non ab omnibus revelatum? duo notemus oportet. Primum quis prædicavit Ninivitis? Jonas; unde processit Jonas, Ninivitis prædicans? ex ventre ceti; quid prædicavit? *Adhuc post 40. dies & Ninive subvertetur.* (Ion. 3. v. 4.) Ita ut Jonas, quasi ex altero mundo veniens, subversionem Ninive annunciavit, figuram quodámodo futuri judicii. Quis autem adeo obstinatus est peccator, qui vel visis mortis signis, vel audito judicii nomine, non inducatur ad pœnitentiam? audite id, quod mihi modò mens suggerit. Pendebat in cruce Salvator, at minimè interim saturi Judæi laceratis divulsisque sanctissimis Christi carnibus, insultare perrexerunt, dicentes: *Vah destruis templum Dei.* Nonne jactasti, (Matt. 27. v. 40.) te trium dierum spatio templum destructurum, posteaque reædificaturum? modò teipsum salves, si potes; si filius Dei es, modò descende de cruce. Hæc inter opprobria, quidam ex adverso consistens Centurio, elatâ voce exclamavit: *Verè filius Dei erat iste.* Quare, obsecro, uno eodemque tempore Judæi blasphemant, & Centurio tanta cum libertate Christum confitetur verum Deum? Notate circumstantias: Judæi erant *prætereuntes*, transibant procul sine ulla attenta Crucifixi consideratione; Centurio autem *ex adverso stabat*, consistebat hic ex opposita parte, in intimis cordis penetralibus, raram patientiam & infinitam illam Christi discutiens charitatem. Eodem pariter modo, scitisne, quare peccatores in mundo non agant pœnitentiam, sed tot ac tanta committant peccata? (Cur negligamus pœn.) quia nullam rationem habent tam diversorum mortis, quæ vident signa; quia nullam extremi judicii instituunt considerationem: si enim attentè & solidè horrenda illa supplicia perpenderent, quomodo possibile foret eos sine aspera pœnitentia vitam transigere?

XXXVII. Imo ipsemet Christus, considerans se coram Patre æterno compariturum, se eum in finem præparat & disponit. Post tres à morte dies resuscitatus, antequam triumphans cœlos conscenderet, 40. diebus commoratus est in terra;

Act. 1. v. 3. terra; *quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam, per 40. dies apparens eis & loquens de regno Dei.* Quomodo mi Domine? cur tanto tempore differs tuum in cœlos ascensum? quemadmodum vix tribus transactis à morte diebus, tuam in resurrectione monstrasti omnipotentiam; ita resuscitatus subitò cœlum conscendere debebas, gloriosâ Patris dextrâ gavisurus. Quare igitur tanto tempore dimoraris in terra? audite S. Petri Chrysologi subtilitatem: *Christus 40. diebus residet & remoratur in terris; &, si fas est dicere, patris differt occursum, patris suspendit affectum, donec totum se revelet & reformet suæ ascensionis in gloriam.* Christus suum in cœlos procrastinavit abitum & æterni patris occursum, ut se reformaret ante. Quid dicis pater sancte? Christus se reformavit, Christus se disposuit? quem sibi locum in Christo vendicare poterat dispositio, quandoquidem ille ipsamet est sanctitas? respondet Chrysologus, non fuisse Christo necessariam dispositionem; sed id totum à salvatore factum ad instructionem nostram, si enim ipse, qui essentialiter sanctus erat, considerando duntaxat se coram oculis paternis compariturum, se voluit disponere & reformare; quantò magis reformandus est ille, qui vitiorum mole premitur, dum cogitat, se non benigno patri, sed judici severo sistendum fore?

Matt. 27. v. 40.

S. Pet. Chrysol. ser. 85.

Cur negligamus pœn.

XXXVIII. Transeamus modò ad secundam, vobis à me promissam particularitatem, ex nunc indubiè nostrum perfectius terminum consecuturi. Nonne dixit vobis paulo ante, civitatem Ninive tantæ fuisse amplitudinis, ut tres dies necessum fuerit itinerando insumere, si quis eam totaliter penetrare vellet? utique: *Erat civitas magna, itinere trium dierum.* A tempore igitur prædicationis Jonæ usque ad Ninivitarum pœnitentiam, quantum temporis intercessit? forte exspectatum fuit, donec totam Jonas peragrasset civitatem? non; sed conformiter sacro textui: *Cœpit Jonas introire civitatem itinere unius diei, & clamavit; adhuc 40. diebus; & crediderunt Ninivitæ, & prædicaverunt jejunium.* Vix Jonas unius diei iter absolverat, elatâ voce subversionem intimans Niniviticam, subitòque incolæ omnes *crediderunt & prædicaverunt jejunium.* Ecce ad intentum nostrum: dum in peccato degis, Deusque tibi mortem proponit, aut tu judicium nominari audis, cave tuam differre emendationem: *Ne differas pœnitentiam de die in diem,* inquit sapiens, *ne forte veniat ira illius, & in tempore vindictæ disperdat te.* Sine mora convertaris ad pœnitentiam.

Non differenda pœnit.

Ion. 3. v. 3.

v. 4.

v. 5.

Ecli. 5. v. 8. 9.

XXXIX. Pater, semperne igitur vacandum est pœnitentiæ? *Omnia tempus habent,* dicit Ecclesiastes, *tempus flendi, & tempus gaudendi.* Quando advenerit septimana sancta confitebimur. Prius audite quendam sacræ scripturæ textum, postea facturi, quidquid vobis libuerit. Famelicus quodam die Salvator, conspexit procul arborem, quam adiit spe refocillationis: *Vidit à longè ficum, ivit, ut si quid forte inveniret in ea.* Appropians igitur, cùm post diligentem inquisitionem, nil præter folia reperiret, vehementer indignans, horrendam ei maledictionem imprecatus fuit: *Nunquam ex te nascatur fructus.* Exarescat arbor ista maligna, & ex nunc nullo imposterum viridi folio cooperiatur, nullus eam fructus ultra coronet, fiat maneatque in agro hoc truncus aridus, squalidam stirpem suam soli exhibeat in cœ-

Eccle. 3. v. 1.

Marc. 11. v. 13.

§. 41.

Christus ficui maledicit.

lestis iræ testimonium. Maledictio ista plurimum ingenia defatigavit Doctorum, notate namque quid Spiritus sanctus addat:
v. 14. *Et respondens dixit ei.* Cui respondit? nullus ante fuerat locutus; uni duntaxat
v. 13. parenthesi inserta legimus verba sequentia (*Nondum enim erat tempus ficorum*) credo ego, tempus fuisse Martii, voluisseque ficum his & similibus modis supplicare Christo. Domine, ignosce mihi, dum nullum in me reperis fructum; utinam esset tempus, & ultro citroque votis tuis satisfacerem, sed modò *non est tempus ficorum.* Tunc Christus respondit: *Nunquam ex te nascatur fructus:* rigorosa profectò sententia. Domine, aut in tempore debito fructum requirere debebas, aut ordinare ut arbor ista fructus ferret per totum annum. Arbor ista non est ex hortis Alcinoi, in quibus fico juniore nascente, superstes canescebat senior; neque ex hortis Hesperidum, in quibus smaragdinos inter ramos, aurea pendebant poma; neque una ex fortunatis illis arboribus, quæ in amænissima Paradisi planitie situatæ, suos quolibet mense fructus proferebant: arbor ista, quam tu vides, est reliquis communibus similis, certis temporibus fructum producens; quomodo itaque adeò severè infelicem castigas ficum? nunquid jam sese plenè purgavit, dicens: *Non est tempus ficorum*; & quandoquidem *omnia tempus habent*, tu pariter fructuum tempus exspecta, si fructus illius exigis.

XL. Ego in præsenti causam defenderem fici, nisi me ab intento retraheret Scriptura. Dicitur in S. Matthæo:
Matt. 28. v. 1. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.* Vespere sabbati, quæ erat mane Dominicæ; quis est iste loquendi modus? quærit S. Petrus Chrysologus; quando enim tempus vespertinum unius diei, fuit matutinum alterius? vespera, noctis est initium & non diei, solem dirigit ad occidentem, non ad orientem; diem terminat, non inchoat; S. Petrus Chry. ser. 24.
Vespera non inchoat diem sed finit, tenebrescit vesper, non lucescit; quomodo itaque dicitur: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati?* Verum est, inquit Spiritus sanctus, hunc servari & esse naturæ ordinem; sed authore naturæ aliud jubente, aliter proceditur. Tempore resurrectionis; author temporis, scilicet Christus, nullas exigebat tenebras, sed lucem; ideoque vespera in eo tempore diem parturiit, non noctem: *Vespera mater noctis*, inquit S. Chrysologus, *parturit diem, suum dum cognoscit authorem.* Quantumvis autem ordini temporis lex posita sit inviolabilis, nihilominus dum se illi author opponit temporis, Deo & non tempori obediendum est: *Anhelat servire Creatori, & non tempori.* Quia igitur Christus lucem postulabat, & non tenebras, relictâ nocte, diem parturiit vespera.

XLI. Redeamus modò ad ficum. Ego, inquit Christus, arborum & temporis author, volo ut mihi fructum suppedites ficus; tuque mihi respondes, non esse tempus? *Non est tempus ficorum*; igitur *anhelas servire tempori, & non creatori?* semper propterea maledicta esto. Audi nunc ô Christiane, tibi dicebam, ut modò, dum vivis, fructus pœnitentiæ Christo offerres; tu autem mihi respondisti: exspecto hebdomadam sanctam: igitur *anhelas servire tempori, & non Creatori?* polliceor tibi, quia mors te obruet repentina, & ne quidem nomen Jesus invocare poteris; quid ergo usque ad pascha te superviciturum tibi promittis? imò

vitam

vitam tibi concesserim usque ad tempus illud; quid inde? nunquid etiam de loco & lumine, ad veram pœnitentiam necessario, securus eris? quid si te opprimeret delirium? quid si tot ac tanti forent dolores tui, ut vix aut ne vix quidem linguæ beneficium tibi indulgerent? admisso etiam, quòd lecto affixus tempus haberes confitendi, quis te assecurabit, illam ipsam confessionem, Deo gratam fore? Ego plurimum dubito; quia confessio illa erit veluti violenter extorta, ex metu imminentis mortis. Dum igitur vita tibi cum tempore favet, Deo illi crucifixo, te vocanti, corresponde. Vix Jonæ vox insonuerat, & subitò *crediderunt Ninivitæ & prædicaverunt jejunium.* Nos forte Gentilibus ipsis atrociores erimus? *Ecce plus quàm Ionas hic:* ipse nobis prædicat, ipse nobis mortem intimat. Agedum ô animæ devotissimæ, ad unum omnes prostrati humiliter veniam postulemus, securi & certi, quòd *novit Deus mutare sententiam, si nos noverimus emendare delictum.*

Petrus Chry. ser. 4.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUINTA POST DOMINCAM I. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De virtute Orationis & Eucharistiæ efficacia.

Ecce mulier Chananæa, à finibus illis egressa, clamabat, dicens: miserere mei Domine fili David; Iesus autem respondens, ait illi: non est bonum, sumere panem filiorum & dare canibus. Matt. 15. v. 22. & 26.

PROBLEMA

Utra sit armatura præstantior atque efficacior; Oratio ad vincendum Deum, an verò Eucharistia ad debellandum dæmonium?

INTRODUCTIO.

I.

COElestis sponsus in canticis, raras sanctæ cujusdam animæ venustates descripturus, similitudinem ei impertit adeo heroicam, sed cum terminis ita impolitis, ut verè nesciam, quid dicam: *Quid videtis in Sulamite,* inquit sponsus, *nisi choros castrorum?* quid rei putatis esse animam justam, Cant. 7. v. 1.

justam, nisi chorum musices & aciem militarem? poteratne differentius quidquam & inæqualius reperiri & comparari ad invicem, quàm musica cum bello, & econverso? musica delectationem importat, corda exhilarat, affectus indulcat, furores mitigat, animosque exacerbatos adeo ad benevolentiam inflectit, ut gurgurizante discantu, fortiter invalescente tenore profundatoque basso, inibi auditorum animi concurrant, ubi instituitur concertatio. E contra autem in exercitu fumus nigro amictu circumdat cœlum, fœtor pestilens inficit aërem; hinc sine cadavere videtur caput, illinc sine capite cadaver; hinc eques conculcatus ab equo, illinc equus cũ suo peremptus equite: & ut plurima complectar paucis, dum in musica nil præter delicias insonat & solatia, in militia nil præter lamenta auditur & suspiria. Quomodo igitur res admodum diversæ comparari possunt ad invicem? adjungite insuper, musicam silentii esse amicam, bellum autem causam rumoris; silentiũ judex musicæ, quę modò depressa, modò alta, modò subsistit, modò fugit; modò promittit, modò negat, nunc ridet, nunc plangit; mox non auditur, & paulo post dulci cum strepitu effervescit. In exercitu autem magnanimi ardent caballi, moræ impatientes; inquietisque hastis, equites fumo se involvunt, & involuti sese invicem mucronibus conficiunt. Quomodo igitur ait Spiritus, animam justam chorum esse musicæ & militarem exercitum? Nescirem ego difficultatem resolvere solidius, nisi dicendo, hic mentionem fieri animæ orantis, quæ tantâ apud Deum pollet & efficaciâ, ut ad cœlum usque pertingens, ipsummet captivet Immensum; tantamque continet suavitatem, ut cor ipsius rapiat Dei.

II. Sed ecce aliud mox exortum dubium; multâ plenum difficultate. Quandoquidem Chananæa nil nisi filiæ postulabat salutem, quare Christus in responso, panis ingerit mentionem, dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus?* Matt. 15. v. 26. S. Thomas per panem istum Eucharistiam intelligit seu sacramentum altaris: S. Th. in Sequ. corp. Christi. *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus*: quasi Christus dicere voluisset: mulier ad ejiciendum dæmonem è filia tua, nihil est potentius aut efficacius, quàm panis Eucharistiæ figura. Sicque duos hodie præ oculis habemus pugiles, hinc Chananæam oratione, illinc Christum figurâ instructum Problema. sacramenti. Chananæa per orationem conatur exarmare Christum, & diabolum ejicere Christus per figuram sacramenti; nunc itaque scire desidero, utra sit armata efficacior magisque valida; an oratio ad vincendum Deum, an verò sacramentum, ad debellandum infernum? ut oratio ante sanctissimum ritè instituatur, singulari opus est devotione, ideoque vos mihi hodie de oratione & sacramento discurrenti assistite in silentio: incipiamus.

III. Ut autem convenienti gradiamur ordine, primò orationis vires inspiciamus, exinde ad Sacramenti efficaciam transituri. S. Joannes Chrysostomus asserit, *nihil esse potentius anima orante.* Chrys. ho. 13. in c. 6. Matt. Atque in effectu quidem, vestros circumquaque gyrate oculos, nihilque oratione potentius & valorosius esse reperietis. S. Bernardus orationem alloquens, encomia illi, incredibili cum incremento, attribuit sequentia: *O humilis oratio, tua est potentia, tuum regnum, tu sola tribunal judicis ascendere non vereris, tu vincis invincibilem, ligas Omnipotentem.* S. Ber. ser. de Magd. O insuperabiles oratio-

orationis vires, quæ ſupremi judicis tribunal conſcendens, Dei invincibilis manus ligat; mira & præcellens hæc eſt ſententia; ergone unius creaturæ oratio ipſummet Deum exanimare poteſt?

Matt. 15. v. 26. S. Th. in ſequ. corp. Chriſti.

IV. Quanta autem hæc erit orationis virtus? S. Petrus Chryſologus, illa S. Lucæ verba (*Erat pernoctans in oratione Dei*) *Luc. 6. v. 12.* diſcutiens, hanc notabilem adducit ſententiam: *Ipſe Dominus pernoctat in Oratione Dei, ut ante nos oratione liberet, quàm redimeret paſſione.* Obſervaſtiſne, nobiliſſimum hocce ingenium, non ſine magna prudentia, orationem cum Chriſti paſſione conjungere, quaſi eâdem pollerent efficaciâ paribusque viribus, ſtrenuiſſimus Chriſti ſanguis & oratio. *Problema.* *Quaſi ad ſolutionem peccatorum,* dicit quidam inſignis ſcriptor, *non minoris eſſet efficaciæ, Ieſu pernoctantis oratio, quàm tota profuſio ſanguinis.* Hoccine ſubſiſtere & affirmari poteſt? *S. Chryſ.* ita, dicit S. Chryſologus, atque ego idem audacter confirmo: Si enim in una parte bilancis collocarentur acutiſſima Chriſti patientis & ſanguinolenti inſtrumenta, ſerra, crux, mors, totusque pretioſus ille ſanguis, qui totum redemit mundum; ex altera verò ejusdem trutinæ parte, ſola poneretur oratio, reperiretis idem in utraque parte pondus & valorem. Sed ô Deus immortalis, quis incomparabilem *Chryſ. ho. 13. in c. 6. Matt.* paſſionis Dominicæ virtutem brevi poterit verborum gyro circumducere? illa firmiſſima condemnationis noſtræ decre- *Col. 2. v. 14.* ta penitus abolevit: *Delens, quod adverſum nos erat, chirographum decreti.* Illa æterni Patris placans furorem, ipſiusque inclinans benignitatem, tribunal juſtitiæ ſuſtulit è mundo, ejusque loco thronum *S. Ber. ſer. de Magd.* collocavit miſericordiæ. Illa ſtrangulavit, confuditque mortem, illa portas patefecit cœleſtes; illa è tumulis eductos mortuos vitâ donavit: neque his contenta, loca penetrans abyſſalia, fortiſſimas infernalium carcerum portas diſſipavit; illa imperioſe limbum Patrum penetravit, omnesque iſtos incarceratos, ibi detentos, liberavit: *Inferni clauſtra penetrans.* Utque breviter abſolvam, paſſio Chriſti infinito pollet vigore; igiturne orationi infinitum etiam pretium ineſſe dicimus?

V. Date mihi veniam ô Auditores, ut quaſi per ſcalam conſcendens, orationis vobis vires patefaciam. Et primô quidem omnium, vos interrogo ô docti, & quæro: Si Spiritus ſanctus oraret, cujus efficaciæ foret actus ille? quandoquidem Spiritus ſanctus perſona divina eſt, infinito pollens valore, conſequenter dicendum eſt, orationem Spiritus ſancti, infinitæ fore potentiæ. Audite: oratio noſtra eſt legitimus & naturalis Spiritus ſancti partus; vultiſne, ut probem? ecce rationem in promptu. Fuêre incarcerati Eccleſiæ ſanctæ vertices, Petrus & Paulus, ille in Jeruſalem, hic in Macedonia; ille ab Herode, hic à Magiſtratu; at neſcio, ſi differentiam obſervaveritis, quæ inter unius & alterius liberationem interceſſit. Petrum eripuit Angelus: *Ecce Angelus Domini aſtitit & lumen refulſit in habitaculo.* *Act. 12. v. 7.* S. Paulum autem ipſe Spiritus ſanctus liberavit: *Sancto adveniente Spiritu, tremunt carceres, aperiuntur oſtia.* *Differ. inter liberationem D. Petri & Pauli.* Subintrat hîc S. Pater meus Auguſtinus & quærit: *Cur Petrus & Paulus, qui æquales fuerunt in merito & paſſione, inæquales viſi ſunt, in carceris egreſſu & liberatione?* Quare Petrus ab Angelo, & Paulus à Spiritu ſancto liberatus fuit? *§. 11.*

VI. Quandoquidem Spiritus ſancti mentionem ingeſſimus, aliud quoddam ejusdem factum attingamus. Poſt glorioſum Chriſti in cœlos aſcenſum, Spiritus

Sp. S. cur in lingua Act.2. v.3. §. 9. sanctus in forma linguarum super Apostolos descendit: *Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit*: Quare Spiritus sanctus in linguæ figura comparuit? cur non in forma oculi aut cordis? cur non in specie columbæ, prout supra Christum descendit?

VII. S. Paulus id explicans; quod pro
Rom. 8. v. 26. nobis Spiritus sanctus operatur, ita resolvit: *Spiritus sanctus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus sanctus erat pro nobis; quomodo? Spiritus sanctus pro nobis supplicat? quid est oratio? juxta resolutionē Doctoris Angelici: *Oratio*
S. Th. p. 2. *est actus Religionis, quo quis inferior deprecatur superiorē.* Orans semper est inferior eo, cui fit oratio. Forsitan Spiritus sanctus Patre est inferior? non; quia *totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Quomodo itaque asserit Apostolus: *Spiritus sanctus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*? Christus equidem pro nobis ora-
Luc. 6. v. 12. re poterat, qui *erat pernoctans in oratione Dei*; quoniam ut homo patre inferior erat: *Minor patre secundum humanitatem.* Ast Spiritus sanctus neutiquam est Patre inferior, quomodo itaque pro nobis orare dicitur?

VIII. Pro eximii conceptus intelli-
Christ. 2. habuit corpora. gentia, suppono, quòd *duo corpora habuit Christus Dominus*; *alterum naturale, sumptum ex Virgine*; *alterum mysticum, quod est Ecclesia*; Inter hæc duo, Christus corpus mysticum pluris æstimavit quam natu-
S Bern. l. de tripl. concordia. rale, dicente S. Bernardo. *Si corpus mysticum non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico.* Sed in quo corpus mysticum fuit naturali nobilius? scitisne in quo? corpori naturali anima obtigit creata, ast mystico
Spiritus S. anima Ecclesiæ. in animam datus fuit Spiritus sanctus, conformiter iis symboli verbis; *Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem.* Vivificare proprius est animæ effectus, ergo Ecclesiæ sanctæ est anima Spiritus sanctus. Norunt Philosophi, quòd *actiones vitales sunt ab anima*: omnes itaque Ecclesiæ sanctæ operationes sunt â Spiritu sancto; sed reliquas inter una ex principalioribus est oratio; ergo oratio procedit à Spiritu sancto. Hanc itaque ob causam dicit Apostolus: *Spiritus sanctus postulat pro nobis.*

IX. At si *opera Trinitatis, ad extra sunt indivisa*, quare oratio Spiritui sancto potius, quàm aliis divinis personis attribuitur? Scitis ò Theologi, quod in SS. Trinitate, Pater æternus tanquam fœcundus & summum bonum, generat Verbum suum filium, adæquatum divinæ mentis terminum. Filius simul cum Patre, quia uterq; est infinite fœcundus, producit Spiritum sanctū, divinæ voluntatis terminum adæquatum: Nonne Spiritus sanctus est summum bonum? ita; quem igitur ille producit? ad intra nullū; non ex impotentia, sed propter repugnantiam. O dicit Spiritus sanctus: *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero?* Agedum igitur, quandoquidem divinitatē parturire nequeo, alium producam effectum, partem adeo nobilem, ut ipsam quodammomodo exprimat divinitatem. Quis autem erit hujusmodi partus? oratio; quæ quia sine lingua perfici nequit, ideo, sicut Dei filius, amore hominis, carnem assumpsit humanam; ita & ego amore illectus orationis, speciem induam linguæ. Hunc nobis concoptum S. Ciprianns sequenti expressit discursu: *Linguæ figuram prætulit; ut sanctæ Ecclesiæ formaretur oratio, quā dilexit ut filiā.*

Nequit communicari ad intra.

Orationis vis.

S. Cypr.

X. Equidem quod sibi nomen Spiritus sanctus assumit in Scriptura sacra? *Effundam super David & super Ierusalem; Spiritum gratiæ & precum.* Super Ecclesiam, Spiritum meum profundam;

Zach. 12. v. 10.

cujus

cujus nominis Spiritum; *Spiritum precum.* Non appellatur Spiritus mortificationis, compassionis, eleemosynæ aut fortitudinis, sed orationis adeo illi beneplacitæ. An non videtis, orationem semper conjungi cum Spiritu sancto?

XI. Ecce vobis rationem, quare Petrus ab Angelo, Paulus autem â Spiritu sancto liberatus fuerit è carcere. Dormiebat ille: *Erat Petrus dormiens inter duos milites*; quia autem ex alia parte pro Petro tota orabat Ecclesia: *Oratio autem fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo*; vadat Angelus, inquiebat Deus, eripiatque Petrum è vinculis, idque sufficiat. Ast quid de Paulo & Sila? hi *erant unanimiter perseverantes in oratione Dei.* Itane? Paulus personaliter orat? vadat Spiritus sanctus, pater orationis, liberans eum: *& sancto adveniente Spiritu, tremunt carceres, aperiuntur ostia.*

Orationis vis. XII. Si itaque oratio nostra est Spiritus sancti partus & filia consequenter tantâ apud Deum virtute pollet, quam oratio ipsiusmet Spiritus sancti. Non dico ego, orationem nostram tanti esse meriti, quemadmodum si eam profudisset Spiritus sanctus; absit, hoc enim dici nequit; sed assero, quòd oratio nostra, quia pro patre & principio suo habet Spiritum sanctum, ideo tantum valeat apud Deum; ac si ab ipso spiritu sancto instituta fuisset. Si ita est, quidni oratio infinitæ erit virtutis, sufficiens ad ipsiusmet Dei manus constringendas.

XIII. Ex quo sequitur, nihil omnino esse, quod dum anima orans petit, cum efficacia non impetret, etiamsi petitio ab ore procedat peccatorum. Nonne Chananæa peccatrix erat? ita, utpote gentilis; & nihilominus quid hodie ad illam dicit Christus? *Fiat tibi, sicut vis.* Samaritana nunquid peccatrix erat? ita; mulier erat virorum quinque, & nihilominus exaudita fuit: *Si scires, forsitan petiisses, & dedisset tibi aquam vivam.* Nonne peccator erat ille Publicanus? ita: *Propitius esto mihi peccatori*; & nihilominus *descendit hic justificatus ab illo.* Bonus latro an non peccator erat? ita; & nihilominus vix elocutus fuerat: *Memento mei Domine*, & subitò sibi dici audiit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quid dico de peccatoribus? nunquid dæmones ad pœnam condemnati sunt æternam? ita; & nihilominus ex certis corporibus humanis à Christo ejecti, rogarunt, ne in infernum præcipitarentur: *Si nos ejicis, mitte nos in porcos*; Christusque assensit: *Ite.* Circa quem textum ita discurrit S. Antiochus: *Dæmones ipsi, ne in abyssum præcipitarentur, cum Dominum obsecrarunt, suâ petitione fraudati non sunt.*

Matth. 15. v. 28.
Ioa. 4. v. 10.
Luc. 18. v. 13. v. 14.
Luc. 23. v. 42. v. 43.
Mar. 5. v. 12.
S. Antio. to. 2. bibli. patrum ho. 27.

XIV. Sed pater, objecerit forte quispiam, in S. Joanne asseritur, quod *peccatores Deus non exaudit*: id quod ecclesiasticus his verbis clarius expressit: *Non est speciosa laus in ore peccatorum.* Respondeo vobis per resolutionem Theologicam, tria complecti quodcunque opus supernaturale; primò quòd sit meritorium *de condigno*, aut gloriæ aut gratiæ. Secundò satisfactorium pro peccatis, & tandem impetratorium dispositionis ad gratiam. Oratio peccatorum non est meritoria, neque satisfactoria *de condigno*; quia cum non procedat à gratia, quæ animæ vita est & omnis principium meriti, ideo mortua est, eamque ob causam nec satisfactoria. Sed quid? est impetratoria; unde S. Augustinus ait: *Si peccatores Deus non exaudiret, frustra Publicanus dixisset, propitius esto mihi peccatori.* Si igitur peccatorum

Ioan. 9. v. 31.
Eccli. 15. v. 9.
S. August.
Luc. 18. v. 13.

oratio

oratio, etiam exauditur, quid dicemus de precibus justorum?

XV. Prætereo, quòd oratio clavis sit cœli, ita eam intitulante S. Patre meo Augustino: *Oratio justi, clavis est cœli; ascendit deprecatio, & descendit Dei miseratio*: Idem. Subticeo, nos per orationem effici immortales, ita enim nos sanctus Chrysostomus in hæc verba instruit; *Per orationis exercitium, hoc assequimur, ut mortales & temporanii esse sinamus.* Chryſ. l. 1. de ador. Deo. Neque asseverabo, animam orantem naturæ esse Angelicæ, juxta illam S. Chrysologi assertionem: *Per orationem Ioannes fit angelus in carne, cœlestis in terra, & totam totus capit, tenet & possidet Trinitatem.* S. Pet. Chrysol. ser. 43. Prætereo quoque id, quod est creaturam vi orationis exaltari ad esse divinum, dicente eodem Chrysologo: *Per orationem Moyses fit Deus & ad triumphos militares, sibi omnia mandat elementa devinci.* Pauca duntaxat, sed singularia orationis alia encomia depromam.

XVI. Anima orans tanti est valoris, ut ipsi Deo præcipere, eumque obligare possit, ut sibi concedat, quidquid voluerit. Oratio imperat Deo & §. 20. Revocate in memoriam Jonæ historiam; quando hic à ceto absorptus erat, rationabiliter concludere poterat, se omni momento, ab insatiabili bestiæ illius stomacho devorandum fore; nihilominus admirabili cum confidentia, in sequentia Ion. 2. v. 7. prorupit verba: *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me; sed tu Domine sublevabis de corruptione vitam meam.* Absorptus juro faucibus esurientis & famelici stomachi, me in profunda arenarum maris abysso constitutum reperio, tu nihilominus ô Domine liberabis me de periculo tanto. Jona, tu ore proprio confiteris, te millenis aquarum vorticibus squalere oppressum, & nihilominus tanta cum audacia, Deo imperas, ut te eripiat? in quo confidis? in quo? legite textum; quid fecit Jonas tribus illis diebus, quibus incarceratus hærebat in utero ceti? *Oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Ion. 2. v. 2. Itane? Jonas in ceti ventre existens, orationem instituit? virtute illius auctoritativè Deo præcepit, dicens: *Tu Domine liberabis de corruptione vitam meam.* v. 7. Audire delectet Sidonium Apollinarem, Sid. Ap. in piissimo illo, à se ad Faustum Recensem conscripto poëmate, in quo omnimodam orationi victoriam attribuens ita canit.

Quique volubilibus spaciantem tractibus
Alvi
Complecti Ionam, resonant dum viscera
monstri,
Introrsum psallente cibo.

Notate *psallente cibo.* Antiqua finxit poësis, unicâ Orionis cythara mansuefactum fuisse Delphinum; ecce vobis Jonam, qui in unius cythara orationis, furibundum placavit humanumque reddidit cetum, æternis ò Jona summæ hujus caliginis tenebris immersus, nisi oratio, *quæ non est minoris efficaciæ, quam tota profusio sanguinis*: tibi vires suppeditaret ad præcipiendum Deo.

XVII. Sed quomodo Propheta Jonas in tanto existens periculo, constanter adeo in sua confidit oratione. S. Aug. l. 2. de mira. sacræ scr. Auscultate doctissimum S. Patris Augustini responsum, v. 7. mysterio plenum, dicentis; Jonam viduæ illius Sareptanæ filium fuisse, quem suscitavit Elias virtute orationis. Jonã suscitavit oratio. Quasi itaque dicit Jonas: Si voces & orationes Eliæ, sufficientes fuere & efficaces ad liberandum me de ventre mortis, quæ omni inexorabilior est ceto; meæ me poterunt orationes facilius eripere de ventre hujus bestiæ: *Tu Domi-*

Jon.2.v.7. *Domine liberabis de corruptione vitam meam.*

XVIII. S. Petrus quoque quare securè adeò, omnique sine sollicitudine dormiebat? ad mortem condemnatus erat, sententia lata, paucissimarum horarum proscriptus terminus, præ foribus carnifex, dispositus ensis; vinculis & catenis onustus, in medio militum Petrus; & ut verbo complectar, omne incertum mortis suæ momentum, vitæque terminum præstolabatur Apostolus; & nihilominus bonus hic senecio: *In ipsa nocte erat dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* O Petre, tu dormis? nonne ad mortem condemnatus es? ita; quomodo igitur omnis adeò curæ expers quiescis? quid pro Petro præstabat Ecclesia? *Oratio autem fiebat ab Ecclesia ad DEum pro eo.* Pro Petro orabat Ecclesia, ideoq; ille sine omni timore, somnum capiebat. Audite Chrysostomum sanctum: *Vis discere, quanta sit orationis sanctæ in Ecclesia potestas? vinctus erat Petrus, multisq; catenis circumdatus; oratio autem fiebat ab Ecclesia ad DEum pro eo, & statim eum à carcere liberavit; quid igitur oratione potentius, quæ Ecclesiæ columnam liberavit?*

Cur S. Petrus dormiat in carcere

Act. 12. v. 6.

v. 5.

S. Chrys. h. 79. ad popul.

XIX. Majorem autem veritatis hujus certitudinem nobis afferat fortissimus ille Angelus, à DEo ad universum Israëlem, propter peccatum Davidis crudeli pestilentiâ feriendum ablegatus. Per tres integros dies, ut nostis, populum punire jussus erat: *Aut tribus diebus pestilentiam.* Summo itaque mane cæpit ordiri cædem & umbras diffundere mortis; jamque civitas lacrymabile nimis evaserat spectaculum & theatrũ, in quo actores simul & spectatores agebant homines ipsi, qui occumbebant, suas agentibus personas morte, justitiâ & supplicio; omniaque in luctum conversa erant. Sed quid? vix hora affulserat prandii, cùm ecce Angelus, qui manu gladium stringebat, aut quasi lassus, aut quasi pœnitens, ferire destitit. Dic mihi ô Angele, quanto tempore plaga intentata ferocire debebat? nonne per tres dies? ita: *Tribus diebus*, juxta præceptum Domini. Quomodo igitur tu cessas ab illa in meridie primi diei? quomodo tu eam intra paucas horas interrũpis? fortè casu defessus fuisti? aut forsitan tibi cordi non erat, illis implicari mortuis? ubi est, quò tua evanuit obedientia? Deumne supplicii pœnitet? minimè equidem, quoniam immutabilis est. Quis igitur tibi brachium detinuit? quis te, ne ferires ultra, impedivit? Respondet Angelus: nonne videtis Davidem, in terra prostratum, lacrymis madentem, supplicique voce obsecrantem: *Obsecro Domine, vertatur manus tua contra me; isti, qui oves sunt, quid fecerunt.* Tanta autem fuit hujus orationis efficacia, ut pœnam, tribus integris duraturam diebus, ad tres constrinxerit horas; illa enim imperioso volatu se transferens in aëra, angelicam continuit manum, moxque pœnæ finem imposuit. Ecce vobis authoritatem Theodoreti, inquientis: *Quamvis Dominus comminatus fuerit trium dierum pestilentiam, tamen quia oratio occurrit Angelo percutienti, ideò tenuit manum ejus, ne ultra progrederetur.* S. Theod.

Oratio tollit pœnas.

1. Par. 21 v. 12.

XX. Tanto cum imperio anima orans præcipit DEo, ut hic quodammodo obligari videatur ad præstandam sollicitanti obedientiam. Vos me docetis ô Theologi, DEUM universi conservationem sollicitè adeò fovere, ut etiam non dubitet ad peccatum concurrere; non qui-

Cur Deus concurrit ad peccatum. dem ad deformitatem ejus, quia *non Deus volens iniquitatem tu es*; sed ad actum physicum; cum enim ipse sit primus omnium causarum secundarum motor, sine ejus concursu, nulla causa inferior se movere posset, sed omnes isti motus cessarent. At objecerit forte speculativus quispiam; si Deus novit, actum hunc physicum malitiâ & deformitate vestiendum esse, quare igitur ad eum nobiscum concurrit? Respondet Theologus: *Ne mutetur ordo universi.* Ut non perturbetur universi ordo, ut non impediatur cursus liberi arbitrii. Subsistite mecum. Quando exercitus Josue, in medio eminebat victoriæ fervore, sol ad occasum vergere cæpit; quo commotus belli dux Josua, Domine, inquiebat, si nox ingruerit, victoria nostra in nihilum recidet, quapropter *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ayalon*, moxque, ait textus, *obediente Deo voci hominis*, substitit cum sole luna: *Steteruntque sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Quid agis Domine? firmato cursu solis, totius universi immutabitur ordo, cessabunt motus causarum secundarum, imò generationes omnes suspendentur. Quid vultis faciam? respondet Deus. An non auditis imperium Josue? totius potius universi ordinem immutari mavelim, imò & totum perire mundum, priusquam animæ oranti quippiam denegetur. Stet sol, non moveatur cœlum, *mutetur ordo universi*, tantummodo ut Josue sua obtingat petitio. *O quanta vis est*, dicit quidam doctus pater, *in unius hominis voce; & Deus ipse obedit, & quasi totius universi natura mutatur.*

Ps. 5. v. 5.

Jos. 10. v. 12.

v. 13.

XXI. Tanta tamque exacta est DEi circa animam orantem obedientia, ut Deus citius sibiipsi deficeret, quam orationi. Venit vice quâdam ad Christum mater filiorum Zebedæi, rogans, ut duos filios ejus in regno suo promovere nón dedignaretur: *Domine, dic ut sedeant hi duo filij mei; unus ad dextram & alius ad sinistram in regno tuo.* Christus nullo matrem dignatus responso, ad Jacobum & Joannem se convertens, illis dignatus, illis ita respondit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? possumus*, respondêre filii. Christus igitur ita eos allocutus fuit: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram vel sinistram, non est meum dare vobis.* Passionis meæ calicem bibetis, ast me non concernit sedium collatio. Ad quem itaque hoc spectat officium summe DEus? nonne tu es magnus ille Dominus, cui Pater æternus plenariam tam in cœlo quàm in terra potestatem indulsit? ita; sic namque tu ipse per S. Lucam attestaris, dicens: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater.* Sique *in tua potestate sunt cœli terræque thesauri, & omnia dedit tibi pater in manus*; quomodo protestaris; *Non est meum dare vobis?*

Matth. 20. v. 21.

v. 22.

v. 23.

Luc. 22. v. 29.

§. 23.

Matth. 20. v. 23.

XXII. Pro dubii hujus solutione S. Apostolum Jacobum consulamus, dicentem: *Elias fuit homo similis nobis, & oravit ut non plueret, & non pluit annis tribus.* Elias quidem homo erat ordinarius, at potentissimus apud DEUM; rogavit namque Dominum, ne plueret; tribusque annis mansit occlusum cœlum. Sancte Jacobe, potuit Elias rogasse Dominum, ne plueret, suamque cœlo obserato petitionem obtinuisse; sed ergò potentissimus fuit apud Deum, *negatur consequentia.* Nequaquam, dicit Clemens Alexandrinus; non negetis consequentiam, utpote in conditione DEi fundatam; qui *cum sit naturâ bonus, si cessaret benefacere, cessaret esse DEus.* Est DEus summè bonus, bonum autem de se est communi-

Jac. 5. v. 17.

D. Clem. Alex.

municativum; si Deus omitteret benefacere, desineret esse Deus, quia nimirum cessaret esse bonus. Ast si ita est ô Domine, quomodo itaque annis tribus cœlum contines occlusum? desinesne Deus esse? quid opponitis, an non videtis, quòd sic jubeat Elias? animæ oranti nihil negari potest, potiusque eligerem mihimet ipsi, quàm orationi deficere.

XXIII. Jam ingentem nimis Eliæ potentiam dignoscetis. Quandoquidem Elias vi orationis cœlum occlusit, cœlumq; claudendo effecit, ne sese DEus nobis communicaret; est consequenter resolvendum, eum potentissimum fuisse; quia scilicet effecit, ut hoc Deus operaretur, quod ex seipso non præstat. Ex quibus sensum elicere lubeat illorum Christi verborum: *Non est meum dare vobis.* Hinc urgebat oratio, sedem sollicitans pro Joanne & Jacobo; illinc verò, cùm necdum cœlum apertum esset, dissuadebat convenientia, ne petitioni fieret satis. Quid faciam, dicebat Christus? si sedes concesserim, indecens erit; si dixero, me nolle, præjudicium inferam orationi: dicam igitur potius, me non posse, ne ullam animæ oranti inferam injuriam. Discursus hic est S. Ambrosii, sequentibus expressus verbis: *Maluit Deus, se videri non posse, quod poterat; quàm orationi mulieris aliquid denegare.* *S. Ambr. l. 3. de fide.*

XXIV. Ultimumne audire vultis orationis encomium, gloriarum ejus sigillum? non modò dum suum justum os aperit, spasmum toti cœlo infert; sed etiam si ipse Deus ingrandescere posset atq; exaltationis capax foret; nihil omnino eum ita sublimaret, quàm oratio. Teste S. Joanne, beati illi spiritus, qui divino fruentes obtutu, divinas contemplabantur stupebantq; excellentias, *requiem nō habebant die ac nocte, dicentia; sanctus, sanctus, sanctus.* Tantæ musicæ, ut idem Evangelista testatur, altissimum successit silentiū: *Factum est silentium in cœlo, quasi dimidiâ horâ.* Vos ego requiro ô docti, nunquid in cœlo potest esse silentium? minimè equidem; quia juxta Davidis assertum: *Qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ipseq; Joannes paulo ante professus est, quod beati in cœlo, *requiem non habebant die ac nocte, dicentia; sanctus, sanctus, sanctus.* Cujus hæc theologalis potest assignari ratio; quia nullæ beatorum in cœlis operationes, motus aut actiones liberæ sunt, sed omnes naturales & necessariæ; ita ut, sicuti nullus beat⁹ visione Dei cessare potest, ita nec ullus laudem amoremq; ejus omittere possit. Quomodo itaq; dicitur: *Factum est silentium in cœlo, quasi dimidiâ horâ?* respondet S. Joannes loco citato, quid admiramini? quia dum Angeli & beati divinas celebrarent excellentias, *ascendit fumus incensorum, id est, de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Fuit per manum Angeli, Deo præsentatus calix plenus orationibus sanctorū, subitòq; vocum orantium melodia taliter cor rapuit Dei, ut hic ad fruendum tantâ dulcedine, silentium imposuerit Angelis. Observastisne, quando voces accinunt electæ, cantoresque famosi in reali aliqua aut pontificia capella, quid fieri soleat? subitò magister seu præfectus capellæ, silentium indicit musicæ ordinariæ. Ita quoque dum in cœlo concinerent Angeli, voces insonuêre orantium; moxque heus, dicebat Spiritus sanctus, tanquam cœlestis capellæ magister, comprimite voces vestras ô Angeli, audiamus sanctorum orationes; tantumque hæ divinam exaltarunt majestatem, ut

Oratio silentium indicit cœlo. *Apoc. 4. v. 8.* *Apo. 8. v. 1.* *Psal. 83. v. 5.* *Apoc. 8. v. 4.* Et Deum exaltat.

ut Angeli stupescentes obmutuerint; unde Theophylactus ait: *Omnipotens divinitas, quæ antea in throno elevato sedens, celebrabatur Angelorum vocibus; inter orationes agens non potuit nisi silentio celebrari,*

XXV. Sed unde tantus orationi valor & efficacia, ut DEum invincibilem vincat, ejusque cor rapiat? prius justæ trutinæ orationem imponamus cum divinitate, cognituri, utra præponderet. Magnus pater luminum, per os Davidis, Christum filium suum ita alloquitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, q. d. tibi fili mi divinitas quidem debetur titulo hæreditario, nihilominus volo ipsam tibi etiam dare titulo orationis; atque ita divinitatem possidebis, tum ut DEus, tum ut orans; non potest mihi majorem consolationem afferre aliquid, quàm filiatio tua; at proxima post hoc solatium inter omnes delicias & satisfactiones, quibus frui possum, erit, si te orantem videro. In divinitatis tuæ satisfactionem, accipe regnum tanquam tuum; ast pro gustu & satisfactione mea, postula illud, quasi non esset tuum. Advertite per fidem vestram, quia tantam pater æternus orationis, quantam propriæ divinitatis rationem habere videtur; quia regnum quod dispensatur propter divinitatem, idem conceditur intuitu orationis.

Et Christo dat divinitatem. Ps. 2. v. 8.

XXVI. Audiamus Basilium magnum, de oratione taliter discurrentem: *Est oratio quædã pecunia spiritualis aurea, quam si habes, omnia habes; & quam si non habes, nihil habes.* Oratio est certa quædam spiritualis moneta ex auro, quam qui possidet, omnibus fruitur desiderabilibus; quâ quisquis caret, nihil habet. Quare oratio dicitur nummus aureus, scitisne causam? Moneta Siciliana tantum expenditur in hoc regno, non in Neapolitano; pariter Neapolitana duntaxat valet in illo regno, & non Romæ; Romana tantummodo valet per statum papalem; ast moneta aurea? hæc currit per omnia; qui habet zechinos, doppias aut ducatos, monetas aureas; potest pervagari & circumire mundum universum. Fides non est moneta aurea, quia erogatur tantum inter nos viatores; spes non est moneta, quæ expendatur in cœlo, sicut charitas; at oratio moneta aurea, quæ currit per totum cœli terræque ambitum; quique hanc monetam possidet, omnia habet desiderabilia; qui elicit actum fidei, non habet spem; qui verò sperat, in virtute hujus actus non habet charitatem; at qui orat, spem, fidem & charitatem habet: *In Domino confido.* (ecce fidem) *in te Domine speravi* (ecce spem) *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus*; (ecce charitatem.) Est itaque oratio moneta aurea, per quam Christianus sibi comparare poterit, quidquid voluerit.

S. Basil.

Est moneta aurea.

XXVII. Si porrò majorem asserti hujus certitudinem exoptatis, audite scripturam sacram. Mortui deficiebant Hebræi præ fame, exarescentes præ siti: *Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* Quâ pecuniâ sibi compararunt victum? *Clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Graviter decumbebant infirmi propter diversas, quas patiebantur incommoditates; quodque pejus erat, nullum in morbis suis habebant adjutorem: *Infirmati sunt, nec fuit, qui adiuvaret.* Medio quo salutem sibi procurarunt & refrigerium? *Clamaverunt ad Dominum, & de infirmitatibus eorum liberavit eos.* Omnem amiserant appetitum, ita ut nihil non iis fastidio foret, morte præ foribus imminente: *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Quid adhi-

Ps. 106. v. 5.

Ps. 106. v. 6.

v. 12.

v. 18.

adhibuêre remedii ad restaurandum appetitum & vitam? *Clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Tempestuosas inter maris undas navigabant, aquis modò in cœlum usque se sublevantibus, modò usque in abyssum decidentibus; hosque inter fluctuum ascensus & descensus, de propriis sedibus evellebantur miserorum corda; *Et exaltati sunt fluctus ejus; ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat.* Quo remedio arrogantissimũ maris elementum placarunt? *Clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum eripuit eos.* Optimè itaq; concludit S. Basilius, quòd *oratio est quædam pecunia spiritualis aurea, quam si habes, omnia habes; & quam si non habes, nihil habes.*

v. 25.

XXVIII. Quo supposito, resolvere possumus, quòd habens orationem, bonum possideat, omnium contentivum bonorum, liberrimèque dicere possit: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Si enim de bono utili loqui placuerit, quid obsecro in toto mundo mihi exhibere poterit is oratione utilius, magisq; proficuum? loquatur unus pro omnibus S. Augustinus, *Quid est oratione præclarius*, ait, *quid vitæ utilius?* Si cœlum conscenderimus, manna reperiemus manibus angelicis præparatum ad instantiam orationis; *Petierunt, & pane cœli saturavit eos.*

Sap. 7. v. 11.

S. August. tr. de miseric. to. 10.

Ps. 104. v. 40.

XXIX. Non sine magno igitur fundamento asseruit S. Chrysologus, infinitum esse orationis pretium, paribusque cum passione Christi, gressibus ferri: *Ut ante nos oratione liberet, quàm redimeret passione.* Neque ex nunc miretur quispiam illud S. Bernardi assertum: *Oratio vincit invincibilem, ligat Omnipotentem.* Sique oratio, invincibilis ligat DEi manus, quidni dicemus cum S. Chrysostomo: *Nihil est oratione potentius?*

S. Bern.

XXX. Si tantus est orationis valor, ô pater, quare igitur ego post continuas orationes, nullum unquam hujusmodi expertus sum effectum? Hanc ego querelam præstolabar. Scisne, cur tua non fuerit exaudita deprecatio? quia bona petis temporalia. Non est profundenda oratio propter hujusmodi bona, quæ nihil sunt, sed propter bona animæ, in quem finem inprimis deservit illa S. Ambrosii doctrina: *Et tu cum oras, magna pete, id est, ora ea, quæ æterna sunt, non quæ caduca; noli orare pro pecunia, quia ærugo est; non pro auro, quia metallum est; noli orare pro possessione, quia terra est; ista oratio ad Deum non pervenit.*

S. Ambr. in Ps. 108. Quid petendum.

XXXI. Pater, petivi spiritualia animæ bona, & tamen sine ullo effectu. Audi, scisne quare Deus te non exaudierit? quia nimis pauca petiisti, ipse autem magna tibi atque excellentia impertiri gestit. Martha & Magdalena sanitatem Lazari à Christo postulabant: *Domine, ecce quem amas, infirmatur;* Christus autem permisit Lazarum mori, posteaque ipsum resuscitavit; cujus hanc assignat rationem sanctus Chrysologus: *Ejus amare illud est, non ut dilectum allevet, sed ab inferis ut reducat, dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox paravit.*

Ioa. 11. v. 3.

S. Chrysol.

XXXII. Vel etiam te DEus non exaudit, quia quod ore postulas, non oritur ex corde; linguâ consummas orationem, sed cor habes à Deo remotissimum: *Si cor nostrum non reprehenderit nos*, inquit S. Joannes, *fiduciam habemus apud DEum, quòd, quidquid petierimus, assequemur.* Si à corde nostro reprehensi non fuerimus, certi simus, nos, quidquid postulaverimus, impetraturos. Quid denotat reprehensio

1. Ioan. 3. v. 21.

Quæ or. invalida. cordis? Sciendum est, ferocissimum inimicum linguæ esse cor nostrum. Si quis ad Crucifixi pedes provolutus, dixerit: Matth. 6. v. 9. *Pater noster, qui es in cœlis*: Subitò contra linguam cor insurgit, dicitque ei: mentiris ô lingua; si enim DEum appellas patrem, cur eum non amas ut patrem? imò quare eum odisti? Si tu eum cognoscis esse in cœlo, quare ut DEum veneraris ibid. hæc bona temporalia? *Sanctificetur nomen tuum*; prosequitur lingua: sed falsum dicis, replicat cor; quia tu nihil aliud facis, quàm blasphemare nomen sanctum ejus. v. 10. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Mendax es ô linguâ, reexprobrat cor; tu enim aliud non velles, nisi ut DEus tuo se accommodaret beneplacito. *Dimitte nobis* v. 12. *debita nostra,* dicit lingua, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non falsum loqueris? reobjicit cor; si enim Deum oras, ut tibi parcat, cur tu non ignoscis inimico tuo? Hæc est causa, quare oratio nostra sinistrum semper sortiatur exitum. Vultisne, ut DEus vos audiat & exaudiat? *Oratio* soror est eleemosynæ neque una S. Petrus Chrys. ser. 43. graditur sine altera; unde Chrysologus inquit: *Qui ergò orat, misereatur & audiat petentem, qui petens optat audiri.* Respiremus.

SECUNDA PARS.

XXXII. Cras præsentiam optarem Dominorum Medicorum, quia circa infirmum miserum instituetur actio, 38. annorum paralysi laborantem; quâ occasione duo elucidabuntur mirabilia. Primum, medicum ipso paralytico infirmiorem esse; secundum, quòd convalescente infirmo, confestim sanus videatur & medicus. Problema autem statuemus sequens: quid ardentius desideretur à Christo an peccatorum salus, an propria ad Patris dextram glorificatio?

XXXIV. Intellecto nimio orationis valore, ne vobis displiceat, pro astruenda sacramenti Eucharistiæ efficacia, extraordinarium quoddam & mirabile audire responsum, quod Christus hodie dedit Chananææ. Hæc sæpe jamtum & diversis viis, filiæ suæ salutem poposcerat à Christo; ipse autem Salvator inter alia taliter ei respondit: *Non est bonum, sumere panem & dare canibus.* Non convenit, pane destituere filios, eoque reficere canes. Quomodo mi Domine? *Panem filiorum?* quis obsecro petivit panem? Chananæa nihil præter incolumitatem petiit filiæ suæ, tu verò respondes ei: *Non est bonum, sumere* Matth. 15. v. 26. *panem?* Non videtur mihi dicta responsio satisfacere. Crescit plurimum admiratio, dum sequentia perpendens, reperio, mulierem Chananæam, audito verbo panis, mox acceptasse comparationem, cum dicto: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de* v. 27. *micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorū.* Hoc ipsum requirebam; imò catelli nutriuntur micis panis, cadentibus ex mensa. Redde rationem ô Chananæa, dicq; mihi, quid petis? panem aut filiæ salutem? nonne salutem? ita. Quomodo igitur ægritudinis immemor, panem modò postulas? catellique figuram assumens, frequenti latratu, reliquias petis mensarum? Advertit dubium hoc Basilius magnus, qui proinde subtilem hanc tradit resolutionem. Notetis, hîc sermonem esse de pane non communi, sed Eucharistico, Cur Euchar. panis filiorum. qui jure merito panis dicitur filiorum; vel quia nos DEI filios efficit, vel quia nos parvulorum instar filiorum crescere facit, juxta illud sancti Augustini: *Cresce, & manducabis me.* Aut quia ad debitam ejus fruitionem, puritate nos infanti-

fantili eminere oportet, juxta monitum Richardi à S. Victore: aut denique panis nuncupatur filiorum, ad nimium nobis paternum demonstrandum amorem, cum quo ille nobis tanquam charissimis filiis datus fuit; hunc in modum sanctâ concinente Ecclesiâ: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Quandoquidem igitur panis hic sacratus, est unicum omnium malorum remedium, nequaquam Salvator extra propositum locutus videtur, dum injecta infirmitatis mentione, ipse per Eucharistiam respondit; arbitrorque, eum hoc similive modo discurrere voluisse. Nonne agitur de salute & adjutorio? de ejiciendis Spiritibus infernalibus? ita; Sciatis igitur ad hunc filiorum panem convolandum esse pro hujusmodi effectibus obtinendis, quia in pane eucharistico omnia præstantissima vitæ remedia & medicamina recluduntur; hocque pane eget mulier illa gentilis pro consolatione sua & filiæ sanatione. Audiens Chananæa mentionem fieri panis & quidem panis filiorum, odorefacere cœpit, nescio quid circa Eucharistiam, quòd sit unicum malorum omnium remedium. Quid igitur respondit? Domine, hunc ego panem inquiro, imò vel unica hujus panis mica sufficiet, ut mihi solatium, & filiæ meæ offerat salutem: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Itane? dicebat Christus; Chananæa primò orans, deinde se canem professa, modò etiam figurâ frui desiderat sacramenti? concedatur ei, quidquid voluerit. Audite Chrysologum sanctum: *Meritò, quæ se canem confessa est, in hominem commutatur; & meritò adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa, laudabili & provida humilitate dejecit.* Cum itaque hodiernum evangelium accommodam nobis subministret occasionem tractandi de Sacramento, videamus primò, quantum sacratus hic panis nobis solatium afferat & commodum, inferno autem timorem; ex his enim clara patebit resolutio illius dubii; utri major insit valor, an orationi ad vincendum DEum, an verò sacramento ad conterendum infernum?

S. Chrysol. ser. 100.

XXXV. Ut autem profundius penetremus, quòd sacramentum hoc sit verum & unicum contra omnia mala remedium, præcipuè verò dæmonibus terribilissimũ; supponamus, tantas à pane eucharistico in animã redundare delicias, ut etiam ipse oblectetur recreeturq; Paradisus; quo fine delicatam quandam audite ponderationem. S. Thomas de pane eucharistico agens, dicit, quod *delectat beatos in cœlo.* Quomodo? *Delectat beatos?* igitur Eucharistia cœlestem adauget dulcedinem, suavitati beatorum addit suavitatem? sententiam hanc S. Thomas ex S. Gregorio Magno desumpsit, adeo stupenda asserente, ut, nisi à tanto sancto proferrentur, non ego illa vobis proponere præsumerem. Dicit hic sanctus, quòd in eodem instanti, quo sacerdos proferens verba, panem consecrat, plurimæ Angelorum turmæ de cœlo descendentes, ex manibus ejus hostiam sacram rapiant, ita tamẽ ut sacerdos eam videre non desinat: *Eodem momento rapitur in cœlum ministerio Angelorum sociandum corpori Christi, & ante oculos sacerdotis videtur.* O spiritus felices, ô aquilæ cœlestes, ne, precor dedignemini meæ respondere interrogationi. Quò deportatis hanc sacram hostiam? in qua sphæra, aut in qua parte cœli vos eam collocatis? fortassisne etiam inter infinita gloriæ lumina

S. Thom. opusc. 58.

S. Greg. M.

mina, altissimum hoc sacramentum exponitis? aut forte sacram hostiam in cœlum transfertis, ut purissimis manibus vestris aliquem communicetis Beatum? non; respondet in nomine Angelorum magnus Pontifex Gregorius: Sed *rapitur sacramentum ministerio Angelorum in cœlum, associandum corpori Christi, hoc est, ad beatos lætificandū.* O stupendam sententiam! *Ad beatos lætificandum?* quis unquam credat similia? Igiturne Beati illi, qui plenæ felicitatis centrum attigerunt, anchorasque suas in interminati oblectamenti pelago fundantes, nihil ultra desiderare possunt, etiam ex altissimo sacramento lætitiam hauriunt & exultationem? Beati illi, qui in indivisibili æternitatis puncto vident fruunturque omni exoptabili bono, singularem etiam voluptatem capiunt ex hoc sacramento? Beatis illis, qui in divini agni ineffabili cœna considentes, non ambrosiam sed Divinitatem manducant, potuque non alio quàm gloriæ flumine fruuntur, sacramentum hoc singulari est gaudio? Beatos illos, qui saturi omninò & contentissimi, imò uno trinoque Deo pleni sunt, præ lætitia exsilire facit hoc sacramentum? Ita, respondet S. Gregorius: *Ad beatos lætificandum.* Quasi sacramentum hoc singularem aliquam contineret suavitatem, pretium & gloriam, non repertam in infinito illo deliciarum oceano. O sacra Eucharistia, quò tuæ sublimantur laudes, quandoquidem & illi Beatorum mensæ, epulas infers adeò raras, ut etiam ipsam compleant beatitudinem?

Ut lætificet Beatos.

XXXVI. Exile nimis asserui. Sacramentum Eucharistiæ ipsam quoque sanctissimam Trinitatem deliciis replet. Attenti adeste ô sacræ scripturæ professores. Stans Patriarcha Abraham ante fores tabernaculi sui, tres vidit insignes pertransire personas, unde uni earum appropians, rogavit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Domine, te obsecro, ne transeas ulterius, priusquam te refeceris: *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum*; *idcirco enim declinastis ad servum vestrum.* Scio, vos non alio fine meas petiisse ædes, quàm ut meo refocillaremini pane. Pater Eucherius apud Lippomanum asserit, hanc Abrahæ domum fuisse Ecclesiæ figuram: *Tabernaculum illud Abrahæ typum gessit terræ Ierusalem.* Tres illi viri, Abrahæ domum accedentes, divinas repræsentabant personas, ideoque Abraham *tres vidit, & unum adoravit*; vivum Trinitatis Symbolum. Adjungit insuper S. Thomas panem ab Abrahamo oblatum, significare sacramentum: *Sacrosanctum Domini corpus*, inquit S. Doctor, *tres habet virtutes principales, quarum tertia est, confortatio animarum; & de eo dictum est Gen. 18. Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Hoc supposito, ecce vobis gravissimum dubium. Panis, quem obtulit Abraham, Eucharistiam figurabat juxta mentem S. Thomæ; viri autem ad Abrahæ domum divertentes, tres divinas denotabant personas; quomodo igitur dicit Abraham: *Idcirco declinastis ad servum vestrum?* Dicemusne, divinas personas gradi per mundum, Sacramenti cupidas?

Et totam exhilaret trin.

Gen. 18. v. 3. Domus Abrahæ figura Ecclesiæ ibid. v. 5. Euch. ap. Lipp. S. Thom. opusc. 51.

§. 4.

XXXVII. Affirmative responderim ego, exque SS. patrum auctoritate, hujus vobis causam assignabo. Post consummatam à se in cœna communionem Christus, ad discipulos conversus, ait: *Non bibam amplius de hoc genimine vitis, quousque illud bibam novum in regno patris mei.* Ex nunc cessabo à potu sanguinis mei, quem rebibiturus sum in Patris mei regno. Sed

Marc. 14. v. 25. Matth. 26. v. 29.

§. 39. Sed quomodo? Christus postquam gloriosus ascendit in cœlos, inibi de novo fruitus fuit sacramento? ingens hæc est difficultas.

XXXVIII. Ast multò gravior est sequens, ubi de æterna generatione agitur, diciturque: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* (Psal. 109. v. 3.) Moxque immediate subjungitur: *Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* (v. 4.) Prima verba intelligo, scilicet quòd Pater æternus suum generet filium; ast ultima plurimum facescunt negotii. Quomodò enim simul conjunguntur: *Ante Luciferum genui te, & tu es sacerdos in æternum?* miranda nimis hæcce mihi videtur unio; ergo in eodem instanti, quo fuit generatum Verbum: *Genui te:* etiam sacerdos fuit: *Tu es sacerdos in æternum.* Igitur ab eodem instanti, quo Verbum divinum ex sinu paterno processit, sacramenrum confecit? ita, dicit magnus Doctor Anonymus; neque sine ratione & divino consilio David æternam generationem & Eucharistiam conjunxit; ad demonstrandum scilicet, quòd Verbum divinum mox post generationem suam cæperit in animo suo versare cogitationes Eucharistiæ, existensque in paterno sinu, vivis jamtum cum desideriis divini illius manna suavitatem gustare & potiri; sicque non ante fuit æternus filius, quàm sacerdos; neque ante ei fuit à Patre communicata divinitas, quàm ille sibiipsi sub speciebus sacramentalibus communicaret carnem. Ecce vobis verba Anonymi: (Anon.) *Tecum principium in die virtutis tuæ; hæc verba de æterna Verbi generatione exponenda sunt. & tunc subdit: Tu es sacerdos in æternum; quia ab ipsa æterna generatione, exarsit desiderio conficienti Eucharistiam.*

XXXIX. Hucusque igitur audivimus, filium divinum inæstimabiles ab æterno gustasse Eucharistiæ delicias. Quid autem de Patre æterno dicemus? quid asseremus? Si Pater æternus per generationem æternam, filio communicavit divinitatem, filius Patri dulcedinem communicavit sanguinis Eucharistici; ecce vobis accommodam S. Petri Cellensis doctrinam: (S. Pet. Cellens. l. de panib. c. 1.) *Christus penetravit cœlum, in sanguine verò intravit, quia per passionem, potum paternis labiis, assistentibus angelicis spiritibus, ministravit.* Noverat filius per infinitam sapientiam suam, patrem æternum infinitas haurire delicias ex ferculo Eucharistico, ideoque quando post passionis suæ palmas cœlum intravit, scitisne, quæ fuerit prima ejus actio? O stupendum negotium! indilatè communicare patrem; unde paternis appropians labiis cum Eucharistici sui sanguinis nectare, *potum paternis labiis ministravit.* Ideò in cœna dixerat: *Non bibam amplius de hoc genimine vitis, quousque illud bibam novum in regno patris mei.* (Matth. 26. v. 29.) Quid ego (dicebat Christus) Patri meo in gratiarum actionem offerre potero? quid eum maximè oblectare posset? craterem ei porrigam sanguinis mei, sicque certius ei mirum præstabo beneplacitum.

XL. Porrò si Patrem cum filio maximoperè sacramentum istud oblectat; sanctusne Spiritus, venustissimus Patris & filii nodus, nullam ex Eucharistia suavitatem hauriet? audite gratiosum conceptum. Quare Spiritus sanctus in die pentecostes, sub specie ignis de cœlo descendens, ad cœnaculum divertit, ubi Christus ultimam cœnam instituerat? (Cur Sp. S. venit in cœnaculum.) deficiebantne alia loca magis accommoda? quare non descendit in famosum Salomonis templum? quare non in totam

Jerosolymam ? cur non in mundum universum, utpote qui jam *replevit orbem ter-*
Sap. 1. v. 7. *rarum* ? cur se in uno voluit restringere cænaculo ? quid ? respondet Spiritus sanctus, forsitanne locum mihi eligere poteram cœnaculo meliorem ? dum ego delicias relinquo cœlestes, alias ego, aut majores, aut pares investigare volo, hujusmodi autem in solo cænaculo mihi reperturus videor, ubi adhuc aliqua viget memoria, sapor & odor sacratæ Eucharistiæ. Nunquid hoc loco Eucharistica mensa apparata fuit ? ita. Abundè igitur mihi sufficit; propterea mihi videor in cœnaculo existens, Empyreo frui; hæcque sola recordatio me gaudio replet atque lætitiâ tantâ, ut hic suavissimè requiescere non ambigam.

XLI. Hanc igitur ob causam divinæ personæ per mundum gradiebantur, sacramentum investigantes sollicitè, quia scilicet ex Sacramento hoc singulares hauriebant delicias, maximumque oblectamentum.

XLII. Si itaque tantus est Sacramenti valor, ut totum mirificè recreet Paradisum, quidni incredibilem toti inferno incutiet terrorem ? Christum degentem in deserto communis aggressus est adversarius dæmon, qui dum Christum inertem & debilem reputaret athletam, tribus eum gravissimis ictibus appetere cœpit; ast nimium ipsemet imbecillis abjectusque miles, verso tergore, ignominiosam
Matt. 4. v. 11. arripuit fugam: *Tunc reliquit eum diabolus,* qui cum vix discessisset, *Accesserunt Angeli & ministrabant ei.* Integra venustissimorum spirituum turma, singulari cum exultatione forsitan propter Domini sui victoriam, confestim de cœlo descendit, solemne apparatura prandium; aliis opportunum disponentibus locum, aliis mensæ inferentibus, aliis instar pincernarum porrigentibus vinum, aliis structorum instar, dividentibus cibos, nullo non officiosissimè famulante. In textus hujus glossa Rupertus Abbas, videte, inquit, per vitam vestram, qualiter discurrat Evangelista: *Tunc reliquit eum diabolus, & accesserunt Angeli.* Primò discedit diabolus, & postea accedunt Angeli mensam dispositurì; nonne melius fuisset, si Angeli mensam instruxissent in præsentia spiritus illius infernalis, ut hic eam videns, præ invidia contabuisset ac ignominia ? quam non confusionem & pœnam subisset diabolus, videndo, pretiosas adeo dapes per manus angelicas suo offerri adversario ? tantam conspiciendo magnificentiam & famulatum ? Dic nobis ô Domine, quare voluisti diabolum primò secedere, & non attentasti refectionem ordiri, eo præsente ? Scitisne causam ? inquit Rupertus Abbas. Ipse diabolus advertit imminens sibi malum, ideoque sine mora profugit. Sermo erat non de cibo communi, sed de mensa cœlesti & superhumana, in qua Christus nobilem sacramenti Altaris idæam sumpturus erat; in qua ipse Dominus noster conviva erat & convivium. Prævidit hoc vaferrimus dæmon, jamque aliquod præsentiens signum, ait: hiccine Eucharistia ? panis sacramentalis ? mensa divina ? non est hic residuus mihi locus, heus in fugam subitò proripiamus nos hinc cum omni possibili celeritate. *Remoto diabolo,* inquit Rupertus Abbas, Rup. Abb. in c. 4. Matt.
à præsentia refectionis, accesserunt Angeli; ô *poculum dæmones vulnerans & diabolos fugans !* O sacra Eucharistia, quàm accommodè tua exprimitur, quâ contra infernum polles potestate !

XLIII. Evidentius forte veritatem hanc nobis aperiet liber Tobiæ. Gra-

diens juvenis Tobias cum Raphaële Angelo, versus civitatem Medorum, inter itinerandum offendit flumen Tigris, cumque Tobias se lavare vellet, è flumine monstruosus quidam prosiliit piscis; quo exterritus Tobias subsidium implorat comitis, Domine adjuva me, quoniam *ecce invadit me.* Cui Angelus, ne trepides, sed *apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te*; deinde *exentera hunc piscem*; intestina ejus omnia extrahe; *& cor ejus & fel & jecur repone tibi, sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.* Fecit Tobias, quidquid sibi præceptum erat ab Angelo, cumque appropinquarent Rages civitati Medorum, curiosus Tobias Angelum interrogavit: *Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti?* Cui Angelus: *Si cordis ejus particulam pones super carbones ignis, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, tam à viro, quàm à muliere?* In quo mari hujusmodi reperiuntur pisces? in mundo, de quo dicitur: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus.* Pisces hujus maris, sunt homines: *Facies hominis sicut pisces maris.* Piscis omnium maximus est Virgo Maria, omnibus major creaturis: *Tu supergressa es universas.* Piscis hujus cor est Christus Jesus, particula hujus est hostia sacra. Pater, quâ doctrinam hanc auctoritate confirmas? Angelici Doctoris, dum ait: *Et quis est hic piscis grandis, nisi beatissima Virgo; cujus cor Salvator noster est Iesus; si hujus cordis particulam repones in corde tuo extricabis omne genus dæmoniorum.* Solus animæ communicantis odor ipsum in fugam agit infernum.

Tob. 6. v. 3. — *v. 4.* — Cor piscis fugat dæmonem. — *v. 5.* — *v. 7.* — *v. 8.* — *Ps. 103. v. 25.* — *Hab. 1. v. 14.* — *Prov. 31. v. 29.* — *S. Th. opusc. 58.*

XLIV. Quibus armis Gigantem Goliath pastorculus contrivit David? *Misit manum suam in peram, tulit unum lapidem & funda jecit, & percussit Philisthæum in fronte.* Quis fuit iste lapis? Christus: *Petra autem erat Christus.* Unde hæc petra desumpta fuit? ex pera pastorali, ubi David solitus erat asservare panem: *Misit manum suam in peram, tulitque lapidem.* Locus ubi primo erat panis, & postea collocatur petra Christus, figura est Sacramenti; Philisthæus autem repræsentat diabolum. Nulla res dæmoni adeo contraria est, nihilque ita ad eum conterendum efficax, quàm Christus in Eucharistia.

1. Reg. 17. v. 49. — *1. Cor. 10. v. 4.* — Euch. æquatur lapidi Davidico.

XLV. Ab annis 400. contigit illud, quod modò sum narraturus. Hæreticus quidam omnem cœpit movere lapidem, ut in sectam suam certum aliquem pertraheret Religiosum, sed contra firmissimam in fide columnam ne minimum prævalere potuit hæretica importunitas; quodam autem die hæreticus ad Religiosum ait, assensumne præbebis dogmatibus meis, si totum hoc quod ego sustineo, à Christo & Maria approbari fecero? cui Religiosus, parebo, inquit. Quis rei successus? hæreticus famosissimus erat incãtator, suisq; magicis atribus effecerat, ut specus quædam videretur in augustum conversa templum; in antro isto magnificum cernebatur sacellum, ad instar Paradisi coruscum; duo hinc inde erant locata sedilia, quorum alteri insidebat Princeps, Christum repræsentans; alteri verò augusta quædam Principissa, expressiva Mariæ; circum circa innumeri erant Angeli dulciter accinentes: quid multa? spelunca in Paradisum transiisse videbatur. Bonus Religiosus antequam ad locum ab Hæretico designatum abiret, ex inspiratione cœlesti, particulam tulit consecratam, quam parvæ pyxidi inclusam; apposuit pectori suo, sicque munitus abiit cũ hæretico.

Exemp.

Ut primum designatam stationem attigêre simul, primus intravit hæreticus, moxque in terram prostratus, phantasticas illas adoravit figuras. Bonus Religiosus throno appropians ad partem sedentis Principissæ, educta ex pectore pyxide cum hostia sacra, his eam verbis altâ voce allocutus fuit: *Si tu es vera mater Dei, ecce filius tuus, adora eum.* O stupendum prodigium! vix hæc protulerat, moxque tota illa machina cum omnibus figuris phantasticis evanuit, in pulverem redacta. *Ad nihilum redactus est in conspectu ejus malignus.* Ps. 14. v. 4. Substitit Religiosus erectus in pedibus cum sanctissimo sacramento, hæreticus autem agnito errore, fideique Christianæ cognoscens veritatem, ad pedes Religiosi, manu sanctissimum tenentis, sese provolvit, totusque pœnitens, veram amplexatus est fidem.

XLVI. His præmissis, ecce vobis in promptu responsum ad hodiernum problema. Oratio se solâ efficacissima est, ad devincendum invincibilem DEum; ast humili conjuncta confessioni & devotæ unita communioni, sufficientissima est ad totum conterendum infernum.

XLVII. Sed ô Domine: *Nos non sumus sufficientes, cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed omnis sufficientia nostra ex tua divina gratia est.* Ideoque supplicabo cum S. Augustino: *Suggere Domine, quæ nos cogitare possimus, & doce nos, quibus te Sermonibus invocemus.* S. August. Tu nos instrue ô divine præceptor, qualiter oratio sit instituenda; tu nostras illumina mentes & corda succende, ut dignè eam frequentemus; ut in virtute orationis, cum sacratissima Eucharistia sociatæ, devictis prostratisque infernalibus inimicis, in præsenti à te gratiam, & in futuro consequamur gloriam, Amen.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA VI. DOMINICÆ I. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De magno Christi erga salutem nostram desiderio; deque gloria Confessariorum, quando eorum pedibus magni advolvuntur peccatores.

Homo erat triginta & octo annos habens in infirmitate sua; hunc cum vidisset Dominus, dixit: vis sanus fieri? Ioan. 5. v. 5. & 6.

PROBLEMA

Quid Christus desideret ardentius; an salutem peccatorum, an verò suam in Patris dextra gloriam?

INTRODUCTIO.

I.

QUem non in admirationem rapit animosum certamen, pacificusque conflictus, qui est inter summum bonũ ex una parte, hominem exspectans, & inter miseriam humanam ex parte altera, subsidium præstolantem pietatis divinæ? ita ut, si hinc de misericordia dicatur:
Isa. 30. v. 18. *Exspectat Dominus, ut misereatur vestri*; illinc de miseria quoque pronunciatum
Ps. 39. v. 1. fuerit: *Exspectans, exspectavi Dominum*: Cum igitur exspectatio & desiderium commune sit, ignoro penitus, cui prærogativa sit attribuenda, utrum è duobus dici debeat majus, nisi vos mihi suppetias feratis ô Philosophi. Dicite vos equidem mihi ô Physici: utra majori ardet desiderio; vel forma ad hoc, ut vili uniatur materiæ; aut verò materia prima, ut venustetur à forma? Certum est, quòd quamvis materia avidissimè concupiscat unionem cum forma, ut ab ea cum actu esse recipiat distinctum, cum esse distincto pulchritudinem, cumque pulchritudine vitam & motum; nihilominus, quis crederet? majus est desiderium nobilis formæ, venustatibus gratiisque suis exornandi materiam; quam materiæ, suscipiendi venustatem formæ: cujus hæc est ratio philosophica, quia cum materia tantò sit miserior, quantò forma melior; consequens est ut forma magis suos communicet thesauros, quàm materia ex suis desideret emergere miseriis.

II. Idem omnino statuanus de anima peccatrice, quæ est vilis materia, & summo bono, auctore gratiæ. Desiderat equidem peccator, venustissimâ condecorari gratiæ divinæ formâ; at suprema illa bonitas, quæ forma est infinita, moritur præ desiderio, ut formam impertiatur & venustatem misero cordi nostro. Ecce vobis claram ex Evangelio resolutionem. Corporalem salutem suam affectabat Paralyticus: *Exspectabat aquæ motum.* Protomedicus autem Christus, tanquam majori succensus desiderio salutem etiam conferendi spiritualem, sollicitè investigavit ipsum, inventoque dixit; *Vis sanus fieri?* De tanto Christi erga salutem nostram desiderio meus hodie instituetur discursus, cum problemate sequenti: utrum Christ⁹ ardentiori prosequatur desiderio, an salutem peccatorum, an ut ad dextram patris resideat gloriosus? Tandem gloriam contemplabimur Confessariorum, ad quorum pedes sese magni prosternunt peccatores. Infirmi impatientes sunt rumoris & cujuscunque verbi; mihi itaque hodie de infirmis discurrenti, favete cum silentio: incipiamus:

Ioa. 5. v. 3. — *v. 6.* — *Probl.*

III. *Hunc cum vidisset Dominus, dixit: vis sanus fieri?* Ergone filius Dei, vera Patris sapientia medicum egit? Ita: *magnus medicus de cœlo descendit.* Si ita est, scire percuperem, cuinam medicamentum magis cessit salutiferum, magisque fructuosum; an misero infirmo illud recipienti, an verò ipsi protomedico Christo, illud applicanti? ultima mea resolutio erit ista: quòd si filius Dei non venisset in mundum ad sanandum & salvandum nos mortales, hodie ipse plenam non possideret satisfactionem; pauca dixi: hodie ipse inquietus & quasi infirmus esset; imò si mihi permittitis ut dicam: cum pietate christiana asseram, ipsum alias in æternâ beatitudine non futurum fuisse completè beatum.

IV. Pater Nicolaus Cabasinus auctor Græcus ita discurrit: *Cum Deus pro nobis fecisset ea omnia, quæ Dei natura patiebatur: non quievit, donec ad aliam naturam se daret; ut, quæ persuadere non poterat, eò quòd Deus esset, ea homo factus posset.* Postquam Deus fecisset pro nobis omnia, quæ poterat præstare ut Deus, minimè acquievit; ideoque homo fieri constituit, ut mediante naturâ humanâ id exequi posset, quod non volebat ut Deus. Sublimis adeo hæc est auctoritas, ut potius mysteriis scateat, quàm verbis. Non quievit? Ergo Deus ante incarnationem non requievit? quod poterat inquietudinis motivum perturbare Deum, qui bonorum gaudens infinitate, æternum quiescit in seipso? Addit idem auctor, quòd *non quiescit donec ad aliam naturam se daret.* Non requievit, usque dum sese cum natura humana uniisset. Quo fine factus est homo? *Vt quæ persuadere non poterat, eò quod Deus esset, ea homo factus posset.* Ergone Deus homo factus potuit præstare id, quod non poterat ut Deus?

Nic. Cab. l. 6. de vita Christi.

V. Dum in puncti hujus consideratione, inquietus circumvolvitur animus meus, vos vestros illustrate sensus: Ait quondam ad S. Joannem Baptistam Deus: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Pertransi ô Joannes mundum universum, meæque procura salutis remedia. Infirmusne Deus erat? Sique infirmus erat, quid pro salute & incolumitate Dei præstitit Joannes Baptista?

VI. Ab uno Joanne ad alium digrediamur,

amur, à Baptista ad Evangelistam. Cum dilectus hic discipulus moraretur in insula Pathmos, integram vidit beatarum animarum turmam, moxque eandem in hujusmodi audiit prorumpentem verba: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno*; Salus obtingat summe necessaria Deo nostro. Poteratne salus deficere Deo, omnis origini salutis? non, dicit David; quia *Domini est terra & plenitudo ejus.* Iterum, si Deus infirmus est, quomodo igitur hodie visitat infirmos? Domine, ex una parte scio, te medicum esse: *Magnus medicus de cœlo descendit*: Si tu medicus simul & infirmus es, objiciam tibi cum S. Luca: *Medice cura teipsum.* Tuæ prius prospice saluti, & postea aliorum. Domini Medici, favete mihi per fidelem hodie assistentiam vestram, pariterque edocete me, qualia Deo nostro, tantâ laboranti infirmitate, medicamenta dare possimus.

Apoc. 7. v. 9. *Ps. 23. v. 1.* *Luc. 4. v. 2.*

VII. Vos sacræ scripturæ professores dicite mihi, quare Spiritus sanctus, post Christi resurrectionem in forma linguæ igneæ comparuerit? *Ignis vibrante lumine, linguæ figuram detulit.*

§. 9.

VIII. Suspendite unum omnes, prudentes intellectus vestros, quendam mecum consideraturi textum conceptibus abundantiorem, quàm verbis. Exspirabat vitæ auctor, Dominus noster Jesus Christus: *Et ut viderunt eum jam mortuum, unus militum lancea latus eius aperuit.* Quid è sacro illo pectore profluxit? sanguis & aqua: *Exivit sanguis & aqua.* Non dubito ego neque admiror, ex corpore mortuo sanguinem exiisse & aquam; id solùm obstupesco, scilicet cur Christus profusionem sanguinis toties iterarit, cùm tamen reliqua tormenta & cruciatus non nisi semel subierit: semel tantummodò perpessus est capturam, semel alapam, semel flagellationem, semel duntaxat coronationem & crucifixionem. Sanguinem verò quoties non sparsit; In circumcisione profudit sanguinem, in horto sanguinem: *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis.* In flagellatione, coronatione, crucifixione totum quasi effudit sanguinem; minimè tamen eo contentus, tandem è pectore suo residuum eduxit sanguinem: *Exivit sanguis & aqua.* Quamobrem totuplex sanguinis profusio?

Ioan. 19. v. 33. 34. Cur toties Christus sanguinē fudit. *Luc 22. v. 44. §. 9.* *Ioan. 19. v. 34.*

IX. Ne vestros divertatis sensus ô Auditores quoniam procul hinc me conferam pro obtinenda responsione. S. Thomas quærit, cur divinæ personæ sint naturæ ejusdem? respondetque, eas nisi eandem haberent essentiam & perfectionem, non fore infinitè beatas & felices, neque inter ipsas futuram esse quietem mutuam; quia una semper alterius appetitura esset perfectionem; ita ut personæ divinæ sint infinitè beatæ, quia ejusdē sunt naturæ. Eandem hanc naturæ unitatem, quæ viget divinas inter personas, Deus etiā cum homine possidere voluisset; ideoque homine creato, dicebat Deus: *Vt sint unum, sicut & nos sumus.* Quod quia impossibile erat (quandoquidem nec Deus per essentiam poterat esse creatura, neq; creatura Deus) quid fecit? cùm ego, dicebat Deus, me unire nequeā cum homine secundùm naturam, tantis eum gratiis donisq; locupletabo, ut viva evadat magnificentiæ meæ imago: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quantò magis DEus affectabat uniri cum homine, tantò ampliùs homo per peccatum sese elongabat à DEo; quod cum videret DEUS (secundùm nostrum modum intelligendi) incidit in infirmitatem,

S. Thom. p. 1. q. 27. ar. 4. *Ioan. 17. v. 21.* *Gen. 1. v. 26.* Deus infirmatus.

non tamen qualemcunque, sed amoris; sicque infirmus Paradisum obambulabat, suspirans & dicens: *Adam ubi es?* ô care Adame, ubi lates? quomodo? Deusne ignorabat, ubi degeret Adam? minimè equidem; sciebat DEus perfectè, ubi moraretur Adam, & nihilominus quærebat eum, ut illi uniretur; juxtaque S. Chrysostomi sententiam hunc in modum circumibat lamentans: *Ubi est imago mea primùm formosa, ubi Paradisi pretiosissimi ornatus, ubi manuum mearum artificium, ubi imago regni mei nuper depicta, ubi nunc familiaris meus & amicus.* Quid agam sine homine, tam intensè à me dilecto? sicq; sollicitus & avidus unionis cum homine, ut suo satisfaceret desiderio, opportunum mali sui remedium fore sibi persuasit, unionem hypostaticam. Unde Ecclesia in hymno de passione canit: *Ut medelam ferret inde, hostis unde læserat, missus est ab arce patris, natus orbis Conditor.* Fuit DEi filius incarnatus in remedium infirmitatis suæ. Ast dicite mihi, dum DEus homini se hypostaticè univit, malum imbecillitatis suæ sustulit? nequaquam; imò vel ex tunc frequentiora edidit signa majorum pressurarum. Quandonam DEUS noster infirmatus fuit? quando peccavit Adam, quâ horâ deliquit Adam? S. Augustinus horas enumerans Paradisi terrestris, dicit, Adam in Paradisum introductũ fuisse horâ tertiâ, peccasse autem horâ sexta: *Ab incursu & dæmonio meridiano.* Deus itaque horâ sextâ infirmatus fuit; observate precor, omnes horas sextas; semper enim reperietis DEum in hac hora aliquas subiisse tribulationes. Media nocte natus fuit: *Dum medium silentium tenerent omnia*, justè hæc erat hora sexta; tuncque eum frigus invasit adeo rigorosum, ut cooperiri, imò strictis fasciolis ipsum involvi necessum fuerit: *Membra panni involuta stricta cinxit fascia.* Vadens in Samariam, ad convertendam mulierem, tantâ itinerans lassitudine & defatigatione oppressus fuit, ut quietem capturus, sese locaverit supra fontem: *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*; moxque inibi tantâ cæpit ardere siti, ut à muliere quadã potum petierit: *Muliere, da mihi bibere.* Quæ erat hæc hora? teste S. Joanne: *Hora erat quasi sexta.* Ast si infirmitas DEi consistebat in desiderio uniendi se cum homine, cur per unionem hypostaticam sublevata penitus nõ fuit? sciatis oportet; infirmitatem Dei ex hominis peccato causatam, cordis fuisse debilitatem: *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Norunt Domini Medici, infirmitati huic mederi effusionẽ sanguinis; & juxta sententiã quidem Hippocratis tamdiu debet extrahi sanguis, *quousq; color ejus immutetur.* Et quamvis venarũ incisiones fieri debeant per omnes corporis partes, nihilominus si istę non sufficerent, dicit Cornelius Celsus, ultimi tandẽ remedii loco, adhibendam esse cucurbitulã parti afflictæ, hancq; postea incidendã esse, ut distracto humore, pristinæ infirmus restituatur saluti. Nunc ad propositum: Deus noster infirmus erat infirmitate cordis; *tactus dolore cordis intrinsecus.* Et quamvis in incarnatione sese hypostaticè uniret cum uno humanæ naturæ individuo, scilicet Jesu, nihilominus propter defectum unionis cum tota specie, & singulis ejusdem naturæ individuis, perseverabat dolor; cæpit igitur adhibere remedia, & primò quidem in circumcisione fecit sibi elici sanguinem, deinde in horto Gethsemani è communi totius corporis vena, per manum amoris, tam copiosum eduxit sanguinem, ut for-

Marginalia: Gen. 3. v. 9. — Chrys. — P. 90. v. 6. Juxta computum horarum ital. — Sap. 18. v. 14. — Ioan. 4. v. 6. — ibid. v. 7. — v. 6. — Gen. 6. v. 6. — Hippoc. l. 2. text 11. de ratione victus. — Corn. Cels. l. 4. c. 6.

fortunatum hoc solum seu terram locupletarit: *Factus est sudor ejus.* Non sufficiebant hæ incisiones propter decretum, Patribus Theologis cognitum; ideoque in sanctissimæ Trinitatis collegio, à cœli protomedicis determinatum conclusumque fuit, ut continuarentur incisiones; processit igitur CHRISTUS ad palatium Pilati, ubi non super delicatas extensus lanas, sed infami strictissimè alligatus columnæ, copiosissimum profudit sanguinem, primò venas tergoris horrendis convellentibus flagris, deinde venam capitis sulcantibus spinis. Cumque adhuc duraret dolor, præcepit collegium supremum, ut infirmus aërem mutaret. Abiit itaque in montem Calvariæ Christus, ibidemque in lecto crucis extensus, è venis utriusque manus & pedis, per tres clavos, voluit sibi quasi totum elici sanguinem. Forsitan ex nunc dolor, quem Christus patiebatur in corde, remisit? nequaquam; imò in cruce pendentem tanta cæpit urere sitis, ut ab ipsis inimicis suis potum exigere coactus fuerit: *Sitio.* Quæ tunc hora erat? *Hora erat quasi sexta.* Hora erat accidentis, ideoque *tenebræ factæ sunt super universam terram.* An nescitis ô practici, tempore accidentis, omnes claudi aperturas? ô DEUS æterne, dicebat Christus, *clamans voce magnâ* (clamare proprium est cordi; *clamavi in toto corde meo*) ajebat: *DEUS, DEUS meus, ut quid dereliquisti me?* Estne possibile, nullum malo meo reperiri remedium? Tunc collegium cœleste, heus, ait, Longine tu curre, tu ultimum applica remedium à Cornelio Celso præscriptum, scilicet ut pectus illud ictu lanceæ aperiatur. Abiit igitur Longinus, & licet mortuum invenirет, nihilominus divino obsecuturus ordini, *lanceâ latus ejus aperuit*; quo effectu? *Exivit sanguis & aqua.* Exspectate; sanguis & aqua? colorem igitur mutavit sanguis, id quod exigebat Hippocrates, ergo bonæ fuit salutis indicium; utique, ita omnino fuit: *Ejus livore sanati sumus.* Sanctus Pater Augustinus in hoc momento sponsalia asserit contracta fuisse CHRISTUM inter & Ecclesiam: *E latere CHRISTI exivit sanguis & aqua, id est, sacramenta fluxerunt, quibus condecorata est Ecclesia, Christi sponsa.* At si CHRISTUS in cruce sese desponsavit cum Ecclesia sancta, eque latere suo pretiosum profundens sanguinem, se cum omnibus univit Fidelibus, nunquid vel ex eo saltem tempore, ab omni prorsus malo liberatus fuit? Domini Medici, quando vos infirmum quempiam visitantes, linguam ejus reperitis siccam, aridam & inflammatam; quale de eo judicium formatis? concluditis, morbum & malum esse continuum. Advertite, lingua Christi est Spiritus sanctus: *Lingua Christi Spiritus est,* inquit S. Cyprianus. Post resurrectionem CHRISTI quomodo apparuit Spiritus sanctus? in forma linguæ inflammatæ: *Ignis vibrante lumine, lingua figuram detulit.* Itanè? lingua CHRISTI post resurrectionem inflammata, arida & sicca est? Hæc ariditas & inflammatio certò certiùs denotat, quòd etiam in cœlis infirmitas eum occupet amoris, cum desiderio salutis totius generis humani; ideoque etiam modò *Beati* constanter clamant: *Salus DEO nostro.* Amore exardescit, nihil optans præter salutem nostram. Abi itaque JOANNES BAPTISTA, totum obambula mundum & prædica pœnitentiam; prædicandoque animas induc ad fidem meam; ita

Marginalia: Joan. 19. v. 28. — Matth. 27. v. 45. — Matth. 27. v. 50. — Ps. 118. v. 145. — Joa. 19. 34. — ibid. — Isa. 53. v. 5. — S. Aug. — Act. 2. v. 3. — Apoc. 7. v. 10. — Christ. salus à Joanne.

ita ut etiam salvatis gentibus meum tandem impleatur desiderium.

X. Sed ô docti, per salutem vestram, prompti adeste & attenti. Si Filius Dei in sinu Patris erat inquietus, quare sine sanguinis effusione & sine carne non poterat salutem operari peccatorum; quare postquam in terram descenderat, nostramque intuerat mortalem carnem, passionem subiit & mortem? imò etiam cur redempto jam mundo, cum eâdem infirmitate cœlos conscendit, semper salutem anxiè desiderans hominum, hic est principalissimus; qui se hodiernæ offert contemplationi punctus, pro cujus resolutione notandum, quod voluntas DEI salvandi animas, tanquam infinitæ bonitatis partus, sit desiderium innatum.

Ps. 67 v. 21. Quod nomen obtinet Deus noster? *Deus noster, Deus salvos faciendi*: hocq; nomen

Luc. 2. v. 21. te incarnationem possedit; *Priusquam in utero conciperetur, vocatum est nomen ejus JESVS.* Ante incarnationem nuncupabatur JESUS, id est, Salvator; post incarnationem verò quomodo appellatus

Luc. 1. v. 31. fuit? eodem nomine *Vocabis nomen ejus JESVM*: Ideoque ipse à primo conceptionis suæ instanti, usque ad ultimum mortalis vitæ suæ terminum, imò & post resurrectionem suam usque in hodiernum diem, quo in cœlis exultat gloriosus, intenso salutis animarum desiderio flagrat.

XI. Observastisne aliquando festinam magnæ Reginæ Mariæ profectionem, quam instituit versus domum Elisabeth?

Luc. 1. v. 39. *Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda.* Quo raperis ô augusta Domina? Tu tam honesta, quam venusta? tu adeo sapiens, ut nullam ei similem ulla unquam viderit creatura, tu festina & præpropera abriperis per plateas? quid urgetis quis in ventre delitescebat Mariæ? Christus Jesus Salvator; in ventre autem Elisabeth quis continebatur? Joannes Baptista. Quo malo laborabat infantulus ille? Peccati originalis. Itane, in Domo Elisabeth Joannes jacet infirmus infirmitate peccati orginalis? Non Maria, sed ipsemet currebat Christus Jesus, moræ impatiens, ut salutem conferret Joanni: Nescitisne, dum infirmus decumbit periculosè, Medicum nullâ interposita morâ accelerare etiam cum equo? *Iesus*, inquit Origenes, *qui erat in utero virginis, festinabat, ut eum qui erat in utero Matris, Ioannem sanctificaret.* Orig.

XII. Natus deinde & nobiscum conversans, quid 33. annorum spatio fecit, nisi quod in salutem cederet animarum? Miseris obvius infirmis hoc ultimum præscribebat *recipe*: *Nolite amplius peccare*; Ioan. 8. v. 11.
prædicans hanc statuebat conclusionem;
Creditis in Deum, & in me credite. In Gene- Ioa. 14. v. 1.
zareth audiit dæmonem dicentem sibi;
Iesu Fili Dei, scio qui sis sanctus & Filius Dei, Luc. 4. v. 34.
ut quid venisti ante tempus perdere nos? Cui Christus rigidè respondit: *Comminatus est ei dicens: obmutesce.* Tace ô Spiritus maligne. Quomodo supreme Domine, v. 35. diabolus te sanctum confitetur & recusas? Respondet Christus: verum asserit dæmon, dum me sanctum proclamat; neque in hoc eum repræhendo; sed mentitur, dum me in sui destructionem venisse dicit: *Venisti ante tempus perdere nos.* v. 34. Hoc omnino falsum est, quia principale adventus mei intentum est, fuitque semper salutem conferre animabus; unde si vel ipse diabolus pœnitentiæ capax foret, etiam ipsi salutem impertiri vellem. Quibus diaboli verbis meritò indignatus Tertullianus, ait; *Quasi*

Cur Christus in orbem venit.

hac

Tert. l. 4. cont. Marcion. *hæc esset summa gloria Christi, quòd ad dæmonum perditionem venisset, & non ad hominum salutem?*

XIII. In resurrectione Lazari, Christus teste S. Joanne ingemuit turbatusque fuit: Ioa. 11. v. 33. *Infremuit Spiritu, turbavit semetipsum, lacrymatus est, voce magnâ clamavit.* Magna hæc est ô summe Deus, animæ meæ æstimatio; cor adeo facile, & ad conferendas homini gratias ac beneficia tam proclive, propter unius Lazari resuscitationem in planctum resolvitur? B. 3. n. 7. S. P. Chrys. Audite resolutionem Chrysologi: *Fremit Spiritu & totâ se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non omnes mortuos suscitabat.*

XIV. Hocque in sensu dicitur apud S. Matthæum: Matt. 7. v. 14. *Quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, & quam pauci sunt, qui inveniunt eam.* O quàm pauci hominum salvantur! Quomodo mi Domine, paucisne obtingit salus? S. Joannes de electis agens dicit: Apoc. 7. v. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Nullus omnino intellectus quantumvis arithmeticus, recensere potuit beatorum numerum, quem ego vidi. Si itaque tantus est electorum numerus, quomodo tu dicis: *Pauci sunt, qui inveniunt vitam?* Electi quomodo pauci. Verum est, inquit Christus, Salvatorum numerum simpliciter magnum esse; ast respectu desiderii mei nimis est exiguus. Audite Salonium Viennésem: Sal. Vienn. *Pauci sunt, qui inveniunt vitam, quia oculi ejus non satiantur divitiis, cùm semper nostram desideres salutem.*

XV. Ast non pertranseamus insignem quandam ultimæ cœnæ speculationem. Accepto Christus pane, quem discipulis suis tradidit in cibum, ait; 1. Cor. 11. v. 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Moxque accepto calice ait: *Hic est meus pro vobis effundendus sanguis*, sed in eo, quòd dicitur: *pro vobis*: ingens suboritur dubium. Quis scit, inquit ille, utrum discipuli mei particulam hanc audientes: *Pro vobis*: genuinum intelligent sensum, scilicet quòd ego pro iis moriturus sim; moxque pro majori cautela sequens superaddit verbum: *Pro multis* q. d. Charissimi Apostoli mei advertite, si vobis dixi præsentibus: *Pro vobis*: Non id asserui, quasi mors mea tantummodo in vestram esset salutem cessura; sed quia vos, tanquam totius Ecclesiæ meæ militantis contemplor capita in universo mundo; atque ita totum simul includo mundum, ita ut ly *pro vobis*, æquivaleat alteri, scilicet *pro omnibus*; atque ideo superaddo: *pro multis*: Subsistamus tantisper ô care Jesu. Nonne tu dicis, sanguinem tuum *pro omnibus* effundendum esse? ita: quare igitur duntaxat dicis, *pro multis*? si corpus tuum nulli non est exponendum tormento *pro omnibus*, quare igitur coarctas ad multos? certè non idem est, *pro multis* & *pro omnibus*. Respondet Christus, dicitque, vos non capitis rhetoricam meam. Tota hæc dictio mea singularem quandam continet graduationem; ego per ly *pro vobis*, intellexi *pro omnibus*. Deinde quãdo dixi postea *pro multis*, quasi *per ampliationem*, intellexi pariter multos, non quidem illos omnes, comprehensos in particula *pro vobis*; sed multos omnes: *pro multis omnibus*. Non modò pro omnibus illis, qui fuêre, sunt aut erunt, prævisi & compræhensi in scientia libera seu visionis; sed etiam pro omnibus centenis millibus creaturarum humanarum possibilium, meæ subjacentibus omnipotentiæ imperio, & scientiæ simplicis intelligentiæ seu naturali, *pro his*, inquam, *multis omnibus hoc corpus meum tradetur*, & *ef-*

fundetur hic sanguis meus. Offero sanguinem & mortem meam, volens, ut salutem promoveat non modò omnium, sed multorum omnium. *Vide ô Christiane,* inquit S. Paschasius, *summam Christi clementiam, quòd pro multis omnibus voluisset ipse animam ponere.*

S. Pasch.

XVI. Atque hanc ob causam ad Judam ait: *Quod facturus es, fac citius.* Nec tibi suadeo, nec tibi peccatum consulo ô Juda, sed supposito, quòd te resolveris in peccatum, cur moram trahis? Domine, nonne vides, quòd, quantò magis Judas accelerat traditionem, tantò amplius tua abbrevietur vita? Hoc ipsum quæro, ait Christus; quia mors mea vitam generabit homini, passio mea salvabit mundum; cum igitur de redemptione fidelium meorum agatur, ne ad momentum mea differatur traditio. *Hoc Christus non dixit exhortando vel consulendo,* inquit Dionysius Carthusianus, *sed ut optatam hominum salutem, ex sua morte nascendam, quam citius obtineret.*

Ioan. 13. v. 27.

Cur Christus urgeat traditionem.

Dio. Cart. in Ioann.

XVII. Ast pro solatio communi, montem conscendamus Calvariæ. Existens in cruce Salvator, totus exsanguis atque exhaustus, modò hàc modò illàc conjectis oculis, tandem cœlum versus sublevatis luminibus, terribili cum eiulatu vociferari cœpit: *Clamans voce magna;* deinde caput inclinans, animam exspiravit: *Inclinato capite, tradidit spiritum:* Quis est clamor iste ô Deus immortalis? quæ hæc capitis inclinatio? quare exspiras? quare moreris? audite ô devoti. Promiserat ei pater æternus, ipsum, si sanguinem suum pro peccatis mundi profunderet: semen longævum visurum esse: *Si posuerit pro peccatis animam suam, videbit semen longævum.* Crucem itaque conscendit Christus, totumque effudit sanguinem (licet vel unica sola stillula sufficeret pro redimendis infinitis mundis) cum autem se planè contemplaretur exanimem atque exsanguem, sollicitè circumspectis angulis omnibus, non nisi unicam reperit animam, tanti participem thesauri, latronem scilicet, cui cælum appromisit. Quomodo, æterne pater (inquiebat Christus, *clamans voce magna*) ecce *pro peccato pono animam meam;* ubi itaque semen longævum, quod mihi promisisti? Profudi jam sanguinem meum; sed *partim cecidit secus viam,* per plateas Jerosolymitanas, *& conculcatus est. Partim supra petram* columnæ, *& aruit: partim supra spinas* acerbæ coronæ, *& suffocatus est;* una tantummodo particula *cecidit in terram bonam & fructum fecit,* in animam hujus latronis. *Me igitur dereliquisti, quasi qui colligit stipulam in messe? in vanum* itaque *laboravi?* ergone pro uno solo meum effudi sanguinem? ad hæc lamenta, patrem in hæc similiaque verba respondisse mihi imaginor: Fili mi nonne tu dixisti, *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet? cùm autem mortuum fuerit, multum fructum affert?* nisi moriatur granum seminatum, nunquam poterit fructificare; tu autem fili es semen illud cœleste, ex quo panis conficitur Angelorum: *Semen est verbum Dei; nisi tu mortuus fueris, ipse solus manebis; cum mortuus fueris, multum fructum afferes.* Itane? subsumebat filius, ergo æterne pater, postquam mortuus fuero, semen longævum videbo? Ita respondit Pater. Bene igitur (reassumpsit filius) moriar pro peccatis mundi: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* q. d. ecce me, pater cœlestis, granum mortuum; ostende nunc igitur mihi fideles meos, gratiis & gloriæ locupletatos fastigiis. Ecce

Matt. 27. v. 50. Ioa. 19. v. 30.

Isa. 53. v. 10.

Luc. 8. v. 5. &c.

Ioan. 12. v. 24.

Cur Christus obiit. Ioa. 19. v. 30.

S. Ambr. Ecce vobis dignum S. Ambrosio conceptum: *Emisit spiritum Iesus inclinato capite, ut ipse, qui erat granum frumenti, solus non maneret, sed mortuus in cruce multum fructum afferret.*

XVIII. Mortuo auctore vitæ quid successit? *Vt viderunt eum jam mortuum, unus militum lancea latus aperuit, & exivit sanguis & aqua.* (Joa. 19. v. 34.) O crudelitas infinita! corporis mortui latus transfigi? veruntamen non in hoc puncto sola consistit difficultas: si Christus ante mortem se declaravit mortuum præ siti, & sitibundus dixit: *Sitio*: quomodo post mortem, integrum potuit è pectore suo profundere aquæ fontem? & si intrinsecus eam fovebat aquam, quomodo præ siti mori poterat? Tantam factum hoc Patri meo S. Augustino (S. Aug.) difficultatem creavit, ut ad crucifixum conversus, dixerit: *Domine quid sitis? de cruce sitis, & de siti clamas; sitio.* Acerbum adeo crucis subiisti tormentum, sine doloris indicio; & modò de sola siti lamentaris? Respondet Christus per S. Augustinum: *Sitio vestrum gaudium, vestram fidem, vestram salutem; & plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenent.* (Quid Christus sitierit.) Non sitio aquam ordinariam, qui in pectore fontem foveo aquæ vivæ & divinæ, sitio saltutem vestram, omnesque optarem bibere animas. Diabolus hanc audiens Christi voluntatem, quid fecit? subitò convenit Judæos, ipsosque ita allocutus est: quid agitis? an non videtis, quod Christus ille adeo extraordinariâ flagret siti, ut omnes etiam animas bibere gestiat? agedum socii occludite illi os: *Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & dabat ei bibere.* (Matt. 27. v. 48.) Ut primum Christus vidit os suum naturale sibi occlusum, inclinans caput, annuit Longino: *Inclinato capite, vocavit Longinum,* inquit S. Augustinus, Heus Longine, tu mihi aperi pectus istud, tu novum in latere meo os efforma; ut, cum nequeam salutem bibere animarum per os meum naturale, mediantibus verbis; animas ad minus salvare possim, per os mei lateris mediantibus Sacramentis. Ne vobis imaginemini, hanc esse rudis ingenii mei inventionem; conceptus est ex his divinæ scripturæ visceribus productus. Præcepit Deus Noe: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis; fenestram in ea facies, & ostium arcæ pones ex latere.* (Gen. 6. v. 14.) Domine quot aperturas habebit arca? respondet Dominus: non omnia animalia possunt salvari per fenestram; propterea volo, ut fiat porta quædam lateralis pro communi refugio omnium. (S. Pe. Cell.) Juxta S. Petrum Cellensem, in arca illa Christus figuratus fuit: *Arca Christi typus fuit*; diluvio autem designatur peccatum: *Peccatum, diluvium inundans est.* (Cur latus Christi vulneratum.) Ita pariter voluit Christus, ut tu mystica corporis sui arca, introitus fieret lateralis, ad ardentissimum nobis demonstrandum salutis nostræ, quod habet, desiderium; agedum itaque Longine, fac portam in mystica corporis mei arca, ut animæ illæ, quæ salvari non poterunt per os meum naturale, utpote felle amaricatum, salvari queat per aperturam lateris, unde exibunt sacramenta; ecce vobis expressum hunc in V. Bedæ verbis (V. Bed.) conceptum: *Vnus militum lancea latus eius aperuit, ut in mystica Christi corporis arca, fieret ostium in latere, & intrarent omnia animalia, quæ in diluvio peccatorum peritura erant.* Ideoque S. Augustinus pater meus hanc lateris Christi intuens aperturam, singulos invitans, dicebat: *Venite omnes, intrate omnes; patet latus, hæc est angusta porta, per quam totus mundus intrabit.*

XIX. Mortuo Christo, ingens forte peccatorum sitis exstincta fuit? Audite ponderationem non vulgarem. S. Paulus de Christo mortuo loquens, ait: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Christo in cruce mortuo nomen imperitur Jesus. Quomodo? nonne in Circumcisione Christus nomen Jesu accepit? ita sanè S. Lucas attestatur, dum ait: *Cum circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus.* Si ita est, quomodo igitur S. Paulus asserit, æternum Patrem Christo nomen Jesu imposuisse post mortem? Notate, juxta divinæ scripturæ loquendi modum, resurrectio Christi fuit nova quædam regeneratio, de qua David in persona Patris æterni agens, inquit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Tu es filius meus, te ego generavi hodie; non potest hoc intelligi de generatione æterna, aliàs enim dictum fuisset, non *hodie*, sed *ab æterno*; neque etiam de generatione temporali asseri potest, quia non modò Pater æternus, sed tota sanctissima Trinitas in Maria formavit humanitatem; de Resurrectione itaque intelligendum est, quo sensu illud accepit Apostolus, dum eundem Davidis versum replicat in actibus Apostolorum. Si igitur resurrectio Christi, est nova quædam generatio; quandoquidem in nativitate sua nomen Jesu accepit, quomodo post resurectionem appellabitur? Vocetur etiam, dicebat Pater, Jesus post resurrectionem; hocque nomen illi obtingat in præmium mortis, pro homine exantlatæ, ut noverint omnes, Christum etiam post mortem non desiisse esse salvatorem, quin potius post resurrectionem suam constanti adhuc ardere desiderio salutis animarum.

Phil 2. v. 8

Christus post mortem Salvator.

Luc. 2. v. 21.

Ps. 2. v. 7.

Resurrectio Christi, generatio.

Act. 13. v. 33.

XX. At quod propositum inquit Apostolus: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Christus fuit sacerdos, seipsum sacrificans; qui dum proprium obtulit sanguinem, æternam invenit redemptionem; quæ verba confirmantur per alia sequentia ejusdem Apostoli, ubi de sacrificio altaris loquens, infit: *Hic est calix sanguinis mei novi & æterni testamenti.* Hic gradum figo; altaris sacrificium, novum esse testamentum (quia scilicet Christus quotidie in sacramento altaris moriens, in favorẽ nostrũ illud testatur) facile est intellectu; ast capere nequeo, qualiter testamentum nuncupetur æternum, quæro etenim: nunquid terminato mundo terminabitur & hoc sacrificium? sine omni dubio, quia desinet Ecclesia militans, nec ullus permanebit, qui conficiat Sacramenta; quomodo igitur dicit S. Petrus forte testamentum est æternum, quia etiam post mundi finem & sigillatam Beatorum gloriam, omnibus sedibus repletis & ruinis Angelorum reparatis testamentum Christi adhuc perseverabit de benefaciendo homini; quamvis enim in effectu, nullum sit tunc amplius redimendum peccatum, nihilominus redemptio æterna erit; quia Christum semper affectus comitabitur profundendi sanguinem, ad liberandum & lavandum nos à peccatis; sique homo sanguinis ejus capax foret, de novo eundem ipse profunderet. Hanc igitur ob causam sacrificium altaris nuncupatur redemptio æterna, quia etiam in gloria, post mundi finem, quamdiu Deus erit Deus, desiderabit nobis ipse benefa-

Heb. 9. v. 12.

Luc. 22. v. 20.

XXI. Ast ultimum tandem catenæ innectamus annulum. Si Deus infinitâ gaudens gloriâ, desiderio exardescit salutis animarum; utri magis inhiat, vel gloriæ paternæ dextræ, vel saluti peccatorum? Tanti dubii responsio, unde problematis nostri dependebit solutio, ex alio Apostolico textu plenè patefiet, ubi Apostolus de Christo ex proposito tractans, tanquam salutis fidelium summè cupido, inquit: *Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.* Quando fideles fuerint subjecti & conversi ad Dominum Deum tunc Christus acquiescet, patrique subjectus erit.

1. Cor. 15. v. 28.

Quomodo Christ᾽ inglorius sine salute hominis.

XXII. Rogo vos ô intelligentes, si unquam, in præsenti vel maximè, mihi suppetitas ferte. Si itaque homines se non subjecerint Deo, neque Christus Patri subjectus erit? Igitur si homines exciderent salute, Christus ad Patris dextram minimè gloriosus erit? Ipsemet Christus per S. Joannem attestatur, vitam spiritualem, imò æternam omnium nostrum vitam consistere in eo, quod est credere eidem CHRISTO: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solùm Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vita æterna consistit in congnitione Patris æterni, qui est solum Deus, & Jesu Christi à Patre missi. Prima hujus sententiæ verba hæretico, imò & ignorantibus quibusque occasionem præbere possent dicendi, Christum non esse Deum; si enim ipso Christo teste, solus Pater est Deus, utique Christus non erit Deus. Sed & omnium dubium submoveam, juxta communem intelligentiam dico, per ly *solùm* non excludi diversitatem personarum, sed essentiæ; ecce lumen in exemplo. Si dicerem, me in civitate hac solum esse Religiosum, verum assererem, quia non sum Episcopus nec Prælatus, sed Religiosus duntaxat. Ita pariter si dicatur; solus Pater ætern᾽ est Deus, falsum asseritur; quia non modò Pater, sed etiam Filius & Spiritus S. est Deus. Ast si dicatur; Pater æternus est solùm Deus, verum statuitur; quia Pater æternus est solummodo DEUS & non homo; idem est de Spiritu. Christus autem non modò est DEUS, sed etiam homo; unde concluditur differentiam esse inter Patrem æternum, & Christum; quia Pater æternus est solùm Deus; Christus autem est Deus & homo. Hocque sufficiat dictum pro elucidatione primorum istorum verborum: *Vt cognoscant te solùm DEVM.* Resumamus id, quod ad nostrum deservit propositum; dicitur itaque CHRISTUS æterna omnium nostrum vita: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Patrem solùm Deum, & IESVM CHRISTVM, missum à Patre.* In quo sensu, fides & cognitio Christi est æterna hominũ vita? brevitatis amore, quacunque aliâ postposita explanatione, sequentem duntaxat insinuabo S. Gregorii Nysseni, dicentis; nullam in CHRISTO attributionem fuisse aut actionem propriam, vi cujus fuerit conceptus usque ad suum in cœlos ascensum, quæ nostra non fuerit salus. q. d. quidquid cognoscitur & creditur in CHRISTO, fuit vita nostra. Si cognoscimus Christum esse Deum & hominem: hæc cognitio est vita æterna, DEUS enim non est factus homo, nisi ut salvaret nos: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Si cognoscimus CHRISTUM, XL. dierum jejunio vacantem, diversosque alios

Ioa.17.v.3.

Totum esse Christi est vita nostra æterna.

alios exercentem actus bonos, id fecit, ut nostram mereretur salutem; si mortuus est in cruce Christus, exspiravit ut redimeret, non. ut damnaret nos;; totum esse Christi est vita nostra. Superaddite quod majus est, scilicet Christum tanti nostram facere salutem & spiritualem vitam, ut eam quasi reputet suam propriam, ita nos

S.Gr.Nyss. edocente S. Gregorio Nysseno, in citati apostolici textus glossa? *Christus tunc subjicietur Patri, cum Ecclesia Patri subjicietur; Ecclesiæ enim subjectio, Christi subjectio existimatur.* Tanti Christus salutem nostram appretiatur, ut dum anima nostra unitur Deo, ipsemet Christus se existimet unitum Patri; & dum anima per peccatum sese elongat à Deo, ipse Christus se reputet sequestratum à Patre; non quasi in re ita

Probl. foret, sed quia desiderium Christi erga salutem nostram, ut hanc arbitretur suam; & ut clarius exprimam, Christi erga salutem nostram desiderium pari graditur passu cum gloria, qua ipse gaudet ad dextram Patris.

XXIII. Ast unde oriri potest tam vehemens, erga bonum nostrum, Christi desiderium? In finem reservavi aliqua, quæ sicuti stupore implebunt omnes, ita pro communi omnium deservient salute. Angelicus Doctor in parabolæ illius ex-

Luc. 15. v. 6. plicatione (*Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quam perdideram*) dicit: *No-*

D. Th. op. 63. c. 7. *tandum & admirandum est valde, quòd omnes Angelos convocat, ad congratulandum, non homini, sed sibi.* Magnus ille Pastor, Christum significans, ut primum oviculam errantem, id est, hominem, invenerat; subitò omnes convocavit Angelos, ut secum exultarent. Si totum lucrum atque utilitas hominis erat, qui per peccatum errabundus, per gratiam reinventus fuit; quare voluit pastor ille supremus, omnes Angelos exultare secum, & non cum homine? Respondetque S. Doctor (nisi verba essent Præceptoris Angelici, non præsumerem ego proferre ea) *quasi quod homo ipsius DEI DEUS sit, & tota Salus divina in ipsius hominis inventione consistat, & sine homine beatus esse non possit.* Tanto in pretio Deus hominem habet, ut ipsum æstimet Deum suum, utque tota Dei Salus consistat in unione cum homine, & sine homine Deus videatur se non reputare beatum. Itane? Deus sine homine non se judicat beatum? si igitur ipse hodie non venisset tanquam Medicus, ad salutem conferendam homini, ipse hodie (permittite, ut cum pietate christiana eloquar) ipse hodie non foret completè Deus; quia implicat esse Deum, & non esse summè beatum. Firmare gressus; Filius Dei in sinu Patris, infinita inter gaudia, non quiescebat; veniens autem postea in mundum, hominemque à peccato eximens, suam sibi reputat obtigisse satisfactionem; magis igitur salutem desideravit hominis; quàm suam in Patris dextra gloriam. O nimia mundi confusio! Deus præ salutis nostræ desiderio moritur, & nos miseri infirmi eam penitus negligimus? Si Deus tunc se reputat quietum & contentum, imò & beatum, quando homo se emendat emendatusq; unitur Deo, quare igitur tu ô mundane peccatum non deseris, ut Deus evadas ipsiusmet Dei? Hodie ille tuam tibi offert salutem & amicissimâ voce interrogat: *Vis sanus fieri?* q. d. fili mi, Moralitas. duo requiruntur ad salutem tuam, gratia mea cooperans & liberum arbitrium tuũ acceptans; ego promptissimus sum ad meã tibi conferendam gratiam; duntaxat scire opto, utrum tu sis promptus ad acceptandam eam? *Vis sanus fieri?* O Deus, nunquid

quid tu infirmaberis, si ego recusavero salutem? Utinam inter hos, præsentes non forent aliqui eorum, qui hodie à cœlesti hoc protomedico ad animarũ salutẽ vocati, dorsum obvertunt, cum obstinata voluntate non acceptandi eam. Recordor, me in anno sancto Romæ plurimos vidisse miserè mancos, membrisque diversimodè captos & mutilatos; unus autem præ reliquis totus inflatus & à capite usque ad pedes ulceratus, nullum non ad pietatem & compassionem inducebat; hic igitur à præstanti quodam medico interrogatus, si à malo hujusmodi liberari vellet? quid respondit? Domine, hæ plagæ me sustentant; si sanus forem, præ fame morerer. Quid aliud est usurarius ille, nisi in suo inveteratus malo? Dicet ei pater spiritualis: *Vis sanus fieri*? quid respondebit? pater, si ego restituo, præ fame moriar. O maledicte. Mulier illa soluta, quid est, nisi graviter infirma? si requiratur: *Vis sana fieri*? quid dabit responsi? Si ego deseruero hunc statum, ostiatim cogar mendicare panem. O Deum! ergone propter unam panis particulam, eligis in tuo squalescere malo? Ausculta ô Christiane, quem moribundum interrogaret medicus; fili mi, vis infra tres dies sanus surgere è lecto, quid diceret? impendatur tota substantia mea, modo sanitatem recuperem, sufficit hæc mihi pro bonis omnibus; imò si medicus ei porrigeret venenũ, sumet illud amore salutis. Nunc itaque inquiro ego; quare pro salute corporali tota distrahitur substantia, imò & venenum ingeritur; pro salute autem spirituali nemo est sollicitus, quæ sine ulla bonorum jactura facillimè haberi potest? Mors illa, quæ tuam invasit domum, nonne vox fuit, te requirens: *Vis sanus fieri*? quid respondisti? infirmus es, teque protomedicus invisens Christus, tibi offert salutem; tu verò eam recusas? Audi, audi, quisquis es hujusmodi, quid Deus minetur per Salomonem: *Quia vocavi, & renuistis; extendi manus meas, & non fuit, qui aspiceret, quia despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo; cum supervenerit repentina calamitas, tunc invocabitis me, sed ego non exaudiam.* O Christiane, ecce te hodie vocat Christus, amicabilique voce quærit. *Vis sanus fieri*? patefac ei cor tuũ, responde illi cum suspiriis, elice actum pænitentiæ propter offensum Deum, inque sinceri erga salutem tuam desiderii indicium, me respirante, tu largire pauperi eleemosynam.

Moralitas. | Prov. 1. v. 26. &c.

PARS SECUNDA.

XXIV. CRas contemplabimur, uter mons sit dicendus sublimior atque excelsior; sinus æterni patris cum divinitate, vel uterus Mariæ cum virginitate; veniat omnes, præconia audituri magnæ Reginæ Mariæ. Pro præsentis dubii termino, unum mihi restat dubium: quandoquidem in piscina *erat multitudo languentium*, quare Christus oculos suos in solum conjecit 38. annorum paralyticum? gloriemini ô patres Confessarii, dum pedib⁹ vestris famosi advolvuntur peccatores, quia magnorum conversio peccatorum, solius Dei officium est. Non legimus, Christum post Ascensionem suam unquam iterum descendisse de cœlo, ad convertendum aliquem peccatorem ordinarium; qui ad convertendum persecutorem Ecclesiæ sanctæ, atrocem nimis, scilicet Paulum, in propria comparuit persona: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Cui Paulus? *Quis es Domine?* respondit

Act. 9. v. 4.

Act. 10. v. 2. Christus: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Notate; ut Paulum convertat Christus, in propria persona descendit. Recordemini facti; dicit postea S. Lucas, in Cæsarea Centurionem quendam fuisse, dictum Cornelium, qui *erat religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper:* nescio, si quid eminentius de alio sancto dici potuisset. Hic vidit Angelum in somno, clamantem; Corneli. ibid. v. 4. *Quis es Domine?* dicebat Centurio. *Orationes tuæ* (resumebat Angelus) *& eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & propterea mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus; hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Mitte servos tuos ad Petrum, hic enim tibi dicet quidquid tibi faciendum occurrerit. Notate obsecro; ad convertendum atrocem Ecclesiæ sanctæ persecutorem, Ecclesiæ ruinam intentantem, ipse Christus in persona propria descendit: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Ad baptizandum verò & fide catholica illustrandum, submisit Angelum? Quare? quia Deus vult peccatorum famosorum sibi soli competere conversionem; dum igitur Confessarius pedibus suis advolutos habet peccatores magnos, ingenti se favore exaltatum meminerit, quia nimirum officio fungitur, quod Christo proprium est.

XXV. Ast notemus obsecro, quid acciderit S. Petro, in eodem die, antequam eum servi Cornelii citarent? Erat quasi medius dies, stabatque sanctus senecio ad manducandum jamjam præcinctus; Act. 10. v. 10. parantibus igitur aliis prandium, ipse ad orationem se contulit; cumque actuali orationi vocaret: v. 11. *Cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ & volatilia cœli.* v. 12. Vidit linteum magnum, ad instar vasis dispositum, de cœlo descendens in terram, in quo continebantur omnium irrationabilium animalium species, ut sunt, bestiæ, serpentes, volucres; cumque hoc prodigium intueretur, vocem audiit dicentem sibi; *Surge Petre, occide & manduca.* v. 13. Vade Petre & comede; cui Petrus; ego nunquam assuevi hujusmodi frui immunditiis: *Absit Domine, quia nunquam manducavi commune & immundum.* v. 14. Moxque alia vox insonuit, dicens: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris:* v. 15. Petre, caveas immundum appellare, quod Deus mundavit; hocque dicto, linteum mox in cœlos reassumptum fuit.

XXVI. Scriptura hæc sex includit mysteria, totidem Confessariorum documenta. Primum est, patuisse cœlum, atque ex eo cibum Petri descendisse: *Apertum est cœlum, & ab eo submissum est linteum magnum:* v. 11. quasi Deus ad Petrum dicere voluisset Agnosce ô Petre, singularem esse Dei favorem, quòd pedibus tuis magni advolvantur peccatores, in his animalibus designati; hic continentur bestiæ terræ, serpentes & volucres, quibus tres principalissimi denotantur peccatores; avaros namque repræsentant bestiæ terræ, serpentes invidos, & superbos volucres. Noveris ô Petre, ex singulari Dei favore contigisse, ut avari, invidi & superbi ad tua se prosternerent vestigia.

XXVII. Secundum mysterium est, Omnes absolvendi. quòd lintei illius, de cœlo descendentis, quatuor fuerint extremitates: *Quatuor initiis;* v. 11. quæ quatuor capita quaternis correspondent mundi partibus. Quasi Deus dicere voluisset; tu ô Petre, qui claves con-

continens cœli, nulli omnino absolutionem negare debes, quia si Christus, qui pro animarum redemptione, proprii sanguinis profudit pretium, omnibus facillimè portam gratiæ patefecit, multò magis confessario id, ut faciat, incumbit, qui peccatorem absolvit per solam oris sui apertionem.

v. 13. XXVIII. Sed quid S. Petro præceptum fuit? *Occide & manduca.* Volo ô Petre, ut hæc omnia interimas ac postea edas. Domine, hæc est nova convivii & insolita cæremonia; invitatus non debet occidere id, quod manducaturus est. Respondet Deus: hanc domus mea fert consuetudinem, ut cibus apponendus, à Superioribus & prælatis occidatur; hoc enim, quod est comedere dapes, ab aliis præparatas, nulli non facillimum est. Convertere peccatorem, idem est, quòd occidere bestiam, serpentem aut aquilam; qui avarum convertit bestiam occidit; qui invidum salvat, serpentem perimit. Hoc est proprium Prælatorum & Confessariorum officium, vice Dei fungentium. Imitari sanctos, est omnino quasi manducare id, quod ab aliis præparatum est, id que potest quilibet præstare tanquam flos sanctorum; tu autem ô Petre qui caput es omnium: *Occide & manduca.* Primò interfice bestiam, converte peccatorem; hoc est, quod præcipitur cœlitus, ut manduces.

Quis Cõfessariorũ cibus.

XXIX. Advertite sedulò, non dici ad S. Petrum, ut ipse animalia quærat, quibus fruiturus sit, sed de cœlo obtingunt ei viva, ut occidat; ut dicamus, quòd, nisi Deus peccatorem instigarit, eumque ad pedes confessarii deduxerit, supremo adjutorio suo ipsum disponens; quòd, inquam, Confessarius se solo nihil possit. Deus disponit, & Confessarius per unicum *Absolvo te*, culpam occidit & resuscitat ad gratiam. Exilisne vobis favor esse videtur, Confessarium frui epulis, à Deo dispositis & præparatis?

XXX. Respondit S. Petrus; Domine, ego nolo edere omnia immunda animalia ista: *Nunquam manducavi commune & immundum.* O Deus æterne! quàm delicatus est multorum Confessariorum stomachus. Venit V. G. pœnitens ad pedes Confessarii, & dicit: pater, jam à tribus annis non sum confessus, & interim commisi tot sacrilegia, tot furta, tot homicidia. Vix hæc audit Confessarius, moxque totus incipit immutari, turbari, & omni quasi momento vomitum minari. Quid te premit ô pater? abundè significas, te stomacho & pectore divino destitutum esse. Quare etenim putatis ô docti, factum esse, ut Christus Apostolis potestatem absolvendi collaturus, *insufflaverit in facies eorum*? volebat per hoc insinuare Deus & dicere: Confessarii mei, necessum est, ut pectore & calore Dei polleatis, ut stomachum Dei ad digerendos serpentes, viperas venenosas & bestias terribiles; non debetis indignari peccatoribus magnis, & luto gravium flagitiorum commaculatis.

Confess. nullum repudient reum.

XXXI. Terminemus discursum; quid tandem responsum fuit? *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Caveas ô Petre, cibum nominare spurcum, quem deus sanctificavit. Domine, nihil sunt præter serpentes, viperas venenosas & bestias; quomodo igitur tu hujusmodi sanctificasti? Ita, dicit Deus; quia quæcunque anima, quantumvis peccatorum plena sordibus, dum ad pedes accedit Confessarii, est sancta *dispositivè*; utque sanctificetur *formaliter*; nil

Peccator pœnitens dispositivè sanctus

restat præter sinceram confessionem & Confessarii absolutionem.

XXXII. Dicet mihi forte Confessariorum quispiam: pater, si ad me venerit peccator obstinatus, absolvamne eum? Ecce vobis voluntatem Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipsum solum; & si te non audierit, adhibe duos vel tres. Quòd si nec audierit, dic Ecclesiæ; & si non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus.* Notate, vult Deus absolvi peccatorem, non nisi tribus aut quatuor vicibus. S. Petrus curiositate ductus hanc intelligendi quæstionem, à Christo petebat: *Quoties dimittam, nunquid septies?* quoties ignoscam offendenti me? sufficietne, si eum septies absolvero? Cui Christus: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* Nolo, te adeo parcum esse in remittendo, sed volo, ut ignoscas peccatori septuaginta septem vicibus, numero quasi indefinito posito pro definito. Quomodo bini illi textus potuerunt conciliari mutuò? primò dicit Christus, non esse absolvendum peccatorem, nisi tribus aut quatuor tantùm vicibus; modò autem permittit, imò jubet eum absolvi infinitis vicibus. Patres Confessarii, quando venerit ad vos pœnitens, sine signis doloris, non eum ultra duas aut tres, aut ad summum per quatuor tantùm vices absolvatis; at quando pœnitentem videritis contritū, absolvite eum toties quoties; etiam infinitis vicibus, si toties confiteretur. Ecce vobis doctrinam S. Chrysostomi: *Septuagies septies dicit, si eum pœniteat; quomodo enim dimittet quispiam ei, qui confitetur se peccasse, nec tamen ducitur pœnitentiâ.*

Matt. 18. v. 15. v. 16. & 17.

v. 21.

v. 21.

S. Chry. in Ps. 49.

XXXIII. Gloriemini ô patres Confessarii, quoties ad pedes vestros prosterni videritis, peccatores enormium scelerum luto conspurcatos, insigni vos cœlitus submisso dono locupletatos reputetis & favore singulari; omnibus communicate, modò benè sint dispositi, divinæ remissionis indulgentiam.

XXXIV. Vos ô pœnitentes sine formidine ad pedes currite Confessarii, cumque veræ contritionis lacrymis vestra confitentes delicta, veniam efflagitate ab offenso crucifixo Deo. Tuque ô Clementissime Domine, qui tanta ardes salutis nostræ siti, hocque desiderium quasi innatum habes ab æterno, ex ipso patris sinu; neque contentus te idipsum abundè demonstrasse, dum homo factus millenis te subjecisti afflictionibus, voluisti insuper tanti pretiosi sanguinis tui profusione & morte crucis, nos à servitute redimere diaboli. Imò hodie, dum in cœlo degis gloriosus, tanti æstimas salutem nostram, quanti propriam facis gloriam in dextra Patris. Ecce nos omnes ad sanctos tuos pedes provoluti, infirmitate laboramus mortali, omnes tot scelerum languidi plagis, tu ô protomedice cœlestis salutiferum gratiæ tuæ medicamentum adhibe malis nostris; aperi hisce clavis venas pectorum nostrorum, veræ compunctionis eliciens sanguinem; ut justificati per gratiam divinam, infiniti tui participes efficiamur gaudii. *Quod nobis concedat Deus Amen.*

PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO SABBATHO DOMINICÆ PRIMÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De Splendoribus uteri virginalis & exellentiis confratrum Sodalitatis B. M. V. de monte Garmelo.

Assumsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, fratrem eius in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matt. 17. *v.* 1. 2.

PROBLEMA

Uter mons dici debeat exelsior atque sublimior; sinus æterni Patris, aut uterus virginalis, figuratus in monte Carmelo?

INTRODUCTIO.

I.

TAm brevia, quàm curiosa quondam legitur dubia proposuisse, non minori potentiâ quàm sapientiâ excellens rex Ægypti, nuncupatus Amasus. Ut pertranseam reliqua, Philosophos interrogabat; quænam inter omnes res magis esset dicenda antiqua, major, sapientior, communior, utilior, damnosior, fortior, agilior, venustior, melior? Ad quas propositiones ita ei distinctè responsum fuit: optima & venustissima omnium lux est; lenior illa, quæ suavior; fortitudine vincit fortuna; damnosissimum est ingenium, utilissimus Deus, communissima mors, sapientissima veritas, maximus mundus, antiquissimum tempus. Ast ille Rex, totum ordine resumens, quomodo potest, inquiebat, antiquissimum esse tempus, quod præsens est parvulus infans, & quoad futurum necdum est? Antiquissimus est Deus, qui nativitatis expers, æternus est. Quomodo potest mundus esse maximus, si continetur à loco? Omnia in magnitudine excedit locus, mundum continens. Quomodo potest esse sapientissima veritas, quæ non cognoscit? sapientissimum est tempus, quod omnem patefacit veritatem. Quomodo potest communissima esse mors, quæ nec in vivis, nec in Beatorum loco ullam partem habet? communissima est spes, omnem concomitans statum. Deinde utilis est virtus, da-

Propositio Regis Ægypti.

mnosum vitiū, fortis insuperabilis necessitas; faciliùs illud est, quod naturæ conformius; & tandem pulcher est mundus. Sed ô Auditores si quis me interrogaret, quæ res sit omnium antiquissima, maxima, sapientissima, communissima, utilissima, damnosissima, fortissima, facillima, pulcherrima, optima? omnium maximè, bona, pulchra, facilis, fortis, damnosa, utilis, communis, sapiens, magna, omnium maximè antiqua (responderem ego) est Maria. Si antiquitatem indagetis: *Ab*
Prov. 8. v. 23. *æterno ordinata sum.* Si magnificentiam vultis: *Trinam regentem machinam, claustrum Maria bajulat.* Si sapientiam re-
Eccli 39. v. 12. quiritis? *Collaudabunt multi sapientiam e-*
Eccli 24. v. 26. *jus.* Si communicationem optatis; *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Si uti-
Sap. 7. v. 11. litatem inquiritis: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Si damnum
Gen. 3. v. 15. discernere serpenti infernali illatum: *Ipsa conteret caput tuum.* Si fortitudinem ad-
Prov. 31. v. 19. mirari: *Manum suam misit ad fortia.* Si le-
Eccli. 24. v. 27. nitate demulceri; *Spiritus meus super mel dulcis.* Si venustate oblectari? *Pulchra ut*
Cant. 6. v. 19. *Luna:* Si bonitate allectari: *Beatus venter,*
Luc. 11. v. 27. *qui te portavit.* Ast quam uterus virginalis possedit bonitatem, ut adeo dici possit beatus? quam bonitatem? ubinam Christus hodie fuit transfiguratus, divinæque majestatis suæ radios demonstravit? *In montem* ascendit *excelsum valde. In montem excelsum?* Hic mons, Mariæ est uterus, ita denominatus à Spiritu sancto
Ps. 67. v. 17. *Mons, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo.* Uterus itaque Mariæ, qui machinam conclusit sacratæ Triados: *Trinam regentem machinam,* thesaurus exstitit summæ bonitatis? De sacrosancto hoc Dominæ nostræ Mariæ utero meus hodie instituetur discursus, cum problemate sequenti. Uter mons excelsior dicendus sit atque sublimior; sinus æterni Patris cum divinitate, an uterus Mariæ cum virginitate? Deinde nos *Probl.* transferemus ad contemplandas excellentias confratrum sacri scapularis, natorum in mente Carmelo, ex mentali ejusdem augustissimæ Mariæ utero. Inter alios sublimissimos montes quidam reperitur in regno Balassiæ, qui nullas promittit delicias ei, qui aut nimium clamat, aut plus debito loquitur. Mihi itaque hodie prærogativas altissimi montis uteri virginalis & natorum montis Carmeli explanaturo, fovete in silentio.

II. Minus difficile Esdræ fuit, ponderare flammam ignis, mensurare ventum & jam transactum revocare diem; prout ei Angelus Uriel in hæc verba proposuit; *Pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, qua præteriit:* 4. Esd. 4. v. 5. minus hoc fuit Esdræ difficile, quàm mihi hodie possibile, sublimitatem contemplari altissimi montis uteri virginalis. Nihilominus juxta ingenii mei modulum sermocinans, vos ego interrogo Patres Theologi, potestne Verbum divinum Patri æterno actum exhibere reverentiæ? negativè concluditis; quia *actus reverentialis est inferioris ad superiorem.* Qui reverentiam defert, semper est inferior illo, cui reverentia præstatur; sed verbum divinum non est inferius Patre, quin potius infinitè æquale: *Qualis Pater, talis filius, talis Spiritus sanctus; & in hac Trinitate nihil prius aut posterius; sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & coæquales.* Adeste animis & auribus. S. Pater Hilarius, tractans de divini Verbi in Mariæ uterum ingressu, inquit: S. Hilar. ser. 5. de Ascens. Dom. *Verbum divinum uterum Virginis inviolabiliter pertransiit, sicut reverenter intravit. Reverenter intravit?* quid dicis ô S. Pater?

Pater? divinum illud verbum, quod propter summam cum patre æqualitatem nec præstitit, nec præstare potuit Patri æterno reverentiam, juxta te, utero, Mariæ reverens fuit? majorne igitur dicendus est uterus Mariæ, quàm sinus æterni Patris?

III. Ut solidè dictæ sententiæ intelligentiam consequamur, primò, quod rei sit uterus virginalis, discutiamus oportet. Rogaverim autem, ne admiremini ô simplices. quidquid enim laudis & gloriæ dicturus sum de utero Mariæ, totum in gloriam cedet illius Dei, cui complacuit dictum intrare uterum. Hinc Paradisum, illinc sinum colloco Mariæ, utrumque venustatis & pulchritudinis æqualis. Postquam decrevisset supremus Deus, carnem assumere humanam ex Maria, pro obtinendo consensu, Angelum misit Gabrielem, qui ad Augustissimæ hujus Virginis præsentiam licet totus tremulus, pavidus & formidolosus; subitò nihilominus eodem illo gratiæ cælo animatus, ipsam reverentiali hac voce salutavit: *Ave gratiâ plena, Dominus est tecum.* Salve gratiarum habens plenitudinem, Dominus est tecum. S. Bernardus audiens hæc verba totus in stuporem rapitur, unde ad Angelum, totus admirabundus, conversus, ait: *Quid dicis Angele Dei, quem modò reliquisti in cœlo, nunc in Virgine dicis esse?* Nonne te misit Deus? ita; nonne eundem tu Deum in cœlo reliquisti? ita; quomodo igitur nunc asseris ipsum esse in Maria? ad hæc sciatis respondet ipse mellifluus Doctor, quòd *transsilit Gabrielem, qui festinans volavit ad Virginem.* Impatiens (ut ita dicam) magnus Dominus angelicæ moræ, Legatum prævenit, inque Mariam introivit: *Et hoc est maximè mirandum, quòd, qui Angelum misit ad Virginem, ab Angelo invenitur in virgine.* Sed ô S. Bernarde, quæ hæc singularis est prærogativa, Mariam Dei domum evasisse? nunquid Deus est in omnibus causis creatis, *per essentiam, potentiam & præsentiam?* Respondet sanctus, non potuisse ab Angelo quidquam dici excellentius aut gloriosius de Maria, quàm dum eam diversorium Dei appellavit: *Dominus tecum.* Quia Deus in Maria non fuit modo communi, sicuti in nobis est; minimè equidem. In nobis Deus est duntaxat *secundùm essentiam, absolutè*: in Maria autem fuit Deus, *& secundum essentiam & secundùm personalitatem.* Quia in Maria erat persona Verbi; sicque simul in se continuit totam sanctissimam Trinitatem, ut enim discurrit S. P. meus Augustinus: *Totus Pater in filio & spiritu sancto est; totus filius in patre & Spiritu sancto est; totus Spiritus sanctus in patre & filio est: nullus illorum extra quemlibet illorum est.* Si itaque Paradisus venustus est, quia domus est sanctissimæ Triados; concludamus oportet, uterum virginalem, cum etiam sit sacratæ Trinitatis domicilium, tanto coruscare splendore, quanto ipsemet Paradisus.

IV. Imò admirabilior Paradiso est uterus virginalis. Dum Jacob ex paterno jussu peteret Mesopotamiam, viatorem minus practicum obscuræ noctis invasit caligo, unde in aspero quodam deserto requiescere compulsus fuit. Inter somniandum, scalam vidit toties rememoratam in pulpitis & cathedris, mirabilem in altitudine, utpote quæ cœlum ipsum fulciebat, mirabilem in multitudine graduum, sed longè mirabiliorem in amplitudine, utpote quam indesinenter defatigabat

Uterus M. pulcher ut cœlum.

Luc. 1. v. 28.

S. Bernar. sup. missus est.

S. Aug. tr. de fide. ad Pet.

Vterus M. cœlo admirabilior.

tigabat innumerabilis Angelorum turma; aliis musica portantibus instrumenta, quorum dulcissimo sono alliciebant aures, exhilarabant corda, recreabant affectus; aliis sonoras edentibus voces, quibus inter artificiosos motus vocum, occursusque mutuos, harmoniam excitabant cœlestem; modò in longos gyros diffundendo guttura, modò eadem in asperos retorquendo concentus; huic denique adeo jucundo spectaculo ipsemet præsens aderat Deus; ita ut aridum desertum in Paradisum transiisse videretur; inter hæc tandem à somno excitatus Jacob, nullâ aut Angelorum, aut scalæ, aut ipsius Dei ratione habitâ; terram versùs suos defigens oculos, *quàm terribilis est*, inquit, *locus iste; verè hic locus sanctus est, & ego nesciebam.* Gen. 28. v. 17. Non huic deserto comparari potest tota in feris sylvestribus multicolor Ægyptus; non Roma triumphans cum septem collibus; non denique superba Babylon cum suis vastissimis sylvis; quia *hic locus sanctus est, & ego nesciebam.* Videris mihi ô Jacob evanescere in conceptu tuo: Deum vidisti facie ad faciem; gratia paucis admodum concessa. Scalam vidisti infinitis instructam gradibus cum innumerabili Angelorum multitudine, & non miraris; sed solum obstupescis locum, in quo jaces? ne admiremini, inquiunt SS. Chrysostomus & Bernardus; non vos in stuporem rapiat admiratio Jacob, quia tunc Patriarchæ huic mysterium incarnationis manifestatum fuit, & revelatum, Deum in carne mortali futurum præsentem in loco isto. Itane, quasi dicebat Iacob, Deus ille immensus, quem cœlum comprehendere nequit, parvulis istis constringetur confinibus? *O quàm terribilis est locus iste?* Angelos, puros esse Spiritus, compositionis expertes quæ habetur per materiam & formam; nemo est, qui nesciat. Quid etiam stupore dignum continet scala ista, cujus vertex cœlestes sustentat orbes? Longè venustior apparet scala in mundanæ hujus machinæ creatione. Ast quòd locus adeò angustus sit constricturus Deum, à nullis cœlestibus comprehensibilem sphæris, hoc est meæ admirationis objectum: *Quàm terribilis est locus iste?* Ex his nos sequentem efformemus discursum. Si Jacob Patriarcham nec Dei ipsius, scalæ summitati innixi visio, nec descendentium & ascendentium Angelorum contemplatio, sed solius terræ, per quam Salvator transiturus erat, intuitus admiratione nimiâ replevit; quid ipse hodie de utero virginali asserturus esset, ad quem Christus verus Deus tanquam ad domum propriam divertit, ibidem carnem assumpsit & sanguinem, & quidquid demum ad naturæ humanæ spectat perfectionem? dixerim convenientissimè Deo, id quod in hæc verba proponit S. Chrysostomus: *O Domine, naturæ errores corrigere, membra mortua ad vitam revocare, solitum est tuæ virtutis opus. Ast puellam virginem sine virili congressu parere, superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denunciat, ut, quem cœli terraque non capiunt, uterus virginalis comprehendat.* S. Chrys. ad Metaphrast.

V. Necdum ad sufficientiam meum explicavi conceptum. Patres Theologi, filius Dei nonne immensus est? ita: *Immensus pater, immensus filius, immensus Spiritus sanctus.* Superaddite vos ô Philosophi, quòd *locus non debet esse æqualis locato?* Aristot. l. 4. Phys. Quis est locus Deo æqualis, *non æqualitate continentiæ sed dimensionis?* forsitan Paradisus? non, quia hic terminatus est, suis constans confinibus, Deus autem termino caret. Deo inæqualis est Paradisus & terra. Dicetis fortassis, cœlorum esse vastitatem, incipiendo à supremo,

usque

usque ad ultimum terræ punctum? at non subsistit responsio; quia si præter omnes hos cœlos adhuc forent alii & alii, sique præter mundum præsentem darentur alii centeni & centeni, imò milleni mundi, etiam copiosiores, Deus immensitate suâ omnes eos repleret. Fingite amplissimum quodcunque spatium extra cœlos, tam vastum, quam humana potest fingere imaginatio; hoc ipsum tantum quantum divina constringeret immensitas; cum enim homo imaginationis sit finitæ, non nisi finitum potest sibi imaginari spatium: quis igitur dicetur locus æqualis & proportionatus immenso Deo? Joannes Evangelista nobis difficultatem resolvit, dum ait: *Unigenitus, qui est in sinu patris.* Solus æterni Patris sinus immenso Dei filio æqualis dici potest, quia inibi duntaxat divinum requiescit Verbum, nec ullatenus constringitur, cum infinita inter sinum Patris & Verbum divinum sit æqualitas; unde & Theologi asserunt, Deum extra seipsum non requiescere cum omnis extra Deum bonitas limitata sit atque finita. *O uterum*, exclamat S. Epiphanius, *o uterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incompræhensum, in te compræhensum portasti. O uterum cœlo ampliorem, qui Deum immensum cœlo non coarctasti!* Ultima hæc verba sollicitè consideranda sunt; Deus in Paradiso existens, ab eodem constringitur: *Coarctatur.* Si à Vastitate cœlorum omnium ac terræ contineri perpenditur, constringi dicitur: *Et coarctatur.* Si nobis amplissima extra cœlos & mundum hunc spatia imaginati fuerimus; *ibidem coarctatur.* Sed in utero Mariæ? an *uterus Mariæ amplior est cœlo, quia Deum immensum in se non coarctavit.* Dicemus igitur, Mariæ

At non sinus æterni patris.

S. Epiph. de laud. virg.

uterum immensitatem participare? utique; imò concludere possumus, uterum virginis ipso paradiso longè esse mirabiliorem; suffragante nobis sancti Theodoreti auctoritate, dum ait: *O Virgo, quæ Deum continens incompræhensum, ipsum vicissi deliciarum Paradisum,*

S. Theod. in Ora. ad Con. Eph.

IV. At si uterus Mariæ ipsum vincit & exsuperat Paradisum, quid sublimioris encomii illi attribui poterit? quid? uterus virginalis, sancta cum æmulatione, cum ipso æterni Patris sinu decertat; ita ut privilegium nullum attribui possit pectori paterno cum divinitate, quod totum non resplendeat in utero Mariæ cum virginitate. Eximite me à mendacio ô docti: quòt res vos in æterna Verbi generatione contemplamini? tres principaliter; patrem æternum, qui generat Verbum: *Quem lucis ante originem, parem paternæ gloriæ, Pater supremus edidit.* Secundò sinum paternum, loco uteri deservientem: *Ex utero ante Luciferum genuite.* Et tandem divinum Verbum, generatum. In generatione temporali, forsitan eadem tria reperire non erit? primò est Maria Christum generans: *Genuit puerpera regem, virgo peperit Salvatorem.* Adest & uterus virginalis, in quo, Spiritus sancti operâ, fuit conceptus Christus: *Cujus supernus artifex, mundum pugillo continens, ventris sub arca clausus est.* Nec deficit genitus ex Maria Christus: *Natus ex Maria Virgine.* Si vobis probavero, Mariam generantem Christum, vivam esse æterni Patris imaginem, generantis verbum; & Christum ex Maria natum, esse eundem unicum filium, quem Pater generavit æternus, nonne mihi concedetis, uterum virginalem æmulari sacratum magni

In hym. Nativ.

Ps. 109. v. 3.

In offic. Nativ.

In hym. B. V.

magni luminum Patris sinum? Adeste attenti. Cum natus vitæ auctor, Christus Dominus noster, degeret in præsepio, antequam Pater æternus eum declarasset suum esse filium, venerunt ab Oriente Magi, ei latriam exhibituri: *Procidentes, adoraverunt eum.* Idem Christus dum penderet in cruce, delusus ab omnibus, nullo prævio paternæ vocis indicio, agnitus fuit à Centurione pro Deo: *Verè filius Dei erat iste.* O felices Magi, unde scitis, infantem hunc Deum esse? & tibi ò fortunate centurio, quis dixit, crucifixum hunc esse Patris æterni filium? repetamus gressum. Maria ferens utero, abiit sanctam invisura Elisabetham, quam ut hæc conspexit, *unde hoc mihi*, ait, *ut veniat mater Domini mei ad me?* Quantam mihi felicitatem affert magnæ Dei matris obsequium? Elisabeth sancta, quod nomen imponis Mariæ? Dei matris? respondet Elisabeth; ex voce cognovi, Mariam esse Virginem, ex impraegnatione autem colligo, ipsam esse Dei Matrem Mulier, quæ virgo simul & mater est, non est persona ordinaria; quia juxta cursum naturæ, quæ Virgo est, non mater est; quæque mater est, non virgo est. Si itaque Maria, virgo & mater est, consequenter æterni Patris est æmula; solus namque Pater æternus in puritate fœcundus, & in fœcunditate purus est Spiritus; cum igitur Maria simul mater sit & Virgo, æterni æmula evadit Patris, sicque vera est Dei mater. Conceptus hic fuit doctissimi cujusdam patris, sequenti expressus discursu: *Ex voce cognovit Elisabeth, Mariam Virginem esse; eamque conspiciens gravidam, dixit, esse matrem Dei, quia Virgo & mater æterni Patris æmula est; & alium non potest parere, nisi Deum.*

Matth. 2. v. 11.

Matth. 27. v. 54.

Luc. 1. v. 43.

M. Æmula P. æterni

Mendoza in lib. Reg.

Ecce vobis rationem, quare Magi Christum infantem adorarint ut Deum; ubi Christum repererunt Magi? *invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Itane? Christus Virginis est filius? ergo Deus. Ita discurrit Cardinalis Hugo, inquiens: *Puer Iesus non prius adoratur à Magis, nisi cùm invenitur cum virgine Matre.* Atque ideo etiam in Jordane & Thabore, ubi Patris æterni vox insonuit, defuit Maria; in præsepio autem & cruce, ubi fuit Maria, non fuit audita vox Patris æterni; quia scilicet Maria, cum sua virginitate Patrem repræsentabat æternum cum divinitate. Quo in sensu S. Augustinus locutus fuisse videtur, dum ait; *Et sanè natus ab intacta est fœmina, ut Deum pariter & hominem testaretur partus humanus; & Deum comprobaret æterna virginitas.*

Matt. 2. v. 11.

Car. Hug.

Aug. ser. 14. de nativ.

VII. Si dignoscere affectatis originem, unde tanta Mariæ obtigerit majestas, quòd scilicet tantundem ipsa sola valeat cum sua virginitate, quantum Pater æternus cum divinitate; breviter respondebo. Idem ille filius, quem ab æterno generavit Pater, proles est temporalis Mariæ; Ecce vobis S. Bernardi resolutionem: *Hæc est excellens prærogativa Mariæ, quòd filium, unum eundemque cum Deo Patre, meruit habere communem.* Ex quo processit, ut magna cœlorum Regina, similis & viva evaserit magni luminum patris imago, in eadem illa relatione Patris, quæ nulli unquam communicata fuit aut communicari potuit, ne ipsis quidem duabus aliis divinis personis: Domini Metaphysici, nunquid relativum habet totum suum esse, per ordinem ad suum correlativum? ita; *Relativa sunt ea quorum totum esse*

S. Ber. de Ass. Virg. ser. 4.

esse est ad aliud referri. Cum itaque idem Patris æterni correlativum, scilicet Verbum filius ejus, est etiam correlativum, magnæ matris Mariæ (*quia unus & idem est Dei Patris, & Mariæ Virginis filius*) dicendum est, Mariam, utpote quæ esse suum totum à suo accipit correlativo, quod est verbum incarnatum, similem esse æterno Patri, tantumque valere cum sua virginitate, quantum ipse cum sua divinitate. Ex his præmissis, in Mariæ Virginis gloriam, indissolubile hoc formemus argumentum. Maria cum sua virginitate tantum ponderat, quantum Pater æternus cum divinitate; quia filius, ab æterno generatus à Patre, idem omnino in tempore natus est ex Maria; uterus itaque virginalis, in quo, operante Spiritu sancto, Christus conceptus fuit, pari graditur passu cum sinu æterni Patris, in quo æternaliter gaudet divinum Verbum.

Comparatio inter sinum M. & P. æterni.

VIII. Atque in effectu quidem quam prærogativam, quam gloriam aut privilegium Patris æterni sacrato pectori attribuitis, quod pariter non emineat in utero virginali Mariæ? Si in æterni patris sinu, tanquam in infinitæ bonitatis centro, Verbum requiescit divinum: *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* In sinu Mariæ, tanquam in Paradiso gloriæ non modò incarnatum requierit Verbum, sed & tota sanctissima Trinitas: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*; creatio, ò docti, opus est Trinitatis; quia *opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.* Si igitur Creator requievit in Maria: *qui creavit me*: ergo tota sanctissima Trias requievit in sacrato illo cœlo. Si in paterno sinu, duo illa extrema fuere unita, quæ in quacunque alia persona, etiam divina, sunt incompossibilia, scilicet divinitas & paternitas fœcunda. In utero pariter virginali, duo extrema fuere unita, quæ in nulla alia persona unquam fuerunt aut erunt, scilicet virginitas & maternitas. *Sola hæc*, inquiunt Theophylactus & S. Bernardus, *est beata Deipara, in qua virginitas & maternitas obviaverunt sibi; quia in ea factum est semel, quod nunquam factum fuerat, nec fiet in æternum.* Si in Sinu paterno Verbum generatur sine interventu matris, quia ut dicit Trimegistus: *Intelligentia illa Deus, cum matris & fœminæ vim haberet, & vita & lumen esset, genuit Verbum.* Unde Sinesius infinitam æterni Patris contemplans eminentiam, eum vocat patrimatrem: *Tu pater, tu mater, tu mas, tu fœmina, tu vox, tu silentium naturæ, natura fœcunda.* In sinu Mariæ fuit conceptus Christus sine interventu Patris; unde ipsa nuncupatur *matripater*; quia licet Spiritus sanctus incarnationem operatus fuerit, non tamen Pater dicitur Christi; prout docent magnus Pater Augustinus in Enchiridio q. 38. & Concil. Tolet. 11. Si in paterno sinu pater generat Verbum, seipsum ac divinam suam intelligendo essentiam: *Pater, intelligendo se, generat verbum.* Maria in virginalibus suis visceribus concepit Christum, divinam contemplando bonitatem, quam suo erat inclusura ventri. Ecce Ruperti Abbatis verba: *Ita virgo fidelis cor suum aperuit DEO, ut ipsam substantiam Verbi, ante secula geniti, prius mitteret in mentem, quàm in ventrem.* Si in paterno sinu suprema illa divina reperitur natura, à tribus divinis sustentata personis; in utero Mariæ suppositum adest increatum, duas sustentans naturas infinitè distantes. Si in sinu paterno generatur Verbum, consubstantiale Patri:

Ioa. 1. v. 18.
Eccli. 24. v. 12.
Theop. in Matt. S. Bern.
Trim. l. 1. de perenni Philos.
Sin. hym. 2.
Rup. Ab. l. 3. de glor. Trin. c. 6.

D. Th. p. 1. q. 27. art. 2. ad 2. D. Aug. de Assump. Virg. c. 5. *Procedit Verbum à Patre, ut ejusdem divinæ naturæ subsistens*: in utero Mariæ generatur Christus, qui est ejusdem caro Mariæ: *Caro Christi, est caro Mariæ.* Si Verbum divinum propter omnimodam cum Patre consubstantialitatem, non exit de utero paterno, sed semper in eo manet, infinitâ gaudens gloriâ; Verbum incarnatum propter identificatiouem cum Maria, renuit uterum deserere virginalem, suam in eo æternam quærens consolationem & voluptatem: D. Zen. ser. 3. de Nativ. *Requiescit libens Dominus, florentissimo in Domicilio castitatis, & in visceribus sacræ Virginis, comparat sibi corpus suo judicio nasciturus*; Inquit D. Zeno.

IX. Ast ubi Verbum majorem haurit lætitiam & satisfactionem; in sinu æterni Patris, vel in utero Mariæ? Curiosa hæc quæstio Auditores humanissimi, menti meæ suggerit, ut concludam, Verbum divinum pluris facere, majoremque satisfactionem habere in visceribus Mariæ, quàm in sacrato Patris sinu. Consultabat sanctissimæ Trinitatis consistorium, quænam ex iis pro mundi redemptione in terram descenderet; & primò quidem Pater æternus, tanquam divinitatis fons, proponebat: *Quem mittam, & quis ibit ex nobis?* quis nostrum Redemptoris officio fungetur? moxque divinum respondit Verbum: *Ecce ego, mitto me.* Ego ibo, qui procedo à te; tu à me non procedis, nec ab ullo alio; tuum itaque est præcipere, meum autem ire; elegit itaque Verbum divinum sedem seu domum in mundo, intra quam, carnem assumeret humanam, domum autem non designavit aliam, quàm uterum virginalem: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Discutiamus obsecro, qualiter divinum Verbum & in sinu paterno; & in utero fuerit virginali? Appropinquante incarnationis tempore, inquit S. Zeno, quòd *tempore maturo, divinitatis dignitate depositâ, cœlo egressus, sacrario templi virginalis hospes pudicus illabitur.* S. Zen. ser. 4. *Divinitatis dignitate depositâ?* Quomodo ô sancte Pater? igitur filius Dei uterum intravit virginalem, sine divinitatis dignitate atque excellentia? Vulgare favet exemplum, huns in finem adduci solitum. Magnus quidem V. G. Princeps se dat itineri, majestatem regiam conventurus; magnum itaque secum deducit nobilium comitatum, & tandem maxima cum pompa, palatium subintrans, in Regis anticamera totum jubet subsistere aulicismum cum universa pompa & magnificentia, ipseque solus ad Regem pergit, ad demonstrandum, quòd præsentia Regis omnem aliam obnubilet excellentiam, ipsaque sola sit vera majestas. Ita pariter in præsenti; descenderat augustissimus de cœlo Deus, & tum Angelorum, tum universæ cælestis curiæ stipatus obsequiis, tandem ad ædes pertigit Mariæ: *Et Divinitatis dignitate depositâ.* Ad præsentiam augustissimæ Mariæ Verbum divinum deseruit totum famulatum cœlestem, intrans sine ea, quam in cœlis possidebat gloriam, veluti inferius. Tantoque id fecit cum respectu, quasi Deus non esset. Audite Guerricum Abbatem: Guer. Ab. ser. 3. de Annun. *In utero autem, sic est, quasi non sit si sic omnipotens virtus ejus vocat, quasi nihil posset.* Notate; Verbum divinum coram Patre comparet cum toto bellissimo apparatu aulico, cumque omni pompa, qualis tantam decet Majestatem. Uteri autem Virginalis subintrans palatium, primò suam deposuit majestatem, gloriam & magnificentiam; *Divinitatis dignitate depositâ.*

Majo-

Majorem itaque majestatem verbum in utero cognovit virginali, quàm in sinu paterno. Adjungite insuper in sinu paterno Verbum ad instar peregrini dimoratum fuisse; juxta illud S. Zenonis: *Inquilinus cordis paterni.* In utero autem Mariæ degit velut civis: *Requiescit*, inquit idem S. Zeno, *florentissimo in domicilio castitatis.* Progredior ulterius, vosque interrogo ô docti, potestne sinus paternus aliquo superioritatis titulo gloriari præ Verbo? absit: quia *in hac trinitate nihil est prius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* De utero autem virginali quid statuit Zeno prædictus? *Superbus emicat Mariæ venter Verbo.* O stupenda! Hic ego gradum figo. Verbum divinum sinum deserens paternum, magnum edidit jubilum & festivitatem: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam.* Uterum autem Mariæ tanta incolit cum satisfactione & voluptate, ut eum nequaquam egredi statuat; prout ipsum Verbum divinum, Patrem, per os Davidis, alloquens, testatur, dum ait: *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre matris meæ.* q. d. æterne Pater tali me gaudio & oblectatione perfundebat pectus virginale, ut nunquam illud gloriæ cœlum egredi voluissem, nisi virtus præcepti tui me inde exire compulisset. *Tu es, qui extraxisti me*; supra quæ verba ita S. Ambrosius discurrit: *Sinus Christi erat in Deo Patre Divinitas, in Maria Matre Virginitas; cujus sic tenebatur amore, sic irretiebatur pulchritudine, ut, ni sibi inferret vim, ab illa exire nequiret.* Recolligamus in unum, quæ huc usque asseruimus. Verbum divinum in sinu existens paterno, pompam non deposuit Divinitatis, indeque proficiscens, *Exultavit ut Gigas.*

S. Zeno.

Ps. 18. v. 6.

Ps. 21. v. 10.

S. Ambr. ser. 28.

Sinum intraturus Mariæ, magnificentiam seposuit divinitatis suæ: *Divinitatis dignitate deposita.* In sinu Patris adinstar Peregrini moratur: *Inquilinus cordis paterni.* In sinu autem Mariæ tanquam civis *requiescit.* Sinus Patris non est Verbo major: *Qualis pater, talis filius*: sinus autem Mariæ prærogativâ gloriatur superioritatis ad Verbum: *Superbus emicat Mariæ venter Verbo.* Quid ultra singulare in sinu reperitur Mariæ, excellentiori modo non inventum in sinu Patris quare Deus incarnatus majori in pretio uterum videtur habuisse virginalem, quàm ipsum sinum paternum? inducine possetis ut crederetis, Deum incarnatum ab utero virginali titulos obtinuisse atq; excellentias, quales non habuit in sinu Patris? auscultate sedulò.

X. Uterus virginalis Deum, nullatenus perfectibilem, quia scilicet infinitâ pollet magificentiâ, exaltavit, sublimavit, magnificavit. Annuntians Mariæ Angelus Gabriel mysterium incarnationis, ad eam ait: *Ecce concipies & paries filium.* Concipies ô Domina augustissima filium, cujus si prosapiam inquiris, scias, quòd *hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur.* S. Bernardum non parum offendit cruditas illius verbi *erit magnus*; unde quærit: *Quare qui erit, & non potius est magnus? qui semper æqualiter magnus, non habet quò crescat, nec major post Conceptionem futurus sit?* Falsa hæc est concordantia in Theologia, inquit S. Bernardus, dicere: *erit Filius Patris erit magnus.* Quomodo *erit magnus*? Filius ex Maria nasciturus, nonne est idem, quem ab æterno generavit Pater? ita. Nunquid filius Dei, partus æternus Patris, fuit & est infinitè magnus, sicuti ipse Pater? ita; quomodo igitur dicitur, eum per temporalem ex Maria nativitatem,

Luc. 1. v. 31. 32.

S. Bern. ser. 3. sup. missus est.

Quomodo Christus *erit* magnus. §. 18.

 vitatem,

vitatem, futurum magnum? quomodo crescet Verbum, quod à Patre generatum tantum est, ut nec ipse Pater illud exsuperet nativitate, utpote vivam sui imaginem; neque excedat antiquitate, cum nascatur à principio sine principio? Quomodo proficiet magnus ille filius, qui naturaliter Deus est? qui in attributis divinis omnes eas eminentes continet virtutes & dignitates increatas, quæ in mente resplendent illius Dei, qui in Divinitatis regno gloriatur Pater? à Maria forsitan majorem consequetur excellentiam Deus ille, qui à Patre procedens, nec est, nec esse potest major Patre?

XI. Inseramus hic quendam psalmi
Ps. 21. v. 11. versum, ubi Christus cum æterno Patre, per os Davidis, loquens dicit: *Ab uberibus matris meæ Deus meus es tu.* Domine ego sum verus filius tuus, tuque ejusdem mecum es substantiæ; ideoque te recognosco pro Deo meo quamprimum natus fui ex utero Mariæ: *Ab uberibus matris meæ Deus meus es tu.* Quomodo ô docti, nonne Christus ante suam ex Maria nativitatem, verus Deus, verusque æterni Patris filius erat? utique. Si ipse ab æterno per viam intellectus suum à Patre recepit esse, cumque esse attributa; quomodo dicit per Prophetam, se non agnoscere supremum Patrem pro Deo suo, nisi postquam ex Maria natus esset? dicere possemus, Christum non minoris facere hoc, quod est, se purissimo Mariæ lacte alitum fuisse, quàm ab æterno à Patre generatum. Vel etiam asseri posset, Patrem quidem æternum ante incarnationem fuisse Deum filii Verbi, utpote cui summè æqualis est; at Christi cœpit esse Deus, quando Christus ex Maria natus fuit, ex tunc enim minor Patre esse cœpit: *Minòr Patre secundùm humanitatem.* Opportunè sese in præsenti ingerit magnus conceptuum Pater, S. Chrysologus, dicere non dubitans; quòd si per impossibile, aut per fidem, aut aliâ quâcunque viâ, nesciremus, Christum esse Dei filium; id nos colligere posse vel ex hac sola considera-

Verbum divinum an capax satisfactionis.

tione: Christus est partus uteri virginalis. Ita ipse asserit in quodam loco, ubi verba illa (*Ecce concipies & paries filium*) explicans, simulque causam assignans, cur Angelus non expresserit, cujus foret filius, à Maria concipiendus; ita discurrit, ad eandem augustissimam conversus Dominam: *Non dixit Angelus, filium tuum, nec filium tibi; ne præsumas hunc vocare filium tuum; sed cum genueris, invoca Salvatorem; quia virginitas non sibi parit filium, sed pignus authoris; & integritas suum gestat Dominum, non alumnum.* Domina mea, inquit S. Chrysologus, scisne, quare Angelus non dixerit, te concepturam filium tuum? ut noveris, claustrum virginale pariturum non esse hominē ordinarium: *Sed cùm genueris, invoca salvatorem.* Partus, è tuo proditurus claustro virginali, Deus erit & salvator mundi, quia *integritas suum gestat Dominum, non alumnum.* Dum igitur Christus dicit: *Ab uberibus matris meæ, Deus meus es tu;* idem est, ac si diceret. Pater æterne, ante incarnationem non erat ulla mei esse notitia, neque tui; quia autem ex Virgine natus sum, ejusque mammillas suxi, agnitus sum pro vero filio tuo, consubstantiali tibi; ideoq; *ab uberibus matris meæ, Deus meus es tu.* Exiguumne id vobis videtur, quòd uterus Mariæ contulerit Christo, ut verus cognosceretur æterni Patris filius?

S. Chrys. ser. 142. Luc. 1. v. 31. Uterus M. Christum probavit Deum.

Phil. 2. v. 7.

XII. Ast hoc mihi non sufficit; progrediamur ulterius ô Theologi. Poteratne

Ver-

Verbum divinum an capax satisfactionis.

Verbum divinum ante incarnationem, *de toto rigore justitiæ* satisfacere pro peccato hominis? non. Nec satisfacere potuit, nec ullum exercere rigorosæ actum justitiæ: non satisfacere, quia *satisfactio est inferioris ad superiorem*; satisfaciens, ratione debiti, est inferior eo, cui exhibetur satisfactio; sed Verbum divinum ante incarnationem, non erat inferius Patre, sed summè ei æquale: *Æqualis Patri secundùm divinitatem*; ergo ante incarnationem, Verbum divinum non potuit satisfacere pro peccato hominis; neque etiam actum exercere potuit rigorosæ justitiæ, quia *justitia debet esse inter duos, quorum quilibet sit sui juris*; Verbum autem divinum ante incarnationem, *non* habebat jus distinctum à Patre; quamvis enim *alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*; nihilominus *Patris & filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* Ergo Verbum divinum, ante incarnationem, nec satisfacere nec actum exercere potuit rigorosæ justitiæ. Quid fecit Maria? illa Verbum divinum habitu vestiens hominis (*habitu inventus ut homo*) ipsum reddidit Patre inferius: *Minor Patre secundùm humanitatem*; dansque ei cum carne sanguinem, jus ipsi contulit proprium, quale non habebat à Patre. Maria itaque Verbo divino impertiit justitiam, quia scilicet ei tribuit pretium, ad divinæ satisfaciendum justitiæ.

S. Chrys. ser. 142. Luc. 1. v. 31. Uterus. M. Christum probavit Deum.

Phil. 2. v. 7.

XIII. Necdum satis dixi. Maria Principium dedit Redemptionis nostræ, ita ut sine Maria Christus non foret redemptor, neque nostra esset completa salus. Dicine potest ô Docti, quòd Maria *est mater Redemptoris*? utique, respondebitis; ita namque Ecclesia canit: *Alma Redemptoris mater.* Sed quomodo Maria est mater Redemptoris? nunquid Maria redempta fuit? ita: fuit *redempta ante lapsum*, id est, *ex meritis Christi prævisis* fuit præservata, *ne caderet in peccatum.* Si igitur Maria redempta fuit, utique filia fuit redemptoris, & non mater; si autem mater; quomodo filia? B. Alcuinus sequentem, in uterum virginalem, dirigens Apostrophen, ait: *Vterum tuum ô Domina, velut sacratissimum Dei templum totus mundus veneratur; siquidem ibi salus mundi initiata est, ibi decorem indutus est Dei filius.* O augusta Regina, virginale pectus tuum totus debet venerari mundus; ibi enim nostra incœpit salus, ibi suam induit venustatem filius Dei. Non miror ego, filium Dei in Virginis utero accepisse venustatem & pulchritudinem, quia in eo naturam assumpsit humanam, cui dicitur: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Ast quod suspicio, id est; quòd scilicet in utero virginali, sint nostræ jacta fundamenta salutis: *Ibi salus mundi initiata est*: quomodo? Mariane nostram inchoavit redemptionem? an non potius eam in Calvario exorsus est, morteque sua finivit Christus?

B. Alcuin. ser. 2. de nat. B. V.

Ps. 44. v. 3

XIV. B. Brigitta resolvet nodum: Loquens hæc beata, in persona Mariæ, in revelationibus suis inquit: *Cum exiret filius meus ex me, sentii, quòd dimidium cordis mei exiit à me.* Egrediente dilecto filio meo viscera mea, pars simul in me defecit cordis mei. O Domina, exiline adeo filium tuum prosecuta es amore, ut in ejus egressu ex utero tuo, partem duntaxat amitteres cordis tui. Pater Tertullianus asserit, Christum venisse in mundum, *ut æmula operatione mundum recuperaret.* Venit ad reparandas omnes peccati Adæ circumstantias. Quot intervenerunt in Adæ prævaricatione? quinque; Adam, Eva, serpens, arbor &

S. Brig.

Tert. l. de Vit. Christi

& pomum. Videamus si in Calvario intervenerint totidem, ad completam justitiæ divinæ præstandam satisfactionem? si in Paradiso arbor fuit scientiæ, in Calvario non defuit arbor crucis: *Arbor decora & fulgida.* In Paradiso fuit serpens, in cruce dæmonium fuit ligatum: *Stetit diabolus ante pedes ejus.* In paradiso terrestris erat Adam, in Calvario cælestis: *Primus Adam de terra terrenus, secundus Adam de cælo cælestis.* Si in Paradiso mater erat morientium, Eva; in Calvario mater fuit viventium, Maria: *Stabat juxta crucem mater Iesu, Maria.* Quid amplius? si in paradiso sese obtulit pomum, cujus medietatem dum absumpsit Eva, principium dedit peccati; & residuam partem dum gustavit Adamus, ruinam complevit totius humani generis: in Calvario pomi vices subiit cor divisum; cujus medietatem dum sibi retinuit Maria, principium posuit salutis mundi; cujus alteram mediam partem dum sibi servavit Christus, nostram consumavit complevitque redemptionē. Conceptus hic fuit, non cujuscunque ordinarii sancti, sed omnium reginæ, magistræque sanctorum, ipsius S. Mariæ, in revelationibus S. Brigittæ, dum ait: *Dolor Christi erat dolor meus, quia unum fuit cor meum & filii mei; & sicut Adam & Eva uno pomo vendiderunt mundum, ita ego & filius meus uno corde redemimus mundum.* O verba sublimia, meum mihi liquefacientia pectus! *Vno corde redemimus mundum?* bene itaque dicit Alcuinus, quòd *in utero Virginis, salus mundi initiata est.* Quod fuit nostræ pretium redemptionis? sanguis Christi: *Quos pretiosa sanguine redemisti.* Quis hunc Christi impertiit sanguinem? Maria mater ejus; Maria igitur vera fuit nostræ redemptionis causa; ideoque & S. Mater Ecclesia eam Redemptoris nuncupat matrem: *Alma Redemptoris mater:* licet enim Maria *ex meritis Christi prævisis,* in æterna Patris mente electa fuerit atque à peccato præservata; nihilominus in plenitudine temporum, dum eadem Maria in sinu suo filium Dei concipiens, cum carne vestivit, sanguineque donavit ut mater, eminenti ipsum condeçoravit titulo Redemptoris.

Cor M. pomum.

Habac. 3. v. 5.

I. Cor. 15. v. 47.

Ioa. 19. v. 25.

S. Brig.

Uterus M. initium salutis.

M. Christum fecit Redemptorem.

XV. Neque eum hoc duntaxat titulo sublimavit, sed & completè misericordem reddidit. Scire percupio ô Docti, an Maria dici possit *mater Deitatis?* negabitis utique; quia Deitas est terminus abstractus; sique diceretur; *Maria est Mater Deitatis;* idem esset, ac si dicerem; Maria generavit Deitatem, quod falsum est. Quomodo dicitur? *Maria est mater Dei, id est, Christi, qui est Deus & homo:* subsistite; quare Ecclesia dicit, quòd Maria *est mater misericordiæ?* Misericordia terminus est abstractus; dicendo itaque: Maria mater est misericordiæ, idem est, ac si dicerem? Maria Dei misericordiam dedit. Hiccine loquendi modus in bona Theologia subsistere potest? Dubium est Theologicum, Theologia responde at oportet. Juxta doctrinam Præceptoris Angelici, duo requiruntur ad veram misericordiam: *Ad integram rationem misericordiæ duo requiruntur, scilicet actus voluntatis & compassio.* Primò requiritur actus voluntatis, per quem aliquis vult bene pauperi & indigo; deinde exigitur compassio, per quam quis dolet de proximi necessitate. Ab æterno itaque Deus erat misericors, sed quò ad solum voluntatis actum, per quam semper volebat succurrere mundo; at misericors non erat quantum ad sensum, qui subjectum est compassionis; cum

D. Th. 2. 2.

enim

M. Christum fecit Redemptorem.

Deus per M. plenè misericors.

enim non haberet carnem, humanis non poterat compati miseriis. Quid fecit Maria? Deum carne vestivit, sicque simul compassionis ei teneritudinem indulsit, ut modò misericors sit, non solùm quò ad voluntatem, sed etiam quoad sensum. Id quod S. Paulus insinuare voluit, dum ad Hebræos scribens, ait: *Nunquid non habemus pontificem, qui non possit compati? in omnibus misericors effectus est.* (Hebr. 4. v. 14.) Ante incarnationem Deus misericors erat quoad solum actum voluntatis; postea autem ut Virginis ingressus est uterum, *in omnibus misericors effectus est.* Richardus ita B. Virginem alloquitur: *Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent, & cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior per te cæpit esse ex tempore; & cum ex te cæpit initium, ejus quoque largitas per te sumpsit augmentum: in te ergò concrevit lac divinæ misericordiæ, & ex te nobis profluxit.* (Rich. a S. Vict. p. 2. in Cant. c. 23.)

XVI. Veritatem hanc binis stabiliam stupendis prodigiis, utroq; in cœlis viso; (Plin. l. 2. c. 29.) quorum primum à Plinio adducitur, secundùm verò S. Joannes commemorat. Prodigium Plinii erat sequens. In nebulis arcus videbatur cœlestis, & supra arcum quasi throno regali insidens Phœbus. Prodigium Joannis, sedes erat, cui insidebat homo: *Ecce, sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.* (Apoc. 4. v. 2.) In duobus hisce locis duplicem observo diversitatem; (D. Th. 1. 2.) prima est, quòd in prodigio à Plinio relato, arcus apparuit cœlestis, qui, ut nostis, circulum non constituit integrum, sed semicirculum. In prodigio autem Joannis, arcus visus fuit extravagans, completum formans circulum: *Iris erat in circuitu sedis.* (v. 3.) Quid hæc significat differentia? notate. In primo prodigio, ait Plinius, solem fulsisse extra arcum supra Iridem; ast in prodigio S. Joannis, Dominus, sedi insidens, intra arcum erat; ad significandum, quod quando DEUS erat extra iridem, id est, extra uterum virginalem, qui iris appellatur in scriptura sacra (*Sicut arcus refulgens inter nebulas gloriæ*) (Eccli. 50. v. 8.) Antequam DEUS incarnaretur, medius erat arcus, scilicet pietas & misericordia, cui nomen arcus tribuit Scriptura, dum ait: *Ponam arcum meum in nubibus cœli, & erit signum fœderis mei inter me & terram.* (Gen. 9. v. 13.) Media duntaxat erat quoad actum voluntatis. Auditores quando DEUS fuit intra arcum, id est, in sacro Mariæ utero, tunc *Iris erat in circuitu sedis.* Tunc circulus completus erat; tunc DEUS misericors fuit non modò secundùm actum voluntatis, sed etiam quoad partem inferiorem, scilicet quo ad compassionem sensus; in summa, DEUS in utero Mariæ, *in omnibus misericors effectus est.*

XVII. Altera differentia, quam noto, est sequens, quòd scilicet arcus primus variis erat adornatus coloribus, (Virg. l. 4. Æneid.) prout eum descripsit Virgilius, dum canit: *Mille trahens varios, opposito sole colores.* Ast arcus secundus totaliter unius viridis erat coloris: *Similis erat visioni Smaragdinæ*; (Apoc. 4. v. 3.) ad significandum, quòd, dum DEUS esset extra arcum ante incarnationem, ut pietatem obtineret, necessum fuerit omnes iridis mutare colores, id est, album fidei, viridem spei, purpureum charitatis, rubrum patientiæ, pallidum humilitatis oportuerit habere colorem; atq; sic de cæteris porrò discurrendo virtutibus. Postquam autem Deus uterũ intravit Mariæ, sit homo peccator, quantumcunq; enormis; ad obtinendam tamẽ misericordiã, ut sufficit, homo viridi imbuatur colore spei in Mariam;

ita nos docente S. Bonaventurâ, dum ad Virginem conversus, ait: *Verè ô Domina, regina es misericordiæ, quia non est in hac vita sic despectus, sic miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinaverit regimen.*

XVIII. Regrediamur ad id, quòd caput est. Si Maria in utero virginali dedit Christo, non modò ut Redemptor esset, sed insuper pretium ei contulit, quo divinæ satisfieret justitiæ, imò ipsum complete reddidit misericordem, &, ut Deus ipse agnosceretur, effecit; convenientissimè dixit Angelus ad Mariam, quòd Christus esset profectum in excellentiis suis capturus: *Hic erit magnus.* Quia natus ex Maria eos obtinuit titulos & præcellentias, quibus non gaudebat generatus à Patre. Audite S. Bernardinum Senensem: *Unde patet, quòd Dominus noster Iesus Christus, qui sine matre fuit in cœlis, & sine patre in terris totam à Virgine humanitatem accepit & maximam dignitatem.*

S. Bern. Sen. to. 3. in ser. de S. Ioseph.

XIX. Et si verbum divinum plures consequitur titulos atque excellentias in utero virginali, quibus non eminebat in sinu paterno, quidni illum præferet huic? Hæcque fuit causa juxta S. Hilarium, ob quam verbum divinum, quod nunquam exhibuit, neque exhibere potuit reverentiam Patri; sinum Mariæ *reverenter intravit.*

XX. O beata anima, quæ huic es devota magnæ Dominæ. Audi ô Christiane, si Maria ipsi Deo quietem impertiit, quidni quietem, pacem & consolationem nobis conferet mortalibus? Si Deo pretium dedit, ad divinæ satisfaciendum justitiæ, quidni devotis suis auxilium feret, ut offenso satisfaciant Deo? Si fecit, ut Deus complete misericors esset, quidni clementiam & pietatem in nos exercebit peccatores? Mariæne devotus es? ita pater; ergò prædestinatus es, ita nos in hæc verba docente S. Alano: *Pro certo intelligas, quod signum est prædestinationis, esse devotum sanctissimæ Virgini.* Et quidem quis unquam huic Virgini devotus, periit in æternum? quare in judicio finali, rigorosæ justitiæ die, supremus judex in figura comparebit hominis, & non Dei; carne vestitus, & non divinâ circumfulgens majestate? nisi ut sese devotis Mariæ exhibeat benignum? ecce vobis S. Bernardi testimonium: *Vult itaque; etsi in potestate venire, non tamen in forma Dei, in judicio apparere; sed in ea, quâ natus est, & sumpta de Virginis utero, ut cunctis admoneatur; peccatori etiam mitescere in die iræ.* Vultisne exemplum singulare? Devotissimæ Brigittæ filius fuit nomine Carolus ætate simul & moribus juvenis; hîc itaque in flore juventutis mortuus, ingens matri reliquit desiderium sciendi, utrùm filius salvus esset. Beata igitur ad Dominum conversa, orare cæpit, ut sibi dignaretur statum revelare defuncti filii; moxque in visione thronum conspexit majestate plenum, cui summus insidebat judex, ad dextram consistente Virgine Mariâ. Prodiit in judicium dæmon, elevatâ voce ita clamans ad judicem: *Iudex, adeò tu justus es, ut sperem, me à te obtenturum, quòd justè petiero, etiamsi sit contra matrem tuam.* Duplicem mihi injuriam intulit mater tua, in morte Caroli. Prima est, quòd Carolo agonizante in lecto, domum ejus Maria intrârit, volueritque indesinenter ei assistere, confortans ipsum in extremis; imò quòd ultimo vitæ ejus die, me profugarit ex ædibus ejus, nullatenus permittens, ut ego animam illam tentarem, secundùm jus & potestatem mihi concessam. Protestor contra ô summe judex & in-

B. Alanus.

Devotio in M. signum prædestin.

S. Bern. serm. 73. in cant.

Osor. to. 4. conc. de S. pag. 17.

insto, ut anima Caroli redeat ad corpus, ut possim tentare illam; cæteroquin sine justo judicio transmittetur ad gloriam. Secunda mihi per matrem tuam illata injuria est, quòd, cùm meum sit omnes tibi in judicio præsentare animas, easque de flagitiis suis accusare, Maria subitò ut exspiravit Carolus, animam ejus suis implicarit brachiis, eamque judicio stiterit; injuriam peto ut ulciscaris ô supreme Domine, quàm passus sum, dum judicium latum fuit inauditâ parte, contra omnem justitiam. Tunc equidem Maria: quantumvis ô diabole, Pater sis mendaciorum, in præsenti nihilominus veritatem locutus es, non potens facere aliter, cum in præsentia consisteres Dei, qui est ipsa veritas. Verum est, me Caroli animam, commemoratis à te, cumulasse beneficiis, ad quod faciendum me permovit summus affectus, quem in vita sua portavit erga me, se meis semper recommendans intercessionibus, inque me totam suæ collocans spem salutis. Moxque summus conclusit judex, inquiens: an nescis ô diabole, matrem meam in regno agere imperatricem & dispensare posse in omnibus tibi concessis legibus? quare perpetuũ causæ hujus indico silentium. Quia *sic honorandus erat, qui meam matrem tanto dilexit affectu.* O gloriosa mater & cœli regina, ecce me, qui indignum me tibi consecro servum; fave mihi in omnibus actionibus meis, mihique à filio tuo gratiam impetra, ut taliter me in omnibus meis geram cogitationibus, verbis & operibus, ut nunquam tuos offendam oculos aut unigeniti filii tui. Vos ô fideles ex totis præcordiis, huic magnæ vos Dominæ recommendate, caventes ab omni semper peccato, præsertim autem in Sabbatho, in honorem Mariæ. Si porrò excellentias Religionis Carmelitanæ audire delectat, prius indulgete, ut respirem.

Osor. to. 4. conc. de SS. pag. 17.

SECUNDA PARS.

XXI. CRas alterâ vice montem conscendemus Thaborium, immensam Paradisi gloriam contemplaturi, cujus unicum radium suis in monte discipulis exhibuit Redemptor. Quia autem curiosè interrogare possetis, quare Deus nunquam horrores demonstravit inferni; ex hac ego curiosa sollicitatione occasionem summam, sequens vobis proponendi problema: utra sit major; an gloria, quâ beati fruuntur in cœlis; an verò pœna, quàm patiuntur in inferno damnati?

XXII. Sicuti hodiè in altissima uteri virginalis monte fuit conceptus magnus Dei filius; ita in monte Carmelo, ex mentali ejusdem augustissimæ Dominæ utero, originem traxit illustrissima Carmelitarum Religio. Quia igitur uteri virginalis præconia lætanter audiistis celebrari; complaceat modò vobis, ut in præsenti breviter excellentissimæ hujus Religionis laudes perstringam, quæ specialis esse meruit augustæ Dominæ filia.

XXIII. Sed quid dixi? igiturne Carmelitana Religio, Mariæ est filia? Ita. Describens S. Lucas Mariæ puerperium, ait: *Peperit filium suum primogenitum.* *Luc. 2. v. 7.* Quomodo *primogenitum*? Nunquid terminus iste *primogenitum*, relationem dicit ad alios genitos? ita. Quot ergò filios habuit Maria præter Christum? In generatione æterna magnus pater luminum, non nisi unigenitum habet Verbum: *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Quomodo itaque in generatione temporali dicitur Maria plures habuisse filios? Difficultatem

hanc mihi adauget alius non dissimilis, apud S. Matthæum repertus, loquendi modus; ubi Evangelista sponsalitium Mariæ cum S. Josepho contractum, describens, ait: *Cum esset desponsata Maria Mater. Desponsata mater?* Contradictio videtur esse in terminis; Maria itaque ante desponsationem, mater fuit? quomodo hæc doctrina subsistet, ô sacræ Scripturæ Canditati? Si Virginis maternitas sponsalitio successit, originata in actu legationis angelicæ ad Virginem, quomodo dicitur: *Cùm esset desponsata mater?* Si Virginis fœcunditas, fuit una quædam divinæ fœcunditatis participatio; ita ut, sicuti in æterna generatione nunquam fuit sine Verbo pater; ita nec in temporali unquam exstiterit sine filio mater; quomodo Maria dicitur mater ante filium? Nomen matris est relativum, quod juxta Philosophos, cum essentiali reciprocatione, respicit filium; quomodo igitur, priusquam unigenitus formaretur Mariæ filius, Maria dicitur mater? sciendum, duas esse in Maria maternitates, alteram carnis, spiritus alteram; alteram ventris, alteram mentis; operâ spiritus sancti unam, operâ charitatis aliam; illam realem, hanc moralem; ita nos S.P. Augustino docente, dum ait: *Maria fidei semine gravida, prius mente, quàm ventre concepit.* In ventre Christum generavit filium primogenitum, cujus non semper realis exstitit mater, nisi postquam cum libertate consensus sui, actum terminavit Spiritus sancti. In mente autem gravida per semen magnæ fidei, nullo non tempore mater fuit, quia à conceptionis suæ instanti, in visceribus charitatis, per generationem fidei, numerosissimam Ecclesiæ parturiit filiorum coronam. *Et plena spiritu*, inquit S. Augustinus; *mater fuit membrorum ejus, quod nos sumus.* Id quod S. Ambrosius hisce confirmat verbis: *Quando Maria non mater electorum, quæ fratrem genuit eorum?* Quantumvis autem hujusmodi Virginis filii sint universaliter fideles omnes, qui in sancti baptismatis fonte, prædestinati renascuntur ad cœlum; nihilominus per dictos filios specialiter intelligendi sunt Religiosi de monte Carmelo; hi enim soli per magnæ matris filios exprimuntur eodẽ prorsus termino, quo Ecclesia sancta nativitatẽ exprimit Christi. Quid dicit Canon in sacra nocte natalis Domini? *Hanc sacratissimam noctem celebrantes, in qua beatissima Virgo edidit Salvatorem.* Per verbum *edidit*, quod eminentissimi illius partus denotat puritatem, Ecclesia sancta filiationẽ exprimit, quam Christus trahit à Maria. Quomodo autẽ Gregorius XIII. de Religione loquitur Carmelitarum, dum eam Mariæ filiam esse declarat. *Sacrum ordinem*, dicit sanctus pater, *sub invocatione B. Mariæ de monte Carmelo, quem eadem Virgo venustissima & omnium virtutum floribus insignita edidit, proprij nominis titulo insignivit.* Et clarius Sixtus IV. *Sicut venustissima Virgo, cooperante Spiritu sancto, genuit Christum salvatorem nostrum; ita peperit ordinem sanctæ Mariæ de monte Carmelo.*

Matth. 1. v. 18.

Duplex M. maternitas.

S. August. l. de S. Virginit.

S. Ambr. ser. de Purif.

In Can.

Conferat. Carmel. prærogativa.

Greg. XIII.

Sixt. IV.

XXIV. Sed quomodo Carmelitarum Religio potest Mariæ dici filia, quandoquidem in monte Carmelo, tanto ante incarnationem tempore, à magno Propheta Elia, instituta fuit? Dicite mihi ô Docti: nunquid Dei filius bis generatus fuit; semel ab æterno à patre sine matre, & semel in tempore, à matre sine patre? utiq; hoc ipsum de fide est. Ita pariter & illustrissima Carmelitarũ Religio, hujus & illius æmula generationis, sortita est institutionem; primã à magno patre Elia in sæculis antiquis, usq; ad legẽ gratiæ; secundam ab augustissima

Ordo Carm. bis institutus. 1. a S. Elia. Prop.

Z. a V. M.

ſima Regina Maria, poſt incarnationem, tunc ſcilic. quando de cœlis deſcendit cum habitu illo Carmelitano, magnumq; accerſens patrem, S. Simonem Anglum, ei dixit: *Accipe fili chariſsime, hoc ſcapulare in ſignum amoris mei præcipui erga Ordinem tuum.*

XXV. Unde Carmelitana Religio hoc ſingulare meruit privilegium, ut ſpecialis evaderet Mariæ filia? perſuadebitiſne vobis, Ordinem hunc, gratis omnino, tantâ prærogativâ condecoratum fuiſſe à V. Maria? Attendite; primam omniũ in univerſo mundo, ad hujus auguſtiſſimæ Reginæ honorem, conſtructam Eccleſiã, ædificarunt Patres Carmelitæ in monte Carmelo; ubi 900. annis ante Mariæ navitatem, magnus Propheta & Patriarcha Elias Dominam hanc adoravit, ſub forma myſticæ nubeculæ, inibi à ſe conſpectæ; conformiter authenticæ ſacræ Congregationis declarationi ſequenti, ſub pontificatu Pauli V. *Beatiſsimam Virginem adeo Carmelitæ venerari cœperunt, ut primi omnium, in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim aſcendentem nubeculã, Virginis typo inſignem, conſpexerat, ei puriſsimæ Virgini ſacellum conſtruxerint.* Exile forſitan hoc reputabitis magnæ matri à Carmelitis præſtitum obſequium?

Primi omnium Carmelitæ exſtruunt Eccleſiam B.M.V.

Lect. 4. in feſto B.V. M. de mont. Carmel.

XXVI. Progrediamur ulterius. Hæreſiarcha Neſtorius negabat, Mariæ titulũ competere matris Dei. Congregatum itaque fuit Concilium Epheſinum, præſidente in eo S. Cyrillo Alexandrino, inſigni Carmelitanæ Religionis ſplendore, qui declaravit, quòd Maria *Theotocos, id eſt, mater Dei* appellanda eſſet. An non hoc magnum fuit Carmelitarum erga Mariam ſervitium?

S. Cyr. Alex. Mariam defendit contra Neſtor.

XXVII. Sublimiora tangam: primi omnium puram & immaculatam Mariæ Conceptionem confeſſi ſunt Carmelitæ, teſte S. Joanne Patriarchâ Jeroſololymitano in lib. de inſtitutione primorum Monachorum; id quod noviter etiam multa cum eruditione probant P. Oyeda ſocietatis Jeſu in lib. Informationis Eccleſiaſticæ, & P. Lezana in Apologia Conceptionis. Iterum quis ſublimius, quis majori cum affectu, excellentias laudeſq; magnæ Dominæ celebravit atq; promulgavit, quam S. Joannes Damaſcenus, Carmelitarum gloria? Has igitur ſimileſq; ob cauſas illuſtriſſima Carmelitarum Religio, primò per Patriarcham Eliam inſtituta, poſtea in filiam à magna Dei matre adoptata fuit ſpecialiter.

Carmel. primi defenſores imm. concept. B.V. *Oyed. Lez.*

XXVIII. Dicetiſne vos modò, exilem hanc eſſe Carmelitarum gloriã, quòd in magnæ Dei matris filios ſint electi, & ut tales ab eadem dilecti? vel hic unicus titulus ſufficiens eſt, ut in virtute ejus, non modò omnibus aliis Mendicantibus declarentur glorioſiores, ſed etiam quâcunque demum Eccleſiæ ſanctæ Confraternitate majores. Veritatem aſſerti ſtabiliat Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, ubi aut ut eos in præſenti fidei firmitate ſolidaret, aut in Trinitatis eminentia erudiret, excellentiam Chriſti, quâ ipſe ſuper omnem pollet naturam Angelicam, ſequentibus edocet verbis: *Tantò melior Angelis effectus eſt, quantò præ illis differentius nomen hæreditavit.* Aſt qualenam hoc fuit nomen adeò ineffabile, ut perſonam Verbi, ſuper omnem beatorum Spirituum ſubſtantiam, glorioſè convincat? Audite eundem Apoſtolum: *Cui enim aliquando dixit; filius meus es tu, ego hodie genui te?* Nomen, quod Verbum Patris nuncupat filium, illud eſt, quod ſicuti ipſum impartibilis eſſentiæ partum declarat, itaque ſuper omnes quantumcunque perfectiſſimas creaturas conceptum manifeſtat. Idem itaque argumentum glorias atque ex-

Hebr. 1. v. 4.

Carm. ordo omnium excellentiſſimus.

excellentias exprimere poterit Religionis & Confraternitatis Carmelitarum, super omnes alias Mendicantium Religiones. Quam enim Religionem aut Confraternitatem, præterquam Carmelitarum, Virgo filiæ titulo insignivit? *Cui enim aliquando dixit: filia mea es tu, ego hodie genui te?*

Sancti Carmel. fratres Christi.

XXIX. Ast si Carmelitarum Religio, specialis Mariæ filia audire meretur, quo titulo sanctos & illustres istius Ordinis condecorabimus? nisi fratrum Christi? Atque in effectu quidem nonne S. Cyrillus Alexandrinus Christi fuit frater, qui dum Concilii Ephesini ageret Præsidentem, contra Nestorium definivit, Mariam veram esse Dei matrem? quidni fratrem Christi appellabimus, gloriosum S. Angelum, qui ex Mariæ V. tribu descendit, cujus nativitas non ab Angelo, sed ab ipsamet B. Virgine annunciata fuit; quique per continuos quinque annos pœnitententiæ vacavit in eodem monte, ubi jejunavit Christus; qui postea reliquias S. Joannis Baptistæ Romam asportavit & sacra stigmata sancto Francisco prædixit? An non Christi frater fuit S. Albertus, cujus non modò nativitas intercessioni debetur Mariæ; sed qui insuper toto vitæ suæ cursu se verum exhibuit Mariæ servum & filium? Quidni Christi filius est S. Andræas Corsinus, quem ipsamet Virgo SS. laudans atque extollens, ait: *Servus meus es tu, in te gloriabor?* Ast citius mihi lux deficiet, quàm ut recensere valeam sanctas & illustres hujus sacratæ Religionis personas. Sufficiat dicere, non tantam in fluminibus esse aquam, quantum Carmelitæ pro fidei defensione profuderunt sanguinem; non tot reperiri arborum folia, quot Carmelitæ Magistri conscripsêre volumina in doctrinam & instructionem populorum; pauciores esse stellas, quàm sint beati in Cælis è Religione Carmelitana; qui si omnes tanquā speciales Mariæ filii, Christi tuêre fratres, jure meritissimo cum summo Pontifice Sixto IV. concludere possum & dicere: quòd *inter cæteros Regularium Ordinum professores, in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum & exemplar, speciali charactere, Carmelitarum ordo refulget.*

Ordo Carmel. rutilat præ omnibus. *Sixt. IV.*

XXX. Porrò si Religio hæc fuit specialis Mariæ filia, quibus itaque privilegiis dotata, condecorataque fuit? pro discursus mei coronide, dicam infinitas Ordini huic concessas esse indulgentias; ast unam specialem, quæ valet pro omnibus, scilicet Sabbathinam. Qualis hæc est indulgentia? audite. Descendit de cœlo Angelorum imperatrix, loquensque cum S. Simone Stock, Carmelitani Ordinis Generali, postquam ei habitum consignasset in signum, quòd sacram illam Religionem in filiam adoptasset, ita denique subjunxit: *Hoc scapulare, dilectissime fili, est meæ confraternitatis signum, signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis & pacti sempiterni, eritque tibi & omnibus Carmelitis privilegium singulare, in quo moriens æternum non patietur incendium; & primâ die Sabbathi post obitum suum, meis intercessionibus, à pœnis liberabitur Purgatorij.* O privilegium inauditum! qui cum habitu moritur Carmelitano, sacro scilicet scapulari, nunquam patietur infernum; inque immediato post mortem suam Sabbatho, per magnæ matris intercessionem, è Purgatorio ereptus, ad cœlum transvolabit. Quod nobis donet, &c.

Exod. 4, v. 10.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
PRO SECUNDA DOMINICA Quadragesimæ.

DISCURSUS
De gloria Paradisi & mediis consequendi eam; ubi etiam mentio fiet Bullæ sanctissimæ Cruciatæ.

Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum; & transfiguratus est ante eos. Matt. 17. v. 1. & 2.

PROBLEMA
Utra sit dicenda maior; gloria Paradisi, quâ potiuntur Beati; an verò pœna inferni, quâ plectuntur præsciti?

INTRODUCTIO.

I.

CItra omne dubium, Auditores humanissimi, legislator Moyses, tàm naturæ, quàm artis beneficio, maximam in sermocinando habuit praxin, singularem artis Rhetoricæ imbibit perfectionem; nihilominus teste Scripturâ sacrâ, dum vice quâdam eum Deus ad Pharaonem ablegare meditaretur, confestim inculta ei obriguit vox, periit loquela, linguam pertinax adeò inretiit balbuties, ut vel unicam impotens proferre syllabam
Exod. 4. v. 10. distinctè, dixerit: *Non vir verborum ego sum, sed gracilis linguæ.* Sed quomodò? maximus ille heroum Moyses, qui heri tanta cum facilitate perquam expeditissimè discurrebat, hodie blæsæ adeò linguæ vitio laborat, ut incapax sit loquelæ? Respondet S. Bruno: *Cum Moyses Angelum sibi loquentem audisset, impeditioris & tardioris linguæ se esse affirmavit; & ad illius facundiæ & suavitatis comparationem, mutus ipse sibi & sine lingua penitus videbatur.* S. Brun. ser. 3. de ornat. Eccles. Non admiremini, inquit sanctus, quia quando Deus volebat Moysen Legatum destinare ad Pharaonem, hanc ei provinciam, jussu Dei, Angelus imposuit. Contemplans itaque Moyses hoc objectum supremum, cœlestem audiens Angeli eloquentiam, quæ modò provocando ad risum, modò alliciendo ad planctum, intima cordium penetrabat, totus hæsit attonitus intraq; seipsum dicebat. Egone os meum aperire auderem? egone in præsentia Angeli, divinâ propemodum præditi facundiâ, officium acceptarem Legati? nequaquam:

Non

Non vir verborum ego sum; impotentissimus sum ad hunc effectum: *sum gracilis linguæ.* O Deum immortalem! si vel sola Angeli visio adeo vires imminuit Moysi, quidni ego hodie, cujus discursus objectum Christi est transfiguratio, quidni, inquam, ego dixerim cum eodem Propheta: *Gracilis linguæ ego sum, non sum vir verborum?* quid vultis à me hodie audire de ista, quam Christus hoc die in monte Thabor perhibet gloriam? cui omnis cedit excellentia, cujus excellentias columnæ fovent *Non plus ultra* denominatæ, cujus prærogativa individuam habet comitem Omnipotentiam; cujus laudes doctissima etiam universi ingenia defatigarunt? Moyses, Oratorum famosissimus, propter solius Angeli præsentiã, ne vel unicum potuit formare discursum, sed penitus obmutuit; & ego forsitan præsumã loqui hodie, cui hodie non Angelus, non creatura, sed ipsemet se sistit Deus, rex creaturarum omnium supremus? Equidem quid lingua mea de gloria ista exprimere poterit aut eloqui, ubi materia est immutabilis, forma incorruptibilis, motus æternus, figuræ variæ, diversa signa, differentia lumina, concinnæ mansiones? ubi nullus reperitur malignus, qui fraudes texat, qui insidias struat, qui traditiones moliatur; non adversarius, movens lites, acuens bella, excitans seditiones; ubi nullus labor, incommoda nulla; ubi omnes exulant sollicitudines, angustiæ, turbulentiæ, persecutiones. Ubi, ut paucis eloquar, incolæ luminosos evibrantes radios, venustissimos modò diffundunt quaquà versùm splendores; modò in deliciosos concentus sua resolventes guttura, modò eadem morosè retorquentes, cœlestem efformant harmoniam; dumque dulcissimo sono aures, corda, affectusq; illiciunt, indefatigabili melodiâ excelsas celebrant supremi Regis glorias & majestatem? Quid vultis, ut ego in præsenti loquar de transfigurato hodie Christo, non quomodocunque, sed declarato unigenito æterni Patris filio: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: omnimodè glorioso & resplendente: *Resplenduit facies ejus sicut sol*: raris ornatissimo venustatibus: *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Tantam præferente pompam & majestatem, ut ipsummet montem Thaborium tantus fulgor in Paradisum transmutasse videatur? quia igitur *non sum eloquens, nec vir verborum*, gloriæ eminentiam contingere non præsumam; ne tamen meo desim prædicationis officio, unum duntaxat propono dubium, quare scilicet Christus, qui tanta hodie cum pompa gloriam exhibuit Paradisi, nunquam inferni demonstraverit pœnam, Respondet Oleaster: *Ne nos cogeret ad virtutem, & inviti faceremus, quæ nos voluit sponte peragere.* Si Christus quandoque monstrasset infernum, constrinxisset Christianum, ad benefaciendum & ad implenda virtutum opera. Si itaque tanta est inferni pœna, ut vel sola ejus visio Christianum cogeret ad observantiam legis, liceat mihi hodie sequens vobis exhibere problema. Utra sit dicenda major; an gloria Beatorum in paradiso, an verò pœna damnatorum in inferno? postea resolvemus etiam, quòd inter alia ad gloriam consequendam media, sit quoque Bulla sanctissimæ Cruciatæ. Ast observastisne? Postquam Christus suam manifestavit gloriam, circumstantibus indixit silentium: *Nemini dixeritis visionem hanc.* Meum itaque hodie de gloria discursum & vos contemplemini in silentio.

Matth. 17. v. 5.
v. 2.
Cur Christus non monstrarit infernum.
Ole. sup. Exod. in annot. moral.
Problema.
Matth. 17. v. 9.

II. Dixi

II. Dixi vobis paulò antè, me hodie non prædicaturum de eſſentia & majeſtate gloriæ Paradiſiacæ; quia teſte Apoſtolico oraculo: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparavit DEus diligentibus ſe.* Conabor duntaxat monſtrare vobis, quid non ſit abyſſus gloriæ; & quantumvis in principio me viſuri ſitis repentem ſuper terram, nihilominus attenti perſiſtite, quia gradatim ad tantam ſubvehar altitudinem, ut ſublimatum veſtris nequaquam aſſecuturi ſitis obtutibus. Triplici gloriæ ſpecie gaudere poteſt creatura; prima eſt temporalis, illa ſcilicet, quâ fruimur in vita præſenti; ſecunda eſt montis Thabor, quam hodie demonſtravit Chriſtus; tertia eſt gloria cœleſtis, nobis in præmium reſervata in vita futura.

Gloria temp. nihil eſt.

III. Gloria temporalis merum nihil eſt, humanum nunquam exſatians appetitum, in quocunque etiam gradu ſit & ſubjecto. Etenim detis mihi ſæcularem quempiam, regiâ, monarchicâ & imperatoriâ fulgentem poteſtate; imò ſi vultis, totius mundi dominum; nunquid talis contentus erit? Reſpondeat David, ad regiam ſublimatus dignitatem, non modò

Pſ. 59. v. 10. Judææ, ſed & Idumææ: *In Idumæam extendam calceamentum meum*: totus hic die quodam afflictus, ſuſpirans dicebat:

Pſ. 41. v. 2. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* O quàm malè contentum eſt cor meum. Sancte Rex, dominus es mundi, & malè contentus? ita, dicit David: *Inquietum eſt cor meum, donec revertatur ad Dominum.*

IV. Relicto ſæculari, transeamus ad Eccleſiaſticum; Epiſcopum v. g. Archiepiſcopum aut Cardinalem, imò ad ſummum Pontificem, omnium ſupremum; nunquid hic contentus erit? audite S. Petrum, qui pontificium conſcenderat thronum, Vicarius Chriſti jamtum declaratus in terra: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* *Matth. 16. v. 18.* Et nihilominus quaſi nihil habuiſſet, totus ad Chriſtum anxius dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergò erit nobis?* *Matth. 19. v. 27.* *Quid petis ô Petre?* ſubſumit S. Auguſtinus, *eſt tibi ſuprema omnium dignitas, & majora deſideras?* moxque reſpondet ipſe S. Pater, dicens: *Amplius deſiderat Petrus, æterna ſcilicet bona;* *S. Aug.* *his namque ſatiabitur, reliquis verò nunquam.*

V. Sed quæ poterit eſſe ratio, cur omnia etiam hujus vitæ bona non valeant cor ſatiare humanum? Philoſophi, nunquid juxta Ariſtotelem, *locus debet eſſe æqualis locato?* *Ar. l. 4. Phyſ.* Contentum ſemper debet eſſe proportionatũ continenti; igitur nunc dicite mihi, cujus eſt figuræ cor noſtrum? utique triangularis. Mundus autem qualem figuram habet? ſphæricam indubitanter; inferte igitur totum mundum cordi humano, certò certius tres anguli ſemper remanebunt vacui, quandoquidem contentum minimè proportionatum eſt continenti. Quantumvis igitur homo in vita hac totius mundi Dominus, ſemper nihilominus ſitibundus erit ac inquietus.

Solus Deus ſatiat.

VI. Quid cor poterit ſatiare igitur humanum? una duntaxat ſubſtantia triangularis, quæ eſt, divina eſſentia in tribus perſonis, ſolus Deus trinus & unus; id quod regius agnovit Pſaltes, dum ait: *Tunc ſatiatur, cum apparuerit gloria tua.* Et magnus Pater Auguſtinus: *Inquietum eſt cor noſtrũ, donec revertatur ad te.* *Pſ. 16. v. 15.* *D. Aug. 1. Confeſſ. c. 1.* Ecce vobis, quia tota gloria temporalis non ſatiat appetitũ.

VII. Sed quid de gloria montis Thabor, quia quam hodie monſtravit Chriſtus, hæc S. Petri ad minus ſaturat appetitum; qui ſingulari illâ conſpectâ venuſta-

Matth. 17. v. 4. te, dicebat: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Domine non quæro aliud, hæc mihi gaudia sufficiunt, omninò contentus sum. Gloria itaque montis Thabor est omni major gloriâ temporali, ast longè minor gloriâ cœlesti; quia gloriam montis Thabor abundantia fuit concomitata malorum cum defectu bonorum: abundantia quidem fuit ibi malorum, quia qui spectaculo illi aderant præsentes, præcipuè verò Petrus, Jacobus & Joannes, nube cooperti fuere: *Nubes lucida obumbravit eos.* Grandis ipsos invasit metus: *Timuerunt valde.* Viribus destituti, *ceciderunt in faciem suam*: De passione sermocinabantur & morte: *Loquebantur de excessu*: & tandem Petrus ignorantiæ notam incurrit: *Nesciebat, quid diceret.* In Thabor itaque abundantia malorum fuit.

Gloria in Thabor major temp.

Minor cœlesti.

v. 5.

v. 6.

VIII. Fuit inibi pariter defectus bonorum: ibi enim bonitas defecit loci, quia Transfiguratio contigit non in cœlo, sed in monte terreno; defecit bonitas temporis, Transfiguratio namq; illa non multo tempore, sed duabus duntaxat aut tribus perstitit horis. Defecit bonitas societatis, quia Transfiguratio dicta non omnibus communicata fuit, neq; multis, sed tribus duntaxat Apostolis & duobus Prophetis. Defecit tandem beatitudo animæ, quamvis enim Apostoli & Prophetæ fidei lumine fuerint illustrati, non tamen fuêre illuminati splendore gloriæ; viderunt equidem gloriosi Christi corporis venustatem, at majestatem non attigerunt divinitatis. In gloria itaq; montis Thabor fuit abundantia malorum & defectus bonorum.

IX. In gloria autem cœlesti è converso omnium invenitur bonorum abundantia, sine ulli⁹ admixtione mali; ita nos S. Augustino docente in hæc verba: *Ibi est, quidquid voles; non est, quidquid noles*, q. d. in cœlo reperietis, quidquid desiderare potestis; illud duntaxat ibidem deficiet, quo carere volueritis.

S. Aug. in soliq. c. 35.

X. Gloria cœlestis omne excludit malum; omne namq; malum aut est pœnæ, aut est culpæ; si primum, aut est malum naturæ aut fortunæ: malum naturæ est tristitia, tribulatio, dolor, infirmitas, mors; nullum horum reperibile est in cœlo, juxta illud sapientiæ: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & jam non erit amplius neq; luct⁹, neq; clamor, nec ull⁹ dolor*; deq; morte specialiter S. Joannes asseverat: *Mors ultra non erat eis.* Mala fortunæ sunt paupertas, infamia, probrum, adversitates, contemptus; neq; etiam hujusmodi mala ibi locum habent; quin potius *non esurient, neque sitient, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Unde filiis Zebedæi, dextram & sinistram in Dei regno postulantibus (*Dic ut sedeamus, unus ad dextrã, & alius ad sinistram*) respondit Christus: *Nescitis, quid petatis. Quoniam*, ut inquit S. Antonius Paduanus, *ibi non est sinistra, quia nec adversitas neque gaudium diminutum.*

Cœlestis maxima.

Apoc. 21. v. 4.

Apoc. 7. v. 16.

Matth. 20. v. 21.

S. Ant. Pad.

XI. Malum culpæ est odium, ira, superbia & quodcunq; aliud peccatum; in cœlo autem nullum potest esse peccatum? Quia qui DEUM videt, beatus est; qui beatus est, strictè DEO unitur, qui autem peccat, elongat se à DEO; repugnat autem esse simul proximum DEO, & remotum ab eo; peccatum itaque exulat è cœlo, & felicissima illa patria ab omnibus est libera malis, quia ibi nec mala sunt pœnæ, nec culpæ, neque naturæ, neque fortunæ.

XII. Beatum illud regnum non modò ab omnibus est liberum malis, sed infinita insuper gaudet bonorum copiâ. Atque inprimis quidem inibi reperitur loci venustas. O locum mirabilem & spatiosum

sum nimis! notate: vel unica sola cœli stella est 90. vicibus major totâ terrâ, quot autem stellas continet cœlum? *Quis potest stellas cœli dinumerare?* & quot adhuc capere posset? solidum ex his argumentũ formemus hujusmodi; una sola firmameni stella major est totâ mundanâ machina; ergò Firmamentum, tot ac tantas habens stellas, longè majus erit quàm tota terra; sed firmamentum est sub cœlo crystallino, imò illud continetur ab hoc, ergò cœlum crystallinum majus est firmamento; supra utrumque hoc scilicet firmamentum & cœlum Crystallinum, est primum Mobile, hoc itaque duobus illis grandius erit; super omnia hæc cœlum est Empyreum, quod sedes est Beatorum & DEi thronus; quantæ itaque excellentiæ erit hoc ultimum? unde totus extra se raptus, stuporeque plenus propheta Baruch, tantam impotens declarare magnificentiam, exclamabat: *O Israël, quàm magna est Domus DEi, & ingens locus possessionis ejus? magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* Notate Prophetam sexies magnum denominare Paradisum: *O Israël, quàm magna est domus DEi*: ecce semel. *Et ingens locus possessionis ejus. 2. Magnus est. 3. Et non habet finem. 4. Excelsus. 5. Et immensus. 6.* Juxta Philosophum, sex sunt loci differentiæ, seu ex senis capitibus potest aliquis locus dici magnus; propter altitudinem, profunditatem, partem anteriorem, posterionem, dextram & sinistram. Dum igitur Propheta asserit, Paradisum esse sexies magnum, idem est ac si diceret, ipsum omni ex parte immensum esse. O locum mirabilem, spatium sine termino! profundum sine fundo, amplitudinem sine limitibus! Unde & Christus, rogatus: *Rabbi, ubi habitas?* respondit:

Bar. 3. v. 24. Parad. immensitas.

Ioan. 1. v. 38.

Venite & videte: quasi diceret, inquit V. Beda: *Vultis videre habitaculum meum? sermone explicari non potest, opere demonstratur.* Ne me requisieritis circa domum meam, quia talis ac tanta est, ut, dum prendi potest merito, comprehendi nequeat mente; dari potest, dici nequit; gaudiorum vestrorum potest esse materia, ast proportionatum esse nequit discursuum vestrorum objectum: *Sermone explicari non potest, opere demonstratur.*

V. Beda.

Muri Paradis.

XIII. Equidem edicite sodes, quod illud potest esse palatium, cujus muri auro purissimo fabricati consurgunt; cujus pavimentum meris margaritis & gemmis instratum nitet, ubi columnæ ex lympido crystallo & lucido consurgunt Adamante; quòd tapetes & aulæa vestiunt clarissimæ lucis; ubi interminabiles resonant laudum concentus cum millenis gratiarum actionibus; ubi semper conspiciuntur affixa indelebilis memoriæ anathemata, felicissimorum illorum civium facinora; ubi universa patet DEI suppellex, ubi plena est bonorum omnium fruitio sine ullo defectu aut imperfectione, juxta illud S. Augustini assertum: *Quid tibi deesse potest, ubi DEVS, cui nihil deest?*

S. Aug. l. de spir. & ani.

XIV. O chari & amati muri, ubi per omnem æternitatem quicunque exulat disgustus, ubi sincera & illibata bonorum omnium viget abundantia; ubi deliciarum fluunt torrentes, sed sine fastidio; ubi flumina manant mellis & lactis, sed sine nausea; ubi cœleste semper depluit manna, sed sine tædio; ubi sumptuosa & regalia instruuntur convivia, at sine sanitatis dispendio; ubi honores conferũtur magnifici & superbi, ast sine invidiæ veneno; ubi amici conglomerantur

 since-

sinceri & chari, at sine infidelitatis periculo; ubi divitiæ abundant plurimæ & pretiosæ, sed sine avaritiæ dispendio; ubi amores ardent accensi & vehementes, at sine malo Zelotypiæ. Audite eundem D. Augustinum: *O regnum beatitudinis sempiternum! ubi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit.* (S. Aug. Solil. c. 15.)

XV. In cœlo pariter bonitas requiritur temporis; non quasi in Paradiso formaliter sit tempus, cum illa imperfectione præteriti & futuri, quia *ibi tempus non erit ultra.* (Apoc. 10. v. 6.) Sed tempus ibi est eminenter, id est, in cœlo est quædam duratio, quæ est ipsa æternitas, complectens & continens omnes temporis perfectiones. Ibi hyems est, sed sine frigore, & sine calore æstas; ibi dies sine nocte & lux sine tenebris. Ecce vobis spiritualem probationem, è Scriptura sacra desumptam. Totum tempus nostrum in septem dividitur dies, & singuli sex primi dies ex luce componuntur & tenebris: *Factum est vespere & mane dies unus; factum est vespere & mane dies secundus.* (Gen. 1. v. 5. v. 8.) Et sic deinceps continuatur usq; ad sextum diem inclusivè; in septimo non dicitur: *Factum est vespere & mane, dies septimus.* Quare solus septimus dies noctis est expers? dies septimus dies, fuit quietis: *Requievit Deus ab universo opere, quod patrarat.* (Gen. 2. v. 2.) Dies quietis gloriam illam beatam significat, in qua quiescitur sine fine. In septimo itaque die non intervenit nox propter duas rationes; prima est, quia in gloria Paradisi semper est sine nocte dies. *Dies ille*, inquit Pater literarum, *nescit vesperari.* (S. Aug l. 4. de Gen. 18.) Secunda ratio est, quia mundi hujus tribulationes finem habent & principium: *Vespere & mane*; at in gloria cælesti neque nox, neq; finis est: *Sicut enim sabbathum*, inquit S. Anselmus, *in quo DEus requievit, non legitur habuisse vesperam, sic requies justorum non habebit finem.* (S. Ansel.)

XVI. Adest in cœlo bonitas pariter Societatis; felicitas ista non tribus duntaxat obtingit Apostolis & duobus Prophetis, veluti in monte Thabor; nequaquam, sed infinitis communicatur Beatis: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia aßistebant ei*; (Dan. 7. v. 10.) cui consonat & illud S. Joannis: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* (Apoc. 7. v. 9.)

XVII. Et unusquisque Beatorum 4. possidet dotes beatificas; sunt namque instar aquilarum agiles beati omnes: *Volabunt sicut aquilæ, & non deficient*; (Isa. 40. v. 31.) (4. totes Beatorũ.) cœlis ipsis sunt incorruptibiliores: *Cœli peribunt, justi autem vivent in æternum.* Solis instar resplendent: *Fulgebunt justi sicut Sol.* (Matth. 13. v. 43.) Sunt subtilissimi sicuti ipsi Spiritus: *Surget corpus spiritale*: (1. Cor. 15. v. 44.) Ast quis crederet, omnia hucusque commemorata bona, beatitudini extrinsceca esse, neque in iis veram Beatorum consistere gloriam?

XVIII. Ad bona itaque essentialia convertamur, animæ bona contemplemur. Dicit gloriosa Brigitta in revelationibus suis, quòd, si Deus hodie nobis venustatem demonstraret unius animæ beatæ, tantus foret cordium nostrorum jubilus atque exultatio, ut citra speciale Dei miraculum, præ lętitię exuberantia supervivere non possemus. Quid igitur, quantumque erit tot ac tantas in cœlis contemplari animas beatas? quid, tot angelicos videre choros? (Decor Angel.) docet S. Chrysostomus, vel unicum solum Angelum, quò ad naturam, majori pollere venustate, quàm omnes creaturæ visibiles: *Universa creatura visibili & Angelus multò pulchrior & præstantior.*

Cur Ang. non exprimantur in Genesi. *tior.* Et quidem cur factum esse putatis, quòd Moyses omnium creaturarum in Genesi faciens mentionem, Angelorum duntaxat prætererit memoriam? Sciatis, inquit Moyses, mihi negotium fuisse cum populo, summè ad idololatriam inclinato; si ego commemorassem Angelos, quorum decor ipsam suo modo æmulatur majestatem divinam, fides discrimen præsentissimum incurrisset: *Est Angelus*, inquit Chrysostomus, *universâ creaturâ visibili multò pulchrior & præstantior.* Quam pariter ob causam, nato Christo, Pastoribus in viæ ducem obtigit Angelus, Magis autem, regiâ coronâ inclytis, sola stella; quia scilicet hi idololatræ erant, sique vidissent aliquem tantæ venustatis spiritum, indubiè ei venerationem exhibuissent divinam. Quantum igitur erit, præter tot beatos Angelos, tot insuper intueri Archangelos & Spiritus cœlestes?

XIX. Quis erit jubilus præter omnes illos, augustissimam contemplari Dei matrem, cujus decor non modò venustatem exsuperat angelicam, sed & pari passu cum ipsiusmet gloriæ cœlestis pulchritudine & splendore gradi videtur. Quid equidem causæ subesse putatis, quòd Christus hodie suam secum non conduxerit matrem in montem Thabor? respondeat S. Chrysostomus: *Non secum Dominus matrem detulit in montem, ne molesta fieret de gloria comparatio.* Tali ac tantâ Magna Mater eminebat pulchritudine, ut, si in monte simul cum Christo fuisset, discerni non potuisset, utra fuisset venustas major, an Christi transfigurati, an verò Mariæ. Porrò Beati in cœlis non modò visione gaudent animarum sanctarum, & Angelicorum cœtuum, sed & decorem contemplantur nimium Reginæ Angelorum. O quæ exaltatio!

S. Chrys. ser. 48. de B. V. M.

XX. Quantò autem majus erit, sanctissimam illam Christi intueri humanitatem, septies ipso splendidiorem sole? animaque beata Christi conspicietur, cujus gloria abysso illi gratiæ correspondebit, quâ nullo non tempore exstitit plena. *Tunc occurrent nobis Angeli Dei*, inquit S. Gregorius, *intuebimur sanctissimam Virginem, Christi humanitatem, DEum ipsum amplexabimur & admirabimur.* Anima beata in Paradisum ingrediens, animas videt gloriosas, spiritus angelicos, magnam Dei matrem, humanitatē Christi, ipsumque Deum, & obstupescet. Sublimiusne quidquam de gloria asserere quis poterit? S. Greg.

XXI. Et nihilominus quis crederet, omnia hucusque dicta nihil penitus esse? Usque modò non discurri de gloria; modò autem incipio eam non deprædicare, sed obstupescere. Intra, intra ô Christiane, in illa sancta sanctorum, in sacrum palatium, quod incolit divinitas in tribus personis & trinitas in una essentia. *Omagna felicitas*, exclamat S. Augustinus, *ô felix jucunditas, videre Deum in se ipso; unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate.* S. Aug. in man. c. 16.

XXII. Felicitates sæculi huj⁹, bonis comparatæ paradisiacis, egestates sunt, inopiæ sunt, mendaces satisfactiones sunt, indignę nominari felicitates. Id quod Regius psaltes in hisce paucis verbis comprehendisse videtur, dum ait: *Nunc retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem*; quæ verba S. Hieronymus sequenti illustrat glossâ: *Reddet Dominus vobis misericordiam in sæculo præsenti, sed veritatem in futuro.* DEUS suam in vos exercebit misericordiam, consolando vos in hac vita; postea autem dona vobis conferet veritatis in cœlo. Hîc difficultas suborri-

2. Reg. 2. v. 6. S. Hier. relatus à Mendoz. l. 1. Reg. c. 11. De felicitate temp.

tur: Deus itaque in mundo hoc veritatem non exercet? nonne ipse in omnibus promissis & negotiis summè verax est? Discite nimia in propheticis verbis reclusa mysteria. Volebat dicere David: Deus in mundo hoc plenitudinem exhibebit misericordiæ, hîc ille divitias augebit, dominiaq; conferet universæ terræ. Sed quid? omnia ista bona cœlestibus comparata, nil nisi mendacia sunt. Ecce ipsamet prædicti sancti verba: *Reddet Dominus misericordiam in præsenti sæculo & veritatem in futuro; quia misericordia, quæ in præsenti sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ vitæ, mendacium est.* Æterna gaudia vera sunt bona, hæc autem terrena umbræ sunt & fallacia.

Vita terrena non est vita.

XXIII. Imò quid dixi? bona hæc terrena cœlestibus comparata, non modò mendacia sunt, sed ne nomen quidem delectabilitatis aut satisfactionis merentur, hæc namque duntaxat reperitur in cœlis, ubi dum vitâ vivitur cœlesti, verâ vivitur vitâ. Redemptor modum tradens pertingendi ad cœlum, se interroganti respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Si vitâ frui desideras, præcepta custodi. Igitur ad vitam, quærit sanctus Augustinus in præsenti, observantia requiritur legis? quot sunt peccatores, divinorum prævaricatores statutorum, & tamen vivunt? respondebit quispiam, Christum hîc loqui de vita beata voluisseque dicere: *Si vis ad vitam beatam ingredi, serva mandata.* Bona equidem resolutio, ast novæ origo difficultatis; si iste fuit CHRISTI sensus, quare igitur clarè non dixit & apertè: *Si vis ad vitam æternam ingredi, serva mandata?* Sed tantummodò: *Si vis ad vitam ingredi?* O insigne mysterium, quale nobis magnum patefecit sancti Patris Augustini ingenium! vita terrena ad æternæ comparationem non est vita, sed sola vita beata nomen sibi deposcit vitæ. Ecce vobis S. Doctoris verba: *Non dixit; si vis venire ad vitam æternam; sed solùm, ad vitam; eam solùm definiens vitam, quæ est æterna vita.*

Matth. 19. v. 17.

S. Aug. ser. 7. de verb. Dom. in Matth.

XXIV. Vultisne, ut aliam vobis ejusdem Augustini subtilitatem pandam? Audite: visio beatarum animarum, spirituum cœlestium, sanctissimæ Virginis, imò & ipsiusmet Christi, nihil omninò est in comparatione ad visionem divinitatis in tribus personis; Testimonium accipite ab ipsomet CHRISTO, qui ante suum in cælos ascensum ad suos conversus discipulos, ait: *Usque modò non petistis quidquam, petite & accipietis.* Jam recedo, dilecti Apostoli mei, quia autem usque modò nihil omninò postulastis, petite vel nunc aliquid vobis beneplacitum. Domine, estne possibile discipulos suos tot annis tecum dimorantes, nihil penitus rogasse? nunquid Jacobus & Joannes quâdam vice supplices, petierunt: *Dic, ut sedeamus, unus ad dextram & alius ad sinistram, in gloria tua?* Respondet Christus; dextra & sinistra mea, loca sunt corporalia; magnum equidem est, me videre, glorioso meo gaudere corpore; ad comparationem nihilominus visionis sanctissimæ Trinitatis, quæcunque alia visio omnino nihil est; ecce vobis ipsummet sancti Augustini discursum: *Solum bonum spirituale existimari debet aliquid, quidquid autem aliud petitur, nihil est; non quia omnino nulla res sit, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud petitur, nihil est.*

Joan. 16. v. 24.

D. Aug. tr. 12. in Joan.

XXV. Sola unius trinique DEI visio,

Quantus gloriæ cœl. valor. sio, totius nostræ beatitudinis est substantia; quæ felicitas tanta est, ut vel momentanea ejusdem fruitio, omnium vitæ hujus cruciatuum & tormentorū exigat pretium. Psal. 117. v. 1. *Confitemini Domino*, ait David, *quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Laudate Dominum, quia bonus est & quia miseratio illius æternùm perseverabit. Ultima hæc verba difficultatem continent non exilem; quia misericordiæ objectum est miseria, Paradisum incolunt Beati, maximè felices, omnis expertes miseriæ; quomodo igitur æternam DEUS misericordiam exercere poterit in cœlis? quomodo misericordia in Paradiso durabit in perpetuum? O singularem Augustini subtilitatem! sciatis inquit sanctus, vel unicum cœlestis gloriæ momentum justam esse recompensationem omnium bonorum operum, à Christianis perpetratorum in hac vita; vi justitiæ vel unicus sufficit DEI intuitus in solutionem omnium tormentorum in Martyribus & omnium pœnitentiarum in Confessoribus. Duratio itaque perpetua gloriæ & visionis DEI interminabilis, effectus est misericordiæ divinæ. Ecce Augustinum: D. Aug. ser. 7. de verbis Dom. in Matth. *Rectè dicitur; in æternum misericordia ejus, non quia in æternum justi miseri in cœlo erunt, & ideo in æternum misericordiâ ejus indigebunt: sed quia ipsa beatiudo non habebit finem, cujus vel primus ingressus digna est pro omnibus laboribus retributio, ideo in æternum misericordia ejus.*

XXVI. Tanta est gloria illa beatificans, immensa adeo est felicitas illa cœlestis, ut, qui eâ vel ad unicum fruitur instans, omnium omnino obliviscatur tribulationum & afflictionum, in hoc mundo toleratarum. Curiosa semper fuit quæstio, quare post gloriosam resurrectionem suam voluerit Christus in corpore suo reservare plagas? alii dicunt, id factum fuisse amore Thomæ, ut scilicet hic iis visis converteretur. Cur Christus servarit plagas. Sustinent alii id contigisse, ut Christus vulnerum suorum exhibitione, Patris æterni placaret furorem. Docent alii, id ita voluisse CHRISTUM, ut plagas suas redemptor in die judicii exhiberet peccatoribus in eorum confusionem. Ast rara Augustini subtilitas sequentem assignat rationem, ut scilicet Christus non oblivisceretur passionis & mortis suæ; quamvis enim Christus à primo incarnationis suæ instanti semper fuerit beatus, nihilominus post resurrectionem, gloriosum illud animæ lumen sese transfudit in corpus, ex quo fuit hodieque est tanta gloria illa beatificans, ut, nisi Christus in corpore suo plagas conservasset, omnium penitus flagellorum, clavorum & crucis memoria ei excidisset. Ecce ipsa S. Augustini verba: S. Aug. ser. 158. in Gen. *Necessarium erat, ut manifestarum præsens expressio cicatricum, crucifixi corporis faceret fidem, quia splendor novæ lucis pristinam obduxerat veritatem, & cognitionem ipsius quodammodo obscuraverat.*

XXVII. Existimatisne cœlestem gloriam finitam esse? nequaquam, infinita est, sine mensura est. Christus bonum justumq; servum invitans ad gloriam, *euge*, inquit, *serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23. Ingredere, ingredere fidelissime serve in Domini tui lætitiam. Ignosce mihi ô Domine, non enim lætitia recipit hominem, sed homo potius recipit lætitiam in pectore suo; ideoque potius dicere debebas: Gaudium Parad. infinitum. *Intret in te gaudium Domini.* Domini Philosophi, nunquid juxta doctrinam vestram: *Omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur?* Id quod recipitur, semper mensuratur juxta men-

Marginalia (left): S. Aug. ser. 7. de verb. Dom. in Matth. — Ioan. 16. v. 24. — D. Aug. tr. 12. in Ioan.

mensuram subjecti recipientis. Nunc igitur, si gloria paradisi reciperetur in homine, tanquam subjecto finito & finitæ capacitatis, non nisi finitum reciperetur gaudium. Nequaquam, dicit Christus; visio Dei trini & unius, non est gloria finita, sed gaudium infinitum; ideoque non tam Beatus recipit lætitiam, quin potius lætitia recipit Beatum. Accommodè ad intentum nostrum, circa prædicta verba sanctus Anselmus discurrit, inquiens: *Gaudium illud Domini non solum est plenum, sed superplenum, & ideo non totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium Domini.*

XXVIII. Vultisne clariorem infinitatis gloriæ conjecturam? dixeritisne mihi, quod pretium pro ejus consecutione datum fuerit aut dari posset? totus effusus sanguis, continua jejunia, asperæ pœnitentiæ & cætera bona opera, à principio mundi usque modò, facta, pretium fortè fuêre sufficiens ad comparandum eam? Non, dicit Apostolus: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. v. 18.

Gloria Par. inæstimabilis.

XXIX. Quod igitur pretium dari poterit pro Paradiso? respondet David: *Pro nihilo salvos facies illos.* Et alibi: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Regnum beatum pro nihilo confertur. *Pro nihilo?* modus iste loquendi an veritati conformis? Tantus itaque martyrum sanguis, tàm asperæ confessorum pœnitentiæ, & omnia sancta justorum opera merum nihil sunt? Ita. Dicite mihi obsecro, quando quis inæstimabilis pretii gemmam pretio sibi comparat inæquali, longè scilicet inferiori; quid dicere solemus? principaliter quando præstantiam gemmæ cognoscimus? gemmam istam pro nihilo comparasti; quod idem est, ac si diceremus: tam vera & pretiosa est margarita illa, ut, quodcunque pro ea pretium erogatum fuerit, nihilominus gratis detur. Ita quoque gloria cœlestis, gemma est adeo inappretiabilis; ut quæcunque in ejus comparationem moneta expensa fuerit, pro nihilo habenda sit. *Vide*, inquit Vener. Beda, *quàm sit pretiosa cœlestis margarita, quæ tantis laboribus comparata, tamen pro nihilo emitur.* V. Bed. ser. 18. de sanctis.

XXX. Summus autem æternusque Pater quale reperit medium, ut miser homo cœleste sibi acquireret regnum? Respondet Apostolus, dum ait: *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, & cum eo resuscitavit, conscendere nos fecit in cœlestibus in Christo IEsu.* Eph. 2. v. 5. Mediante Christo, admissi sumus ad thronum gloriæ, ad conversationem Angelorum, ad possessionem regni, ad beatam visionem DEi; dicente S. Petro Damiano: *Nisi Deus humanam suscepisset formam, nunquam homo ad cœlestem pertingeret gloriam.* S. P. Dam. ser. 1. de S. Severo.

XXXI. His S. Prosper sequentem adjicit discursum, dicens: *Quid futurus est homo, pro quo DEVS factus est homo?* D. Prosp. Episc. Quibus bonis in cœlo gavisurus est homo, pro quo DEUS fieri dignatus est homo? Vultisne id scire, quærit Augustinus? *Vide, quando emit; & sic videbis, quid emit? empturus es aliquid, ipsum aliquid nondum scis; vide quanti, & videbis quid.* S. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 29. Respice pretium, quo Christus comparavit gloriam, tuncque scies pretium dignoscere gloriæ; quia igitur suam pro ea vitam impendit, quæ valoris est infiniti, hinc deducitur, gloriam quoque pretii esse infiniti.

XXXII. Ast quando pater æternus Filio suo gloriam dedit in pretium? tunc utique, quando homo adeo insorduerat peccatis, ut non modò indulgentiâ indignus, sed etiam supplicio dignissimus esset. Si tantum nobis contulit, cùm inimici essemus, quid non conferet, cùm justi & filii ejus adoptivi fuerimus? ita magnus P. argumentatur Augustinus, inquiens: *Si antequam Deum diligeremus, ab illo dilecti sumus, ut æqualem sibi filium, hominem faceret propter nos; quid nobis jam servavit, diligentibus se?* Si tantum consecutus est homo sine merito, quid non obtinebit, quando per divinam misericordiam merebitur? *Si Verbum carnem factum peccator justificandus accepit, quid in futuro sæculo gloriosus accipiet?* inquit idem S. Augustinus.

S. Aug. in Ps. 62.

S. Aug. in Ps. 100.

XXXIII. Non modò illa trini uniusque Dei visi gaudium secum importat infinitum, bonumque inappretiabile; sed ipsa in tribus personis divinitas, & in essentia trinitas adeo est admirabilis, ut, quantò plus videtur, tantò amplius oculos attrahat intuentium, nec unquam supremæ illius majestatis intuitu Beatus satietur; sed semper, quò magis contemplatur, eò magis gestiat desideretque contemplari. Unde S. Petrus sub ratione summi boni nobis Deum exhibet, *in quem desiderant Angeli prospicere.* Ubi Hugo Cardinalis quærit: *Cur Angeli cernere desiderant, cujus faciem cernere nunquam cessant?* Qui fieri potest ut Angeli desiderio flagrent divinam intuendi essentiam, si eam sine intermissione contemplantur? nunquid enim alibi dicitur: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei?* Respondet autem Hugo: *Contemplatio divinæ essentiæ ita Angelos beatificat, ut semper ejus visa gloria satientur; & semper ejus dulcedinem quasi novam insatiabiliter esuriant.* Talis ac tanta est divinitatis in tribus personis venustas ita ut Angeli, licet eam indesinenter contemplentur, nihilominus quantò magis eam vident, tantò magis eam desiderent, acsi nunquam eâ fruiti fuissent. An non quandoque vobis accidit videre quippiam, tanto plenum stupore & raritate, ut ejus conspectu oculos vestros nunquam exsatiari posse credatis? ita pariter in præsenti, tam admirabilis est divinitatis illius visio, ut Angeli nunquam se ejus fruitione saturos reputent aut contentos quantòq; plus vident, tantò amplius eam videre desiderent.

Beati insatiabiliter Deum vident.

1. Petri. 1. v. 12.

Hug. Card.

Matt. 18. v. 10.

XXXIV. Ast quæ unquam mortalis lingua lætitiam, gaudium atque oblectationem Beatorum exprimere poterit, dum vident Deum? *Quæ lingua,* inquit S. Gregorius, *vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?* Propheta David de iis, quę Deus Christiano in cœlis præparavit, bonis discurrens, *Parasti,* inquit, *in dulcedine tua pauperi Deus.* Tu ô Domine, admirabili cum suavitate, bona tua egeno & inopi præparasti. Sed ô David, quæ Deus pauperi Christiano bona disposuit? quæ? respondet idem Propheta per Apostolum: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Neque oculus mortalis ullus ea obtutu suo attingere, neque auris ea auscultare potest, imò nec cor humanum sibi imaginari. Gaudia illa cœlestia solus Deus explicare potest.

S. Greg. hom. 37. in Evang.

S. Ioan.

Ps. 67. v. 11.

Gaudium cœl. inexplicabile.

XXXV. Ex quibus in notitiam venio mysterii cujusdam ab Isaia propositi, qui post-

postquam majestatem divinam in cœlestis gloriæ throno conspexisset, circumcirca maxima cum reverentia alatis astantibus Seraphinis, quorum vestigia alii supremi premebant spiritus, qui suavissimas inter melodias alias, ad majorem Altissimi gloriam, in tres divisi choros cantabant: *Sanctus, sanctus, sanctus*: volens explicare nobis, quâ re illud supremum Empyrei palatium refertum esset, dicit: *Et domus repleta est fumo.* O Deum immortalem! fumus regiam implevit Paradisi? nonne fumus oculorum est tyrannus, quos cum offendit, ab iisdem tributum extorquet planctus? gloriosus itaque Deus caligine circumdatur & tenebris? non, dicit S. Joannes: *Tenebræ in eo non sunt ullæ.* Observastisne Auditores id, quod hodie in monte contigit Thaborio? Voluit Verbum incarnatum à Petro, Jacobo & Joanne splendores conspici humanitatis suæ: *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Ast quo successu? miseros discipulos ex improviso terribilis adeo invasit horror, *ut timuerint timore magno & ceciderint in faciem suam.* O fortunati Apostoli, quid vobis accidit? quid? *Nubes lucida obumbravit eos.* Delapsa inibi nubes ipsos involvit. Quare Deus incarnatus Apostolos primò splendoribus illustravit humanitatis suæ, & postea umbris excæcavit prolapsæ nubis? quia, dicit S. Hieronymus, oculi Apostoli tantorum incapaces erant radiorum, tantis impares erant supportandis gloriæ splendoribus, ex facie Christi dimanantibus; ideoque necessum fuit ut nubes inter oculos Apostolorum & splendores vultus Christi mediaret: *Humana fragilitas*, inquit S. Hieronymus, *conspectum majoris gloriæ ferre non poterat, & propterea nubibus obumbratur, ad cujus eventum toto animo ac corpore contremiscens, ad terram cadit.* Figamus pedem. Quæ gloria apparuit in vultu Christi, super montem Thabor? certè non illa cœlestis, quæ sanctos beatificat in cœlis, sed gloria solummodo externa corporis, quæ veluti umbra erat divinitatis; juxta illud SS. Chrysostomi & Damasceni: *Christus ostendit Apostolis gloriam corporis externam, quia divinitatis erat index, ut per eam, quasi per rimam, sed corpore velatam, aliquo modo gloriam & majestatem Deitatis aspicerent.* Concludo itaque ego, si Apostolos vel sola gloriæ umbra & transitorium beatitudinis signum in Christi vultu relucens, perterruit, ita ut nubem necessum fuerit mediare Christum inter & Apostolos; quomodo possibile erit, ut oculus humanus in splendores divinitatis suos figat obtutus? omninò id impossibile est, quia gloria cœlestis adeo mirabilis est, ut oculos nostros in sui contemplationem directos, subitò tenebris ac obscuritati involvat, veluti fumi obfuscatos caligine. Ita expositor quidam in citatum textum, dum ait: *Non est mirum, quòd nebula seu caligine Deus præsentiam suam nobis solet quandoque ostendere, quia ipse lucem habitat inaccessibilem; qui ergo voluerint in seipsis, ipsius golriam intueri, tenebris involvantur necesse est.*

XXXVI. Atque ideo Christus hodie post communicatos discipulis splendores Transfigurationis suæ, iis præcepit: *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Quare caves Domine mi, ne discipuli tui ullam gloriæ tuæ mentionem faciant, ante resurrectionem? quia, inquit Christus, gloria illa Paradisi tanta est, ac bona adeo continet infinita, ut nullus ea, præterquam solus Deus, explicare possit: quia igitur post resurrectionem meam, Spiritus sanctus super Apostolos descendet, tunc in vir-

tute

Margin notes: Isa. 6. v. 3. — v. 4. — 1. Joan. 1. v. 5. — Mat. 17. v. 5. — Cur nubes in Thabor. — S. Hier. to. 5. l. 3. in c. 17. Mat. — S. Chry. & D. Dam. ap. Corne. à Lap. — Thad. Perus. in c. 5. Isa. — Cur Christus vetuerit mentionem transfig.

tute ejusdem divini spiritus poterunt Apostoli corporalem meam revelare gloriam. O abyssum gloriæ! advertite: si Apostoli qui corporalem duntaxat viderant gloriam Christi hanc explicare non potuerunt sine speciali sancti Spiritus adjutorio, quomodo lingua creata cœlestem poterit attingere gloriam, quam visio confert sanctissimæ Trinitatis? Verè equidem *scrutator tantæ majestatis opprimetur à gloria.*

S. Chry. & D. Dam. ap. Cornel. à Lap.

Prov. 25. v. 27.

XXXVII. Atque in effectu quidem, quæ lingua quantumvis angelica, nimiam illam poterit eloqui gloriam ubi natura divina, quæ simplicissima est entitas, simul includit esse Dei, esse Patris, esse Filii, esse Spiritus sancti, esse paternitatis, esse filiationis, esse spirationis activæ & esse spirationis passivæ; esse Dei generantis, esse Dei geniti, esse à Deo spirati; esse innascibilis, esse nati, esse doni; esse missi, esse non potentis mitti; esse absoluti & esse relativi, esse naturæ & esse suppositi, esse essentialis & esse personalis, esse transcendentalis & esse modalis, esse infiniti simpliciter & esse infiniti in genere. Quidni *scrutator tantæ majestatis opprimetur à gloria?*

Thad. Per... ...in c. 5...

XXXVIII. Quis illud unquam mysterium exprimet, in quo essentia divina, quæ eadem est cum relatione, communicabilis est, & de facto communicatur Patri & Filio & Spiritui sancto; relatio autem, quæ eadem est cum essentia divina, omnino incommunicabilis est, ita ut Paternitas sit in Patre, & non Filio; filiatio in Filio, & non in Spiritu sancto; spiratio passiva in Spiritu sancto, & non in duabus aliis personis divinis?

Cur Chri... ...us ve... ...erit mé... ...onem ...ansfig.

XXXIX. Quis mysterium illud discutere præsumet, ubi ipsa confunditur ratio? ubi essentia divina in Patre quidem est principium generationis Filii, atque Filio principium spirationis Spiritus sancti; at in Spiritu sancto omnino est infæcunda tam ad generandam, quam spirandam aliam personam divinam. Ubi una persona divina licet non habeat proprietatem alterius, est tamen æquè perfecta, quàm alia. Ubi licet omnes divinæ Personæ æquales sint, nihilominus prima taliter generat, ut non generetur; secunda taliter generatur, ut non generet; tertia autem adeo infæcunda, ut neque generet neque generetur, imò taliter producitur, ut non producat?

XL. Quis intellectus quantumcunque elevatus de eo poterit discurrere mysterio, ubi prima persona, quæ Pater est, mediâ essentiâ suâ, intellectus, objecti & speciei munus obeunte, seipsam perfectè comprehendit, seque comprehendendo, vivam sui ipsius, quæ filius est, exprimit imaginem; quæ Filium generat, ast Filio prior non est; quæ totum suum esse dat Filio, sed non esse Patris; quæ aliam distinctam generat personam, quæ Deus est, sed alium non generat Deum?

XLI. Quis poterit intelligere mysterium istud, ubi secunda persona & est Verbum, & est Filius; est Verbum, quatenus procedit per intellectionem Patris; Filius verò, quatenus Patri procedit similis; in quantum Verbum intelligit ut Pater, sed non generat sicuti Pater; in quantum Filius, est similis Patri, sed non habet esse patris?

XLII. Quis denique intellectus capere poterit, tertiam SS. Triados personam, quæ Spiritus sanctus est, eadem pollere Patris essentia & attributis, sicut Filius, non tamen Patri similem esse, sicut Filius: quòd sit summum bonum, sicuti Pater & Filius; & nihilominus se communicare nequeat aliis divinis personis, quemad-

modum Pater & Filius ? Dicamus, resolvamus cum Regum sapientissimo: *Scrutator tantæ majestatis opprimetur à gloria.*

XLIII. Atque hanc ob causam hodie in monte Thabor, Petrus, Jacobus & Joannes, auditâ illâ paternâ voce: *Hic est Filius meus dilectus, ceciderunt in faciem suam*: quid vos premit ô Apostoli sancti? contemplatione fruimini gloriosi Dei, & emorimini? respondet S. Augustinus: *Ceciderunt retrorsum ad vocem Patris, naturalem filium demonstrantis.* Audierunt Apostoli vocem æterni Patris, dicentis: *Hic est filius meus.* Ergo in cœlis, inquiunt Apostoli, trinitas est Personarum in una essentia? hoc penitus imperceptibile est. Si Apostolos vel sola Trinitatis personarum mentio in terram prostravit, quomodo ego homo terrenus de cœlesti isto mysterio ratiocinari præsumam? prorsus id impossibile est. Imò tantam cæcutiens ad majestatem, me in terram prosterno.

Matt. 17. v. 5. 6.

XLIV. Ecce nunc præsentem problematis nostri resolutionem. Dicite mihi ô Theologi, in quo consistit pœna inferni? respondetis mihi, maximam infernalium pœnarum esse illam, quæ vocatur pœna damni consistens in perpetua visionis Dei privatione. Concludere itaque possumus tam afflictivam esse damnatis pœnam inferni, quàm gloriosa est beatis visio Dei. Qui autem de gloriæ beatæ fruitione, infernalisque pœnæ fuga securi esse possunt? Deuteronomium consulite: *Ammonitæ & Moabitæ etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua, quando egressi estis de Ægypto.* Explica & commenda eleemosynam.

Probl.

Deut. 23. v. 3. & 4.

PARS SECUNDA.

XLV. CRas duplicatum vobis exhibebo problema. Uter sit infelicior dicendus, an damnatus in inferno, an viator sine fide? & ubi major futura esset satisfactio, an in Paradiso sine Deo, an verò in inferno cum Deo? probabimus denique, efficacissimum, ne à Deo derelinquamur, inque peccato moriamur, remedium esse, subvenire sancti Purgatorii animabus.

XLVI. Nunc itaque media consequamur ad gloriam consequendam accommoda. Veruntamen ante omnia vos interrogo; Christo si expediebat, ut gloriam suam occultaret, ad redemptionis nostræ mysterium adimplendum; quare hodie Christus augusta cum pompa gloriam suam in monte Thabor manifestavit? S. Ambrosius respondet, id Christum fecisse, ut spe præmii alliceret Christianum, ad sufferendum libenter quemcunque laborem, licet arduum. *Bonus ergo & moralis magister, ne quis desperatione frangatur aut tædio, gloriam corporis fidelibus pollicetur.*

p. 3. q. 45. a. 2.

S. Ambr. in c. 9. Luc.

XLVII. At quare Christus in altissimo monte suam monstravit gloriam? *in montem excelsum*? diversas ob rationes, 1. quidem ad docendum, gloriam Paradisi non conferri mundanis aut cosmophilis. Patres Theologi, ardua hæc inter vos agitatur quæstio: *An Verbum procedat ex cognitione creaturarum.* Et quantumvis D. Angelici non me lateat sententia, dicentis: *Verbum procedit ex cognitione etiam creaturarum, quia procedit ex cognitione comprehensiva Divinitatis.* Nihilominus quantum ad præsens præplacet mihi doctrina Scoti, sustinentis, partum divinæ mentis non esse

D. Th. p. 1. q. 34. a. 1.

Scot. 1. sent. d. 2. q. 7.

Ver-

Verbum creaturarum, quod dogma ille desumpsit ex illis expressis S. Anselmi verbis: *Verbum divinum non est Verbum creaturarum.* Id quod à Theologis doctè in hunc modum explicabitur: *Ex vi cognitionis creaturarum non producitur Verbum.* Si hæc opinio vera est, quam ego probabilissimam judico, ecce vobis conceptum. Si Pater æternus præcisè respiceret creaturas, non produceret Verbum; tunc autem fœcundæ mentis suæ partum producit, quando oculum à creaturis remotum habet; quando igitur homo contemplatur creata, terræque vicina, impossibile est, altissimam illam produci visionem, in qua consistit gloria & beatitudo; tunc verò gloriosâ illâ sese dignum efficit fruitione, quando à mundi creaturis omnino sequestratur.

S. Ans. in monol. c. 32.

XLVIII. Vel etiam dici potest, Christum ad manifestandam gloriam suam, ascendisse *in montem excelsum seorsum*; quia nimirum felicitas illa iis duntaxat communicatur, qui solitarii, a que turba remoti degunt; ita S. Paschasius, dum ait: *Utique, qui ascenderunt cum Christo in montem excelsum seorsum, ab omni fuerunt sæculi frequentia ac strepitu terrenæ perturbationis segregati.*

Gloria datur solitariis.

S. Pasch.

XLIX. Ast multo melius dicitur, Christum suam in monte sublimi voluisse fieri transfigurationem, ut disceremus, non posse gloriam illam obtineri sine sudoribus & defatigationibus. Quare ex Christi latere prius profluxit sanguis, & postea aqua? Aqua denotat gloriam: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Sanguis autem significat, nos non posse gloriâ frui, nisi prævià effusione sanguinis & toleratis passionibus: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.*

Ioan. 4. v. 14.

Sed non sine angustiis.

Act. 14. v. 21.

L. Sed quare in altissimo isto monte soli comparuere Petrus, Jacobus & Joannes? S. Joannes Chrysostomus sequentem assignat rationem: *Quia hi diligentiores erant præ cæteris.* Ego autem, ut promisso meo satisfaciam, dicerem; supra montem Thabor mentionem fieri bullæ sanctissimæ Cruciatæ; sed quomodo? Audite: bulla Cruciatæ nihil est aliud quàm sanguis Christi, in cruce profusus, inque sanctæ Ecclesiæ thesauro reservatus; in Thabor autem sermo fuit de effundendo Christi sanguine in cruce: *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Jerusalem*; de bulla itaque discursus institutus fuit, ad cujus usum tres requiruntur personæ scilicet summus Pontifex, tanquam ille, penes quem claves resident thesauri Ecclesiæ sanctæ, Rex Catholicus, ad cujus preces pretiosus hic thesaurus aperitur; & Commissarius Generalis, cui consignantur bullæ. Pontificem summum repræsentat S. Petrus; Regem Catholicum S. Jacobus, Hispaniæ Patronus; Commissarium Generalem S. Joannes, cui fuere secreta revelata cœlestia. Atque ideo dicti tres comparuere, Petrus, Jacobus & Joannes.

D. Chrys.

Luc. 9. v. 31.

S. Jacobus Rex Hisp.

S. Joan. ejus Commiss.

LI. Quare autem defuit inibi magna Dei mater Maria? quia bulla *est actus jurisdictionis spiritualis, quo relaxantur pœnæ debitæ pro peccatis.* Quia autem V. Maria nulli unquam actuali aut originali culpæ subjecta fuit, consequenter nec ullum unquam incurrit pœnæ reatum; ideo non indigebat beneficio Bullæ, cujus mentio ibi fiebat.

Cur M. non fuerit in Thabor.

LII. Quòd autem inibi etiam Moyses & Elias visi fuerint, alterius incolæ mundi, docet bullam Cruciatæ non modò vivis sed & mortuis plurimum prodesse.

LIII. Ast curiosa mihi videor quæstione sollicitari, quare ad montem Thabor non fuerit vocatus & Judas? curiosum est dubium, sed gratiosior responsio. Pro obtinenda bulla Cruciatæ duo debent erogari regales, qui cedent in subsidium bellicum contra infideles, servitiumque in obsequium fidei Christianæ. Judas autem pro Christi sanguine non solum non expendisset pecunias, sed potius pro ejusdem thesauri pretiosissimi distractione & venditione erat postulaturus nummos: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* (Matt. 26. 15.) Abeat in pessimam crucem Judas, quandoquidem nihil de suo vult expendere in beneficium Christi. Judasne in monte? absit; Judas fur est & latro: *Fur erat & loculos habebat.* (Ioa. 12. v. 6.) Fur & falsarius fratres sunt, juxta Zachariam, dicentem: *Veniet ad domum furis, jurantis in nomine meo mendaciter:* (Zach. 5. v. 4.) Si Judas venerit in montem gloriæ, propter minimũ quid mentietur Petro, Jacobo & Joanni. Apage ò Juda; fures & falsarii indigni sunt gloriâ.

LIV. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (Ps. 14. v. 1.) Vultisne Responsum? audite. *Qui ingreditur sine macula & operatur justitiam.* (v. 2.) Domini officiales & ministri justitiæ, pandite aures vestras & advertite: *Qui operatur justitiam*: quid hoc significat? clarius dici nequit. Advocati, Procuratores, Notarii, Scribæ, sollicitatores, qui miseros eviscerant litigantes, quique amore pecuniæ deserunt justitiam, non sperent Paradisum. Quid amplius? *Qui loquitur veritatem in corde suo, & qui non agit dolum in lingua sua.* (v. 3.) Mendacium, falsariorum, blasphemorum merces, infernus. Deinde: *Qui jurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* (v. 4. & 5.) Perjuris, usurariis, furibus fortasse locus erit in Paradiso? in æternum non. Qui igitur gloriâ gaudebunt? idem à Christo petiit quidam legisperitus, inquiens: *Magister, quid faciendo, vitam æternam possidebo?* Cui Christus: *Serva mandata.* (Luc. 18. v. 18.) Et alibi: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* (Matt. 7. v. 21.) Quisquis vult montem conscendere gloriæ, divina observet præcepta, ad unguem divinæ pareat voluntati, & vadat in pace.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA SECUNDA DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De malis, quibus infidelis & atheus involutus, tandem moritur in peccato; deque præservativis contre ea, quorum unum est charitas in animas sancti Purgatorii.

Nisi credideritis, quia ego sum, quæretis me & non invenietis, & in peccato vestro moriemini. Ioa. 8. v. 21. 24.

PROBLEMA

Uter infelicior sit & miserior; damnatus in inferno, an verò viator, qui sine fide & sine Deo vivens, tandem moritur in peccato? & ubi major foret satisfactio; an in Paradiso sine Deo, an in inferno cum Deo?

INTRODUCTIO.

I

FAmosa fuit illa, temporibus antiquis, cæcas inter gentilium Philosophorum tenebras agitata difficultas, quâ quærebatur quenam maxima esses jactura, summumque damnum, quod homo in vita præsenti incurrere posset, respondentibus aliis, summam esse jacturam bonorum, quia homo in paupertate constitutus contemnitur à consanguineis, declinatur ab amicis, opprimitur laboribus, fitque servus & mancipium omnium. Majoris faciebant alii jacturam honoris; quia nulla inhonorato præstatur fides, in opprobrio degit, indigitatur ab omnibus, totius fabula civitatis. Alii benevolentiam præferebant Principum; quia qui perdit gratiam Domini sui, perdit pariter benevolentiam subditorum ejus, sicque ab omnibus flocci habitus, vix unquã restaurabit dispendium. Alii palmam attribuebant libertati, quæ omni præstantior est auro, juxta illud Poëtæ: *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Qui enim libertatem amittit, in servitutem redigitur, propriâ exutus voluntate, multis subjectus incommo-

commodis, efficitur quasi bestia. Alii denique asserebant, nullum esse damnum gravis jacturâ sanitatis; quia infirmus suiipsius usu, fruitione bonorum, gustu ciborum, omnibusque aliis mundi deliciis destituitur. Sed ò insipientes, ignarosque gentiles, famosæ hujus quæstionis veritatem minimè attingentes! Scitisne ò Auditores quodnam sit maximum hujus vitæ dispendium, cui homo subjacere potest? amissio divinæ gratiæ, privatio societatis cum Deo; quia homo derelictus à Deo, privatus gratiâ divinâ, omnibus aliis pariter exuitur bonis, permanens sterilis, arida & sicca, fructum impotens reddere salutis animæ. Hæcque est illa, quam Christus hodie minitatur jacturam, dicens: *Ego vado.*

Quod malum maximū.

Ioa. 8. v. 21.

II. Huic ego resolutioni ultimæ libens subscribo; eoque fine vos interrogo, quare Deus, qui non aliam ab causam in mundum venit, nisi ut cum peccatoribus degeret: *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum*: hodie peccatores suâ præsentiâ destituat? Nunquid peccator, dum pœnitens Deum quærit, confestim eum reperit? utique; sic namque ipse nobis Deus promisit, inquiens: *Quotiescunque ingemuerit peccator, ejus peccatorum non recordabor amplius.* Quomodo igitur Christus hodie dicit: *Quæretis me, & non invenietis.* Daturne peccatum, ita hominem seducens à Deo, ut hic nunquam reinveniri possit? An igitur me non intelligitis? inquit Christus. *Dixi vobis, quia ego vado, nisi credideritis, quia ego sum.* Ego protestatus sum vobis me discessurum, nisi credideritis in personam meam. Tria itaque mala hodiernum nobis exhibet Evangelium; primò defectum fidei: *Nisi credideritis*; Secundo discessum Dei: *Ego vado*: & tertiò mortem in peccato: *In peccato vestro moriemini.* Sicuti ex defectu fidei discessus nascitur Dei, ita ex Dei dicessu mors oritur in peccatos. Statuamus problema: utrius major est infelicitas & miseria; an damnati in inferno, an verò viatoris, sine fide & sine Deo viventis? & ubi quis majus experiretur solatium, an in Paradiso sine Deo, an in inferno cum Deo? Deinde vera vobis horum malorum assignab præservativa, quorum unum inter alia, charitas erit in animas Purgatorii. Ubi de profectione agitur & morte, corroboratione aliqua opus est; me igitur hodie de fidei defectu, qui divinum causat abitum, deque morte in peccato discurrentem, prompto confortate silentio.

Prov. 8. v. 31.

III. *Dixi vobis, quia ego vado, nisi credideritis.* Quantum creditis esse malum, animam vivere sine fide? vultisne resolutionem meam? Viator sine fide miserior est omni damnato in inferno. Ecce vobis probationem notabilem. Vix Christus Corpus suum impertierat Judæ, quin sine mora impium sacrilegi illius corpus intraret diabolus: *Cum accepisset ille buccellam, intravit Satanas in Iudam.* Ubi notate, inquit S. Anastasius Sinaita, quòd *non intravit Satanas in Iudam, ut panem sanctum despiceret; Sed ut eum, qui sumpserat, redargueret.* Relinquamus hîc Judam cum diabolo,

Quando Judas servus dæmonis

Ioa. 13. v. 30.

S. Anast. Sin.

IV. Hortum ingrediamur Gethsemani, Domino Jesu sese ad mortem præparante, traditor ingruit Judas cum turba satellitum ad comprehendendum Salvatorem, quem Christus ut vidit, ei obviam processit, ipsumque amplexans atque exosculans, dixit: *Amice, ad quid venisti?* Vos attentos velim ò Auditores. Ecce Judam, indigne communicantem, ecce & Judam, traditorium Christo osculum dantem,

Matth. 26. v. 50.

dantem, ut eum vendat Judæis. Dum
§. 8. indignè communicaret, dæmonis evasit
Ioan. 13. v. 30. mancipium: *Intravit Satanas in Iudam.* Tradens autem magistrum, amici titulo honoratur: *Amice ad quid venisti?* forte quòd indigna Judæ communio enormius fuerit peccatum, quàm traditio? non nego, gravissime peccare eos, quotquot communicant indignè; ast quid erit, vendere & commutare Deum, pro pretio vilissimo? nonne flagitium hoc incompraabiliter maj⁹ est omnibus? citra omne dubium. Quomodo igitur Judas Christum traditoriè vendens, nuncupatur amicus; sacrilegè autem sacrum suscipiens panem, in mancipium transiit diaboli?

V. Non recedamus ab horto. Intrans Christus funestum hortum, cum paucis residuis discipulis, in præsentia illorum, primos cæpit experiri mortis assultus:
Marc. 14. v. 33. *Cæpit tædere, pavere & mæstus esse*; vix potens illa exprimere verba:
v. 34. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; quæ hæc alteratio ò forte Dei brachium? quid te per-
§. 7. cellit in horto? quid illa prætendit, cor tuum obruens tristitia? Nonne tibi ex centum & millenis capitibus omnimoda debetur exultatio? utique; hæc tibi competit & ratione unionis hypostaticæ & visionis beatificæ; quomodo igitur times,
S. Victo. Ant. tremis & contristaris? *Vt quod Domine,* dicam cum S. Victore Antiocheno, *tam mæres, & afficeris tanto tædio?* Id quòd mihi stuporem adauget, est excessus tristitiæ in Christo tantus, ut è toto ejus corpore
Luc. 22. v. 44. sanguineum elicuerit sudorem: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in*
Bern. *terram. O dulcissime Iesu,* inquit S. Bernardus, *ut quid sanguinem emittis è toto corpore? quid est hic sanguinis sudor usque ad terram?* Quis Christum crederet affligi propter Petrum? audite rationem.

Cur solus in horto repræhensus Petrus.

VI. Primò autem tantisper regrediamur ad caput 14. S. Marci, ubi legitur, Christum, priusquam suas in horto orationes inciperet, dixisse discipulus suis; *Orate & vigilate, ne intretis in tentationem.* Marc. 14.
Postea Patrem rogans, ait: *Pater, si pos-* v. 38.
sibile est, transeat à me calix iste. Quis Matt. 26.
scit, quid faciant discipuli? abiit Christus, v. 39.
omnesque invenit dormitantes: *Invenit* v. 40.
eos dormientes. Quomodo discipuli mei? possibilene est, quòd *non potuistis una horâ vigilare mecum?* ibid. Heus heus discipuli mei, somni satis est; ecce quia appropinquat traditor, ut liget & tradet me Judæis. Tu Petre etiam dormis?
Simon dormis? Subintrat hic S. Victor, Marc. 14.
totusque obstupescens, ait: *Omnes qui-* v. 37.
dem dormiebant, & solum Petrum increpat; si dormiebant omnes, quare solus reprehenditur Petrus?

VII. Adhuc unum retro feramus gradum. Christus ante suum in hortum discessum, in cœnaculo cum Apostolis dimorans, omnibus protestatus est: *Omnes vos scandalum patiemini in nocte ista.* O
discipuli mei, ingentem in me sentio cor- Matt. 26.
dis afflictionem, considerans, quòd hâc v. 31.
nocte omnes vos me derelicturi sitis. Quomodo, inquit Petrus, nosne omnes te derelinqueremus? juro per De-
um, quia *si oportuerit me mori te-* v. 35.
cum, non te negabo. Petre, subsumsit Christus, exitus diversa docebit, imò ante galli cantum, tertio me negaturus es. O Jesu, ait Petrus, ergone periurus ero? prius me permittam membratim dividi, quàm abnegare te. Cui Christus; verborum satis est, ita fiet, quemadmodum dixi. Abiit itaque in hortum Christus, omnibusque
præcepit: *Vigilate & orate, ne in-* v. 41.
tretis in tentationem. Vixque ad jactum lapi-

lapidis Christus recesserat, Patrem oraturus, & ecce subitò obdormivit Petrus. O Petre, Petre, hoccine mihi spopondisti? Nunquid promisisti, te vitâ & morte tuâ meam propugnaturum libertatem? quomodo igitur nunc flatu conterritus unius ancillæ, trinâ vice mihi fidem negasti? tuæ, tantus fidei defectus cor meum adeo premit, ut propemodum exanimis, sanguinem sudare cogar. Ecce vobis dignum S. Paschasio conceptum, in sequentium verborum glossa: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: ait enim: *Sed forte in his verbis tangitur Petrus; quasi dicatur ei; ò Petre, quid est, quòd Spiritus tuus tam promptus fuit ad promittendum mori pro me; & nunc caro tua tam infirma probatur, ut nec unâ horâ potuerit vigilare mecum, & ad mulieris halitum tu me negaveris.*

S. Pasch. l. x. in Mart.

VIII. Reinvisamus Judam, in potestate dæmonis constitutum. Quare Christus in sacratissimi corporis sui distributione simpliciter dixit: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*; in distributione autem pretiosi sanguinis adjunxerit insuper: *Bibite ex eo omnes*, Scitisne quare? quia Christo corpus suum distribuente, non communicarunt omnes; siquidem maledictus Judas, teste Theophylacto, acceptam hostiam finxit se sumere, at in effectu eam non deglutivit, sed panno involutam occultavit, postea ipsam Judæis exhibiturus, ut omnem apud eos residuam, bonam Christi æstimationem penitus aboleret: *Judas quidem accepit panem, sed non comedit; sed occultavit, ut ostenderet Judæis, quòd Christus panem diceret corpus suum.* In calice autem secus accidit: *Judas*, prosequitur Theophylactus, *invitus calicem bibit, quia non habebat, unde occultaret.* Ita ut Judas in cæna non crediderit, sub accidentibus panis,

An Judas communicarit.

Theop.

carnem delitescere Christi. Itane? dicebat Christus, Judas non credit Sacramenti veritatem? vadat igitur diabolus, infamisque illius cordis capiat dominium, ut discant omnes, multò gravius, longèque magis mihi displicens esse peccatum infidelitatis, quàm ipsiusmet traditionis sacrilegæ. *Majus peccatum fecit, Judas in non credendo*, verba sunt S. Isidori, *quam in tradendo; & ideo in non credendo, intravit Satanas in Judam; in tradendo autem ei dicitur: amice.* S. Isid.

IX. Pater, omnes nos Christum credimus, quare igitur hodie tu nobis fidem persuades? ò utinam major vestrum pars non foret Christiana, solo nomine tenus! dic mihi ô vir, fatere ò mulier; â quãto jam tempore confessionem non frequentasti? ab anno. Quot interim admisisti peccata? innumera. Quare confessionem neglexisti? scis causam? quia non credis mortem esse & judicium.

X. Audi me & ausculta me. Nostine, quem defectus fidei pariat effectum? discessum Dei: *Ego vado*; quid est Dei recessus? Ego hodie potius eligerem esse in inferno, sed cum Deo, quàm in Paradiso, destitutus Deo. Regius Propheta suam adversus Deum profitens culpam, & cognoscens justam Dei indignationem contra se reum, *ne avertas*, inquit, *faciem tuam à me & ne declines in ira à servo tuo.* Cum iratus fueris, ò Domine, quando ab oculis tuis flamæ exibunt ignis & irarum, obsecro, ne recedas à me: *Ne declines in ira à servo tuo*; ne tuam mihi tunc obvertas faciem: *Ne avertas faciem tuam à me.* Hic S. subintrat Augustinus, dicitque: *Quid petis ò David? ut non declinet? si à te declinaverit in ira, non vindicabit in te; opta ergo potius, ut declinet.* Quandoquidem Deum alloqueris indignatum, satius feceris, rogando eum, ut recedat seque elonget à te; quid enim

Joa. 8. v. 21.

Ps. 26. v. 9.

S. Aug. in Ps. 26.

enim à Deo expectabis irato, nisi fulgura vindictæ, quid à vultu, indignationibus pleno, præter severa sperare poteris supplicia. *Opta potius, ut declinet.* An nescis indesinentes Ecclesiæ preces; *Ab ira tua libera nos Domine?* Dum igitur nimiam agnoscis Dei contra te indignationem, permitte eum abire; quia cum remotus fuerit, aut forte placabitur ex integro, aut ad minus remittet aliquantum conceptus furor.

Melius est in inferno esse cum Deo,

Nequaquam, dicit David; vos nescitis, omnium malorum caput, ærumnarumque cunctarum summam esse, degere sine Deo. *Ira Dei*, inquit S. Augustinus, *quid est, nisi aversio ejus? hoc solummodò depolrandum est malum, ne Deus à nobis declinet in ira.* Ubi Deus est iratus? in inferno; ubi benevolus? in Paradiso; David igitur potius elegit cum Deo irato morari in inferno, quàm sine Deo in Paradiso.

Quam in cœlo sine Deo.

S. Aug.

XI. Ast complaceat vobis, ut coram oculis vestris, quomodocunque adumbrem miserum nimis & deplorandum creaturæ, à Deo derelictæ statum. Et primò quidem veritatem hanc ab ipsis insensibilibus creaturis ediscamus. Mortuo Salvatore: *Tenebræ factæ sunt super universam terram*: totum universum obscuratum fuit. Quare ò Sol te in Christi morte abscondis? audite, quid respondeat S. Maximus: *Quid mirum, si apud superos sunt tenebræ, cum lux descendit ad inferos?* quasi etiam elinguis sol dicere voluisset: quomodo ego meos potero indulgere mundo radios, deficiente vero sole Christo? videte ò mortales, quia ipsæ etiam creaturæ insensatæ se nihil reputant sine Deo.

Matt. 17. v. 45.

S. Max. ser. 2. de Parasc.

XII. Ab his ad creaturas transeamus animatas, & quidem ad bruta immunda. Christus Dominus noster in Genezareth multa ex diversis corporibus humanis ejecerat dæmonia; videntes itaque Spiritus infernales se optatis suis exclusos domiciliis petierunt enixe à Christo, ut daret iis licentiam, ingrediendi animalium immundorum gregem: *Si nos ejicis, mitte nos in porcos.* Acquiesco, ait Christus: *Ite* Vix Spiritus nequam, gregem invaserant, moxque tota illa porcorum turma cum impetu maximò, in mare delata sese submersit: *Magno impetu abiit grex porcorum in mare, & mortui sunt in aquis.* Notate, non dici in textu, animalia in aquas à Spiritibus conducta fuisse; sed animalia ipsa nimia cum festinatione ad mare cucurrisse, seque in eodem submersisse. *Magno impetu totus grex porcorum abiit in mare.* Tollite vos animal quodcunque irrationale, illud mortis periculo exponentes; videbitis indubiè, quòd omnem possibilem adhibeat resistentiam; quomodo igitur hi porci ultro citroque in mortem irruerunt? Videte, inquit, S. Petrus Chrysologus, porcos istos primò communis gubernarat providentia Dei, & postquam illos Christus, tanquam injustè acquisitos, curæ tradidit dæmonum; quòd videntes porci, se scilicet à Deo derelictos, in societatem translatos esse diabolorum, quasi tantæ impares sufferendæ miseriæ, satius judicarunt mori, quàm sine Deo vivere. Audite Chrysologum: *Potius in mare demergi & fluctibus perire maluit grex porcorum, quàm ejus* (scilicet dæmonis) *immunditiam & putredinem tolerare.* O Deum! porci, creaturæ irrationales, malunt in aquis suffocari & mori, quàm vivere sine Deo; tu autem ò Christiane adeo quietè degis in peccato, in societate dæmonum?

Marc. 5. v. 12.

v. 13.

S. Chrys. ser. 17.

XIII. Audi, vel ab ipso Diabolo, volo ediscas hodie miseriam eorum, qui à Deo remoti vivunt. Quod est omnium gravissimum, quod in abyssis profundissimis

Spiritus infernales sustinent supplicium? forte quia vilis admodum domicilii incolatu æterno mulctati sunt? non; fortè amara nimis superbissimi casus memoria eos asperrimè exagitat? minus; fortè contorquent eos vehementissimè ignitæ flammæ, sine intermissione rabiose continuè accrescentes? neque hoc; quale est igitur omnium gravissimum eorum tormentum? resolutionem discite ab ipsismet dæmonibus per os Tertulliani, qui verba illa (*Quid nobis & tibi IESV Nazarene, venisti perdere nos*) ponderans, ait; observate, quia *non dicunt: quid tibi & nobis; sed, quid nobis & tibi? quasi exilium & longam intercapedinem, inter ipsos & Iesum, lacrymantes, de tormentis silent; & tamen de absentia miseri conqueruntur.* Illo lamentationis modo longum nimis spatium tantò insinuabant, quod erat inter ipsos & Christum q. d. gravissimum & maximum omnium tormentorum nostrorum, non est ignis, sed sola distantia, quæ est inter nos & Christum: *Quid nobis & tibi?* Cedant ardores sempiterni, gelu, lacrymæ amaræ, stridores dentium; cedant desperationes, confusio, dura ruinæ memoria, tristitia malorum præsentium; sitque notum omnibus, cunctorum quæ subimus, malorum abyssum, esse distantiam à Deo: *Solum de absentia miseri conqueruntur.*

Tert. li. con. Marc. c. 7.

Luc. 4. v. 34.

XIV. Lucifero primum substituamus protoparenti, nostri filium Cain, qui & ipse nobis instructionem dabit circa punctum præsens. Postquam hic innocentem suum fratrem Abelem ex invidia peremisset, Deus fratricidam vocavit, dicens: *Vbi est frater tuus?* cui Cain: quid ego scio, *nunquid custos fratris mei ego sum?* Ad quæ Dominus; si tu ò fratricida veritati parcis, ego tibi dicam; *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc ergo maledictus eris super terram, & cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus & profugus eris super terram.* Apage maledicte, & circumerra desperatus per orbem. Audiit Cain sententiam adeo tremendam, se à facie Dei proscriptum vidit & à divina ejectum præsentia; unde totus lacrymis perfusus, in sequentia prorupit verba: *Ecce ejicis me Domine à facie terræ, & à facie tua abscondar; omnis ergo qui invenerit me, occidet me.* Quandoquidem tu me à facie tua exterminasti, quid aliud superare possum, nisi ut à quacunque obvia interimar creatura? Examinemus obsecro textum hunc, mysteriis fertilem. Tunc temporis non nisi tres universus mundus numerabat personas; scilicet Adamum patrem, Evam matrem & Cain; dic itaque mihi ò Cain, qui sunt isti, qui tibi obvii, te vitâ destituent? non Deus, quia ille tibi occurrit, sed non peremit; Evam sufficit, tuam esse matrem, ut materno devicta amore, tibi ignoscat; neque Adam futurus erat adeo ab omni mente alienus, ut duorum oculorum, quorum tu unum annihilaras, altero seipsum ultro citroque destitueret. Si igitur præter hos nullus omnino reperitur in mundo, quomodo tu dicis: *Omnis qui invenerit me, occidet me?* Pulcherrimum desuper conceptum instituit Durandus, inquiens, verba illa: *Omnis qui invenerit me, occidet me*; à Caino non ex timore prolata fuisse, quasi verò reformidasset hostiles creaturarum contra se assultus; sed per modum orationis: quasi dicere voluisset: ò summe DEUS, quandoquidem tu me præsentiâ tuâ destituisti, quid aliud sperare potero, quam perpetuum exilium atque interminabile tormentum? melior mihi mors ipsa erit, quàm

Gen. 4. v. 9.

v. 10.

A quo timuit occidi Cain. v. 14.

quàm vita adeo miſerabilis; ideoque ſubmiſſiſſimè te rogo, ut omnibus creaturis licentiam indulgeas, ut, quotquot me repererint, me decerpant, occidant, devorent. Cùm enim te ſummo bono deſtitutus ſim, longe melior mihi mors erit, quàm vita; *Omnis qui invenerit me, occidat me.*

quo ti- ... ait oc- ... di Cain. v. 14.

XV. Aſt hic ſingulariſſima quædam ſeſe offert ſubtilitas, maximè efficax ad præſens probandum intentum. Suſtinens ſenex Simeon in brachiis ſuis infantulum Jeſum, poſtquam de morte illius prophetaſſet & paſſione ſacra per verba iſta:
Luc. 2. v. 34. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & in ſignum, cui contradicetur*: ad Virginem Matrem ſe convertit cum dicto;
v. 35. *Tuam ipſius animam tranſibit gladius doloris.* Ignoſce mihi ô

Gladius cordis Mariani.

auguſta Domina, ſi hodie triſte tibi denunciem accidens; ſcias, diem illum venturum, in quo acutiſſimus gladius, ab inviſibili vibratus manu, non contentus puriſſimo pectoris tui ſanguine, ipſam quoque animam tuam perforabit. Circa quem locum doctiſſimus quidam interrogat, quis fuerit iſte dies in quo acutiſſimum ferrum virginea Mariæ præcordia penetravit? forſitan in monte Calvario, quando venuſtiſſimum unici filii ſui ſolem, mortis caligini involutum vidit? acutiſſimus forte gladius, pectus Virginis transadigens, fuit extremus ille dolor, quem ſenſit, dum in cruce morientem vidit auctorem vitæ? non; dicit auctor prædictus: alterius doloris anguſtias experta fuit Maria, extra Calvarium. O Deum! quàm crudelis hic erit atque acerbus ictus? poteritne imaginatio humana tormentum excogitare horribilius eo, quod eſt, amantiſſimam matrem oculis propriis ſuum intueri filium, non modò mortuum, ſed & crucifixum intueri? poteratne gladius occurrere acutior & pœna doloroſior, quàm illa, quæ in monte Calvario pectus oppreſſit Mariæ? ita, prædictus auctor; ſcitiſne autem qualis? annon meminiſtis, Virginem matrem in turba plurima quondam ſuum amiſiſſe filium; tribuſque diebus eum quæſiiſſe, in cujus vultum deſiderant proſpicere Angeli? Hic igitur eſt iſte à Simeone S. promiſſus gladius, hic fuit omnium acerbiſſimus, Mariæ viſcera transfodiens, non autem ille, quem ſuſtinuit in cruce. Audite verba auctoris graviſſimi; *Gladium, animam penetrantem Simeon hoc loco dicit dolores, quos Virgo perpeſſura erat; quando eum perdidit per tres dies.* Fuerunt indubiè graviſſimi Virginis dolores in Calvario, at incomparabiliter acerbiores fuêre anguſtiæ, quas Maria ſubiit per tres illos dies, quibus ſuo erat deſtituta filio. In cruce quidem Filium vidit duos inter latrones exſpirantem, at interim ſemper eum intuebatur præſentem, id quod conſolationem attulit non exilem; aſt triduo integro ejus jacturam omnimodam pati, ſine ulla divini vultus fruitione, dolor fuit omnium maximus. Reſpondete mihi ô Auditores humaniſſimi, fuitne Virgo Maria, in triduo illo abſentiæ Chriſti, divinâ gratiâ deſtituta? nequaquam, abſit blaſphemia; ſoli oculi ejus corporales jucundiſſimo divini illius ſolis ſpectaculo deſtituebantur, de reſiduo Maria quò ad animam, plenitudine ſemper gaudebat gratiarum. Permittite, ut ſolidum hinc efformem argumentum: ſi Maria, nunquam ſecundum animam à Deo derelictam, ſolummodo propter corporalem, ad triduum, Chriſti abſentiam, tot tantiſque cœpit obrui anguſtiis, quales ne in ipſo quidem guſtaverat Calvario; quid de anima iſta dicemus, quam demerita propria elongant à Deo?

Simeon Jeroſol. Orat. de S. Simeo.

XVI. Post Virginem sine ulla alterius personæ interpositione, sese mihi offert Christus, qui tanquam magister universalior, evidentius nos docebit, quantum sit malum, peccatorem derelinqui à Deo. In sublimi crucis ligno agonizans Salvator, ad Patrem sese convertit, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hic vos requiro ô Docti; nonne tanquam indubitatum in Theologia principium traditur, Deum assumptam à se naturam humanam nunquam deposuisse? ita: quia *quod semel assumpsit nunquam dimisit.* Et licet in triduo mortis, anima separata fuerit à corpore, neutram tamen destituit divinitas: *In tantam unitatem Dei & hominis,* inquit S. Leo, *natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte dissolvi.* Si ita est, prout verissimum est; quare igitur in Cruce dixit Salvator: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Adjungite difficultati; quòd Salvator in cruce pendulus, nihil passus fuerit de novo, imò in termino versatus fuerit passionis suæ, unde paulo post subjunxit: *Consummatum est.* Et quantumvis latus ei in cruce per lanceam reseratum fuerit, id tamen non nisi post mortem accidit: *Vt viderunt eum jam mortuum.* Quare igitur Christus adeo lamentatur? inter inexplicabiles flagellationis cruciatus, ne verbum protulit, inter indicibile coronationis tormentum obmutuit. Et denique crucifixio nonne sufficiens erat ad ipsam è fundamentis eruendam abyssum? utique; attamen nec in ea suspiravit: imò *tanquam agnus innocens, non aperiens os suum.* Quare igitur in tormentis finitis conqueritur, se à Patre derelictum? *Deus, Deus meus &c.* S. Leo Locum hunc considerans, dicit, Christum non alio motivo lamentatum fuisse, quàm quòd tunc apprehenderet, sibi omnia mundi peccata imposita esse: *Omnia in se Christus corporis sui membra transformans, quod olim in psalmo eructaverat, id in supplicio crucis, sub nomine redemptorum suorum clamabat, dicens: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sciens Christus, Deum recedere totaliter ab anima peccatrice, ideo clamavit, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* q. d. Pater æterne, plurimos triginta trium vitæ meæ annorum dolores, ac ipsam denique in duro crucis ligno inexplicabilem passionem, non reputo tormentum; ast dum me tua reputo destitutum præsentia, dolori succumbo intolerabili. Firmate pedem: quomodo Christus à Patre derelictus fuit? certum est, eum non fuisse peccatorem *verè & formaliter, sed tantùm repræsentative*, id est, personam repræsentabat Adami peccatoris; non igitur dici poterit, eum omnimodè à Patre desolatum fuisse, sed secundùm hoc duntaxat, quod scilicet divinitas non succurrebat neque consolabatur humanitatem. Nunc itaque si Christus, quia hoc duntaxat in sensu, à Patre derelictus esset, quòd scilicet divinitas non consolaretur humanitatem, tantum expertus est tormentum, quantum non sensit in totius vitæ suæ decursu; quis cruciatus, quæ pœna, quod damnum erit cuicunque peccatori, simpliciter derelictum esse à Deo? Si Christus non formaliter sed repræsentativè duntaxat peccator, tantam passus est tribulationem, qualem nec in flagellatione, nec in coronatione, nec in crucifixione; quo non tormentorum exagitabitur cruciatu peccator, quem Deus destituit omnimodè?

Matt. 27. v. 46.

Ioan. 19. v. 30.

v. 33.

Isa. 53. v. 7

S. Leo ser. 16. de Pass.

XVII. Si

XVII. Si me interrogaveritis, nunquid præter Christum alius erit adhuc universalior magister, qui hanc nos veritatem plenius edocere possit? affirmativè respondebo; estque ipsa sanctissima Trinitas; & quia *in ore duorum vel trium stat omne verbum*, mihi polliceor, vos trium divinarum personarum testimonio acquieturos. Certissima est doctrina theologica, in beata patria & visione beatifica, non videri neque videri posse divinam essentiam sine tribus personis neque unam personam sine alia; & secundum D. Angelici sententiam, implicat in adjecto intuitive videri aut essentiam sine personis, aut unam personam sine alia, quia divina essentia *identicè* dicit personas, & una persona divina *realem relationem dicit ad aliam*. Et ne rationes attingamus scholasticas, dicamus, quasi unum fuisse divinæ sapientiæ & totius sanctissimæ Trinitatis vestigium; quia si Beatus aut solam videret sine personis essentiam, aut unam personam sine alia; quantum confortaretur visione unius, tantum privatione affligeretur alterius; quantumque visio contineret gaudii, tantum non visio mæroris; sicq; simul esset miser & beatus. Videantur itaque, divina inquit sapientia, omnes tres divinæ personæ, ut Beatus, omni ex parte sit felix, visione nullius deficiente. Si vel unius divinæ personæ privatio sufficeret ad conturbandam illam gloriæ abyssum, cui pœnæ miserabilis illa involvetur anima, quæ divinæ essentiæ, omniumque sanctissimarum personarum visione caret atque præsentia? solidè itaq; concludere possumus, nos majorem in inferno satisfactionem habituros, si ibi essemus cum Deo quam in Paradiso sine Deo.

Non videtur essentia D. sine personis.

Mat. 18. *v.* 16.

XVIII. Ast hoc ultimum fortassis & summum peccatoris est malum? non; sed longè gravius est, si miser peccator decedat in peccato mortali. Deus à te avertat ô Christiane, Deus te liberet, non te sinat in hujusmodi corruere miseriam, ut ex hac vita in alteram migres cum peccato in anima. Horrendum adeo malum est, mors in peccato, ut Christus potius eligeret adhuc semel tradi & crucifigi, quàm Christianum mori in peccato. Christus Dominus in cæna ultima, sacramentum instituturus altaris, cum probè nosceret sacrilegam Judæ machinationem, ei dixit: quid agis ô Juda? scio, te paratum esse, ut me in mortis manus consignes; agedum itaque, quid exspectas? *Quod facturus es, fac citius.* Hæc est una ex difficillimis, quas Christus in terra reliquit sententias. Quomodo mi Domine? ergone Judam sollicitas ad traditionem? Deus creaturæ peccatum persuadet? nonne infallibile est juris naturalis decretum, quòd consentiens malo & operans illud, efficiatur ejusdem culpæ reus? ita communiter dicitur: *Agentes & consentientes pari pœnâ puniuntur.* Magis autem dubii ratio accrescit, consideranti, quòd, quando Judas de admisso flagitio pœnitens, foras secessit in campum, ubi inventa ad propositum suum accommodâ arbore, laqueo seipsum infelicissimè suspendit: *Infelix prætermisit pretium sanguinis, & in fine laqueo se suspendit*: at præter intentionem ei accidit, quia, ut testatur Theophylactus, divina misericordia ramos inflexit arboris, ne moreretur Judas: *Verum scias, quòd Judas collum suum apposuit ad laqueum, & cùm penderet ab arbore, arbor est inclinata, Deo volente.* Hic ego subsisto, stupore plenus. Domine, nunquid paulò ante ad Judam dixisti, ut confestim se expediret, traditionemque

De affectu Christi erga salutem nostram.

Ioa. 13. *v.* 27.

Judæ se inclinat arbor.

ſ. 20.

nemque accelararet? imò: *Quod facis, fac citius:* quare igitur modò dum finem vult imponere infami delicto, eum impedis? permisisti, quod majus est; cur impedis, quod minus est? sollicitasti Judam, ut tuam exordiretur mortem, quare igitur modò impedis pœnam?

XIX. Suspenso ad arborem Judâ, vestros pariter sapientes suspendite intellectus, mihique locum date & tempus, alium vobis explanandi textum, quo facto confestim redibimus ad Judam. Dubium meam semper inquietavit mentem, cur salvator cruci affixus, ita subitò mori voluerit, ut vix tres in ea horas insumpserit? Horâ tertiâ crucem conscendit, & ad horam sextam, inter tenebras & eclypses, languidum inclinans caput, spiritum transmisit ad patrem. Factum hoc admiror summopere, quia juxta ordinarium cursum, diutius vivere solebant in cruce; damnati; id quod vel in ipsis probatur latronibus cum Christo crucifixis; nisi etiam fusius nos dilatare velimus ad aliorum gesta, Petrum contemplemur, Andræā videamus; quanto tempore sanctus hic senecio vivus pependit in cruce? nonne diebus duobus? ita: *Biduo vivens, pendebat in cruce.* Cur itaque Redemptor ille, cujus scutum est Omnipotentia, confestim voluit exspirare? Animositas forte & robur defecerat in Christo? an obliti estis heroicarum virtutum invicti illius pectoris? quæ tormenta quantumcunque ferocia ille non devoravit? in horto forsitan eum exhauserant nimiæ pœnæ atque inauditi angores? imò totum hoc, quantum quantum erat, nimis ipsi exile videbatur & leve; ideoque petebat: *Transeat calix iste.* q. d. ô Pater æterne, an igitur unus duntaxat calix infinitam meam summamque sitim explere poterit? Hoc totum merus lusus est: *Transeat calix iste.* Et in cruce quid dixit? *Consummatum est?* Quomodo? igiturne terminata est passio mea? quæro itaque; si Christus tanto arsit patiendi desiderio, quomodo adeo acceleravit finem vitæ, ut etiam inclinato capite, sollicitarit mortem? Audite, si placet, conceptum meum. Dum in cruce sanctus penderet Andreas, nullus cum eo moriebatur, de quo suspicio esse poterat, eum exhalare animam in peccato; Andreas moriebatur solus, & quia ex alia parte in amore Dei solidè radicatus erat, ideo in cruce vixit biduo; Christus autem in medio duorum moriebatur latronum, quorum unus obstinatè spiritum emisit in peccato. Quasi igitur Christus nequiisset tam horrendum sufferre aut oculis suis intueri malum, acceleravit mortem, exspirans in trium horarum spatio. Ita doctissimus quidam pater resolvit, inquiens: *Non poterat omnipotens Iesus impii latronis mortem in peccato sufferre, & ideo brevi temporis spatio, spirat in cruce.*

Cur Christus subitò in cruce obiit.

Matt. 26. v. 39.

Ioā. 19. v. 30.

XX. Ex quibus facillimum est intellectu, quare Christus noluerit, ut Judas se suspenderet, quantumvis eum ante sollicitasset ad traditionem; qui nimirum, inquit Theophylactus, prævidebat Christus, Judam moriturum in peccato; quasi illi dicere voluisset Dominus. O Juda, sufferre nequeo tuam finalem impœnitentiam; licet enim me tradas, id quidem ex una parte excessivum mihi ingerit dolorem, ex alia tamen ultro citroque accepto, ut redemptionem compleam generis humani. Ast quòd tu modò velis te suffocare, animamque tuam in peccato exhalare, insupportabili me conficit cruciatu; atque ideo *arbor est inclinata, volente Deo.*

XXI. Ex hucusque dictis quoddam for-

formemus reassumptum, quod antecedentis vices subibit, ex quo denique vos inferetis consequentiam, Defectus fidei tantum est malum, ut Deum eliminet ex anima: *Nisi credideritis*: hic fuit primus punctus. Recessus Dei adeo perniciosus est, ut satius foret in inferno degere cum Deo, quàm in Paradiso sine Deo: *Ego vado*: ecce secundum punctum. Mors in peccato, omnium est malorum epilogus: *Moriemini in peccatis vestris*. Ecce vobis totum completum antecedens, vos modò formate consequens & libere enunciate; miserabiliorem & infeliciorem esse eum, qui sine fide & sine Deo vivens, moritur in peccato; quàm quicunque damnatus in inferno: quòd enim quis in abyssum detrudatur, hinc est, quia scilicet moritur in peccato; moritur autem in peccato propter discessum Dei; & tandem Deo privatur propter defectum fidei.

Probl.

XXII. Quod remedium ô Pater, tantis poterit adhiberi malis? Non unum, sed duo vobis hodie assignabo præservativa; unum deserviet pro terminanda hac prima parte, alterum verò pro initio pariter & epilogo secundæ. Primum remedium nobis Christus ipsemet exhibet in Evangelio. Quale istud? *Non reliquit me solum, quia opera quæ ei beneplacita sunt, facio semper.* Quid fecit Christus, adeo beneplacitum Patri? seipsum obtulit in sacrificium pro peccatis mundi. Non vis derelinqui à Deo? mori renuis in peccato? offer teipsum in sacrificium; Sed quomodo? *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quod excellentius sacrificium Deo offerri poterit à Christiano, nisi corde contrito suam detestari in pœnitentia culpam? Undenam oritur, quod mors in peccato nos comprehendat? respondeat sapiens: *Ne differas pœnitentiam de die in diem, ne forte veniat ira illius, & in tempore vindictæ disperdat te.* Peccasti? Subitò expia crimen tuum, & ne differas pœnitentiam in diem crastinum.

Ioa. 8. v. 29.

Ps. 50. v. 19.

Remediũ contra im-pœniten-tiam fi-

Ecli. 5. v. 8.

XXIII. Quare Absalom mortuus est suspensus per capillos? quia *semel in anno tondebat*: Si ille cæsariem suam vel singulis saltem mensibus semel tonderi fecisset, non serviisset illi in funem seu laqueum.

XXIV. Cur evangelicus ille paterfamilias operariis primâ horâ conductis, stabilitam dedit mercedem; venientibus autem horâ tertiâ, non determinavit salarium; & tandem accedentibus horâ 11. impertiit nihil? ut nos edoceremur, illos, qui maturè & subitò se convertunt, de sua esse salute securos; eos autem, qui in virilitate convertuntur, posse habere spem beatitudinis; illos denique, qui pœnitentiam differunt usque ad finem, omnimodæ incertitudini se exponere. Ego autem superaddo, extremam esse stultitiam, suam continuò procrastinare emendationem & pœnitentiam.

XXV. Plura hodie dixi de Juda, nihilominus unum adhuc pulcherrimum conceptum habeo reservatum pro coronide. Et modò quidem accommodè se menti meæ insinuat notabilis admodum traditoris actio. Plura horrenda flagitia atque impietates commisit Judas; ex sacro apostolici collegii ærario, sine ulla verecundia furabatur; eadem illectus avaritiâ Christum vendidit pro pretio vilissimo. Quid amplius? vix sacrum acceperat panem, subitòque Magi-

Judæ casus quis maximus.

ſtro tradidit oſculum, inſuper de divina deſperans miſericordia, ſeipſum finaliter manibus propriis interemit per laqueum. Omnia hæc graviſſima ſunt ſcelera; aſt quod omnium eorum enormiſſimum eſſe judicatis? Origenes & Theophilactus reſpondebunt, ſed prius audiamus Matthæum. Ut vidit impius condemnationem Redemptoris terminatam: *Videns, quòd damnatus eſſet*: ſine temporis interpoſita mora pœnitere cæpit, convenit Principes Sacerdotum, & projecto ad eorum pedes maledicto argento ſe reſolvit in mortem. Feſtina, propera, dicebat ipſemet ille ſibi, ô infelix Juda, quid exſpectas? jam crux tradito præparatur Magiſtro, curre itaque in mortem: *Et tunc*: notate circumſtantiam, eodem tempore, quo Chriſtus hanc egrediebatur portam Jeroſolymitanam, Judas exivit per aliam; Chriſtus onere preſſus ponderoſæ crucis, Judas infami inſtructus fune; Chriſtus ad montem, Judas in campos; Chriſto truncus, Judæ in feralem lectum obtingit arbor; animam exhalat Chriſtus, paulo ante ſuum quoque ſpiritum emiſerat Judas: *Tunc*. Hic vos interrogo Domini mei, cur Judas pœnitentiam diſtulit uſque in horam mortis Chriſti? Cauſam hujus Origenes & Theophilactus aſſignant, judicio meo inprimis ſingularem. Audite Origenem: *Exiſtimavit Judas prævenire in morte moriturum Ieſum, & occurrere ei cum anima nuda, ut confitens & deprecans, miſericordiam mereretur.* Eandem quoque cauſam hiſce verbis tradit Theophilactus: *Idcirco Judas ſe ſtrangulavit, ut præveniret Ieſum in inferno, & ibi orando, ſalutem conſequeretur.* Videte incomparabilem ſtultitiam. O Juda inſenſate, quando pœnitentiam ages? forte quando nec tempus nec locus ultra erit merendi? ô ſtultitia! Quantus eſt eorum numerus, qui ſeriam confeſſionem atque emendationem promittunt ſe acturos in agone ſupremo? Nequaquam ô Chriſtiane, hæc ſiquidem pœnitentia rariſſimè à Deo acceptatur.

Matt. 27. v. 3.

Orig. Tr. 35. in Matt.

XXVI. Agonizante, magno illo Dei inimico, Nabuchodonoſore, ſe ad eum contulit Propheta Daniel, dixitque ei: Rex quare non conſulis ſaluti tuæ? *Peccata tua eleemoſynis redime & forſitan propitiabitur Deus peccatis tuis.* Notate particulam illa *forſitan.* Quomodo? ô ſancte Propheta, tu Regi ſuades, ut amore Dei ſuas in egenos eroget facultates, incertam ei ſpondens indulgentiam?

Dan. 4. v. 24.

§. 27.

XXVII. Textum hunc alio illuſtremus non diſſimili. Suffuratus fuerat Achan virgam auream in devaſtatione Jericho; cui Joſue: ô infortunate, *da gloriam Deo*: dic mihi ſincerè, quid egeris? confitetur reus crimen ſuum, veniamque petit. Vah ſcelerate, ſubjunxit Joſue: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac; lapidavitque eum omnis populus.* O magne dux, hoccine ſinceræ confeſſionis præmium; Reſpondet Rupertus Abbas: *Non ullam mereri veniam debuit, quia confeſſio nimis tarda fuit; ante enim turbatus eſt Iſraël, quàm ille reatum agnoſceret; & ante ſors veridica, Deo auctore, prodidit perſonam, quàm ipſe culpam.* Confeſſus eſt Achan ſcelus ſuum, ſed quando? audite. Vidit cœlitus immiſſam pœnam ob flagitium ſuum; forſitan ſe emendavit? non; ſors in eum cecidit, neque ſe movit; at tunc ſuam cœpit profiteri culpam quando de reatu convictus erat. Contemnit Deus pœnitentiam, quam inchoat vitæ epilogus; *Non ullam mereri*

Ioſ. 7. v. 19

Cur Achā confitens lapidatus.

Rup. Abb. l. 1. in Ioſ. c. 21.

mereri veniam debuit, quia confessio nimis tarda fuit. Atque hanc causam Daniel Regem non certificat de indulgentia. q. d. Verum est ô Rex, operibus misericordiæ ex justitia deberi regnum, modò illa exerceantur in tempore debito; ast Nabuchodonosor serò nimis ea aggressus fuit. *Ex hoc intelligi potest*, inquit Silvianus, *quàm difficile jam in extremis constituti peccatores, qualibet munificentia, ad perfectam indulgentiam pervenire possint; quandoquidem Propheta ipse, qui suasit propitiationem Dei inquirendam, promittere non est ausus promerendam; dat consilium de actu, sed tamen dubitat de effectu.* Non est in finem differenda pœnitentia, quis enim te de ejus executione assecurabit? rarò Deus acceptat hujusmodi.

Silv. l. 1. ad Eccle.

Dan. 4. v. 24.

§. 27.

XXVIII. Pater nonne bonus latro post tot ac tanta latrocinia, tandem salvatus fuit? Respondet S. Eusebius Emyssenus, bonum latronem ob defectum cognitionis Christi, se non emendasse citius; si enim citius Christum agnovisset, etiam ante Apostolus sanctus fuisset. *Ille, id est, bonus latro nec salutis tempus sciens, distulit; nec remedia status sui in momenta ultima, infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit. Nec Religionem ante, nec Christum scivit; quod si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior est factus in regno.*

S. Eus. Em.

...of. 7. v. 19

Cur Achã onfitens pidatus.

up. Abb. 1. in Jos. 21.

XXIX. Imò admittamus, latronem antecedenter totius habuisse notitiam, suamque in finem distulisse pœnitentiam; si ita, cur non perpenditis, tunc temporis super montem Calvariæ in cruce pependisse Deum, reserato divinæ misericordiæ archivio? quare non consideratis, Christum eo tempore non stillulas, sed integra sanguinis, millenis ex partibus, sparsisse flumina; quo tamen non obstante, alter latronum periit, uno duntaxat salvato è duobus? Quam esse causam petatis, quòd nullum omnino altare in honorem boni latronis sancta erigat Ecclesia? scitisne quare? ut scilicet nunquam attentetis imitari ipsum in eo, quod est, procrastinare pœnitentiam.

De bono latrone.

XXX. Ecce vobis rarum, quod temporibus nostris contigit exemplum. Nobilissimus quidam erat sensuali inescatus amore, cui conjux obtigerat magna Dei serva; hæc quotidie mariti moliebatur emendationem, sed in cassum: contigit igitur adulterum infirmari; cui mulier proinde: vultisne vocari confessarium? Ita; uxor mea; venit itaque quidam Dei servus. Ah pater, dicebat infirmus, in manibus vestris totam meam exonerabo conscientiam, intendo facere confessionem generalem. Optima propositio, respondebat pater. Confessionem itaque instituit cum incredibili nimis lacrymarum profluvio, restitutionem fecit famæ & bonorum, concubinam domo ejecit, magnam quoque substantiæ suæ quantitatem assignavit Ecclesiis; ipse confessarius intra semetipsum dicebat: Si ille modò decedat, indubiè rectâ transibit in Paradisum. Tandem etiam infirmus eleemosynam dari jussit confessario rogans eum, ut certificatus de obitu, dignaretur pro anima sua unam celebrare missam in altari privilegiato. Appromisit, discessitque sacerdos; quo egresso, moritur infelix, subitòque se ad missam, ut spoponderat, accinxit Presbyter. Exiens è sacristia, sensit sibi trahi casulam in parte posteriori; circumspicit ille, nulloque viso, procedit; & ut ad altare pervenit, eundẽ sensit motum. Quid hocce rerum aiebat ille; diabo-

lus forte erit, volens impedire sacrificium pro anima ista celebrandum. Peractâ igitur confessione, introitum dicturus, vocem audit dicentem sibi: subsiste pater, sustine, noli dicere: *Requiem æternam.* Tu quis es? ego sum infelix iste, qui tibi heri confessus sum. Ubi degis? ad infernum damnatus sum. Sed quomodo? nunquid non sanctam adeo confessionem instituisti? institui, sed non fuit à Deo acceptata ut voluntaria, ideoque modo ad flammas descendo infernales. Hoc cordibus vestris imprimite exemplum; secundum exspectantes præservativum.

PARS SECUNDA.

XXXI. CRas enucleabimus, uter vitæ status sit felicior; an ejus, qui alios regit; an vero qui regitur & gubernatur ab aliis.

XXXII. Secundum remedium, ne Deus recedat ab anima nostra, & ne anima in peccato moriatur, est opus illud, quod ipsemet Christus nos hodie docet, inquiens: *Non reliquit me solum, quia opera, quæ ei placita sunt, facio semper.* Quod fuit hoc opus, æterno Patri tam acceptum? S. Petrus Damianus dicit eleemosynam fuisse, quam Christus Dominus generi humano exhibuit, offerens seipsum pro peccatis mundi. *Dominus Iesus Christus*, inquit sanctus, *dedit nobis eleemosynam, corpus suum tradendo; demus ergo nos pauperi eleemosynam, buccellam panis illi præbendo, ut nos Deus non derelinquat.*

Ioan. 8. v. 29. Novum salutis remedium.

S. Petrus Dam.

XXXIII. Vultisne probari vobis clarius, eleemosynam vivis, & multo magis mortuis exhibitam, sufficientem esse ad conservandum apud nos Deum & vitandum finalis impœnitentiæ malum? Duo præ manibus habeo sacræ scripturæ loca, alterum è veteri, & alterum è novo desumptum testamento; ecce vobis primum. Aman Regis Assueri Princeps, tantâ Regis fruebatur benevolentiâ, tanto apud omnes eminebat honore, ut *cuncti regis servi flecterent genua & adorarent Aman.* Interim ante fores palatii quidam obambulabat in habitu rustico, dictus Mardochæus, incivilis adeo & inurbanus, ut nunquam vel pedem moveret vel minimum exhiberet reverentiæ indicium transeunti Aman: *Solus Mardochæus non flectebat genu & adorabat Aman.* Nimium hoc facto excandescens contra Mardochæum Princeps, Regem adiit, dixitque ei. Sacra majestas, *est populus hic, per omnem provinciam regni tui dispersus, novis utens legibus & cæremoniis, insuper & Regis scita contemnens; si tibi placet, decerne ut pereat.* Rex tanquam dilectissimo suo, plenissimam Amano dedit potestatẽ faciendi circa Judæos, quidquit liberet: *Tulit ergo Rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman, dixitq; ei: de populo age, quod tibi placet.* Quid creditis fecisse Aman, in virtute amplæ adeo potestatis? subitò destinavit milites per universum regnum, qui, quotquot reperturi essent, occiderent Hebræos: *Missi sunt percussores ad universas provincias, ut interficerent universos Hebræos.* Quæ non tribulatio miserum invaserit Mardochæum? interim hoc memoriæ vestræ committite.

Esth. 3. v. 2

ibid.

v. 8.

v. 9.

v. 10.

XXXIV. Transeuntes ad c. 7. Esther reperiemus, eundem illum Aman, tantum Regis amicum, ut Mardochæum prætenderet annihilare cum universo populo Hebræo, propter despectum sibi illatum, fuisse in ipso illo patibulo suspensum, quod fieri curarat Mardochæo: *Suspensus est itaque Aman in eodem patibulo,*

Esth. 7. v. 10.

quod

quòd paraverat Mardochæo: mancipium autem Mardochæus, qui propter unum incivilitatis actum, jamtum ad mortem condemnatus erat, non modò liber evasit, omni major periculo; sed insuper in Regis gratiam adoptatus, vestitum & coronam obtinuit regalem: *Mardo-*
Esth. 8. v. 15. *chæus de palatio & de conspectu Regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite suo.* Quid fecit Mardochæus, ut ad mortem condemnatus, non modò omnia evaserit pericula, sed suum etiam suppresserit inimicum, ipsoque ad magnificentiam regalem sublimatus fuerit? legite secundum libri citati caput, invenietisq; ibi, Mardochæum pauperis cujusdam orphanæ, Esther nuncupatæ, ex-
Esth. 2. v. 7. stitisse nutritium: *Fuit Mardochæus nutritius filiæ fratris sui, quæ vocabatur Esther, quæque utrumq; parentem amiserat, pulchra nimis & decora facie; mortuisque patre ejus & matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.* Itane? Mardochæus charitativus fuit, orphanam alens, utroque destitutam parente? hæc est principalis causa tum ejus, tum totius populi liberationis à morte, imò & exaltationis propriæ usque ad statum &
Rup. Abb. l. 8. c. 4. gratiam regalem. Ita Rupertus Abbas moralizat, inquiens: *Mortuisque patre ejus & matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam; pium opus & pietas operosa, & propterea non immeritò benedixit eis Dominus; & huic, quæ adoptata fuerat, & illi, qui adoptaverat; ut ambo crescerent in salutem populi, in salvationem suæ gentis.* Hæc est scriptura, verè
Anima Purgat. est orphana. aurea & propsito nostro accomodatissima. Quæ magis orphana, quàm anima purgatorii, videte, quanta sit ejus ex omni parte miseria, quæ hodie ingemiscere videtur, dicens: *Miseremini mei saltem*
Job. 19. v. 21. *vos amici mei*: Quisquis igitur nostrum afflictis animabus illis aliquod porrexerit refrigerium, non modò mortem subterfugiet, sed insuper ad earundem animarum instantiam, ad sublimissimum exaltabitur gloriæ gradum.

XXXV. Nunc secundum audite locum, quem de industria reservavi usque in finem, propter sui excellentiam. Veniat autem & in medium procedat traditor ille Judas, cujus totuplex hodie injecta est mentio. Postquam sacrilegus suum prodidisset magistrum, nimium suum advertens scelus, se ad mortem ipse condemnavit; ipsemet collo suo funem apposuit, arboremque scandens, se suspendit: *In fine, laqueo se suspendit.* Sed quo eventu? Matth. 27. v. 5.
jamjam dixi vobis cum Theophylacto, patre antiquissimo; scilicet quòd arbor ista ex motu pietatis & compassionis, usque in terram sese inclinarit, ne Judam suffocaret: *Arbor est inclinata, Deo volente.* Imò, Differ. inter suspensum Judā & Absalonem.
Eucumenio teste, dum Judas de novo suam machinaretur mortem, pristinæ tenax obstinationis, funis, ad quem se suspenderat, tanquam misericors & pietate §. 36.
plenus se divisit, Judamque vivum cadere permisit. Mirabile sanè factum, sed quomodo? ergone sceleratus apostata, traditor iniquus & deicida, loco pœnæ & supplicii, pietatem reperit etiam in sensibilibus arboribus? Non magnâ factum istud difficultate caret, curiosius namque investigaturi, reperiemus, ipsas etiam arbores excanduisse in supplicium contra Dei rebelles. An non recordamini Absalonis, qui impetum declinaturus manus hostilis, dum in fuga subter condensam quercum pertransire festinat, per fluentem cæsariem arboris ramis intricatus, hæsit suspensus? videte, inquit Chrysostomus, quia vel ipsæ etiam arbores vindictam sumere norunt ab offensoribus DEi: *O nefandum* Chrys.
meritum patricidæ, injuriam patris non

pugnantis gladius, non manus hostilis, non jaculantis ictus defendit; sed vindicant ligna, arbor ulciscitur. Utrius quæro flagitium exstitit gravius; an Absalonis, an Judæ? quin Absalonis nefandum inprimis fuerit, indubitatum est; quia paternum caput non modò coronâ, sed & vitâ destituere attentabat; ast quæ comparatio impietatis Absalonis ad Judæ? hic enim machinatus atque effectivè ipsius Dei mortem executus est. Ecce vobis dubium: Si Judæ scelus longè fuit enormius, quàm Absalonis; cur arbor, quæ severa exstitit Patricidæ vindex, tantæ pietatis viscera erga Judam monstravit Deicidam? Nolo vos ulterius detinere suspensos, sed excellenti quodam suffultus ingenio, solidam vobis assignabo rationem.

XXXVI. Pro cujus intelligentia supponite, Judam, priusquam in mortem spontaneam sese præcipitaret, argentum ab Hebræis, in præmium traditionis, acceptum, in templum retulisse inque omnium præsentia projecisse, quasi illi grave nimis hoc argenti onus visum fuisset: *Projecit 30. argenteos in templum.* Quid

Matt. 27. v. 5. fiet de ista pecunia? inter se consultabant satrapæ: non convenit eam in usum adhiberi profanum, utpote pretium

v. 6. sanguinis: *Non licet mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.* Ad quid

v. 7. igitur adhibita fuit? *Emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Statuerunt unanimiter, ut pro eadem ager compararetur. Altissimum sanè consilium, inquit S. Maximus, & divinissima dispositio, *ut pretium sanguinis prodesset mortuis.* Ita ut Judas per pecuniam istam, iniquè adeo acquisitam (licet non per voluntatem directam) mortuis videatur tulisse subsidium: *Ut prodesset mortuis.* Quam, ait doctus quidam, quam aliam vos in præsenti investigatis causam, ob quam Judas tantam ab arbore gratiam acceperit & pietatem? dictos namque projiciendo nummos, *ut prodesset mortuis*, videtur se sufficienter ad dictã disposuisse gratiam & pietatis meritum. Si beneficium, etiã sine bona directa intentione, mortuis præstitum, tanti est valoris, ut insensatæ creaturæ nullum non modò nocumentum, sed & subsidium attulerint traditori; quid non præstabit hoc illudve opus bonũ, ex charitate cum pia intentione adimpletum pro animabus purgatorii? si omnium hominum impiissimus & sceleratissimus Judas, ideo duntaxat, quia mortuis auxilio fuit, licet nolens & absque directa intentione, tantam in ipsis arboribus reperit erga se compassionem; quid non obtinebit ille, qui Christianæ pietatis instinctu, aliquam erogarit eleemosynam, ad hoc ut valor sanguinis Christi beatis applicetur mortuis?

XXXVII. S. P. meus Augustinus de hac præsenti discurrens materia, sententiam adducit, cum indelebilibus characteribus, cordi insculpendam uniuscujusque vestrûm; dicit enim: *Non memini me legisse, malâ morte mortuum, qui opera charitatis libenter exercuit, habet enim multos intercessores apud Deum; & impossibile est tantorum preces non exaudiri.* Plurima dicit sanctus Augustinus in istis verbis; id autem quod caput est, in eo consistit, quod assecuret charitativum non Charitatis valor. moriturum in peccato: *Non memini malâ morte mortuum, qui opera charitatis libenter exercuit.* Unde tanta charitati vis & valor, ut non sinat DEum recedere ab homine, neque hominem mori in peccato? Si sancti Augustini sensum intelligere voluerimus, primò supponamus oportet, eleemosynam esse quandam

dam Redemtionis speciem, teste Sancto Ambrosio, dum sequentem interpretatur sacræ scripturæ textum: *Redemptio animæ viri, divitiæ ejus*: ait enim; *Sed neque divitiæ vituperabiles, redemptio enim animæ viri divitiæ; quoniam qui pauperi donat, redimit animam.* Idemque alibi, circa illorum verborum glossam: *Peccata tua eleemosynis redime*: docet, redemptionem animarum, specialem esse eleemosynæ proprietatem: *Habemus plura subsidia, quibus peccata redimamus; habes pecuniam, redime animam tuam; non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es.* Quibus Cardinalis Hugo subjungit: *Misericordia facta proximo, redimatur anima suppliciis obnoxia.* Accommodatissimè autem Hugo Victorinus ait: *Egentibus eleemosynas porrigite; his enim largitionibus vorago inferni, scilicet Purgatorij captivos redimit & absolvit.*

S. Ambr. in Epist. ad Eccl. Vercell. *Prov. 13. v. 8.* *Lib. de Elia nat. c. 2.* *Dan. 4. v. 24.* *Card. Hug.* *Hu. Vict.*

XXXVIII. Scio equidem, extraordinarium vobis videri, dum hodie novam hanc in medium adduco redemptionem, alterius æmulam redemptionis, à Christo adimpletæ; neque sine fundamento; dicere namque possetis, hanc verum fuisse sacrificium, in altari crucis oblatum; hanc satisfactoriam fuisse *de toto rigore justitiæ*, solutionem exstitisse æqualem & pretii infiniti, id quod certum est juxta fidem. Quomodo igitur eleemosyna poterit talis æmula dici redemptionis? ubi sacrificium? ubi sacerdos? forsitan eleemosynarius? quis hunc consecravit?

XXXIX. Nihilominus audite, meis ego insisto dictis. Eleemosynam ab Apostolo hostiam & sacrificium didici nuncupari, dum ait: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis* (aut, sicut in Græco legitur, *talibus enim sacrificiis*) *promeretur DEus.* Ubi sanctus Augustinus, illum Oseæ locum (*misericordiam volo, & non sacrificium*) interpretans, ait: *Misericordia & eleemosyna verum est sacrificium. Unde dictum est; talibus enim sacrificijs placatur DEus.* Notate verba ista: *Eleemosyna verum est sacrificium.* Pro cujus confirmatione revocate in memoriam singulare illud sancti Chrysostomi assertum, quando illa Christi verba: *Qui dederit calicem aquæ frigidæ*; elucidans; inquit: *Cogita, cui potum præbes & per horrescas, cogita, quòd sacerdos Christi fias, cùm propriâ manu offeras carnem & sanguinem, hoc est, panem & aquæ frigidæ calicem.* Quotiescunque, inquit sanctus Chrysostomus, aliquam dederis eleemosynam, aut tantillum panis, aut aquæ, aut pecuniæ erogaveris pauperibus, scias, te sacerdotem effici, & quasi transubstantiando panem illum in carnem & aquam in sanguinem, propriâ manu sacrificium offerre Deo.

Hebr. 13. v. 16. *Eleem. est sacrificiũ.* *Aug. l. 12. de civ. Dei c. 6.* *Ose. 6. v. 6.* *S. Chrys. hom. 47. in Matt.* *Matth. 10. v. 42.*

XL. Objicietis mihi forsitan cum S. Thoma, redemptionem Christi pro toto genere humano fuisse *de toto rigore justitiæ.* Exspectate: hæc forte prærogativa deficit in eleemosyna? legite per salutem vestram, legite scripturam sacram; & reperietis misericordiam, pauperibus factam, titulo condecorari justitiæ; ita enim Psalmo dicitur: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Et ad Corinthios: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.*

Et rigorose satisfactiva. *Ps. 111. v. 9.* *2. Cor. 9. v. 10.*

XLI. At si eleemosyna est sacrificium, & de toto rigore justitiæ satisfacit, ergo infiniti erit pretii. Utique respondeo ego;

Et pretiũ infiniti.

nec

nec admiremini? quia si, quidquid dat egeno eleemosynarius, Christus ipse recipit in persona, conformiter ejusdem Christi oraculo dicentis: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: & Christus persona est infinita recipiens, consequenter eleemosyna recepta, infinita sit oportet; quia *omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur.* Atque ita concludere possumus, eleemosynam, redemptionem esse perfectam, quia scilicet est sacrificium & solutio *de toto rigore justitiæ*; atque ob eam, quam possidet infinitatem dici potest, quòd sit *redemptio animæ viri*; possitque incontinenter ex obscuris Purgatorii carceribus animas eripere debitrices.

Matt. 25. v. 40.

Prov. 13. v. 8.

XLII. Ex hucusque fortissimum statuamus argumentum. Si Christianus per eleemosynam è purgatorio animas afflictas redimere potest, easque à debito pœnæ absolutas, in cœlum transmittere; quod est opus adeo excellens; quidni per eleemosynam, se poterit à peccato redimere, à débito culpæ liberare & ad felicem gratiæ statum transferre?

XLIII. Ex quibus etiam eleemosynarius omnimodam deducere potest certitudinem, non moriendi in peccato: *Habet enim multos intercessores apud Deum, & impossibile est, tantorum preces non exaudiri.* Si tu per eleemosynam, animas exemeris è Purgatorio, quid non sperare poteris boni ab animabus beatis? Audi Richardum à S. Victore: *Animæ ereptæ de purgatorio, cum adsunt cœlesti gaudio, miro modo interpellant orando pro his, qui eis subvenerunt in hoc sæculo; & eis Deus nihil negat.* *Rich. Vict.*

XLIV. Hoc est ipsum, quod vobis hodie recommendo; ut scilicet charitativi sitis in pauperes amore animarum Purgatorii, Charitas plurimis vos bonis accumulabit; primò enim vos assecurabit, Deum non recessurum à vobis. 2. neque ex hac vita migraturos in peccato mortali. 3. liberando mortuorum animas ex Purgatorii captivitate, obstringetis animas istas, ut liberatæ orent pro vobis. *Et impossibile est tantorum preces non excudiri, Itote in pace.*



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA TERTIA DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De statu & conditione superioris & obligatione subditorum

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Matth. 23. v. 2

PROBLEMA

Uter vitæ status sit felicior; an eorum, qui alios gubernant; an verò illorum, qui gubernantur ab aliis?

INTRODUCTIO.

I

ANtiquissima semper fuit Auditores mei, communis & vulgaris sapientum sententia, hominem, qui omnium est rerum creatarum epilogus, imò pretiosissima divinarum manuum gemma, tantis pollere perfectionibus & mirabilibus, ut meritò parvi mundi sibi nomen vendicarit. Nec sine fundamento, quid enim in tota mundana hac machina reperiri potest, quod etiam cùm venustissima proportione in decora hominis mixtura non inveniatur? Duæ sunt principaliores mundi partes, cœlum & terra; in homine pariter totidem sunt partes principaliores; anima est quasi cœlum, corpus autem veluti terra; illa est pars superior propter vitam cœlestem, hæc autem mundus inferior propter vitam terrenam; relictis autem comparationibus inter corpus humanum & terram; Videte duntaxat in præsenti, quæ sit inter animam & cælum proportio. Si simplex est cælum, quia elementis caret, & luminosum existens, volvitur in gyrum, neque unquam corrumpitur; anima quoque est incomposita, utpote purus Spiritus; velocissimoque motu à causa discurrens ad effectum, se reflectit in seipsam mediis actibus & immortalis vivit. Si cœlum dirigit Intelligentia, animam Angelus; si sol, luna & stellæ illuminant cœlum, animam illustrant sol intellectus, luna voluntatis & stellæ specierum intelligibilium. A cœlis

in hæc inferiora bonæ & malæ transfunduntur influentiæ; homo, qui superior est, bona & mala in subditis suis causat exempla; Quorum prima, scilicet bona, sicut sunt efficacia ad permovendum subditos, ut effectus præstent divinos; ita & mala efficaciter deserviunt, ad præcipitandos subditos in inferni abyssum. Ast unde oritur, superiorem in his subditis bonos causare effectus, in aliis vero millium esse malorum causam? pro tanti dubii resolutione, permittite, ut gratiosum vobis exhibeam hodie problema; scilicet utrum felicius sit, gubernare aut verò gubernari? hoc ipsum primo loco discutiemus, obligationem postea edocturi, quam subditi habent erga superiores. Vos interim Auditores subditos imitemini, divisis inter nos officiis; ita ut mihi tanquam prædicatori conveniat loqui; vobis autem, veluti auscultatoribus, tacere. *Super Cathedram Moysis sederunt principes.* Ecce vobis superiores. *Quæcunque dixerint vobis, servate & facite.* Ecce vobis subditos Incipiamus.

II. Atque in effectu, uter status est felicior? status Principium, aut vasallorum? Prælatorum, aut subditorum? an eorum, qui mundum suis illustrant splendoribus; an aliorum qui in obscuris degunt privatæ vitæ tenebris? uter status optabilior; an alios gubernantium, an verò ab aliis gubernatorum?

Dominiū prædestinationis signum.

III. Problema hoc jamtum resolutum esse videtur, quia dominari connaturale est homini; vix enim creatus, audivit subitò: *Dominamini piscibus maris & bestiis universæ terræ*; cùm econtra subjectio in pœnam fuerit constituta peccati; *Sub viri potestate eris*; dictum fuit ad Evam. Nunquid non insuper quotidie sensibus nostris obversatur tantus mundi applausus & nimia æstimatio, quâ honorantur gubernatores? imò teste Sancto Petro Damiano, dominium in hac vita, est singulare prædestinationis indicium, dum quendam ducem, diversos habentem subditos, alloquens dicit? *Non ignoro præcellentissime Domine, quia si te Omnipotens non diligeret, nunquam tibi hominum millia regenda committeret.* Videte; validum namque argumentum amoris Dei erga dictum Nobilem, sanctus quasi ex multitudine elicit subditorum.

Gen. 1. v. 28. Gen. 3. v. 16.

S. Pet. Dami.

IV. Ex alia verò parte, me docet Ecclesia præferendam esse vitam privatam; asserit namque Deum sedes præparare cœlestes iis, qui subselliis renunciant dominiorum & gubernationis; *Deus qui renunciātibus sæculum, in cœlis præparat mansiones.* Nunquid & eum verè denunciat beatum David Propheta, qui liber est à dominiis & prælaturis? *Beatus vir, qui in cathedra pestilentiæ non sedit.* Prætereamus hodie, dominantium subsellia pestilentiam appellari, sufficiet pro nunc asserere, beatum esse illum, qui cathedram non conscendit, hoc est, superiorem non agit.

An melior status subditorum. Ps. 1. v. 1.

V. Si igitur omnimodam dicti problematis decisionem vultis, distinctè videamus oportet, quid sit dominari & curam gerere aliorum. Exordiamur autem cum ponderatione altissima. In principio mundi, Deus mundanam hanc creaturus machinam, omnium rerum tam bonitatem quam venu-

vastatem unico expediit verbo: *Fiat.* Angelone formosiorem creaturam quæritis? hunc ex nihilo traduxit ad esse unicum verbum: *Fiat lux, id est, Angelus,* inquit S. Augustinus, *& facta est lux.* Atq; idem videre erit in omnibus aliis rebus creatis à cælo progrediendo usque ad terræ centrum. Instante autem creatione hominis, Pater æternus concilium coadunavit aliarum duarum personarum, dicens: *Faciamus hominem, ad imaginem & similitudinem nostram.* Mysterium grande. Quid habet homo, ut ad SS. Trinitatis imaginem dicatur formatus? dominium; respondet Gregorius Nyssenus: *Quam Trinitatis imaginem refert homo, nisi quia bestiis præest.* Sed quomodo, si tanta res est dominari, cur ad efformandum hominem dominatorem, necessariò tota concurrit Trinitas? An nescitis, negotium exile faciliter expediri, sine consilio multo? creatio autem totius mundi quasi nullius aut levis erat momenti, ideoque consummatur unico verbo *Fiat.* Formatio verò hominis, in superiorem assumendi, tam difficile erat negotium, ut interventionem & cooperationem requireret totius Trinitatis, ad esse sui.

Ibid. v. 26.

De Difficultate status superiorum.

S. Gr. Nyss.

VI. Optatisne negotii hujus dignoscere molem? Tridentinum consulite, quod prælaturam, specialiter ecclesiasticam, nuncupat *onus angelicis humeris formidandum.* Tantum est prælaturarum pondus, ut ipsis etiam Angelis incutiant pavorem. Quid dico, Angelis? ipsemet Christus verus DEUS gubernium reformidare videtur trium duntaxat personarum. Hortum ingressus est cum tribus dilectis discipulis suis; Petro, Jacobo & Joanne: *Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cæpit contristari & mæstus esse;* tantumque hæc excrevit tristitia & dolor, ut in agoniæ angustias redactus fuerit, *Positus in agonia:* Potueritque vix illa eloqui verba: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* O forte Patris omnipotentis brachium, quid tanta sibi vult afflictio? Nonne tibi millenas ob causas quæcunque debita est lætitia? utique. Exultatio tibi competit ratione unionis hypostaticæ quia verus es DEI filius? tibi debetur gaudium ratione visionis beatificæ, quia *ab instanti conceptionis* tu infinitè beatus exstitisti. Quare igitur cum agonia mortis luctaris? Audite acutissimam Sancti Hilarii ponderationem. *Assumptis Petro, Iacobo & Ioanne, cæpit tristis esse; ergo non antea tristis est, quàm assumpsit; de tribus, quos assumpserat, cæpit esse mæstitudo.* In horto illo Christus particularem trium istorum discipulorum curam assumpsit, ideoque contremiscere cæpit. Si Christus verus Deus, propter trium duntaxat in se susceptam sanctorum hominum curam, in agonia mortis constitutus fuit; quis non tremor eum concutiat necessum est, qui non tres, sed integram gubernat multitudinem, homines non sanctos, sed peccatores, millenis subjectos defectibus?

Trid. sess. 24. v. 1. de Refor.

Matt. 26. v. 37.

v. 38.

Cur Christus Agonizet in horto.

S. Hil. de 31. in Matt.

VII. Quâ de causâ, crediderim ego, Diocletianum post 20. annorum imperium se tandem resolvisse, eximere se à difficultatibus & molestiis principatus; qui postea ad Sceptrum resollicitatus, respondit: *Eligo potius terram colere, quàm imperare.* Alius quoque Cæsar audiens se à muliere quadam vocitari

Pet. Crinit. de honest. discip. l. 13.

beatum, ob majestatem imperatoriam; ei reposuit: *O mulier si scires, quanta mala sub hoc diademate latent, non profectò beatum, sed me infelicem appellares.* Et Adrianus secundus nesciebat aliquid pejus capitali suo imprecari adversario, quam superioritatem: *Nullum supplicium majus deposcebat, quàm ut papa fieret.* Quia in effectu regnare nihil est, præter servire; inque dignitatibus nil nisi angustiæ recluduntur.

Didac. de la Vega fer. 4. D. 2.

Cur S. Petrus pingatur cum clavibus, & nō cum cruce.

VIII. Clariusne vobis exhibere vultis atrocem nimis gubernantium pœnam ingensque martyrium? attentas ei aures præbete, quod meæ modo menti occurrit. Cur S. Petrus, qui primus fuit Ecclesiæ sanctæ gubernator, non depingitur cum cruce, martyrij sui instrumento? quare loco crucis claves portat in manu, pontificiæ symbolum dignitatis? Et nihilominus S. Andræas depingitur cum cruce, S. Paulus cum gladio, S. Bartholomæus cum cultro, S. Laurentius cum craticula, S. Stephanus cum lapidibus, S. Thomas cum lancea; cur igitur & S. Petrus non exprimitur cum cruce? S. Thomas Angelicus & S. Petrus Damianus gravissimam movent difficultatem, cur summi Pontifices, à temporibus Cōstantini imperatoris & Sylvestri Papæ, ordinarint, ut Romæ & in provinciis adjacentibus S. Paulus ad dextram S. Petri depingeretur? sicque alii omnes pontifices suas deinceps continuarunt sigillare bullas cum sigillis, in quibus S. Petrus exstat ad sinistram, S. Paulus verò ad dextram. Quæ hujus facti ratio? decuisset potius S. Petrum in dextra collocari tanquam supremum in terris Ecclesiæ sanctæ caput, & in sinistra Paulum. Difficultas hæc sinistram adeo importat consequentiam, ut non exile facesceret negotium Cardinali Bellarmino, maximè in confutandis hæreticis, qui videntes S. Paulo honoratiorem in dextra attribui stationem, non cessant dignitatem & potestatem allatrare pontificiam. Pro hujus igitur dubii enodatione latius discurrit S. Petrus Damianus; sed in 4. cap. concludit, S. Petro competere sinistram, quia fuit primus Ecclesiæ S. Prælatus; Sanctus Paulus autem non habuit Ecclesiam particularem, neque cathedram propriam, sed desudabat pro omnibus: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum:* Ita ut prælatura & superioritas locus sit curarum; quantoque sublimius officium, tantò majores sunt sollicitudines & anxietates. An nescitis, Christum, ut ad extremas in finali judicio à damnatis sustinendas exprimeret tribulationes, dixisse: *Statuet hœdos à sinistris?* quare? quia prælatos quæcunque manent tribulationes: hanc igitur ob causam S. Petrus depingitur ad sinistram S. Pauli.

Superior martyr.

S. Th. ep. ad Gal.

S. P. Dam. opusc. 35.

Cur S. Pe. ad sinistrā S. Pauli.

2. Cor. 11. v. 28.

S. Greg.

Super. vitā abbreviat.

Matt. 25. v. 33.

IX. Sed contra est; quis enim Majores sancto Paulo perpessus est ærumnas, miserias, persecutiones? tribulatus fuit catenis, carceribus angustiatus, insidiis appetitus, naufragiis pressus, verberibus & alapis exanimatus; sancti Petri vix commemoratur martyrium: Si itaque pars sinistra tribulationum est locus, potius illa sancto Paulo debebitur. Nequaquam; dicit Genebrardus: quia omnes S. Pauli afflictiones, ipsum etiam includendo martyrium, comparatione tribulationum, quibus subjacet superior, sunt merum nihil. S. Paulus equidem percussus fuit & lapidatus; sed quod fuit gravissimum martyrii ejus tormentum? scitisne quale? Gladius qui ei caput abstulit, ideoque

Eccli. 10. v. 11.

ideoque cum gladio depingitur. Maximum autem S. Petri martyrium, dignitatis pontificiæ claves administrare, quod ei majoresque ipsâ cruce attulit dolores atque ideo cum clavibus depingitur. Quot ego, inquit Petrus, devoravi curas propter claves, quibus ego propterea non fui appetitus persecutionibus? suffecerit dixisse: totam vitam meam continuum fuisse martyrium, propter dignitatem pontificiam. Unde S. Gregorius inquit: *Mori à persequente martyrium est in aperto; sed ferre contumelias, subditos regere & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.*

S. Greg.

X. Quid aliud est regimen, nisi vita traducta cum fastidiis? dixere aliqui, quòd cura circa alios immaturam conciliet canitiem; at si Ecclesiastico credimus, asserere poterimus, officiis & superioritatibus abbreviari vitam, & immaturam causari mortem. Mementote vitæ illorum testamenti veteris Patriarcharum; quot annos vixit Abraham? 175. quot Isaac? 180. Totidem fortè attigit & Patriarcha Joseph? minimè equidem; sed annos duntaxat implevit 110. Sed quomodo? hic junior erat inter omnes fratres; ratione itaque ætatis diutius vivere debuisset quàm omnes alii, & tamen moritur primus; quare? Abulensis præmaturam mortem ejus attribuit viceregiæ dignitati in Ægypto, conformans se illi Ecclesiastici asserto: *Omnis potentatus vita brevis.*

Super. vitâ abbreviat.

Eccli. 10. v. 11.

XI. Respondebitis utique, regimen pro eo saltem quo durat tempore, magnam afferre satisfactionem & felicitatem, sed audite: cùm David post crudelissimam Amalecitarum stragem redux, per biduum moraretur in Sicelech, comparuit quidam juvenis Amalecites, qui regiis pedibus advolutus, diadema illi regale obtulit, quod in montibus Gelboe acceperat de capite Saul: *Tuli diadema, quod erat in capite ejus, attuli ad te Dominum meum huc.* Quomodo David donum istud renumeravit? quomodo? uni servorum suorum præcepit, ut perimeret indilatè nuncium: *Vocansque unum de servis suis, ait: irrue in eum, qui percussit illum, & mortuus est.* O insigne præmium! ergone morte mulctandus, qui coronam offert? Necessum est videre, quem corona effectum causarit in capite Saul? audiamus Amalecitam: *Locutus est mihi, dicens; sta super me & interfice me, quia tenent me angustiæ.* Tigurina legit: *Apprehendit me corona.* Sed quæ societas coronæ ad angustias? volebat dicere Saul: totius mei infortunii origo fuit corona. Itane? ajebat David: tu ò nequam miles eam mihi coronam offers, quæ nil nisi angustias importat & miserias? profectò non aliâ mercede, quàm morte ipsâ remunerandus es.

2. Reg. 1. v. 10.

v. 15.

Corona angustiat.

v. 9.

XII. Vultisne afflictiones inspicere superiorum? audite. Moyses populi Israëlitici princeps erat & generalis à Deo constitutus; interim quodam die, totus dolore saucius, lacrymarumq; imbre perfusus, ad Deum conversus, ait: *Cur afflixisti servum tuum, & quare non invenio gratiam coram te?* Estne possibile ô Domine, quin post tantam meam tibi exhibitam servitutem, non magis tuam promeruerim gratiam? *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Quare me adeo onerasti mole tantâ, ut tanti populi caput constituerer? Moyses audi, ego tibi quod sentio, dicam: quorsum adeo indignaris? tu ad tantam à Deo sublimatus es dignitatem, & lamentaris? quorsum tanti gemitus & querelæ? Deus sublimi adeo te honorat prælaturâ; & tu de pondere ingemiscis? Deus te superiorem constituit omnium; & in ingemi-

Super. miseriæ.

Num 11. v 11.

ibid.

dignationem prorumpis? ita, dicit Moyses; meritò conqueror, meritò lamentor; quia onere me pressit, quod nil mihi præter angustias confert & tribulationes; nullus mihi interim sapit cibus, non somni recreat quies, omne noctis & diei me cruciat momentum: *Non possum solus sustinere hunc populum, quia gravis est mihi.* (v. 14.) Justa est causa tua ô Moyses, quia superioritas & regimen aliorum, moles est penitus intolerabilis.

XIII. Ast quantum erit, quamque grave gubernii & prælaturæ onus? quantum? minus malum est à dæmonibus martyrizari, quàm superioritate eminere. Notate, quam vobis modò non vulgarem insinuabo ponderationem. (Super. martyriū.) Petentibus principatum Jacobo & Joanni (*dic, ut sedeamus in regno tuo, unus ad dextram, & alius ad sinistram*) (Matt. 20. v. 21.) respondit Christus; apage insulsa supplica: *Nescitis, quid petatis.* (v. 14.) Centum & millenæ circumferuntur sanctorum patrum, circa hunc textum, interpretationes & glossæ; permittite interim, ut ego modò unam vobis pandam è reliquis, omnium facile delicatissimam. Loquens Moyses de magno Dei servo Enoch, dicit: *Ambulavit cum Deo & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* (Gen. 5. v. 24.) Quid hoc denotat: *Non apparuit*? Apostolus inquit: *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur.* (Cur Enoch disparuerit. Hebr. 11. v. 5.) Multa cum diligentia populus investigarat Enoch, ipse autem latebat absconditus, ne reperiretur. Diversas mihi difficultates suggerit locus præsens. 1. Quare Enoch investigabatur à populo? Genebrardus respondet, id factum fuisse, adhoc, ut populus copiosum ei conferret gubernium: *Non apparuit utique tanquam requisitus ad supremum officium.* (Genebr. l. 1. menolog.) Ast hic secunda subingreditur difficultas; quò aufugit Enoch? quò sese contulit, ne regimini communi præficeretur? Cornelius à Lapide respondet; *Transtulit eum Dominus in meliorem sortem & statum.* (Corn. à Lap in c. 11 ad Hebr.) Quæ conditio excellentior poterat obtingere Enoch, quàm sublimatio ad dignitatem regalem? non; dicit citatus auctor, ad statum magis sublimem & feliciorem fuit sublimatus Enoch. Quis igitur fuit hicce status? quis paradisus terrestris. Hoc in loco asservatur Enoch usque ad extremum judicii diem, adventum exspectans antichristi, qui eum persecutione sua conficiet ac martyrio. *Asservatur in Paradiso*, inquit M. P. Augustinus, *ad finem mundi ab antichristo immaniter trucidandus.* (S. Aug. l. 2. de grat. cont. Pelag.) Mirabilis commutatio; Deus itaque Enoch sustulit de manibus populi, qui eum coronare gestiebat, eumque in Paradisum transtulit terrestré, ut suo tempore contra impium antichristum decertaret, eique vim afferret cum præmio martyrii. Ita Deus operatur, ut noverint omnes, optabilius esse tormentum & martyrium ab Antichristo illatum, quàm sit quæcunque superioritas & gubernium aliorum. Est hic perdignus Joannis Antonii Abulensis conceptus, dum ait: *Certè non obscurè videtur innuere, quàm amicè, quàm benignè Deus cum eo se gesserit; quem ut eriperet è manibus eorum, qui ad regni fastigium ipsum quærebant. Insævientis antichristi manus, non secus ac in ferocissimi leonis ungues transferre non dubitavit.* (Ioa. Ant. Abulens. ad Phil. 3. v. 8.)

XIV. Modò igitur Jacobum & Joannem adeamus; quid hi petierunt à Christo? *Dic ut sedeamus in regno tuo.* Ubi S. Thomas ait; quòd *nomine sessionis intelligitur regia & judiciaria potestas; & hoc modo desiderabant sedere Jacobus & Ioannes.* (S. Th. p. 3. q. 58. a. 1.) O stulti, subsumebat Christus, an igitur vos latet periculum multiplex gubernii? apage, qui monitum salutare nescis Pauli de Palatio, inquientis: *Si scirent homines,* (Paul. de Pal.) quan-

quantum sit in prælatione periculum, nemo prælatus esse vellet; vos nescitis, quid petatis; quia creditis, honores appetere; & petitis summum onus summumque periculum. Non crediderim, amplius quid dici posse, ad probandas superiorum miserias, aliis imperantium.

XV. Nihilominus curiosè mihi interrogatus videor; in quo igitur tormentum & martyrium consistit dominantis? in quo debet superior (& quicunque alius, curam habens animarum) totus esse subditorum, pro iis suas profundere facultates, sanitatem prodigere & libertatem, offerre vitam, imò animam suam, quæ Deus est, dare pro inferioribus suis; ita ut nihil residuum maneat dominanti, quod non in bonum applicet subditi sui. Nimium vobis dixisse videbor; at singulas notate jamjam adducendas probationes, mecumque asseretis, quemcunque verum superiorem atroci martyrii genere excruciari. Nunquid non in principio hodierni discursus vobis dixi, dominantem esse Dei imaginem? ita sanè est; Deus primus est dominans, regnans & gubernans universum; quisquis igitur in cathedrâ sederit superioritatis, quò ad hoc Deo similis efficitur; atque ita si non vult mercenarius esse subditorum, conformet se necessum est in omnibus & per omnia, cum prototypo suo, quod Deus est. Agedum, supremum contemplemur originale. Quomodo procedit Deus in suo gubernio? respondet Philo Hebræus: *Deum quidem dantem scio & largientem, qui verè est activus, & non passivus intelligitur.* Deus nihil agit, nisi dare & communicare se creaturis; cumque totus sit activus, nihil omnino recipit à nobis; atque adeo est ad dandum proclivis, ut S. Zeno Episcopus Veronensis non dubitarit dicere: *Hic est Deus noster, hic est Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocavit in filium, ne quid sibi derogaret.* Pater divinus sibi suoque esse videbatur derogare ab æterno, nisi se cum tota natura sua communicasset filio. Ad idem omnino obligatur quicunque regens seu gubernans, totum se subditis impendere debet; Princeps totus sit oportet suorum vasallorum, ut sese conformet cum Deo.

Sup. obligatio.

S. Zen. Ep. Ver. ser. 1. in Genes.

XVI. Cur factum esse creditis, ut Christus, qui semper incedebat vestitus, etiam in ipso passionis tempore, modò albâ, modò purpureâ indutus chlamyde; crucem conscenderit nudus? titulum considerate divino superimpositum vertici; quid legitis? *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Itane, dicebat Christus, ergo pro Rege habitus sum ego? nolo igitur, ut mundus me eo in statu videat vestitum; quin potius volo, ut intelligant omnes, quòd si ex una parte me contemplentur tanquam Regem; in eodem tempore noverint, me in erogando sanguine, vita atque omni substantia mea adeo promptum fuisse, ut ne vel minima mihi remanserit lacernula ad cooperiendum me; ut Principes & dominatores, qui mea sunt imago, discant, quàm eos tantæ dedeceant pompæ & vestimenta.

Ioa. 19. v. 19.

XVII. Non modò facultates, sed & libertatem suam debet superior in bonum suorum prodigere subditorum; id est, quòd superior summam debeat reputare felicitatem, subditis servire in quibuscunque occurrentiis. Pharao Iosephum declaraturus viceregem Ægypti, catenam auream imposuit collo ejus: *Collo torquem auream circumposuit.* Licet hæc catena dignitatis atque excellentiæ foret indicium, nihil-

Sup. est subditus.

Gen. 41. v. 42.

nihilominus in substantia ipsum ligabat
Phil.Heb. l.de Ioseph. veluti mancipium; *in signum servitutis*, inquit Philo Hebræus. Unde & Rex Antiochus filio suo dicebat: *An ignoras ô fili, regnum nostrum non aliud esse, quàm servitutem gloriosam.*

XVIII. Atque in effectu quidem, quid aliud importat superioritas nisi servitutem & propriæ amissionem libertatis. Cur Noe maledixerit Chanaan. Cham decrepitum patrem suum Noe intuens nudum, nullo paternæ reverentiæ habito respectu, dum eum cooperire debebat, reliquos potius advocavit fratres ad idem spectaculum: Gen. 9. v. 22. *Quod cum vidisset Cham, verenda patris sui esse nudata, nunciavit id fratribus suis.* Evigilans bonus senecio, filiique Cham permotus irreverentiâ, vindicavit v. 25. insolentiam per maledictionem, dicens: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.* Quæro ego; si deliquit Fr. Ge. Ven. to. 1. se. 2. de Noe Cham, quare maledicitur Chanaan? Franciscus Georgius Venetus respondet: *Ideo Noe maledixit Chanaan, quia in ejus gratiam Cham id fecerat; & constituit ipsum servum fratrum suorum, quem ipse Cham illis indebitè præferre voluerat.* At quæ servitus posteros Cham & Chanaan pressit, quandoquidem unus eorum, successu temporis, ad Babyloniæ regnum assumptus fuit, Nembrot nomine, de Gen. 10. v. 10. quo dicitur: *Ipse cœpit esse potens in terra, & fuit principium regni ejus, Babylon.* Si maledictioni jugum succedere debebat servitutis, quomodo igitur postea corona regni collata fuit? S.Chry. ho. 29. in Gen. *Regnum nihil aliud est*, inquit Antiochus *nisi splendida servitus.* Et S. Chrysostomus: *Nembrot cœpit esse potens in terra, & fuit principium regni ejus Babylon; hic iterum proavum suum imitatus, & abusus naturæ privilegiis, alium servitutis modum adinvenit, & princeps atque rex fieri attentavit.*

XIX. An non fuit dura servitus S. Bernardi gubernium, diu noctuque necessitatibus subditorum invigilantis? qui dicebat: S.Ber. ser. 52 in Cant. *Ipsi me utantur, ut libet, & in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis.* Nonne magna S. Ambrosii servitus, qui totus necessitatibus subditorum sublevandis applicatus, constanter adeo provisionibus & commodis D. Aug. l. 6. conf. c. 3. eorum succurrebat, ut S. Augustinus, Mediolani existens, nunquam occasionem nansci potuerit alloquendi eum?

XX. Non satisfacit Princeps aut quicunque superior, suas pro subditis prostituendo facultates & libertatem, Sup. obligatio. sed insuper & vitam pro iisdem ponere tenetur; debet se eviscerare Prælatus, suum debet superior dividere pectus pro defensione ovium suarum, ut vera efficiatur Dei imago. Specialem quandam considerationem instituamus ad propositum præsens. Memineritis utique illius ornamenti, quod Deus præcepit fieri circa inferiores Exod. 28. v. 33. sacerdotalium vestium partes: *Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ, quasi mala punica facies.* Mirabilis sanè ornatus; quare sola mala punica sacerdotali amictui Cur mala punica coronentur. affigentur. Malum punicum in ea, quâ pollet coronâ; symbolum est prælati; §. 26. ast quare natura prærogativam regiæ majestatis soli indulsit malo punico? si enim de magnitudine sermo est, melones majores sunt; si de pulchritudine agitur, cedrus est formosior; si dulcedo attenditur, suavior est ficus; quare igitur malo punico confertur corona?

XXI. Suspendite tantisper prudentes intellectus vestros, & ad hauriendam intelligentiæ aquam, sacrum illum lateris Christi fontem adeamus. Mortuo auctore naturæ; *ut viderunt eum jam mortuum, unus militum lanceâ latus eius aperuit.*

Plures

Plures hoc in textu sese mihi offerunt difficultates. Ad quid sacro pectori illud infligitur vulnus? deinde si Longinus cæcus erat, quomodo poterat rectâ adeo ad cor pertingere? dicetis Longinum fuisse monoculum, adeoque potuisse alterius residui oculi beneficio in præfixum tendere scopum; at firmate pedem; tempore passionis sol obscuratus fuit: *Tenebræ factæ sunt super universam terram.* Matth. 27. v. 45. Habeat quicunque de nocte oculos etiam plures, profectò nisi stellarum aut aliud lumen affulgeat, nihil penitus videre poterit. Quid putatis, à Longino forsitan hoc Christo vulnus inflictum fuisse? nequaquam; Christus ipse crudelem ad se lanceam attraxit, ita S. Bernardo in hæc verba attestante: S. Bern. *Non lanceâ aperitur cor Domini IEsu, sed cor Domini IEsu ad se lanceam attraxit.* Ast hinc magis augetur dubium; quare enim Christus elegit vulnus in latere potius dextro, & non sinistro? & quare potius in morte, quàm in vitâ?

Cur dextrum latus Christi sauciũ. §. 24. & 25.

XXII. Quandoquidam de gladiis tractamus & vulneribus, non displiceat aliquantisper retrogredi, ut lanceam Longini cum Petri ense conferamus & uniamus. Iturus in mortem Christus, agedum, inquit, discipuli mei, ad arma omnes: Luc. 22. v. 36. *Qui non habet gladium, vendat tunicam.* Ad mortem ego condemnabor, illudendus, flagellandus, crucifigendus sum; ideoque omnes vos state prompti atque expediti. Per Deum, itane? subsumebat Christus; ergò *satis est*; ille sufficit. Tibi igitur Petre me recommendo, ut, cùm venerint Judæi, ab omni me injuria vendices & defendas. Quid accidit? existente Christo in horto, ecce tibi venientes Judæos *cum gladiis & fustibus*, Christumque mox invadentes. Tunc equidem Petrus; ô infamissima colluvies, cavete contingere Magistrum meum traditores pessimi. Hæcque dicens; *Exemit gladium, & abscidit auriculam servi pontificis.* Matth. 26. v. 51. Crediderim ego, Petrum voluisse caput amputare militis, sed fefellit ictus. Ah Petre, dicebat Christus, quid agis? *Mitte gladium tuum in vaginam; an non possum rogare patrem, & exhibebit mihi, plus quàm duodecim legiones Angelorum?* ibid. v. 52. credisne ô Petre, me potuisse, si voluissem, omnes è cœlo in adjutorium evocare Angelos? mitte, mitte gladium in vaginam. Tertullianus docet hac Petri actione plus Christum tribulatum fuisse, quàm toto residuo impudenti satellitio, à quo cinctus & tanquam latro ligatus fuit: Tert. l. de patie. Chri. c. 9. *Patientia Christi in multo vulnerata fuit*: sed qualiter id esse potest? respondet Christus, inquiens: Petre, sinistrè nimis agis; ego te Vicarium meum & caput constitui Ec- Ecclesiæ; Prælati & superiores semper prompti esse debent ad dandam audientiam, aurium debent esse amici; & aures abscindis? scias, me hoc facto magis afflictum fuisse, quàm omni aliâ Judæorum insolentiâ.

XXIII. At S. Ambrosius, stupore plenus, ad Christum conversus ait: *Domine, emere jubes gladios, & ferire prohibes?* S. Ambr. l. 3. Offic. c. 4. nonne tu præcepisti Apostolis, ut sese armarent? quare igitur, stante occasione & necessitate defendendi te; tu renuis tutelam, imo & Petrum repræhendis? Ego, dicit Christus, in mundum veni ut plagis meis, mortalium sanem infirmitates, non ut me præservem cum plagis aliorum; prælatus sum, ego sum primum Ecclesiæ sanctæ caput atq; ideò ipsam etiã profundere debeo vitam meam pro subditis meis: *Noluit Dominus aliorum vulnere defendi, qui venerat omnes nos suis vulneribus ipse sanare.*

XXIV. Ecce vobis rationem, ob quam Christus elegit vulnus in latere dextro, & quidem post mortem. An nescitis, mulieri ante partum morienti, uterum aperiri, ut vivus extrahatur & salvetur fœtus? Christus veluti mater erat prægnans & gravida nobis fidelibus, quos contine-
Isa. 46. v. 3. bat in pectore: *Qui portamini ab utero meo, qui gestamini in visceribus meis.* Quia igitur Christus exspiraverat, nondum autem per gratiæ vitam nata erat Ecclesia; agedum Longine, inquit Christus, aperi mihi cor meum, ut in lucem prodeant fideles mei. *Et lanceâ latus ejus a-*
Ioan. 19. v. 34. *peruit, & exivit sanguis & aqua.* Id est, *sacramenta fluxerunt*, inquit Augustinus, *quibus condecorata est Ecclesia CHRISTI sponsa.*

XXV. Ast quare Christus dextrum potius latus aperiri voluit, quàm sini-
Dan. Mal. S. Io. Dam. l. 4. de fide orth. p. 13. Adric. in descript. terræ S. strum? Daniel Malonius juxta sententiam sancti Joannis Damasceni & Adrichomius sustinet, CHRISTUM cruci affixum respexisse Occidentem, latere dextro Aquilonem versùs exposito. Quia igitur ab Aquilone processurus erat Antichristus, Christianam tribulaturus Ecclesiam, juxta illud Jeremiæ
Jer. 1. v. 14. oraculum: *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Quandoquidem igitur, ait Christus, ab Aquilone sanguinolentus contra fideles meos excitabitur conflictus, latus meum contra impetus istos in reparationem Ecclesiæ sanctæ exponatur: *Cum Christus omne malum ab Aquilone contra Ecclesiam suam patere prospiceret; primum ictum in se percipere voluit, ut minus læderetur Ecclesia.*

XXVI. Ex his facilè erit intelligere mysterium ornatus malorum punicorum in vestibus sacerdotalibus. Malum punicum propter coronam, quam portat, symbolum est prælatorum; quia autem *§. 26.* malum punicum suum aperit sinum ut fœtibus inclusis vitam impertiatur, ideo, inquit Deus, vestes summorum sacerdotum *Obligatio sup.* malis punicis insigniantur; ut noverint omnes, superiores sese eviscerare debere propter subditos.

XXVII. Non sufficit, superiorem pro subditis suis totam elargiri substantiam, libertatem & vitam suam; sed ipsam quoque debet impendere animam, si vult vera esse imago DEI? *Bonus pastor* *Ioan. 10. v. 11.* *animam suam dat pro ovibus suis.* Pater mi, hoc ipsum est nimium. Minimè equidem; imò hæc est omnium maxima Superioris ad subditos obligatio. Qualis autem est anima illa, quam superior pro ovibus suis offerre debet? vita est spiritualis; totum esse, tota cura & totum superioris studium pro iis impendi debet, ne superior Dei offensam incurrat. Ast qualiter id facere potest? quomodo? bono prælucendo exemplo, irrepræhensibilem ducendo vitam. Petre, ait Christus, esto fortis animo; *Ego* *Luc. 22. v. 32.* *pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* Domine, si periculum amittendi fidem omnibus est commune Apostolis; quare i- *Cur Christus oret pro solo Petro.* gitur pro solo Petro intercedis? quare non etiam pro futuro incredulo, Thoma? Scripturam hanc per singularem *§ 28.* quandam cæremoniam ecclesiasticam e- *Cur crux in pede Pontif.* lucidemus. Permittit Ecclesia sancta summo Pontifici, ut crucem portet supra pedes. O DEUM immortalem! ergone crux illa, cui Principes, Reges, imò & ipsi summi pontifices adgeniculantur, in pedibus gestabitur papalibus? Crux, quæ præstantissimæ corporis humani parti insculpenda foret, infimum obtinet locum, qui pedes sunt? Dicite mihi ô interpretes profundi, quare S. Elias

in

in cœlum, mediante curru igneo delatus, conservatus fuit sine læsione? unde ignis ille, præsentem etiam materiam combustibilem non incinerandi, obtinuit virtutem? Sanctus Ambrosius pro vobis respondet, inquiens; quòd, cùm ignis ad instar rhedæ subserviret, Elias Propheta currum hunc flammeum tanquam director conscenderit; quia nimirum nihil adeo imitatur subditus, quàm mores & vitam superioris. Ideo autem ignis Eliam non offendit in minimo, quia scilicet videbat ductorem suum, 40. dierum jejunio extenuatum: *Quis humanâ virtute equos igneos, currus igneos, potuisset ascendere, regere currus aëros, nisi qui naturam humani corporis, incorruptibilis jejunii virtute mutasset?*

S. Ambr. l. de Elia c. 2.

Cur Elias in igne illæsus.

XXVIII. Hanc ob causam Ecclesia sancta crucem concedit pedibus Pontificis summi; sunt enim sancti isti pedes Patris supremi, in quos oculus fertur totius mundi; ideoque unicum est diaboli desiderium, ut summus Pater pedes suos ad quippiam offenderet, eo enim ipso actum esset de Christianismo, huic obviare volens Ecclesia sancta, quid, inquit, taliter contrariatur dæmoni, sicuti crux? hæc itaque pedibus affigatur summi Pontificis, ut inde inimici propulsentur infernales; ita enim Pontifice summo suam conservando illibatam sanctitatem, omnium fidelium sanctitas inconcussa perseverabit; atque ideo Christus specialiter intercedere voluit pro Petro, & non pro aliis; erat namque ille totius collegii caput: plurimum mea interest, dicebat Christus, quòd Petrus sit in fide constans; quia *integritas præsidentium, salus est subditorum.*

Conc. Trid.

XXIX. Hæc est, quam superior pro subditis debet expendere animam, nimirum vitam degere irrepræhensibilem, omnique cum industria bonis studere dandis exemplis & doctrinis sanctis, ne subditi in offensam Dei prolabantur; ad quod omnes omnino obligantur superiores & regnantes; cujus probationi delicata admodum deserviat sancti Gregorii speculatio. Severè cavit Christus, ne quis præsumeret scandalizare parvulos, eò quòd tutelares eorum Angeli semper videant & facie fruantur summi Patris DEI: *Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Quo fine, ait CHRISTUS, Angelos custodes semper majestatem intueri æterni Patris? Respondet sanctus Gregorius, non quia Angeli animas custodiunt humanas, ideo divinam amittunt divisionem; *Non enim sic à divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur.* At supponamus, DEUM illos beneficio destituere gloriæ beatæ, quid inde? quid inde? prosequitur sanctus Gregorius & ait: *Si Conditoris aspectum, exeuntes, amitterent; nec jacentes erigere, nec ignorantibus vera nunciare possent, fontemque lucis, quam ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent.* Si Angeli privarentur gloriâ beatâ, nullum è terra sublevare possent jacentem, neque instruere ignorantes. Heus Auditores si Angelus pro unius hominis custodia tantum necessariò exigit succursum, qualis est visio beata; quo non subsidio indigebit superior, pro tot subditorum gubernio? quomodo possibile erit, ut superior tantis subjectus defectibus tot possit regere populos? tot civitates & nationes? Hancque ob causam Tridentinum nuncupat prælaturam, *Onus angelicis humeris formidandum.*

Sup. vita quæ?

Matth. 18. v. 10.

S. Gr. l. 2. mor. c. 14.

Tr. d. Ses. 24. c. 4. de reform.

XXX. Et quidni superioritas onus grave est? quandoquidem pondus indesinenter in humeris portat adeo ingens, ut continuò sub pedibus gemere cogatur subditorum Prælatus? *Gigantes gemunt sub aquis*: Gigantes gemunt, suspirant & plangunt sub aquis. Qui sunt gigantes isti? quæ aquæ, sub quibus lamentantur? Gigantes symbolum sunt Principum & dominantium; sicut enim gigantes altiores sunt cæteris hominibus propter corporis magnitudinem; ita & Principes & superiores, plebe sunt sublimiores propter eminentiam dignitatis. Aquæ populi sunt & subditi, juxta illud Joannis: *Aquæ multæ populi sunt & gentes.* Quò major est dignitas gigantea, quò Dominium excelsius, eò labores premunt acriores. Superior non est supra aquas, non; sed infra subditos: quia quot subditos habet in suo gubernio, tot sollicitos habet supra caput cogitatus, non modò in ordine ad corpus, sed vel principaliter ad animam; subque aquis hujuscemodi cogitationum sine fine gemunt superiores, utpote strictissimam Deo reddituri omnium subditorum suorū rationem. Audite Gregorium Magnum; *Si autem Gigantum nomine, potentes hujus sæculi designantur; in aquis possunt populi designari, juxta illud Ioannis: Aquæ multæ populi sunt & gentes. Quantò ergo quis altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur; eisq; ipsius populis mente & cogitatione supponitur.*

Iob. 26. v. 3.

Sup. Locus.

Apoc. 17. v. 15.

S. Greg. l. 17. mor. c. 12.

XXXI. Quam veritatem ab eo pastore didicisse videtur sanctus doctor, qui unum ex ovibus centum aberrantem cum reperisset, sustulit in collum: *Et cum invenit illam, imposuit eam super humeros suos.* Quid hoc significat, prælatum portare subditos super humeros suos?

Luc. 15. v. 5.

XXXII. Insignissimam ejus resolutionem discamus à Centurione, ad Christum dicente: *Homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Quid dicis ô bone Centurio? *Si habes sub te milites, ergo non es sub potestate constitutus, sed in potestate.* Pro veritatis hujus intelligentia, dictum vobis occurrat Isaiæ, qui de Christo loquens, ait: *Factus est principatus super humerum ejus.* Quomodo *super humerum?* forsitan super Christi humeros aliqua fuit erecta & fabricata civitas, cujus Princeps ipse & Dominus fuerit? Non; sed notate mysterium, quod per aliam vobis scripturam explanabo. Ingressus est Christus triumphans Jerosolymam paucis ante diebus, quàm moreretur; alios autem inter honores, ei à turba exhibitos, docet textus, vestes pedibus jumenti, cui Salvator insidebat, substratas fuisse à populo: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Quæ est cæremonia ista ô devote popule? Notate; vestis regni fuit symbolum: unde quando Deus antiquitùs translationem aut donationem alicujus regni significare volebat, vestis symbolo aut figurâ utebatur. Iniquum Saul coronâ destituturus, supplicium ei insinuavit, mediante Prophetâ Samuele, per divisionem chlamydis. Similiter dum Jeroboam informandus esset, eum futurum Regem super 10. tribus, pallium suum dispertiit Propheta in decem partes, dicens: *Tolle tibi 10. scissuras.* Hoc supposito, quid denotat ista à turbis exhibita Christo cæremonia? scitisne quid? stylum populus docere voluit mundanum, qui est, ut neoprincipi aut recenter constituto superiori, mox sub pedibus sternantur vestimenta, id est, subditi; non considerando, totum humeris imminere pondus; dignitas in rei veritate humeros gravat superioris, non pedes sed humeros premit principa-

Matth 8. v. 9.

Isa. 9. v. 6.

Matth. 21. v. 8.

Vestis symbolum regni.

3. Reg. 11. v. 31.

Isa.9.v.6. cipatus; ideoque de Christo dicitur: *Factus est Principatus super humerum ejus.* Ubi ecce vobis legitimam Centurionis consequentiam; ego, dicebat ille ad Deum, *habeo sub me milites, ergo sum sub potestate constitutus, non supra potestatem.* Vestimenta porto in humeris, non sub pedibus.

XXXIII. Sed ô misera vestis, quàm hodie illa miserabiliter tractatur? si maculantur calcei, fimbriâ vestimenti absterguntur sordes: si gladio res secernenda, dextrâ evaginatur gladius, brachioque sinistro involvitur pallium, ut ipsum veluti clypeus quemcunque excipiat & retundat ictum. Si canis ingruit ut mordeat, subitò ei objicitur chlamys, ut contra eam totum evomat furorem & rabiem suam. Si Baro, Comes, Demarchus aut Princeps pressuram patitur aut tribulationem, subitò objicitur vestis; impositionibus, gabellis, exactionibus eviscerantur subditi miserrimi; &, quod peius est, si luditur & perditur; si scurræ alendi, si adulatores fovendi, si mulieres nutriendæ & similia; omnibus provideat necessum est, improbus miserorum subditorum labor, sudor & sollicitudo. O miseria mundi! Vestimentum, id est, subditos, tam Princeps quàm superior quicunque super humeros portare debes; tuæ namque curæ commissi sunt, tuæ sollicitudini concrediti, tu de iis rationem reddere teneris.

XXXIV. Ex hucusque dictis liceat mihi solidum formare argumentum, quod pro resolutione serviet problematis. Si superioritas tot tamque gravia secum importat onera, quis non dicet, satius fore subesse, quàm gubernare? hæc nihilominus veritas magis elucescet, ubi statum dignoverimus subditorum; sed ante respiremus.

SECUNDA PARS.

XXXV. Vidimus hodie, quid sit superioritas, cras elucidare conabimur, quid sit ambitio & desiderium superioritatem obtinendi, cum problemate sequenti: quid sit efficacius; ambitio ad crucifigendum Deum, an verò Deus crucifixus ad exterminandam ex anima ambitionem?

XXXVI. Porrò pro discursus hodierni termino, jam grave supponamus onus, quod superiores habent cum subditis; pro fine autem obligationem inspiciamus subditi erga superiorem. Christus hodie omnes sub obedientia constitutos alloquens, iis dicit: *Omnia quæcunque dixerint vobis, facite.* Vos ô subditi obedientes, facite, quidquid vestri vobis præceperint superiores. Hîc citra dubium, patebit evidentius; utrum gubernare præstet, an obedire? Quod ut vobis per duo probem sacræ scripturæ loca, alterum testamenti veteris, novi alterum; mementote somnii Joseph, quod hic patri fratribusque suis recensuit, dicens: *Videbam, solem & lunam & undecim stellas adorare me.* *Gen.37.v.9.* Vidi in somnis, à sole, luna & 11. stellis me adorari. Ad hæc pater: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te?* *ibid.v.10.* quid sibi vult somnium istud? ego forsitan cum matre & fratribus tuis te sum adoraturus? tui forte vasalli erimus & consequenter te adorare debebimus? Duo observo in somnio præsenti; primum est, somnium istud prophetiam fuisse & revelationem divinam, in qua Joseph significabatur futurus patris, matris, fratrumque suorum superior & gubernator; pater autem & mater cum 11. filiis suis denotabantur subditi & vasalli Joseph, cui obedire tenerentur. Secundum, quod observo, in

Quid notet adoratio Joseph.

eo consistit, quòd pater & mater obedientiam præstituri filio Joseph, nominentur sol & luna; undecim autem fratres ad ejusdem Joseph minoris fratris sui nutum victuri, appellentur stellæ. Duplicem ego hac in visione reperio difficultatem; prima est, cur subditi obedientes, inque servitute constituti, honorentur titulo solis, lunæ & stellarum? caput autem seu superior, cui exhibetur adoratio, vocetur duntaxat homo? potius contrarium asseri debuisset; & Joseph, qui caput omnium superiorque futurus erat, sol nuncupari; subditi autem, homines. Non, dicit sapientia divina; in domo namque Dei non resplendet ille qui præcipit, sed qui obtemperant; qui imperat, homo est; illi autem, qui obediunt, sunt quasi sol, quasi luna & totidem stellæ.

Domus Dei solũ admittit obedientem.

§. 38.

XXXVII. At dixeritis forsitan; pater, doctrina ista videtur omni contraria rationi, & specialiter quidem illi, quod Christus docet, dum inquit: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Ex eo namque sequitur, perfectiorem esse eum, qui præest, quàm qui subest. Et Sanct. Bernardus in sermone de Sancto Joanne Baptista, in declaratione istorum verborum: *Ille erat lucerna ardens & lucens*: dicit: *Lucere tantum, vanum: ardere tantum, parum: lucere & ardere, perfectum.* Alios illuminare sine divini amoris incendio in corde proprio, mera est vanitas; talesque sunt superiores hodierni Evangelii, qui *dicunt & non faciunt.* Ardere amore & non illuminare alios, exile est; flagrare autem amore & simul alios illustrare, perfectio est. Igitur perfectior est ille, qui alios gubernat & illuminat, quàm qui gubernatur & illuminatur. Imò dicere; subditum & obedientum esse solem, lunam & stellam; eum verò, qui gubernat & imperat, nonnisi purum hominem; adversatur doctrinæ Christi qui ad Prælatos ait: *Vos estis lux mundi.* Respondeo, tunc eum, qui gubernat perfectam esse lucem, quandò imperat, ut obediat DEO, tanquam supremo omnium Domino. Ego sum prælatus, quia hæc est voluntas DEI; aliis impero, ut DEO obediam; ille, qui ita superior est, ut summo Pastori obtemperet DEO, talis, quia Prælatus est obediens, ideo lux est.

Matt. 5. v. 19.

Ioa. 5. v. 35.

S. Bern.

Matt. 5. v. 14.

XXXVIII. Ast secunda hujus textus difficultas priorem excedit. Quandoquidem Joseph somniabat se caput esse luminum cœlestium; quare non dixit, se adorandum à 13. solibus, aut à 13. lunis, aut totidem stellis? quare ab uno sole, una luna & 11. stellis? auscultate responsum, tam insigne, quàm doctrinale. Nostis omnes, tres esse obedientiæ gradus; primus est obedire superiori, secundus æquali, tertius inferiori. Obedire superiori, est gradus infimus intra sphæram obedientiæ; obedire æquali, majoris est meriti; obedire inferiori, gradus est omnium perfectissimus, quia majorem convincit humilitatem in obediente; humilior est, qui inferiori obtemperat, quàm qui æquali, & iterum submissioris est animi, qui morem gerit æquali, quàm qui obedientiam præstat superiori. Nunc igitur ad rem: in visione adducta, Jacob, verus Josephi Pater, dum suo obedit filio, superior obedit inferiori. Bala, cum esset ejusdem Joseph noverca, superior quidem erat, ast non tantâ pollebat superioritate, sicut si fuisset vera mater; ideoque dicitur luna. Fratres autem undecim obediendo fratri, quasi obedientiam præstitêre ei, qui

Tres obedientiæ gradus.

in dignitate æqualis eſt, licet in ætate minor; atque ideo dicti ſunt ſtellæ. Hæc etenim communis atque univerſalis debet eſſe regula, quod in dono DEi magis reſplendeat luceatque ille qui obedit perfectius.

XXXIX. Nunc ad alterum novi teſtamenti locum digrediamur, ſi vobis clarius demonſtrari vultis, quantum ſubditus obediens ſuperiori præſtet imperanti. Apoſtolus de CHRISTO loquens, ita diſcurrit: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO; ſed ſemetipſum exinanivit, factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

Phil. 2. v. 6.

v. 7.

v. 9.

Cur Chriſtus exaltatus ſecundùm corpus.

Conſidero primò in hocce loco, dici de CHRISTO; primum, quòd ipſe verus eſſet DEUS (*cum in forma DEi eſſet*) ſecundùm, quòd ſe humilarit, obediensque fuerit: *Humiliavit, factus obediens.* Quando CHRISTUS fuit exaltatus, & quo tempore ſupremum ei obtigit nomen? Reſpondet ſanctus Paulus, eum propter obedientiam exaltatum fuiſſe; non potius dicitur ſublimatus, eò quòd verus eſſet DEUS? Nunquid potius exaltatio unioni debebatur hypoſtaticæ? Reſpondeo, Chriſtum, corporis ſui gloriam, nominisque exaltationem accepiſſe in præmium; præmium præſupponit meritum; non ſufficiebat filiatio divina ad hoc, ut præmiaretur. Gloria quidem animæ data fuit CHRISTO propter unionem hypoſtaticam, & non ex meritis; neque etiam dici poteſt Chriſtum divinæ fruitum fuiſſe viſione eſſentiæ, propter præſtitam obedientiam; minimè equidem; ſed beatus fuit propter unionem hypoſtaticam: & quantumvis CHRISTUS corporis ſui gloriam & nominis exaltationem habere potuiſſet, ratione unionis hypoſtaticæ; nihilominus ipſe tam corporis gloriam, quàm nominis exaltationem ſibi dari voluit in præmium, ſuo debitum meritò. Quod autem fuit meritum iſtud? *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens.* v. 8.

XL. Aſt quandoquidem Chriſto nominis honor & ſublimatio obtigit in præmium, merito ejus correſpondens infinito; quare non dicitur mereri etiam ut gubernans, ſed ſolummodo ſub ratione obedientis? quomodo enim? nonne Chriſtus, Rex Sanctus & Pontifex juſtus, meriti fuit infiniti? Non; dicit Spiritus ſanctus: nulla gubernii, ſed ſolius fit mentio obedientiæ; quamvis enim regimen & imperium Chriſti ſummè eſſet meritorum; nihilominus humiliatio ejus & obedientia ad Patrem, reliquis omnibus palmam eripit meritis.

XLI. Et quantumcunque ſubditi vires ſint exiles, nihilominus in virtute obedientiæ, maximam acquirit fortitudinem. Teſtatur S. Joannes Evangeliſta, ſe ſupra montem Sion, divinum vidiſſe Agnum, centum quadraginta quatuor millibus ſanctorum ſtipatum, qui omnes unanimi voce inauditam intonabant melodiam: *Cantabant ſancti canticum novum, ante ſedem DEI & Agni.* Sed audite, quid dicat Evangeliſta inſuper: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Iſta 144. ſanctorum millia nunquam cognoverant mulieres, ſed omnes ſunt virgines, divinum Agnum omni

Obedi. effectus.

Apoc. 14. v. 3.

v. 4.

in loco ſequentes. Viſio hæc diverſis ſcatet myſteriis; dic mihi ô Evangeliſta ſancte; omnes illi, quos vidiſti puros & virgines, viri ſunt ſolummodo; aut partim viri, partim mulieres? non eſt credibile, in tanta Virginum turba nullam omninò fuiſſe fæminam. Si itaque inter viros aderant & fœminæ, quomodo tu dicis, ſanctos illos nunquam cognoviſſe mulieres? *Hi ſunt, qui cum mulieribus non coinquinati.* Si in tanto Virginum numero etiam mulieres reperire erat, quomodo omnibus illis titulum attribuis virorum? *Hi ſunt, qui cum mulieribus &c.* Reſpondet S. Joannes: in dicto ſanctorum choro, quem vidi, plurimæ erant mulieres virgines, nihilominus viros ego appellavi omnes; quæ immaculatum Agnum Chriſtum ſequuntur, ſeque immaculatas conſervare norunt; non merentur nomen muliebre, ſed virile, hujuſmodi omnes viri nuncupari debent, & non qualeſcunque, ſed viri magni; qui omnes dum divini Agni veſtigiis inhærent, DEus indubiè illis fortitudine imbuet virili, ut ſequi poſſint, & difficilem adeo, qualis eſt virginitatis, continuare ſemitam.

XLII. Si igitur vos reſoluti eſtis, DEUM ſequi, ipſique morem gerere in omnibus, in nullo non obedire; ne vos veſtra perterreat imbecillitas; oculos ad divinam erigite potentiam, certi, quòd ipſe incomparabilem vobis ſubminiſtrabit fortitudinem. Utque tandem totam ſubditorum gloriam ad unam conſtringamus ſpecialitatem, dicite mihi, quantum eſt ſuperiorum & Prælatorum onus? abundè jam illud ponderavimus; moles eſt intolerabilis. Subditus fortè ſimili premitur gravamine? nequaquam. Concludere itaque poteſtis, ſubditum longè feliciorem eſſe ſuperiore; quia verè magnum ille bonum poſſidet, qui malo caret. Ite in pace.



PRO-

241

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUARTA DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De malis, quæ causat ambitio; deque utilitate, quæ acquiritur per contemplationem Christi crucifixi.

Tunc accessit ad JEsum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, dicens: dic, ut sedeant hi duo filij mei; unus ad dextram, & alius ad sinistram in regno tuo. Matth. 20. v. 20. & 21.

PROBLEMA

Utrùm sit efficacior; ambitio, ad crucifigendum Christum; an verò Deus crucifixus, ad exstirpandam ex anima ambitionem?

INTRODUCTIO.

I.

RELiquas inter egregias & curiosas, quæ in scholarum academicarum campo, à sublimioribus ingeniis ventilantur quæstiones, ûnum, facilè princeps, eminet dubium illud, tam subtile quàm mysteriosum & doctum, quo quæritur, utrùm desiderium gloriæ actus sit vitiosus, an verò virtutis? certum est, pro omni parte efficacissimam militare rationem; hinc docuêre aliqui, actum esse virtuosum, quia per gloriam homo ad similitudinem Dei ascendit, juxta illud S. Joannis testimonium: *Tunc similes ei erimus, cum videbimus eum, sicuti est.* Quandoquidem assimilari Deo, actus est virtuosus, consequens est, & ipsum gloriæ desiderium actum esse virtuosum.

An desiderium gloriæ sit act⁹ virtuosus.

1. Joan. 3. v. 2.

Contrarium sustinuêre alii; quia gloriæ desiderium semper comitatur ambitio, virtuti opposita humilitatis; & consequenter desiderium gloriæ actus est vitiosus. Doctor Angelicus tertiam ingreditur viam, qui subtilissimæ distinctionis beneficio, dissidentes videtur ad invicem conciliasse partes. Si enim, est vitiosus; inquit ille, desiderium est gloriæ caducæ, indubiè actus est vitiosus; si verò desiderium fuerit gloriæ æternæ, actus erit virtuosus.

S. Th. 2. 2. q. 132.

II. Ego autem hodie difficultatem ad unam restricturus partem, quæro; an desiderium gloriæ æternæ semper sit virtuosum? respondebit speculativus quispiam affirmativè, quia omnis actus specifica-

tur ab objectò, cum igitur desiderium gloriæ æternæ *versetur circa objectum bonum*; utique semper virtuosum erit. Huic ego libens consentirem doctrinæ, nisi hodiernum mihi Evangelium rationem dubitandi ingessisset. Abiturus Jerosolymam Christus ad flagella & crucifixionem, suos convocavit discipulos,
Matt. 20. v. 18. iisque quàm secretissime dixit: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur, & flagellabitur, & crucifigetur.* Vix Christus hunc discursum finierat, & ecce subitò se stitit coram eo quæ-
v. 20. dam mulier: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi*; eique supplicavit, in-
v. 21. quiens: *Dic Domine, ut hi duo filii mei sedeant, unus ad dextram, & alius ad sinistram in regno tuo.* Moxque Christus ad consobrinos conversus, ait: *Pote-*
v. 22. *stis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* Præsumitisne, vos bibere posse calicem illum, quem ego epotabo? Ita, responderunt fratres, *possumus*. Bene
v. 23. res habet, ait Christus; at certi estote, quòd *calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram vel ad sinistram, non est meum dare vobis.* Bibetis equidem passionis meæ calicem; at conferre vobis dictos gradus, non est mearum partium. Hic ego difficultatem unicè moveo: quomodo mi Domine, ergo ad te non spectat dispositio sedium cœlestium? Nonne tu es Dominus ille, cui pater æternus omnimodam dedit in cœlis inque terris potestatem? utique; sic enim ipse protestaris, di-
Joan. 13. v. 3. cens: *Omnia dedit mihi pater in manus.* Idem omninò tu alibi confirmasti, cum
Luc. 22. v. 29. diceres: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater.* Nonne tu es DEUS ille: *In cujus manu sunt cœli terræque the-*

sauri? ita sanè, quomodo igitur dicis: *Non est meum dare vobis*? Respondet S. Ambrosius, inquiens: *Non dixit; non est meum dare simpliciter; sed: non est meum dare vobis; non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis.* Non asseruit CHRISTUS, sibi absolutè potestatem deesse, sed negavit, se posse dare, propter defectum meritorum in discipulis. Quod igitur in iis deficiebat meritum, si gloriam quærebant? quod meritum? tempore, quo Christus agebat de cruce, ipsi pro se totum ambiunt regnum; defectus iste certè non vulgaris erat. Permittite mihi, ut taliter discurram & argumenter. Si desiderare gloriam totam pro se, ingens est defectus; quid non erit desiderare gloriam mundanam totam pro se, & ex motu ambitionis? Atque ita inveterato desiderio meo satisfacere potero & intelligere: utrius major sit efficacia; an ambitionis ad crucifigendum Deum; aut verò Dei crucifixi ad eradicandam ex anima ambitionem? pulcherrimum & curiosum est problema; nisi me verbis vestris crucifigere volueritis, me precor consolemini silentio vestro, dum exordior.

S. Ambr. l. 5. de fide c. 26.

Problema.

III. Tempusne observastis, in quo dicta mulier ambitiosos pro filiis suis expetiit honores? Loquente Christo de cruce (*ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis crucifigetur*) *Tunc*, in eodem tempore, quo Christus se crucifigebat in animo, accessit mulier, petens primatum pro filiis suis. O temeraria mulier dum Christus mente crucem conscendit, tu ambitiosas expetis promotiones? creditisne ô Auditores sine mysterio contigisse, ut ambitiosa mulier tunc

Matt. 20. v. 18.

com-

compareret, quando Christus loquebatur de cruce?

IV. Dicite mihi, quod crimen nostri commisere protoparentes, ratione cujus Deus carnem assumpsit humanam, & postea in cruce mortuus est? Aliqui asserunt, inobedientiam fuisse, quia cùm Deus iis vetuisset, ne de arbore scientiæ boni & mali manducarent, illi nihilominus, nulla habitâ præcepti ratione, sumpserunt. dicunt alii, peccatum fuisse gulæ. At S. Thomas peccatum protoparentum nostrorum sustinet ambitionem fuisse; quia non contenti indulto sibi omnium animalium dominio (*Dominamini piscibus maris*) ipsam non dubitarunt ambire divinitatem: *Eritis sicut Dii.* Ex quo clarè deducitur, eos inobedientes fuisse propter gulam, gulosos autem propter ambitionem. Christo itaque loquente de cruce, ambitiosa sese insinuavit mulier, postulans dignitates pro filiis suis; ut per hoc nos cœlum edoceret, quòd omnium peccatorum maximè horrendum atque crudele ad crucifigendum Deum, sit ambitio.

Cur Deus in cruce mortuus.

S. Th. 1. 2.

Gen. 1. v. 28.

Gen. 3. v. 5

V. Vultisne probari vobis, Deum in tempore propter ambitionem crucifixum fuisse? Notate sequentem S. Augustini discursum, ubi amorem illum, qui Deum cruci affixit, ita alloquitur: *Cur ita majestatem Domini laceras ô amor crudelis? cur sic bonitatem Dei damnas? cur in Deum piissimum sic crudeliter sævis? ecce, unde tantum malum; homo cum in honore esset, non intellexit; factusque præsidens animalium, adhuc Deitatem inaniter concupivit.* O quæ verba! Totum hoc malum, quod Deo illatum fuit, scilicet mortem in cruce ambitio causavit humana. Unde si nos Deum illum crucifixum interrogaremus: Domine, quis te ad crucis patibulum conduxit? quis te clavis confixit? ipse responderet: *Ego feci, & ego feram.* Ly *feci* correspondere videtur illi alteri *faciamus*, de quo in Genesi dicitur: *Faciamus hominem, & præsit piscibus maris.* Complacuit mihi, inquit Deus hominem constituere animalium omnium caput; quâ ipse prærogativâ minimè contentus, ambiit divinitatem: propter hanc ambitionem, ego pœnitentiam agere compellor: *Ego feci, & ego feram.*

S. Aug.

Isa. 46. v. 4.

Gen. 1. v. 26.

VI. Ast unde tanta ambitionis sævities; ut Deum crucifigat? Hoc ut intelligatis, licentiam mihi dari precor, anatomiam hodie instituendi circa ambitiosum, ut tantò evidentius quintam malorum essentiam, quæ ambitio causat, attingatis. Ambitiosus, qui omnia sibi arrogat, semperq; dominium & regimen affectat aliorum, non est creatura Dei. A mendacio me eximet admirabilis quædam S. Gregorii Papæ subtilitas, qui de regio psalte ait, eum in quodam loco, dum cœlorum contemplaretur pulchritudinem, magnaque illa, quæ nos clarissimo fulgore suo circumfundunt hodie, laudibus extolleret luminaria, omnium mentionem ingessisse, præterquam solis: Cœlos, lunam & stellas, opera cognovit esse manuum divinarum; ast ne minimum ingerit de sole verbum: *Quoniam videbo cœlos, opera digitorum tuorum; lunam & stellas, quæ tu fundasti;* ubi S. Gregorius ait: *Quare dicturus lunam & stellas, non enumeravit pariter & solem?* Si David lunam & stellas tantis prosequitur laudibus, quare etiam solem non extollit? quare enumerans luminaria minora, subticet solem, præ omnibus maximè resplendentem? textum hunc alio elucidemus.

Ambit. non est creatura Dei.

S. Gr. ho. 13 in Ezec. lib. 2.

Ps. 8. v. 4.

Christus Dominus in verticem montis Thaborii, tres secum traducens dilectos Apostolos; Petrum, Jacobum & Joannem, sese coram iis transfiguravit cum tanta vultus sui claritate, luce atq; decore, ut S. Petrus, totus jubilo plenus, summèque contentus, dicere non dubitarit: Domine, ô quàm festivus, quàm consolatorius est loci hujus incolatus? si tibi ita bene visum fuerit, tria hîc erigamus tentoria, primum tibi, secundum Moysi, tertium Eliæ. Duo Evangelistæ hanc recensent historiam, & uterque Petrum denominat ignorantem: *Non enim sciebat, quid diceret*, inquit S. Marcus; & S. Lucas ait: *Erat nesciens, quid diceret.* O sancti Evangelistæ quare ignorantis titulo Petrum inhonoratis? ille rem optimam, qualis est gloria, postulat; & vos eum appellatis inscium? Dicite mihi ô Auditores: nunquid fruitio Dei pro omnibus est servata fidelibus? utique; verè igitur ignarus es ô Petre; sed quomodo? Visionem, quæ pro omnibus destinata est, tu tribus duntaxat appropriare voluisti; in eo tuam probas inscitiam. Ecce S. Bernardi verba: *Petrus nesciebat, quid diceret; quia visâ Dei majestate, commune bonum, intra privatum suum visus est conclusisse.* Ubi ecce vobis rationem, cur David Lunæ duntaxat & stellarum meminerit, cœlestiaque laudans luminaria, subticuerit solem. Luna, inquit sanctus Petrus Damianus, dum per noctem obscuram lucet, permittit & stellas simul suis scintillare igniculis; lumen lunæ non obscurat, neque impedit lumen stellarum. Ast quando ex Oriente sol procedit, hic lumine & splendore suo, lunæ & stellarum lumen adeo obfuscat, ut in præsentia solis, nullus alius præsumat radiare planeta; sol, ut breviter dicam, omnem aliam obscurans lucem, totum cœlum sibi arrogat soli. Itane? ait David, hæccine est Solis natura, ut omnia velit pro se solo? non igitur meretur, ore meo exprimi tanquam creatura DEI. *Multò aliquid altius*, inquit sanctus Damianus, *habet claritas solis, quàm Lunæ; hæc enim si minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: ille verò lucidius incandescens ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, ut sint, quasi non sint, & videri non possint.*

Cur Petrus dictus nesciens.

Mar. 9. v. 5.

Luc. 9. v. 33.

S. Bern. ser. de vit. solit.

S. Petr. Dam. ser. de Assump. Virg.

Luna non obfuscat lucem stellarum, secuti sol.

S. Dam.

VII. Sed quare ambitiosus continuam appetendo superioritatem & dominium, non est creatura DEI? Hîc opus est, stylum dignoscere, in domo Dei servari solitum: Scitisne, quid in sacratissimo Trinitatis consistorio inviolabiliter observetur? Una persona divina locum non occupat alterius; si aliud hodie non proterrem, vel hic solus punctus Theologiam continet adeò profundam, ut nulli non docto exhiberi mereatur; Cui tamen ante scripturæ præmittamus exemplum. Rex Nabuchodonosor, suam demonstraturus potentiam, statuam erexit auream, præcipiens, ut omnes eam adorarent sub pœna, ut, qui secus facturus esset, sine mora in fornacem ardentem conjiceretur. Tres igitur juvenes Hebræi, in palatio regio enutriti, responderunt intrepidè: *Notum sit tibi ô rex, quòd Deos tuos non colimus; & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* In quo se fundarunt adolescentes isti, ut statuam non adorarent? nunquid non verum Deum, etiam in statua illa adorare poterant? non, dicit Chrysostomus: *Deus in auro non est possibilis, nunquid imago tale potuit demonstrare? ecce Deus non in auro lucet.* Sed quare Deus non resplendet in auro? memoriæ mandate hocce dubium.

Dan. 3. v. 18.

Chrys. ho. de 3. pueris. §. 11.

VIII.

Modus portandi SS. ad infirmum.

VIII. Qui porrò DEi conditionem dignoscere cupit, me sequatur. Ordinans Honorius III. modum, quo sanctissimum sacramentum ad infirmos deferendum esset, ita decernit: *Hostiam in habitu decenti, superposito mundo velamine, ferat & referat, manifestè ac honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore; semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ.* Resumamus obsecro Pontificis verba. Dicit S. Pater, non ob aliam causam, hostiæ sacræ lumina facesque accensas associari debere, nisi quia est candidissimus lucis æternæ splendor: *Cum sit splendor lucis æternæ.* Dicerem ego, ob hanc eandem causam, quia scilicet hostia est luminosa, ipsam non indigere alio lumine creato; quid enim luminis afferre poterunt ipsi luci divinæ faces nostræ exiles? quo fine, quo motivo, lumina creata ei sociabuntur, qui est omnis origo luminis? si verum est, quòd *ubi est majus lumen, ibi minus cessat*; quorsum igitur lumen adhibebitur exiguæ candelæ, radiante sole aut magnæ cujusdam facis resplendente lumine?

Pap. Honor. 3.

§. 10.

De mysterio Trinitatis.

IX. Hîc sese ingerit Theologia. In nocte cœnæ CHRISTUS Dominus noster, æterno Patri, ut fideles omnes clementer respicere, eosque conservare dignaretur, supplicans, sequenti legitur usus fuisse formâ. *Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi.* Æterne pater rogo te, quatenus fideles illos, quos mihi dedisti, conservare & protegere non graveris, ut continuò in gratia perseverantes, *sint unum, sicut & nos sumus.* Patres Theologi, quomodo sunt divinæ personæ? Vos mihi cum communi schola respondetis, personas divinas adeo æquales esse in essentia, ut, quamvis tres sint personæ, nihilominus unus sint DEUS; imò non solùm æquales sunt in essentia, sed etiam in omnibus perfectionibus attributalibus: *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; sed patris, & filij, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* Si Pater est omnipotens, immensus, infinitus & increatus; increatus, infinitus, immensus & omnipotens Filius pariter est cum Spiritu sancto; & sicuti non obstante personarum Trinitate; Pater, filius & Spiritus sanctus sunt unus solummodo Deus; ita quantumvis omnes tres sint immensi, æterni, infiniti; non tamen sunt tres immensi, neque tres increati; sed unus duntaxat immensus, æternus & increatus DEUS; & ut totum paucis concludam verbis: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Quomodo igitur dicit Christus, ad conservandos fideles in gratia, requiri, ut sint unum quid, sicuti personæ divinæ: *Vt sint unum, sicut & nos sumus?* Ergone omnes hujus mundi fideles debent sibi invicem æquales esse in dignitate? Non intelligitis mysterium; in sanctissima Trinitate verũ est, summam reperiri unitatem; sed & verissimum est, cum unitate essentiæ simul inibi reperiri & summam personas inter distinctionem; neque una contradicit alteri, quia in sacrosancto illo mysterio, unitas essentiæ compossibilis est cum personarum distinctione; ita ut, quantumvis sacratæ illæ personæ sint unus solus DEUS, & in omnibus æquales perfectionibus; nihilominus alia sit persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: Pater non procedit ab aliis, Filius duntaxat à Patre; Spiritus sanctus autem à Patre & Filio.

Ioan. 17. v. 11.

S. Athan. in symb.

atque ita magna est divinas inter personas distinctio; Spiritu sancto non occupante locum filii, neque Filio locum invadente Patris. Itane? inquit Christus, hæccine perfectio reperitur inter personas divinas, ut una non occupet locum alterius? hanc igitur eandem ego vellem inter meos vigere fideles, ita enim pepertuò in divina conservabuntur gratia, & Christiana Respublica evadet viva Sacratæ Triados imago. *Hoc ista similitudine*, inquit Cardinalis Toletus, *insinuare videtur; quòd, quemadmodum unitas essentiæ non confundit ordinem Trinitatis; sed alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, Pater à nullo, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque; ita unitas charitatis non confundit ordinem Ecclesiæ; non enim omnes pastores, nec omnes Prophetæ; sed unus est pastor, alius est ovis; unus est Propheta, alius est auditor; sunt enim gradus.* Ambitiosus itaque, proprio non contentus loco, sed alterius appetens gradus, deficit ab esse Dei, quia negligit ea, quæ in consistorio observantur divino. O Pater supreme, inquit Christus, *sint unum, sicut & nos sumus.*

Tol. in c. 17. Ioa. annot. 9.

Eph. 4. v. 11.

X. Jam intelligitis, quare hostiam sacram lumina præcedant & faces accensæ; non enim peragitur hæc cæremonia, quasi fons ille lucis insufficiens esset ad totius mundi illuminationem; sed ut dicamus nos, proprietatem ejus esse, non obscurare lumina aliorum, sed permittere potius, ut & ipsæ creaturæ circa suum resplendeant latus.

XI. Ecce pariter rationem, cur adolescentes Hebræi non potuerint Deum adorare in auro. Metallum hoc, teste Plinio, talis conditionis est, ut omnia sibi attrahat; tantæque aviditatis est aurum, ut in terra, in qua ipsum reperitur, quæcunque alia res perdant suum esse; ut taliter ad se virtutem attrahat omnium, ut in & circa eundem locum, nec arbores, nec flores, nec similia alia florere possint. Itane? inquit Chrysostomus, hæccine est auri natura, ut omnia sibi arroget? consequenter non est possibile, DEUM coruscare in auro: *Ecce DEUS non in auro lucet.* Non est igitur ambitiosus creatura DEI, quia non procedit juxta stylum, in Domo DEI servari solitum.

XII. At si ambitiosus non est creatura Dei, quid igitur erit? quid erit? monstrum naturæ. Si videretis corpus humanum, pedes habens in capite & in pedibus caput, quid diceretis? hujusmodi est ambitiosus, infelicissimum est monstrum sine spiritu gratiæ divinæ. Fuit ductus Ezechiel Propheta in campum, ossibus mortuorum plenum: *Circumduxit me per ea in gyrum, erant autem multa valde, siccaque vehementer.* Agedum, inquiebat Deus, ò Propheta: *Vaticinare de ossibus his & dices eis: ossa arida, ossa arida audite verbum Dei.* Mox itaque prædicare cœpit Ezechiel, & ecce in unico momento: *Factus est sonitus, & ecce commotio.* Hinc videbatur devolvi os in aliam partem, & ex alia aliud in hanc transire, ut conjungerentur & unirentur simul: *Accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* Post hæc ipse Deus pulcherrimam cum carne, nervorum dispositionem in iisdem extendit & venarum vigorem: *Extensa est in eis cutis desuper, sed adhuc spiritum non habebant*; quando autem ossa illa omnia bene erant accommodata, singulis suum occupantibus locum: *Ingressus est*

Ambit. naturæ monstrū.

Ezech. 37. v. 2.

v. 4.

v. 7.

ibid.

est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque supra pedes suos, exercitus valde nimis. Dicite mihi ô Spiritus & vita, cur non intrastis in ossa illa, antequam unirentur? ad hoc Spiritus & vita respondent: si ossa illa intrassemus, antequam in suo essent reposita loco, periculum fuisset alicujus monstruositatis; fortè enim ad caput venissent pedes, capitis sibi locum vendicaturi; sicque caput locum & vices tenere debuisset ipsorum pedum; atque adeo totidem fuissent monstra. Nequaquam dicit vita: *Accedunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* Sic enim unoquoque osse suum occupante locum, nulla reformidabitur disordinatio, sed & unumquodque eorum Spiritu & animâ dignissimum erit. Idem omnino DEus observari jubet in corpore mystico cujuscunque Reipublicæ & communitatis. Nolo ego, dicit DEUS, ut impuri isti pedes, ut ignorantes hi & illi, qui vel seipsos regere nesciunt, ambitiosè primum capitis locum & aliis imperent; hujusmodi enim, præterquam quot naturæ monstra futuri sint, insuper infelicissimi erunt, omni Spiritu & gratiæ vitâ destituti.

XIII. Ast quæ hucusque dixi, nimis sunt exilia. Ambitiosus titio est infernalis & Lucifer incarnatus, qui potius eligit caput esse damnatorum in inferno, quàm subditus Dei in Paradiso. Auscultate, si placet, probationem quandam minimè vulgarem. Impius ille & excommunicatus rebellis Lucifer, ambitione inflatus & superbiâ, temeraria præsumptione ad similitudinem DEI pertingere attentavit, dicente Isaiâ: *In cœlum conscendam; super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem montium, ero similis Altissimo.* Textus hic admodum difficilis est; nunquid enim, vos interrogo, Lucifer in Empyreo creatus fuit? ita; ergò supra illud cœlum exaltari volebat?

Et inferni titio.

Isa. 14. v. 13.

XIV. Huic difficultati correspondet alia libri Apocalypseos, ubi dicitur: *Projectus est draco ille magnus & serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* Ubi doctus quidam pater ita discurrit: dæmonem è cœlo projectum usque ad inferni abyssum, non est cur admiremur, hujusmodi enim pœna temeritati illius debita erat. Id duntaxat obstupesco ego, quòd casus ejus irremediabilis fuerit, & peccatum irreparabile; cùm tamen homini, impudenter adeo prævaricanti, indulgentia fiat & remissio; imò cùm homo per peccatum, dæmonis evaserat mancipium, ipsemet DEUS non est dedignatus incarnari, ut proprii sanguinis monetâ recuperaret hominem. Quare igitur Angelo, creaturæ adeo nobili, nullum fuit adhibitum remedium?

Apoc. 12. v. 9.

Cur peccatum dæmonis irremissibile.

XV. Cui secundo dubio subjungo tertium, sed difficilius prioribus. Loquens CHRISTUS de diabolo, inquit, *Ille homicida erat ab initio.* Pessimus ille & superbus Lucifer à principio jamtum sanguinem sparsit, populosque interemit. Veritatem vobis loquor ô Auditores & profiteor, me nunquam capere potuisse, quomodo diabolus occisor fuerit à principio; ipse quidem manus conseruit cum Archangelo: *Factum est prælium magnum in cœlo*; sed pugna ista inter solos Angelos habita fuit; qui cùm sint incorporei, sanguine carent; quique vitam perdere non possunt, cùm sint æterni. Et dato, quòd Lucifer

Ioan. 8. v. 44.

Cur Dæmon homicida.

in

in illo conflictu aliquem Angelorum confodisset, non tamen idcirco de ea dici debebat: *Fuit homicida*, quia non occidisset hominem; sed potius dicendum foret: *Fuit angelicida*; quomodo igitur nuncupatur *homicida ab initio?*

XVI. Tot tamque difficilium solituri dubiorum nodos, necessum est, ut gradatim provehamur & trium punctorum præmittamus explicationem; primò, quale fuerit peccatum Angeli; secundò, quandonam Angelus peccarit; & tertiò tandem, quo motivo deliquerit? Aggrediamur primum: quod fuit peccatum Luciferi? crimen fuit ambitionis; intelligens namque, humanitatem CHRISTI hypostaticè uniendam Verbo divino, ille unionem hanc & dignitatem nimiam appetere cæpit; sicque superbus & ambitiosus, tantâ CHRISTUM privare machinatus est excellentiâ; & ab eodem momento, quo hanc cum verbo unionem ambire cæpit, totus stomachabundus, mortem CHRISTO intentare non abhorruit. Nonne meritò igitur propter hanc ambitiosam nimis prætensionem homicida nuncupandus erat? Audite Rupertum Abbatem: *Quoniam contra filium DEI, qui solus est similitudo patris, superbo tumescens odio, dixi: similis ero Altißimo; jam tunc in conspectu ejusdem patris, dæmon, qui hæc loquebatur, homicida erat; quoniam illud Judæorum odium homicidio consummandum erat.*

Rup. Ab. l. 8. in Ioa.

Isa. 14. v. 13.

Angeli. creatio.

XVII. Suppositâ peccati dæmoniaci qualitate, modò tempus inspiciamus, quo admissum fuit? Aliqui dixêre, eum à DEO creatum esse malum; ast opinio omninò erronea est ista; unde S. Thomas inquit, quòd *nullus effectus sequitur ab agente, nisi secundùm conditionem agentis*; si igitur DEus creavit omnia, ut suam iis communicaret bonitatem; *impoßibile est*, infert S. Doctor, *quòd ab ipso fiat aliquid, nisi secundùm quod suæ bonitatis est particeps.* Qui bonitatem participat Dei, bonum acquirit, & non malum. Docuêre alii, Luciferum peccasse in primo creationis suæ instanti, & sine morâ corruisse; hi autem citatis illis Christi verbis innituntur: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* At opinionem hanc S. Thomas impugnat; quia voluntas ex se & ex natura sua semper inclinatur ad bonum, sive hoc verum sit sive apparens; quando igitur inclinatur ad bonum verum, non peccat; si verò apparens concupierit, peccabit. Et quandoquidem juxta doctrinam sancti Augustini, nemo potest judicare bonum apparens, nisi prius cognoverit bonum verum; sequitur, cognitionem boni veri semper esse priorem cognitione veri apparentis: ex quibus demum infertur, Angelum in primo creationis suæ instante, prius in cognitionem devenisse boni veri; in secundo autem instanti bonum appetiisse apparens, in quo consistit peccatum; adeoque dicere, Angelum peccasse in primo instanti, idem esset, ac asserere, eum primò notitiam hausisse boni apparentis, & postea veri; quod est, cognitionis invertere ordinem. Unde concludit Angelicus: *Cum impoßibile sit intellectui creato, simul plura intelligere; non potuit in primo instanti creationis, appetitus Angeli esse malus.*

in 2. dist. 3. q. 1. a. 1.

Non peccavit Angelus in primo instanti, & quare.

S. Aug. l. 3. cont. Academ.

XVIII. Quod igitur hac in materia resolvendum occurrit, hoc ipsum est, quòd inter creationem & peccatum Angeli me-

Pet. Lomb. l. 2. dist. 3. lit. F. mediarit, quod nescio spatium. Atque ita asserit magister sententiarum: *Aliquam fuisse morulam, inter creationem & lapsum.* Ecce nunc vobis causam, quare draco infernalis è cœlo fuerit dejectus in abyssum cum damno irreparabili. In morula ista, creationem ejus immediatè subsequente, confestim ambire cœpit sublimissimarum Empyrei excellentiarum possessionem; nondum obtinuerat, ut ita dicam, esse angelicum; & jam affectare cœpit esse divinum; necdum servire cœperat in curia cœlesti moxque dominium prætendit & superioritatem. O temeritatem inauditam! ideo peccatum ejus *S. Cyr. Al. in Isa. l. 2. t. 2. l. c.* omnino irremediabile fuit. *Quia tuum solium*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *supremo throno adæquasti, & Deo æqualem te esse ac supra creaturam, stolidè te existimasti; meritò cecidisti, qui mane oriebaris.*

XIX. Ecce vobis manifestatam ambitionis Luciferi temeritatem. Si in cœlo Empyreo creatus erat, quem sublimiorem meditabatur scandere locum? *Aelredus. ser. 13. in Isa.* quò suam collocare sedem? Pater Aelredus respondet, inquiens; Lucifero immediatè post creationem ex una parte, chorum sanctorum repræsentatum fuisse, qui omnes sub divina obedientia victuri erant; ex alia verò parte exhibitum ei fuisse numerum reproborum & damnandorum; ipsique liberam fuisse datam optionem eligendi, aut subiici Deo in Paradiso; aut capitaneum agere damnatorum in inferno. Ille igitur ambitione motus & dominii illectus appetitu, elegit potius reproborum esse caput in inferno, quàm subditus Dei in Paradiso, infernum ipsum reputans cœlum & Paradisum suum; sic secum discurrendo: ego malo caput & dux esse dæmoniorum in inferno, quàm unus de numero electorum Dei in cœlo. Ecce vobis ipsa Doctoris verba: *Sicut societatem illam sanctam, in qua regnaturus erat Deus, cœlum vidit nominandum; ita ipsos, in quibus ipse jam dominari *affectabat, suum cœlum arroganter appellat.* O maledicta ambitio, quæ ambitiosum in Luciferum transformas incarnatum, qui mavult ducem agere in inferno, quàm subditum in Paradiso.

XX. Sed quid dixi? dæmonio longè pejor est ambitiosus. Quid ambiit *Ambit. horror.* Lucifer? æqualitatem cum Deo: *Similis* *Isa. 14.* *ero Altissimo.* Ambitiosus autem quid af- *v. 13.* fectat? major esse Deo. Quis est locus Dei? infra homines, humano inferior. *Et erat subditus illis.* Ambitiosus itaque *Luc. 2. v. 21.* principatum & superioritatem quærens inter homines, supra Deum sese extollere præsumit; quod S. Bernardus sequentibus voluit insinuare verbis, dum *S. Bern.* ait: *Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum præire contendo.*

XXI. Quæ hucusque dixi, nimis sunt exilia. Ambitiosus affectivè ad ipsius esse sanctissimæ Trinitatis pertingere vellet; non recedamus ab hodierno Evangelio. Quale regnum hodie à Christo postularunt Jacobus & Joannes, quando dicebant: Domine, *dic ut se-* *Matt. 20.* *deamus unus ad dextram, & alius ad sini-* *v. 22.* *stram in regno tuo?* Certissimum mihi ego persuasum habeo, non petiisse illos sedere in regno nativitatis Christi; cæteroquin naraque alter bos, asinus alter esse desiderasset: neque etiam thronum concupiere in monte Calvariæ, ubi utrumque Christi latus duo stiparunt latrones: neque etiam finaliter, meo saltem judicio, dextram & sinistram Christi

poposcerunt, in regno judicii universalis; quia alteruter saltem illorum, petiisset esse reprobus. Superest igitur, eos postulasse prærogativam in regno cœlorum; nunc itaque dicite mihi in regno cœlesti quis occupat dextram Christi? augustissima Regina Maria: *Astitit Regina à dextris tuis.* Ad sinistram autem quis consider? æternus Pater, qui ad ipsum Christum ait: *Sede à dextris meis.* Ambitiosi itaque illi, dextram & sinistram Christi postulando, voluëre è paradiso exturbare magnam Dei matrem Mariam & Patrem æternum; si autem è cœlo Pater discederet æternus, nunquid remanebit Flius? minimè equidem; quia *relativorum ablato uno, aufertur & aliud.* Cum Patris autem & Filii discessu, nonne tolleretur & Spiritus sanctus? citra omne dubium; quia Spiritus sanctus est amorosus Patris & Filii nexus: *Qui à Patre, Filioque procedit.* Igitur ambitiosi isti, dum Christi dextram & sinistram sollicitarunt, Trinitatem ipsam per affectum destruxerunt. Forsitan quid execrabilius excogitari poterit? Audite S. Paschasium: *Proprium est uni Dei filio, Christo Jesu, ut sedeat ipse ad dextram Dei patris; quomodo ergo sederet aliquis eorum ad sinistram Filii, nisi medius sederet inter Patrem & Filium, quod nefas est dicere?*

Ps. 44. v. 10.

Ps. 109. v. 1

S. Pasch. in c. 20. Matt.

XXII. Non igitur est peccatum ullum adeo SS. Trinitati oppositum, sicuti ambitio. Patri æterno pavorem incutit & terrorem; Filium divinum in fugam adigit, & spiritum sanctum adeo facit vilescere, ut hunc vendibilem prostituat. Vultisne plenam horum dignoscere veritatem? gratiosas dicendis accommodate aures. Nato Christo Domino, venerunt ab Oriente Magi, stellâque duce, infantulum natum investigantes, dicebant: *Ubi est, qui natus est rex Judæorum?* Ubi degat infans iste, qui recenter genitus est, Judææ rex? subaudiit Herodes nomen regis Judæorum, moxque totus turbatus, omnes totius regni primates convocans, ergone, inquit, alius est in statu meo rex præter me? confestim omnes mactentur infantes in tota Bethlehem; ne unus evadat. Tunc Pater æternus per Angelum Josepho præcepit, ut tolleret infantem Jesum cum Maria matre ejus & fugeret in Ægyptum? *Tunc Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Notandum est in præsenti, Filium Dei se in fugam dedisse: *Fuge in Ægyptum.* Quomodo æterne pater? ergone non alia viâ filium tuum ab Herodis ira liberare potes, nisi per fugam? ergone etiam omnipotentiæ tuæ protectus scuto, hominem expavescis terrenum? videtur mihi Pater æternus respondere: tam horrendum malum est ambitio, ut ipsum Deum ad fugam capescendam impellat, mihique timorem incutiat, qui sum Pater omnipotens. *Persequente homine,* verba sunt S. Petri Chrysologi, *Deus fugit; sæviente terra, cœlum trepidat, & pavor Patris Filio fugiente monstratur.* O horrendum ambitionis monstrum! tu Patrem æternum reples pavore, tu Filium cogis in fugiam.

Matt. 2. v. 2.

Chrys. ser. 150.

XXIII. Quid? forsitan Spiritui sancto parcet immanis hæc bellua? minimè equidem; quin potius eum ita aspernatur, ut venalem exponat. Non dubito ego, quin omnes ambitiosi sint simoniaci; quas enim dignitates & honores Eccle-

Amb. Simoniaci

Ecclesiasticos sibi non comparant pecuniis; tales sibi procurant obsequiis & adulationibus; numquid autem servitus hæc pretium est longè majus? audite resolutionem S. Joannis Chrysostomi: *Quid refert*, inquit, *si non das pecuniam? si pecuniæ loco adularis, subornas, multaque machinaris? Pecunia tua tecum sit in perditionem*, *dictum fuit ad illum Act.* 8. *Et his dicetur; ambitio tua tecum sit in perditionem; quoniam putasti, ambitu humano parare donum Dei.* Quandoquidem ambitiosus adulationibus & millenis subjectionibus suis obtinere satagit dignitates ecclesiasticas, cur non pro simoniaco habendus erit? respondebitis utique, formalitatem Simoniæ consistere in eo, quòd res spiritualis pro pretio distrahatur; sed quando ambitiosus, mediâ servitute & submissione, obtinet aliquam dignitatem, non intervenit pretium; ergo ambitiosus non est dicendus simoniacus. An non auditis, qualiter huic objectioni S. Petrus Damianus respondeat? pulcherrimum ipse desuper discursum instituit, inquiens. Aut honorum ecclesiasticorum venditores avari sunt, aut superbi & gloriosi? si primum, pecunias volunt; si secundum, loco monetæ, acceptant contentanturque adulationibus & politicis obsequiis: *Venditoribus Ecclesiarum, si avari sunt, sufficit pecunia, cum appenditur; si gloriosi, solus adulationis favor aliquando loco pretii compensatur.*

Chrys. ho. 5 in Act. Ap.

Act. 8. v. 20.

S. Pet. Dam.

Chrys. ser. 150.

XXIV. Si ambitiosus comparando dignitatem vocitatur simoniacus; cur non etiam talis dicetur, si honores sibi acquisierit ecclesiasticos per servitutem & adulationem? audite irrefragabilem S. Petri Damiani consequentiam: *Nequaquam ergo diffiteantur, se dedisse pecuniam, qui prælationis ambitione, Principibus exhibent clientelam.* Persona vestra, ò ambitiosi, vel est alicujus valoris vel nullius? Si nullius, quorsum ad dignitates aspiratis ecclesiasticas, solis debitas meritis? si pretii alicujus estis, quare vos in prædam datis miseræ servituti? quare animas vestras adeo nobiles concatenatis & alligatis in anticameris? An non certo certius hæc indignationem provocat Spiritus sancti? ipse donorum spiritualium dator est, dicente Ecclesiâ sanctâ: *Veni dator munerum.* Quidquid ille largitur ex gratia, gratuitò quoque vult dispensari: *Gratis accepistis, gratis date.* Quando igitur ambitiosi divinum Spiritus sancti usurpant officium, ejusque dona vendunt; quasi timidus hic ait: quo hos inter versor in periculo? ecce mihi improbas struunt insidias, deserantur iniqui; sicque summa cum abominatione eos fugit.

Amb. Simoniaci

Matt. 10. v. 8.

XXV. Ex omnibus hucusque dictis, non sine fundamento, infero & concludo, ambitionem esse omnium imaginabilium malorum primam & principalem causam; & quod probandum, authoritatem adducamus S. Joannis Chrysostomi, dicentis: *Unde rapinæ, avarorum fraudes, cædes, latrocinia & totius animæ destructio? nonne quia plus concupiscimus, quàm nobis congruit?* quæ authoritas me indilatè traducit ad considerandam quandam in libro Judicum contentam parabolam; noveritis utique scripturarum periti, quomodo inibi recenseatur, arbores congregasse concilium, in eoque spinam elegisse in superiorem; non inhæreo historiæ, utpote jam notæ nimis; id tantummodo assero, vix reliquas arbores ad spinam dixisse: *Impera nobis, & serviemus tibi*; quin

Io. Chr. ho. 37. in Gen.

Amb. fons malorum.

Iud. 9. v. 15

quin sine ulla replica officium acceptando spina, responderit: *Sine me regem vultis, venite & sub umbra mea requiescite; sin autem, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros libani.* Hæc Spinæ ambitio diversas includit ponderationes. Dic mihi ô temeraria planta, quid in te contines boni, quod te inducit, ut promptè adeo dignitatem acceptes regalem? omnes aliæ arbores fructiferæ & pulchræ, ne cogantur propriam bonitatem suam deserere, oblato sibi sceptro renuntiarunt & coronæ; tu autem tota infertilis, omni exuta bonitate, ambitiosè adeo præsentatam acceptas superioritatem? Non reperietis ô Auditores in tota scriptura sacra figuram aliquam, ambitiosi magis expressivam, quàm sit ista. Spina, quæ regimen acceptat arborum, persona est ambitiosa; notate obsecro, quot & quanta mala unicum vitium generet ambitionis. Spina nihil operatur boni; sed lacerat, discerpit, pungit, conscindit & sanguinem elicit appropiantis sibi. Ambitiosus quid facit? Vulnerat, spoliat, sanguinem exsugit miserorum hominum, suo imperio & gubernio subjectorum. S. Hier. *Indignus præsidens rhamnus est*, inquit S. Hieronymus, *nam tenet, quidquid tangit, retentum vulnerat & vulnerati sanguine delectatur.*

XXVI. Spina non nisi animalium immundorum, rubetarum V. G. & serpentium est receptaculum; quos protegit ambitiosus? malæ subjectos vitæ, temerarios, vitiosos. Audite Philonem Ph. Hebr. Hebræum: *Sunt aliqui, in dignitate constituti; non tali honore nec nomine digni, qui ad similitudinam rhamni, viros defendunt, iniquitate plenos, omni malitia laqueatos.* Quid amplius? Spina acceptavit coronam, non tamen deserit spinas, neque dicit: *Si me regem vultis, ecce desero spinas meas.* Putatisne ô Auditores ambitiosum naturam suam mutare *in melius*? fallimini penitus; si enim in minoribus vitiosus est, utique in officio constitutus, evadet tyrannus & malignus, antiquas puncturas suas & vitia connaturalia reservans in subditorum destructionem. S. Greg. Nyss. Acu rem tetigit S. Gregorius M. dum ait: *Omni exuti virtute, indocti, insipidi, omni se honore dignos existimant, non ut rem publicam promoveant, sed ut suis privatis studentes commodis, Christi oves deglubant.* S. Greg. ho. 15.

XXVII. Dicetis utique, superiorem quantumvis indignum suas habere creaturas & sequaces, quos exaltat, promovet, inque officiis manutenere satagit. O miseri, quos honores, quos gradus indignus potest conferre superior? quam poterit subditus nancisci quietem sub gubernio ambitiosi? profectò non aliam nisi mortis aut infamis honoris. Notate: spina gratitudinis actum exercitatura erga suos subditos, quid fecit, quid dixit? *Si me regem vultis, venite & sub umbra mea requiescite.* Ud.9.v.15 Adeste ô arbores omnes, subq; umbra mea quieti indulgete. O Spina ignorans, quam excitabis sine foliis umbram? quam potuerunt reliquæ arbores à te exspectare quietem, quæ venenatorum nidus es serpentum? Respondete mihi ô Auditores quam conferre poterit quietem ambitiosus ille superior, qui neullum habet zeli folium, qui nullam vovet charitatem proximi, qui nihil nisi fraudes machinatur & malignitates? imò admittamus, superiorem ambitiosum extrinsecus pollere foliis, quibus umbram excitet; quæ salutifera quies sub umbra spinea exspectari poterit? certè

Iudic. 9. v. 15. & 16

S. Aug. q. 151. in Gen.

certè non alia, nisi lethalis. Nunquid enim sub spinæ umbra serpentes latitant & viperæ venenatæ? utique; igitur vel hæc sola insecta tuam tibi auferent vitam. Monitum discite S. Gregorii Nysseni: *Cave, ne sub spinoso capite requiescas, nam illa non erit requies.*
S. Greg. Nyss.

XXVIII. Permittite ut modò vobis speciale quoddam recenseam malum, ex ambitione oriri solitum. Observastisne, quas arbores aggressa fuerit ambitiosa spina: scitisne quales? Cedros
Judic. 9. v. 15. & 16 Libani, bis hellum indixit: *Sin autem,* id est, si *non vultis* me regem, *egrediatur ignis de rhamno & devoret cedros Libani.* Si autem renueritis me agnoscere in regem, prosiliat ignis ex me, omnesque incineret cedros in Libano. Dic mihi ô domina spina, nunquid arbores omnes tuæ sunt subditæ? utique; nonne omnes culpabiles erunt, si neglexerint tibi præstare obedientiam? ita; cur igitur contra solas Libani cedros excandescis? An nescitis? cedri Libani sunt omnium arborum principalissimæ. Superiori ambitioso proprium est, omnibus contrariari subditis, principaliter autem virtuosis insidiari & iis, qui reliquos antecellunt. Ecce vobis clarissima S. Augustini verba: *Et quod malum non est, ubi est indignitas præsidentis? est monstrosa communitas, quæ pulchra est corpore, sed fœda est capite; & cruciantur quotidie ab indigno primi, qui primi indignum præsidem elegerunt.*
S. Aug. q. 151. in Gen.

XXIX. Sed ô insana spina, cum exierit ignis de te, nunquid non tu omnium prima incineraberis? facilius est, comburi arborem, quæ ignem in se continet, quàm quæcunque alia. Hæc est ambitiosi miseria, ut, quando aliis damnum intentat, seipsum primum omnium, in ruinam præcipitet.

XXX. Propositum tandem hodiernum in virtute novi dubii terminemus & assequamur. Quare Filius Dei ad mortem crucis destinatus fuit? nunquid alia mortis species ei inferri poterat? non; quia Deus mortuus est pro peccato hominis, hujus autem peccatum fuit scelus ambitionis: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Ambitio crux est, non ipsi duntaxat ambitioso, sed & omnibus aliis; ideoque S. Bernardus indignatur, inquiens: *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, & tam acerbius crucias omnes?*
Amb. crux est. — Gen. 3. v. 5. — S. Ber. l. 3. de consider.

XXXI. Neque juvat, ambitiosum post tot tantorumque malorum congeriem, pœnitentiæ causâ Romam adire; quia ambitio cruciat in hoc mundo, ut diximus, & postea certo certius ambitiosum sempiternâ mulctat morte.

XXXII. Quem arbitramini ambitiosi esse exitum? quâ morte perit? crepat medius. Mortem ego semper obstupui Judæ, qui miserabilis cognitâ infami traditione, *in fine laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Non legitur in scriptura S. alius hoc mortis genere periisse, præter Judam; quæ hujus extraordinarii termini potuit esse causa? Sapientia de ambitiosis agens, dicit: *Post hæc decident sine honore, & disrumpet illos inflatos sine voce.* Morientur ambitiosi, crepantes per medium, absque eo, quòd ullatenus respirare valebunt. Quis non admiretur? cur ambitiosos funestus adeo manet finis? Notate; ex 4. elementis, unicum duntaxat ambitiosus superior æqualiter participat cum subditis. Quod illud? aërem. In terra superior majorem, quam subditus, commoditatem habet; in aqua pa-
Amb. exitus. — Mat. 27. v. 5. — Sap. 4. v. 19.

riter, quia subdito multoties exardescente præ siti, natitat superior. Tandem & in igne; nisi enim subditus se calefecerit ad ignem Hispanorum (id est, ad solem) morietur præ frigore; cum tamen superiori multiplex omni ex parte faveat se calefaciendi opportunitas. Ast quò ad fruitionem aëris æquales sunt, quia per aërem tam respirat subditus, quàm superior. Videns itaque ambitiosus se quod aërem cum suo subdito assimilari, quid facit; inflat se, aliorum attrahendo sibique incorporando aërem, id quod propriè significat ly *inflare* seu intumescere. Aër vasi fragili inclusus, vas rumpit cum impetu; unde qui phialam violenter inflat, eam è vestigio dissipat; cum igitur natura humana vas sit fragile, teste sancto Petro: *Quasi infirmiori vasculo impartientes honorem*: hinc fit, ut, quantò plus aëris recluditur in ambitioso, quantòque magis inflatur; tantò majori cum violentia crepet & disrumpatur. Ecce vobis causam, cur Judas crepuerit medius. Subditus erat & discipulus Christi, diabolicâ autem exstimulatus ambitione, sicut Lucifer in Empyreo creatus, maluit caput esse reproborum, quàm subditus DEI, ita & Judas à discipulatu ad principatum transire elegit turbarum, ut superior esset: *Ecce turba & qui vocabatur Judas unus de duodecim antecedebat eos*, & S. Joannes inquit: *Erat enim Judas dux eorum.* Appropiavit itaque impius ad Magistrum & *osculatus est eum*; at in ipso osculo, & aërem & flatum Christi attraxit tantum, ut inflaretur; sicque miser crepuit medius, quia aër vasi violenter inclusus, ipsum rumpit & dissipat: *Crepuit medius.*

1. Pet. 3. v. 7.

Luc. 22. v. 47.

XXXIII. Fabulamne vultis, optimum nobis subministraturam documentum? Advertite. Videns die quodam testudo, Aquilam adeo sublimem in aëere ferri, ut omnium propemodum subterfugeret oculos, lamentari cœpit & dicere: quid igitur mali ego intuli naturæ, ut me miserâ admodum conditione dotarit? Ecce Aquila aërem penetrat sublimem, & ego semper in terris repo. Has audiens querelas Aquila, in terram descendit, testudinem convenit, gemituum causam indagavit, quam ut rescivit; itane, inquit, domina testudo, per aërem volare desideras: sicut ego? agedum tentemus aleam. Sustulit igitur testudinem Aquila, attollens sub alis suis, eamque aëris altitudinem volatu penetravit, quò pertingere solet alarum beneficio, avium regina. Ut vidit testudo in hac se sublimitate constitutam, capitis vertiginem passa, ingemiscere cœpit: Heu miseram me! nequeo progredi ulterius, domina Aquila per tuam tibi supplico vitam, reduc me in terram. Non; dicebat Aquila: non ita convenimus inter nos, si tu non potes hanc sufferre sublimitatem, sed repetere vis terram, vade in malam crucem; sicque testudinem suis excussit alis, quæ misera corruens, in mille partes dissipata fuit. Ita pariter dæmon agit cum ambitioso. Molitur hic, quantum potest, ut reliquis evadat æqualis, ut hanc illamve dignitatem aut officium consequatur; diabolus itaque eum ad hanc sublevat celsitudinem, sed heu miserum! dum suas neglexit mensurare vires ambitiosa prætensio, quid accidit? hunc hodie, cras alium admittit excessum, aut succumbit defectui; propter quem mundus contra eum vociferari, exclamare, protestari; & ecce mox miserum extremi invadunt capitis dolores; videt se vilescere

Sap. 4. v. 19.

Compar. inter Johannem & Christum.

lescere sine respectu, omni exutum æstimatione, sicque se in mari sepelit fastidiosissimarum cogitationum, & tandem redire proponit ad priorem statum. Nequaquam tunc ait diabolus, non tale icimus fœdus, aliter pactum est inter nos; si nequis subsistere in dignitate, præcipitâre in perditionem: *Et post hæc decident sine honore, & erunt in contumelia inter mortuos.* Ecce vobis mala & finem ambitiosi; restat modò, ut unicum dignoscamus remedium, ad eradicandam ex anima ambitionem accommodum; sed antè respiremus.

Sap. 4. v. 19.

PARS SECUNDA.

XXXIV. CRas duo puncta proponemus extraordinaria; primum erit, quid sit, qualemque finem nacturus sit dives avarus? secundum, quare aliquando in pixide reperiantur consumptæ & corruptæ species sacramentales?

XXXV. Intellectâ ambitionis efficaciâ, quam habet ad crucifigendum Deum, examinemus modò, quàm sit efficax Christus crucifixus ad abolendam ex anima ambitionem? Quandoquidem autem S. Joannes Evangelista fuit unus ex iis, qui hodie Christum sollicitarunt: *Dic ut sedeamus in regno tuo*: Scire percuperem, quid in eo ingens hoc regnandi desiderium exstinxerit? neque hic mea se sistit curiositas, sed insuper diversa animo meo occurrunt, magno huic Evangelistæ concessa privilegia. Plurimas specialas prærogativas ego considero in Christo, omnesque cum stupore ego veneror in S. Joanne. Christum dilectione singulari prosecutus est Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; Joannem pariter amavit Christns: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus*. In sinu Patris requiescit Filius Dei: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*: Et Joannes in sinu Christi: *Qui supra pectus Domini, in cœna recubuit.* Christum non invasit corruptio: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: neque mors Joannem: *Exiit sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur.* Christus Mariæ fuit filius: *Qui natus est de Maria Virgine*; Joannes & Mariæ: *Ecce filius tuus.* Si paritatem negatis, quia nimirum Christus naturalis fuit Mariæ filius; replico ego, Joannem non quidem naturalem, sed sacramentalem fuisse Mariæ filium; quia ut dicit S. Petrus Damianus, verba illa Christi in cruce (*Ecce filius, ecce mater tua*) cantæ fuerunt efficaciæ, quantæ illa, quæ idem Christus super panem protulit in cæna: *Fuerunt enim illa verba efficacia & divinis virtutibus fulta. Sicut enim dicendo: Hoc est corpus meum; statim panis factus est corpus dominicum; ita dicendo: ecce filius tuus; statim Ioannes miraculose factus, est filius Virginis.* Ita ut S. Joannes quasi sacramentum fuerit; secundum esse extrinsecum videbatur Filius Zebedæi, at sacramentaliter erat alter Christus. Ecce vobis dubium meum: quomodo ambitiosus ille Joannes, qui tanta cum temeritate ante petiit sedere in regno Christi (*Dic ut sedeamus*) non modò liber est de facto ab omni ambitione, omnibusque passionibus humanis; sed tot tantisque insuper abundat privilegiis & honoribus?

Compar inter Johannem & Christum.

Matt. 3. v. 17.
Ioa. 21. v. 7.
Ioa. 1. v. 18.
Ioa. 13. v. 25.
Ps. 15. v. 3.
Ioa. 21. v. 23.
Ioa 19. v. 26.
S. Petrus Dam. ser. 2. de S. Ioa.
Matt. 26. v. 26.

XXXVI. Non recedamns ab Evangelio. Jacobo & Joanni primatum postulantibus respondit Christus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* poteritisne amarum illum, quem ego haursturus sum, tormentorum & mortis

Ioa. Eu. martyr.

potare

potare calicem? *possumus*: responderunt illi. Bene est, subjunxit Christus: *Calicem quidem meum bibetis.* Annuncio & prædico vobis, ò consobrini mei, vos ante magna subituros martyria, & tandem ipsa morte absorbendos. Quis mihi probabit Joannem obiisse martyrem? Fuit ille quidem injectus in ardentis olei lebetem: *Inferventis olei dolium missus*; ast inde, *divinâ se protegente gratiâ illæsus exivit.* Quomodo igitur Christi prophetia adimpleta fuit?

XXXVII. Omnia hæc dubia mentem meam ad alterius novæ sublimisque contemplationem quæstionis invitant. Quare nullus eorum, qui morti Christi in Calvario interfuêre, obiit martyr? Martyrizatus fuit S. Petrus, S. Jacobus, S. Andræas cum reliquis Apostolis; at martyrium non subiêre Augustissima Angelorum Regina, nec Magdalena, neque Joannes Evangelista, qui pati & mori viderunt auctorem vitæ. *Nullus eorum,* inquit Paulus de Palatio, *qui ad crucem Domini astitisse memorantur, martyrii postea gladio percussus occubuit.* Quæ hujus rei causa? ipsemet citatus scriptor eam adducit, inquiens; quia nimirum sola Christi crucifixi spectaculi visio, adeo fuit dolorosa, ut loco martyrii omnibus iis steterit, qui præsentes ei adfuêre: *adeo enim,* dicit hic doctor, *vehemens fuit ille crucis gladius adeoque piarum animarum teneritudinem transverberavit, ut fuerit illis pro martyrio computatus.* Atque ita S. Joannes mortus est martyr, tormenta enim quæ Christus patiebatur in carne, Joannes sufferebat in anima.

Cur M. non obiit martyr.

Pau. de Paul. in c. 27. Matt.

XXXVIII. Ex quibus dignoscere facile poteritis, quare S. Joannes Evang. tot fuerit accumulatus honoribus. S. Ambrosius de passione & morte Christi loquens, ait, quòd *passio & mors Christi, imago fuit regni cœlestis.* Quam obsecro proportionem sanctus doctor statuere potuit inter passionem & mortem Christi ex una parte, gloriam cælestem ex altera? Christum ego patientem contemplor, non in empyreo, sed in Calvario; Crucifixum video, non in regione viventium, sed in cæmeterio mortuorum: non eum intueor in sinu Patris, sed admiror in brachiis crucis: non honoratum à Seraphim, sed illusum â latronibus; non inter Angelorum musicas, sed Pharisæorum injurias, Spinis coronatum, & non gloriâ; obstupesco eum coopertum ignominiæ sago, sine ullo lucis amictu; cujus facies intuentem se non beatificat, sed contemplantis præcordia dissipat præ compassione? conspicio eum, omni destitutum solatio, nimiis saturum opprobriis; quomodo igitur inquit Sanctus: *Passio Christi fuit imago regni cœlestis?* Audite obsecro, qualiter passio Dei crucifixi nuncupari possit imago gloriæ? Beatos in cœlis summi boni visio, necessitat ad amandum ipsum, juxta illud dogma S. Thomæ: *Ex conjunctione perfecta ad bonum increatum, beati necessariò Deo fruuntur*; ita & *passio Christi fuit imago regni cœlestis*; quia Dei illius crucifixi visio, humana corda tam perfecto replet amore, ut nullus in iis remaneat locus pro rebus terrenis, imò ut & omnis penitus tollatur voluntatis nostræ propensio in mala. Unde S. Bernardus inquit: *Mirabilis passio tua Domine Iesu, qui passiones omnium nostrum propulsavit.* Passio à Creatore ordinata omnem ex animo creato inordinatam tollit passionem. Divinæ potentiæ miraculum est, patientem alienarum passionum unicum esse remedium; Crucifixum in ligno libertatem conferre mancipio

Ambr. ser. 14. in Ps. 118.

S. Th. p. 1. q. 6. a. 8.

D. Bern. ho. de cruce.

cipio dæmonis; vivificari à mortuo vivos.

XXXIX. Hæc Christi crucifixi visio in Joanne destruxit inordinatum primatus appetitum; atque ita concludere possumus, quòd, si ambitio efficacissima est ad crucifigendum Deum; Deus quoque crucifixus efficacissimus est ad evellendam ex anima ambitionem.

XL. Conversi itaque ad Christum, cum S. Chrysostomo ei supplicemus, dicentes: *Domine Iesu Christe fac, ut, sicut tuâ morte vivimus, & tua infirmitate roboramur, ita à passionibus nostris tuâ passione eripiamur.*

D. Chr. h. de cruce.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUINTA DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De malis, quæ manent divites avaros, propter malum facultatum usum & neglectum sacri panis Eucharistici.

Mortuus est dives, & sepultus est in inferno. Luc. 16. v. 22.

PROBLEMA

Qui sunt crudeliores magisque feroces inimici, divitem avarum ad infernum conducentes; aut propriæ opes, malè impensæ, aut verò dæmonia abyssi?

Et unde proveniat, reperiri quandoque in sacra pixide confectas & corruptas species sacramentales?

INTRODUCTIO.

I.

INdignans quondam nimisque stomachundum, quoddam præclarissimum ingenium, millenis dignum honoribus, eò quòd enormes mundanæ curiæ observaret errores, in qua impiis & temerariis primus semper ad dignitates patebat aditus, neglectis virtuosis, bonis & benemeritis; tandem discedere statuit;

sed ante abitum sequentia pauca quidem, ast mysteriosa verba, super majorem palatii portam descripsit *En lyndes de tus almenas, otro bien nunca le vy, sy no tus salydas buenas, porque son salyr de ty.* q. d. O palatium, ego discedo, & voluntariè, quidem quia à te separor, quod aliud bonum non habes, præter exitum: *Otro bien nunca le vy, sy no tus salydas, buenas, porque son salyr de ty.* Præter quæ verba in eadem majori palatii porta lebetem depinxit actu bullientem pro emblemate, cum inscriptione sequenti: *Assi va el mundo*: quam alius immutans, supposuit: *O misera spes hominum!* O miseranda mortalium confidentia! Volens per hæc significare, quòd, sicuti cacabus bulliens semper spumam elevat & recrementum, sicque partes sublevando pejores, substantiam in fundo detinet meliorem, ubi concoquitur, ubi uritur & absumitur: ita omnino curia illa promoveat scurras & temerarios, postpositis virtuosis & optimè de gratia meritis. *O misera spes hominum!*

II. Cui emblema hoc ò Auditores satius & majori cum fundamento appropriari posset, quàm mundo præsenti, in quo lex divina audacissimè à mundanis spernitur, conculcatur? & quid aliud forte est mundus, quàm cacabus bulliens? *Olla fervens*, inquit Propheta. Spumam videre vultis in altum sublevatam: hodiernum adite Evangelium: *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Quid denotat *homo quidam?* Nequam, sceleratum, impium, inimicum Deo, tam perversum, ut eum indignum reputet scriptura sacra, cujus proprium exprimat nomen. Hic igitur in mundi hujus lebete, in tantum exaltatus sublimatusque fuit, ut indesinenter magis magisq; insolesceret infrunitus: *Induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide*; Si porro id, quod in lebete latitat absconditum in fundo, dignoscere placet, ecce pariter ad obsequia Evangelium præsens: *Quidam autem mendicus nomine Lazarus, ulceribus plenus, cupiebat saturari de micis, & nemo illi dabat.* Justus, sanctus, & servus Dei, tot tribulationibus & pressuris eviseratus, coctus & recoctus, qui in cacabi fundo tumulatus moriebatur præ fame. *O misera spes hominum!* Sed considerate exitum, pauperculus Lazarus, quem viventem inquieta semper pressit miseria, continuò in ollæ fundo sepultum, moriens volat in cœlum: *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis, in sinum Abrahæ.* Dives autem epulo, qui per totam vitam insolenter supernatarat, post mortem præcipitatus est in abyssum: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Subintrat hoc loco sanctus Petrus Chrysologus, dubiumque movet difficile imprimis, inquiens: *Quæ divitis culpa & quod scelus eum suppliciis addixit inferni? cur pauperem portant Angeli & divitem deglutit infernus? nunquid per se divitiæ sunt criminosæ? aut penes Deum damnandæ sunt vestes, vel per se sic puniendæ sunt crapulæ, ut non solùm careant præmio bonorum, sed omnium malorum forent & mereantur exitium?* quæ potest esse tantæ origo differentiæ? forte quia Epulo dives, gulosus, purpurâque vestitus erat; Lazarus autem totus ulceribus plenus? Totum hoc minimè sufficit, quia *etiam Abraham fuit dives, & dives valde in possessione auri & argenti*; Abrahæ etiam fuerunt divitiæ & opes plurimæ, & nihilominus verè beatus fuit: *Cur ergo Abraham innocentem habuêre divitiæ, Epulonem verò fecêre divitiæ criminosum?* Tam grave hoc sancti dubium me permovit, ut sequens vobis hodie exhiberem problema: qui sint crudeliores, atro-

Marginalia: Ier. 1. v. 13. — Luc. 16. v. 19. — v. 20. & 21. — ibid. v. 22. — Chrys. ser. 121.

Probl. atrocioresque inimici, divitem avarum traducentes ad infernum? an propriæ divitiæ malè usurpatæ, an verò ipsi spiritus abyssales? deinde examinabimus etiam, unde proveniat, quod in sacra pixide corruptæ quandoque reperiantur species sacramentales. Nisi discursum meum verbis vestris iuterrumpere volueritis, ascultate eum benevolo cum silentio.

III. *Mortuus est dives. & sepultus est in inferno.* Itaque moriens dives, descendit in infernum? utique? an non audistis Evangelistæ testimonium? sed quam ob causam? qui sunt inimici satellites, miserum divitem ad baratrum devehentes infernale? Non possum vobis plenè ad hoc respondere, nisi præmissâ hodierni Evangelii historiâ. Cum dives Epulo medias inter flammas squaleret, conversus ad Patrem Abraham, ab eo petiit refrigerium nimiæ sitis suæ, vel guttulam unam; cui pater Abraham fili mi, præteriit tempus refrigerii, sufficiant tibi bona, quibus in vita tua fruitus fuisti. Miser hâc primâ suâ excidens supplicatione, ad aliam se convertens ait: Pater Abraham ad minus mitte Lazarum in Domum Patris mei, ut moneat & doceat fratres meos Christianam vivendi methodum, ne & ipsi pariter in obscurum hunc cruciatum carcerem prolabantur. Ad hæc Abraham: *Habent Moysen & Prophetas, audient illos.* Nunquid domui
v. 29. tuæ sunt tot vicini Prophetæ? Ita bene
v. 30. igitur, illi sufficiunt. Nequaquam, replicavit Epulo: Sed *si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Fratres mei, magni sunt peccatores, & citra doctrinam alicujus à mortuis resuscitati non resipiscent. Nescis quid dicas, subsumpsit Abraham; si fratres tui adeo sunt depravati, ut nec Moysen audiant, nec Prophetas, profectò nec ulli credent à mortuis resurgenti. Observastisne exilem nimis Abrahæ pietatem & clementiam in divitem Epulonem? si non merebatur ipse exilium guttularum aquæ refrigerium; cur non ad minus juxta petitionem ejus, Lazarum misit in mundum, in Epulonis fratrum conversionem?

IX. Audistis hucusque, quid actum fuerit Epulonem inter & Lazarum post mortem; nunc intelligere placeat, quid Lazarum inter & Epulonem successerit in mundo. Certus quidam dives, cujus nec nomen exprimi meretur, plurimas alias inter dignitates, in hac insolescebat præ cæteris, quòd continuò indueretur purpurâ; deinde quòd ventrem suum indies ut Deum adoraret, manducando lautèque epulando. Quid amplius? portis palatii ejus adjacebat pauperculus quidam Lazarus, non aliud à divite petens, nisi pauculas panis micas, è mensa decidentes. Dives autem Epulo non modò non indulsit Lazaro fragmenta panis, sed insuper voluit, ut canes sui se sustentarent plagis illius mendici. *Sed & canes veniebant & lingebant ulcera ejus.* Non progrediamur ulterius, quia pedem figere compellor.

Successus inter divitem Epul. & Laz.

V. Sed ut substantiam facti resumamus, quare dives in infernum projectus fuit? *Quæ divitis culpa, & cur divitem deglutit infernus?* vobis forsitan persuasum habetis, divitem avarum in cœlum sublevari posse; fallimini, impossibile est; imò necessarium, ut in inferni abyssum corruat infelix; inhæreamus termino Evangelico: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Advertite, non dicitur, dives ad infernũ condemnatus, sed in eo sepultus. Quorsũ terribilis ergo ista prophetia,

Divitis exitus

v. 21. (beside "canes veniebant") · v. 22. (beside "Evangelico: Mortuus est dives")

misero huic intentata? Ille forsitan omnium peccatorum erat sceleratissimus? Hoc neutiquam dici potest, crucifixores namque Christi magis execrabilem admisere impietatem, & tamen non constat, eos in voragine profunda sepultos esse, quare itaque de divite Epulone scribitur, cum in inferno sepultum?

VI. Pertransiens hunc divitem, inque abysso sepultum destituens, vos ego interrogo: divitesne estis bonis temporalibus? ita pater: ergo de salute vestra conclamatum est, damnati estis, spe excidistis salutis vestræ, infernus vos exspectat. Resolutionem meam non cujuscunque ordinarii sancti aut Angeli probabit autoritas, sed ipsiusmet DEI, qui cum sit prima veritas, mentiri nequit. Dicit CHRISTUS per S. Lucam: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Minus difficile est, camelum penetrare foramen acus, quàm opulentum cœlos. O tremendam sententiam! exclamat Germanus. Estne facile, ut camelus pertranseat per foramen acus? nequaquam, imò naturaliter loquendo, id omnino impossibile est; igitur, concludit sanctus: *nullus divitum salvus erit.* O miser & infelix dives!

Luc. 18. v. 25.

S. Ger. in hunc locū.

VII. Ast unde oriri potest hæc certa divitis perditio? respondebit S. Augustinus, paradisum pauperibus reservatum esse, juxta illud Christi testimonium: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; *ergo*, subinfert S. Doctor, *si regnum cœlorum est pauperum, restat, ut infernus sit divitum.* Sed quare cœlum solus conceditur pauperibus, & non divitibus? respondit S. Joannes Chrysostomus, quia nimirum divitiæ adeo sunt graves, ut sustineri impotentes in terra, possessores suos, nimio oppressos pondere, præcipitent in inferni abyssum; *Aurum naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis*; *hinc est, quòd anima, quæ se auro argentove comparando & congregando, devovit; ab eisdem depressa ponderibus, ad inferiorem locū, in æternum crucianda, devolvatur.*

S. Aug. de contem. mundi c. 8.

Matt. 5. v. 3.

VIII. Sed hæc non satisfaciunt difficultati; quia plures etiam sancti fuêre divites, & tamen eos non gravarunt, quin potius alas subministrarunt, quibus in cælum volarent: *Cur ergo divitem deglutit infernus?* Necessum est, gradatim dignoscere, quid sit dives avarus? quique ferociores ejus sint inimici? quæ resolutio hodierno indubie satisfaciet problemati.

IX. Quid esse putatis divitem avarum? juxta Ecclesiasticum, *avaro nihil est scelestius.* Totum perlustrate mundum, & nunquam avaro execrabilius quid, sceleratiusque reperire poteritis: ille enim ex toto similis est inferno? quid est infernus? omnibus destitutus bonis, locus omnibus abundantissimus malis, dives autem avarus omnibus adeo exutus est cœlestibus bonis, tamque omnibus scatens malis, ut à propriis divitiis conducatur in infernum; pro quorum probatione, ipsum divitem avarum advocemus in medium de quo S. Lucas alibi mentionem ingerit, qui in anno quodam messem habuit adeo fertilem, tantorumque bonorum possedit abundantiam, ut diceret: *Quid faciam, quia non habeo, ubi congregem fructus meos?* O me miserum! quid faciam, non habeo locum, ubi reponam bona mea? multâq; præmissâ consultatione, tandē statuit antiqua destruere horrea, ut nova exstrueret majora: *Destruā horrea mea & majora faciā, & illuc cōgregabo omnia, quæ nata sunt mihi*; eodēq; in tēpore animā suam ad omnium istorū bonorum frui-

Eccl. 10. v. 9.

Dives similis inferno.

Luc. 12. v. 17.

v. 18.

v.19. fruitionem invitans, dicebat: *Anima mea habes multa bona, reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Sed hujusmodi inter cogitationes, vocem
v.20. audiit Dei, dicentem sibi: *O stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti, cujus erunt?* Hæc divitis historia tot ac tanta in se continet mysteria, ut abundantissimè probatura sit omnia ista quæ proposui; ideoque sigillatim attingamus singula. Primum igitur dicit iste dives: *Quid faciam, quia non habeo.* O stulte, quid asseris? nimiis abundas divitiis, ita ut illis recludendis nullum ultra reperias locum; & totus nihilominus turbatus, inquis: *Quid faciam?* imò tanquam mendicus clamas: *Non habeo?* quid tibi deest? quid? omne illi de-
S. Ambr. ficit bonum, inquit S. Ambrosius, neque mundus habet ullum ipso pauperiorem: *Dum dicit; quid faciam; nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? & dum adjungit; non habeo; nonne paupertatis hic sermo est? de inopia conqueritur, abundans panibus.*

X. Imò, vultisne singulariora vobis depromi? maximus mundi dives, omni miserior est paupere. Non præsumerem
Dives miser. id libere adeo effari, nisi me evidens suffulciret hodierni Evangelii auctoritas.
Luc. 16. v. 19. Quid dicit S. Lucas? *Homo quidam erat dives.* Homini adeo locupleti & facultatibus instructo, *ut per Antonomasiam* dives appellaretur, quid accidit? dimorabatur ante fores ejus pauperculus quidam Lazarus, nil petens præter pauculas panis
v.21. micas de mensa divitis decidentes: *Cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis.* Fuitne forte quispiam, qui ei dictas micas subministraret? non: *Nemo illi dabat.* Quis prohibebat mendico, ne desiderata colligeret fragmenta? quis? ipse dives, teste S. Chrysologo: *quia ipse dives colligebat.* Ipsemet dives micas sol- S. Petrus Chrys. ser. 104.
licitè à se collectas, conservabat; quisquis igitur Epulonem vere dixerit divitem, judicio meo, longè à veritate aberrat; quomodo enim ille appellabitur dives, qui micas sibi colligit panis? solo nomine dives erat; ast in veritate omnibus carebat bonis; aut certè dives erat, sed solis & omnibus malis. Audite Franconium Olysipponensem: *Quis egentior avaro divite? qui inter tam multas epulas, etiam exiguas micas, tanquam earum indigus retinebat?* Non est dives, qui divitias habet, iisque male utitur, sed omnibus potius caret bonis, potestque dici omnibus dives malis. Franc. Ol. in p. reg. c 10. n. 27.

XI. Si eum videre placet, omni destitutum quiete? ecce vobis D. Augustini suffragium, ita divitem alloquentis: *O infelix divitias invenisti, requiem amisisti.* Si stultum quæritis? ecce semet ipsum vitâ privat, dum mortem appetit; unde idem S. Doctor interrogat, dicens: *Quæ est ista animarum insania, amittere vitam, & appetere mortem; acquirere aurum, & amittere cœlum?* D. Aug. in ser. de temp. Ser. 25. de verb. Dñi.

XII. Si insuper eum contemplari affectatis, omnibus non modò temporalibus, sed & spiritualibus exutum bonis, non pigeat dicendis attentas præbere aures. Rex Balthasar cum Principibus Babyloniæ epulans, vidit sequentia in pariete exarata verba: *mane, thecel, phares;* moxque *facies Regis commutata est, & genua ejus ad se invicem collidebantur,* propter nimiam animi turbationem. Citavit itaque indilatè omnes Magos & Chaldæos, qui aut parum practici, aut penitus ignorantes prodigium, nec caput nec caudam attingere potuerunt. Fuit itaque consultum Regi, ut Danielem adduci juberet, Dan. 5. v. 25. Ibi. v. 6.

qui in divini, quâ pollet, spiritûs virtute, faciliter interpretaturus indubiè esset dictam scripturam. Comparuit itaque Propheta; cui Rex: O Daniel, *eris tertius in regno meo, narra interpretationem istam.* Sacra Majestas, respondit Daniel: *Mane*, idem est, quod *numeravit Deus regnum tuum*, *& implevit illud*; terminatum est regnum tuũ. *Thecel* significat, *appensus es in statera & inventus es minus habens*. Deus te appendit in trutina, teque reperit in pondere deficientem. Figamus hic pedem: Baltasar stateræ impositus, minus habere inventus est? in quo minus habebat? forsitan in bonis ante possessis? minimè equidem; quia tanta magnificentiæ & dominii incrementa cœpit, sicut & bonorum divitiarumque augmenta, ut comparabiliter cæteros excederit omnes. In quo igitur minus habuit?

v. 16.
v. 26.
v. 27.

XIII. Quandoquidem bilancem manibus nostris contrectamus, duas subtiles ponderemus Christi actiones, quarum prima est profundæ humilitatis actus in ultima cæna. Insinuavit ibi Dominus horrendam Judæ traditionem signis, nutibus, beneficiis & minis; deinde adcommensales, quos inter Judas degebat, conversus, ait: *Vnus vestrum diabolus est*. Postea autem quid evenit? finitâ cœnâ, Dominus è loco suo surgens, se prostravit ad pedes Judæ. Quid agis ô sancte Deus? Judæ pedibus advolveris? quare? fortè ut veniam petas, quia eum vocasti dæmonem? meritò ipse diabolus nuncupandus est, tu enim dixisti: *Vos ex patre diabolo estis, quia desideria patris vestri vultis implere*: Si itaque Judas diabolus est, consequenter ad diaboli pedes te proiicis?

Cur Christus Judæ pedibus advolutus.
Ioa. 6. v. 71
Ioa. 8. v. 44.

XIV. Hic alia sub ingreditur Christi operatio in sublimi illo tentationum monte executioni mandata; in quo diabolus Salvatori *omnia regna mundi* exhibens, ei dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* q. d. Domine, si venisti, ut mundi capias dominium, eumque tibi subjungas; noveris negotium esse multâ plenum difficultate; utque diabolum sternas, tuam tibi vitam profundendam scias. Ast ego nolo tuam mortem, omnia ego tibi ultro cedam, si solummodo unâ me genuflexione honorare volueris: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; ad quæ Christus: *Vade retro satanas*. Apage perversissime hostis. Domine, quare te non prosternis coram dæmone? si absque ulla sanguinis profusi stillula, pacificum potes totius obtinere dominium, vel centies etiam coram diabolo flectere convenisset. Si mihi respondes, minimè competere Deo, pedibus advolvi diabolicis; quare igitur (subsumo ego) genu flexisti ante Judam, quem tu ipse nominasti diabolum? Communis responsio est, noluisse Christum adorare diabolum, quia hic ei offerebat divitias & terræ thesauros, à quibus semper abhorruit Christus. Ast hic magis augetur difficultas; quare tanto Christus odio persecutus est divitias & bona temporalia.

Mat. 4. v. 8. v. 9.
S. Greg. Naz.
Et non diaboli.
Mat. 4. v. 9.

XV. Domini mercatores, in quo consistit justus emptionis & venditionis contractus? respondebitis mihi, & bene quidem; eum consistere in hoc, ut neque comparans, neque vendens, *habeat magis vel minus, quàm debet habere*; Verbi gratiâ: Ego vendo Petro librum pro centum scutis; si Petrus postea privetur centum scutis, habeo nihilominus ego librum, centenis æquivalentem scutis; at si ego vendidissem librum pro tanto pretio, finaliter autem neque librum neque pecuniam haberem, utique nefanda foret usura atque iniquissimus contractus, quia com-

Quid justus contractus.

comparans haberet plus,& ego *essem minus habens*. Notate, qui bona commutat spiritualia pro terrenis, tandem utrisque se reperit destitutum; exemplum capite in Juda, qui impius Christum vendidit pro argenteis 30. ecce eo ipso iniquus traditor se spoliavit Christo, quia ut inquit S. Gregorius Nazianzenus, *nemo potest retinere, quod vendidit*; *non enim Judas retinuit Christum.* Respondebitis, Judæ residuos mansisse argenteos, sed fallimini; quia *neque retinuit pretium*, supposito, quod *retulit* 30. *argenteos.* O infamis mercator, quale instituisti mercimonium? & pretium & merces amisisti; *es minus habens.* Eandem penitus negotiationem exercere cupiebat diabolus cum Christo, cultum latriæ bonis sibi temporalibus acquirere volens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* O temerarie, dicebat Christus, an igitur nescis, me practicum nimis esse mercatorem? offer mihi animam, & ecce ne centum quidem genuflexiones recusabo; si autem propter bona temporalia genu incurvarem, tandem & mercibus & pretio exuerer; mercibus quidem, quoniam *nemo potest retinere, quod vendidit*; pretio autem, quia thesauri mundani, cum terra sint, terræ maneant, oportet.

Mat. 4. v. 8. v. 9.

S. Greg. Naz.

Et non diaboli.

Mat. 4. v. 9.

Quid justus contractus.

XVI. Ecce vobis facilitatam Danielis sententiam: *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Balthassar, ut nostis, filius fuit Nabuchodonosoris, qui collatis à Deo, tum regno tum bonis minimè contentus, præter infinitas sacro templo illatas injurias & ruinas, insuper sibi incorporare voluit omnes divitias & sacra vasa. Idem omnino tyrannicum dominium continuavit filius ejus Balthassar, imò & in deterius abiit. Itane? igitur dicebat Deus, tu ô Balthassar animæ bona pro terrenis opibus vendidisti? scias, quòd *cum dormieris, nihil tecum auferes.* Carebis cœli bonis, quæ mundo & diabolo consignasti pro terrenis; quodque pejus est, *nec pretium retinebis.* Cum enim vasa ista & divitiæ nihil sint præter meram terram, ideo soli terræ manebunt. Sicque ô miser tanquam malus mercator, *es minus habens.* Ecce vobis divitem avarum, veraciter pauperrimum, privatum & destitutum non modò cœlestibus, sed & terrenis bonis;

XVII. Vultis eum repræsentari sine fide, imò idololatrâ pejorem & diabolo sceleratiorem? Ne sensus divertatis aliò. Tremendam nimis sententiam Apostolus adducit, dum ait: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide.* Estne possibile ô sancte Paule, quòd divitiarum appetentia & pecuniarum desiderium, ædificii spiritualis fundamentum quale fides est, pessundet? Propheta Osæas adhuc aliquid amplius insinuare videtur dicens, divitem non modò fidei expertem esse, sed & idololatram: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi*; ex quo locuples fieri cœpi, idololatra evasi. O Deum! difficulter credere poteram, divitem fide carere; ast dum audio divitem idololatram esse, nimio repleor stupore. Quæ igitur sunt idola divitis? si mihi pro Osæa respondendum foret, dicerem, idola ejus ipsasmet esse divitias. An non meministis vituli, à populo Israëlitico in monte adorati? Gens ista moræ impatiens, quam Moyses trahebat cum Deo, sacerdotem adiit Aaronem, eique dixit, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Coactus petitionibus populi consentire Aaron, vitulum formavit, quo facto ad Israëlem ait: *Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de Ægypto.* sub-

Dives avarus infidelis.

1. Tim. 6. v. 10.

Idololatra. Ose. 12. v. 8

Subsiste ô Aaron; quot formasti vitulos? solummodo unum; quomodo igitur dicis: *Hi sunt dii tui?* dicere debebas: *Hic est Deus tuus.* Nimium ignorantes estis, inquit Aaron. Ad efformandum hunc vitulum unusquisque mihi tantum auri attulit & argenti, quantum potuit; sicque licet vitulus fuerit unus, gemmæ tamen & partes argenti, ex quibus compositus fuit, plures fuerunt & diversæ; cùm igitur aurum & argentum, Deus sit divitis, ideo dixi: *Hi sunt Dii tui.* Conceptus est iste S. Petri Chrysologi, dum ait: *Aurum judaicum populum sic captivavit aspectu, specie sic decepit, ut hoc esse Deum crederent; & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum, denegarent.*

S. Petri Chry. ser. 29.

XVIII. Quare autem infelix ille & desperatus Judas *retulit 30. argenteos in templo?* quomodo? in templum infertur pecunia, divinę pretium vitæ? in templum, sacratissimi sanguinis Redemptoris pretium? in templum, impii traditoris pretium? in templum, pestilens & venenosus avaritiæ fructus? in templum esca introducitur maximi flagitiosorum omnium, quotquot unquam vidit mundus? ita, dicit S. Drogo: *Non projecit in sterquilinium, sed in templum; talibus semper Diis templum suum devoverat.*

S. Drog. l. de sacram. pass.

XIX. Atque hanc ob causam Isaias inquit: *Repleta est terra argento & auro, & repleta est idolis.* Terra auro & argento impleta fuit, moxque idolis scatuit. Si thesauri sunt infiniti, infinitæ sunt & idololatriæ; ut primum pecuniæ aviditas mundum ingressa fuit, mox è mundo propulsatus fuit verus Deus; unde arguté S. Augustinus ait: *Acquisivit dives vestem, sed perdidit fidem.* Videte, qualiter associentur bonorum abundantia & oblivio Dei, divitiæ & idololatriæ; quis hæreses in Ecclesiam Dei introduxit, nisi nimius pecuniarum amor? *Tolle pecuniarum studium*, inquit S. Chrysostomus, *& cessabunt hæreses.* Quid Apostolum traditorem induxit, ut Verbum incarnatum pro pretio vilissimo divenderet, nisi pecuniæ aviditas? Ita citatus S. Doctor in hæc verba attestatur, dum ait: *Patricida pariter & conviva Dominum vendidit argento, fecit de ministro ferale commercium, & cum accepit aurum, perdidit Deum.* Annon videtis divitem avarum, omni exutum fide? Est igitur pauperrimus non modò quò ad bona temporalia, sed etiam æterna.

Isa. 2. v. 7. v. 8.

S. Aug. ser. 95. de temp.

S. Chrys. ho. 17. in 1. ad Tim.

Ser. 3. de Resur.

XX. Qua igitur re dives est? scitisne quâ? omnibus malis; non modò est idololatra, sed longe pejor; quia idololatra nihil majus reputat Deo suo, dives autem argentum & aurum in majori pretio habet, quàm ipsum verum Deum. Quo pretio nostras Christus comparavit animas? pretiosi sanguinis sui: *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine.* Quid facit dives avarus? Animam pretioso Christi sanguine comparatam, ille vendit diabolo pro auro & argento; aurum itaque & argentum pretio præponit sanguinis Christi, quia aurum pro anima offert, postquam eam Christus sanguine suo sibi acquisivit; atque ita in uno eodemque tempore duplex perpetrat malum; primum, pluris faciendo aurum, quàm Christum; secundum, quia comparat animas, ut eas damnet; quas Christus acquisivit, ut salvaret. Videte, quàm horrendum inferni monstrum, sit dives? Lucifer duntaxat concupivit æqualitatem Dei; dives autem vult divitias ipsi prævalere Christi sanguini, qui divinus est.

Omni malo dives.

Pejor idololatrâ.

XXI. Exi-

XXI. Exilia dixi; dives non modò pejor est idololatrâ, sed & ipsum diabolum superat in malitia. Sanctus Chrysostomus agens de diabolis istis duobus, qui de sepulchris egredientes, *erant sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.* Tantâ insolescebant atrociâ, ut nullus omninò viâ istâ incedere auderet; de his, inquam, duobus tractans spiritibus, inquit: *Dæmoniacus verbo Christi à dæmonibus liberatur; pecuniæ autem servus, Christi vocem non auscultat.* Videte, quantò major divitis avari sit perversitas, quàm ipsius dæmonis; quandoquidem dæmoniacus ad unam Christi vocem liberatur à diabolis, dives autem nec Christum audit, nec voci ejus obedit; quibus, audite, quid idem sanctus subjungat: *Meâ quidem sententiâ cum mille dæmoniacis potius habitandum esset, quàm cum uno, qui hoc morbo laborat.* Ut meum edicam sensum, tolerabilior esset conversatio inter mille dæmoniacos, quàm cum uno solo divite avaro; quia *quandonam omnes dæmoniaci simul tantum facinus committerent quantum solus Iudas?* Nunquid enim omnes simul dæmoniaci possent execrandam adeo perpetrare malitiam, sicut admisit Judas?

S. Chrys. hom. 29. in c. 8. Matt.

Matth. 8. v. 28.

Et dæmone.

XXII. Interim singularis mihi favet probatio, ad evincendam & declarandam divitis avari malitiam, quam habet diabolicâ majorem. Cujus fuit vox illa, quam à Jobo insinuatam legimus, dicente: *Infernus domus mea est?* dæmonis forte dicetis vocem fuisse; sed id esse nequit, omnes namq; diaboli summè abhorrent ab inferno; quoties enim Christo supplicarunt, ne eos mitteret in abyssum? *Et rogaverunt eum, ne in abyssum irent.* Quis igitur per os Prophetæ gloriabatur, dicens, domum suam esse infernum? *Infernus domus mea est.* Redeamus ad historiam illius divitis, cujus supra meminimus §. 9. Confusus hic nimiû tot inter bona sua & facultates, conclusit vetera destruere granaria, ut postea ædificaret nova & ampliora; & tandem suam invitans animam ad tot divitiarum fruitionem, dicebat: *Anima mea habes multa bona, reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare.* Quis divitis hujus audiens factum & invitationem, quâ animam suam alliciebat, non dicet, eum magnâ laborasse ignoranriâ & stultitiâ? quid dixi, stultitiâ? dum animam suam taliter invitavit, non modò se comprobavit insensatum, sed, ut breviter dicam, longè pejorem ipso diabolo. Gradatim feramur, hinc incæpturi. Quid Deus replicavit diviti, dum suam hic animam ad manducandum invitaret? audite: *Stulte, hâc nocte repetent animam tuam.* O ignare; & quidni ignorantem vocabimus, qui animam suam corpori reputat æqualem? Si itaque dives est ignorans, quidni eum omnibus ditissimum malis esse affirmabimus? quæ est doctrina Theologi moralis? *Omnis ignorans, malus.* Ignorantia est omnis origo mali; si enim intellectus sufficienter foret instructus, voluntas non ferretur in malum: *Stante perfecta scientia in intellectu, non potest esse peccatum in voluntate.*

Iob. 17. v. 13. §. 25.

Luc. 8. v. 31.

Luc. 12. v. 19.

v. 20.

XXIII. Ast planius hanc divitis explanemus inscitiam. Dæmon parvi fortasse animam æstimat Christianam? nequaquam; imò tanto eam in pretio & valore habet, ut ad eam acquirendam semetipsum perdat. Ecce vobis differentiam: dives avarus quanti facit animam suam? quanti ipsum corpus; ideoque illam ad esum invitat, dicens: *Anima mea comede, bibe, epulare.* O insane, ergone eadem est corporis animæque ratio, differentia nulla? Ergone animam illam rationalem, pro qua

qua suam Deus posuit vitam, quamque infinito comparavit sanguinis sui pretio, tu corpori æstimas parem, vilissimumque lutum? ergone porcorum alimenta & animabus nostris in cibum cedent? ergone distinguere nescis, inter animam immortalem, quæ Dei flatus est; & corpus corruptibile, totum quod lutum est? An ignorantiâ hâc major dabilis est alia? minimè equidem; si igitur inscitia est originaria omnium malorum mater; consequenter inferte, quòd, quò dives magis est ignorans, eò pluribus ditior sit malis.

XXIV. Atq; in effectu quidem quod erit assignabile malum, quod non reperiatur in divite? aut ut clarius dicam, cujus mali causa non est dives? quæ unquam mortales inter prævaluit iniquitas, quam non contra proximos executioni mandarit dives avarus? quis opprimit innocentes? quis operarios debitâ destituit mercede? quis dominia & principatus per graves nimis impositiones in publica transformat furta? quis bonum & commune injustis destruit gabellis & confiscationibus irrationalibus? quis sacrosanctas conculcat leges? quis eas pedibus subjicit, ut liberè viduas exspoliet cum pupillis? quis judici aut os obstruit, ne justitiæ in favorem loquatur; aut aperit, ut iniquitatis partes tueatur? quis puellarum & matronarum pudicitiam prostituit? quis fidem matrimonialem divendit? quis eam extraneo consortio & irrationabili contaminat affectu? quis testes reperit falsos, veritatis oppressores? quis scripturas falsificat? quis testamenta adulterat? quis legata pia corrumpit & involat? quis venena subministrat, ut ad prætensam citius deveniatur hæreditatem? quis sodalem tradit & vitæ insidiatur amici? quis litium seminat fomenta strictissimos inter consanguineos? quis pauperum exsugit sanguinem? quis mercatores reddit mendaces, deceptores & perjuros? quis populis sacramenta aliasque res sacras, pretio nullo æstimabiles divendit? quis loca infamia scortis replet impudicissimis? quis loca fovet prohibita, impietatis asyla? quis acceleres familiarum causat ruinas? quis patriam tradit & proprium vendit sanguinem civium? solus & unicus dives avarus est tot tantorumque malorum radix & origo.

Dives av. origo omnis mali.

XXV. Ideoque omni eo tempore, quo dives per inordinatum affectum, rebus adhæret terrenis, à DEo jugiter maledictus manet. Observastisne aliquando illas, quas adversùs Judam David recensuit maledictiones? *Constitue*, inquit, *peccatorem super eum, & diabolus stet à dextris ejus; cum judicatur exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum*; quibus Psaltes diversas adhuc alias imprecationes adjungit, numero notanter triginta, nec plures nec pauciores: sed quare David in hoc numero requievit, & non potius per aliquam maledictonum infinitatem Judæ maledixit? Forsitan Judæ flagitium omnium totius mundi commissorum & committendorum non erat gravissimum? respondet interrogatque Rupertus Abbas, quot erant denarii seu argentei, quos Judas accepit pro Christi venditione? 30. *At illi constituerunt ei 30. Argenteos.* Itane? pro 30. argenteis suum Judas vendidit Magistrum? maledicatur itaque 30. maledictionibus; & deficiente argenteo, deficiat & maledictio. Ecce vobis ipsam Ruperti auctoritatem: *Secundùm numerum argenteorum, quibus & illi sanguinem Domini emerunt; triginta maledictionibus involuti sunt, tam emptor quàm venditor; quarum prima est: constitue super eum peccatorem: & ultima; operiantur sicut diploide,*

Psal. 108. v. 6. *30. maledictiones Judæ.* *Rup. Abb. l. in Sophon. c. 1.* *Matth. 26, v. 15.*

de, confusione sua. Cessat maledictio, ubi terminantur argentei, & augmentatis argenteis multiplicatur maledictio. Ex quibus inferre possumus, divitem avarum, propter divitias à Deo maledictum, esse veluti diabolum, hic enim inter omnes creaturas primam omninò incurrit maledictionem: *Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia.* Si itaq; dives est dæmoniū, quidni domus ejus, infernus erit?

Gen. 3 v. 14.

XXVI. Sed progrediamur ulterius, cæptæ inhærentes historiæ; quid DEus porro subdidit opulento isti, suam ad manducandum animam invitanti? audite: *O stulte, hâc nocte repetent animam tuam.* S. Petrus Chrysologus hoc in loco totus admirabundus, quærit; quinam illi futuri sint, qui *repetent*? utique non diaboli, quia in dialogo dicto tres duntaxat exhibentur personæ; dives, anima ejus & bona, ad quæ animam invitabat. *Anima mea, habes multa bona*: vix dives hæc terminarat verba, & ecce mox audiit: *Hac nocte repetent animam tuam. Repetent* est numeri pluralis; juxta discursum autem divitis, verba hæc ad sola divitis bona referri possunt; quasi Deus dicere voluisset, divitem ab ipsis illis bonis temporalibus interimendum esse.

Luc. 12. v. 20.

Psal. 108. v. 6. 30. maledictiones Judæ.

XXVII. Ast quomodo fieri potest, ut bona adeo amata, imò à divite adorata, divitem amantem vitâ exuant? adjungamus in præsenti alium quendam sacrum textum, ubi loquens sapiens cum mundi hujus amatoribus, eosque metaphoricè aggrediens sub figura illorum, qui tyranno appropiant, inquit: *Communionem mortis scito.* O miser cosmophile, noveris, te cum morte gradi: *Super dolentium arma ambulas.* Super cuspides incedis lancearum hostilium. Domini mei, ne credideritis bonis istis transitoriis, ne illa tanti feceritis, quia quas vos nimio amore creaturas prosequimini, easdem graviter idem ille vester offendit amor; eandemque ob causam, ratione cujus vos tantum iis amorem, imò & latriam defertis, eandem dico ob causam capitales adversùm vos capiunt inimicitias. Respondebitis utique, quomodo aut quare nostræ evadunt inimicæ, quandoquidem adoramus eas? ideo præcisè, respondeo ego, quia adoratis eas. Vos me docuistis ô Patres Theologi, quòd homo, dum peccat, affectu ad minus rationem ultimi finis à Deo transferat ad creaturas, ita ut his, affectu suo, rationem attribuat summæ bonitatis: hoc verò realiter esse nequit, quia tam impossibile est creaturam esse summum bonum atque ultimum finem, quàm impossibile est, DEum non esse summum bonum; atque ita dum creaturis ratio summi boni attribuitur, nullatenus iis debita, peccator eas exuit suo esse, quod habent; cùm enim creaturæ sint media, nos ad DEum conducentia, bonitatē solummodo possident medii, & non finis. Quid igitur facit peccator? dum affectu suo ultimum finem collocat in creatura, eam privat bonitate medii, quam habet; cumque ex alia parte non possit eam ditare bonitate ultimi finis, juxta votum suum; creatura summè offenditur & quasi annihilatur à peccatore; ideoque justa de causa, redditur inimica. Divitiæ itaque, adeo à divite amatæ, ipsæ ipsæ sunt, quæ eum vitâ privabunt & animâ: *Repetent animam tuam.*

Rup. Abb. l. in Sophon. c. 1. Matth. 26. v. 15.

Eccl. 9. v. 20. Effectus bonorum abundantium.

XXVIII. Si igitur opes, tantæ sunt divitis hostes, ut eum tandem animâ privent, quam statuemus problematis nostri resolutionem? Auscultemus primò doctrinam Christi: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere*

Luc. 12. v. 4. 5.

dere; timete potius eos, qui animam possunt perdere, & mittere in gehennam. Si damna timere vultis, non vos jactura percellat corporis; sed eos exhorrescite, qui animas vestras perdere, itaque infernum præcipitare possunt. Nunc igitur vos interrogo, si diabolo plenaria esset concessa potestas, omne possibile vobis inferendi malum, forsitan animæ vestræ in quopiam nocere posset? minimè equidem. Nunquid enim dæmoni ampla & plena fuit facultas data atterendi Jobum? ita; forsitan animam ejus aggressus est pariter? absit: *Veruntamen animam illius serva.* Divitiæ autem malè impensæ quousque suam extendunt tyrannidem? hæ à divitibus vehementer nimium irritatæ, corpus cruciant in vita præsenti, millena causando, damna & tribulationes; demum autem animam rapiunt, & quò deducunt? ad infernum; quare? causam didicistis à divite: *Infernus, domus mea est*; proprium divitis domicilium, est infernus, ideoque divitiæ animam tollunt divitis, eamque portant in domum suam. Si igitur dæmones soli corpori; divitiæ autem insuper damnum inferunt & animæ; vos inferatis, diviti avaro opes crudeliores atrocioresque esse hostes, ipsis dæmoniis; in cujus confirmationem, ecce vobis claram Christi sententiam: *Facilius est, camelum transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Impossibilis est diviti avaro salus.

Res. Problem.

Dæmon soli nocet corpori.

Divitiæ etiam animabus.

Iob. 2. v. 6.

Iob. 17. v. 13.

Mat. 10. v. 25.

XXIX. Non loquor ego de divitibus illis, qui ita opibus suis potiuntur, familiâ suâ congruè prævisâ, facultates reliquas subsidio applicent pauperum; hi enim de numero sunt electorum: sed de iis sermo est, qui animam & bona spiritualia pro bonis transmutant terrenis; qui pecuniam adorant, & non modò nullam pauperibus exhibent charitatem, sed & insuper sanguine pauperum sustentari volunt; illos ego designo, qui lixas & calones, equos & canes sudoribus nutriunt pauperum: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*; supra quæ verba S. Petrus Chrysologus ita discurrit: *Novo modo ordo humanitatis pervertitur; dives pauperem suis micis, de mensa cadentibus non sustentat: Lazarus verò, quia nihil aliud habebat, suis ulceribus, canibus divitis humanus existit.*

Moralitas.

Matth. 11. v. 8. S. Vinc. Ferr.

Luc. 16. v. 21.

S. Chrys.

XXX. O DEUM immortalem! ad eum igitur perversitatis gradum devoluti estis divites, ut non modò non sitis misericordes in pauperes, sed & insuper proprio pauperum cruore canes vestros sustentari velitis? O crudelitas inaudita! Memineris ô Christiane, quod dives hic *mortuus est & sepultus in inferno*; hæc tibi memoria pro nunc sufficiat; interim respiremus.

Effectus crapulæ. *Phil. 3. v. 4.*

S. P. Chrys. ser. 121.

SECUNDA PARS.

XXXI. PRo die crastino ad recreationem vos invito, fructibus gavisuros vineæ, nobis Christianis divinitus concessæ; problema autem statuetur tale: utra sit major; an divina, versùs ingratos peccatores misericordia; an verò peccatorum, versùs amantem Deum, ingratitudo?

XXXII. Superest, ut adhuc alias in præsenti rationes attingamus, ob quas dives epulo in infernum præcipitatus fuit, in hodierno sacro Evangelio pariter assignatas. Quarum prima est, quòd se purpurâ & bysso vestierit: *Indue-*

Matth. 11. v. 8. *duebatur purpurâ & bysso.* Teste Christo, *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*; quæ Redemptoris verba S. Vincentius Ferrerius sequenti perstringit glossâ: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus dæmonum sunt.* Qui amictus fovent delicatos & incompetentes, habitatores & incolæ sunt inferni; an non exemplo nobis est hodiernus dives, purpurâ circumdatus, ubi enim comparet? in inferno.

S. Vinc. Ferr.

Effectus crapulæ. Phil. 3. v. 4.

XXXIII. Superaddit Evangelista, quòd dives iste *epulabatur quotidie splendidè*; nullo non die ventrem suum ut DEUM adorabat: *cujus DEus venter erat.* Itane? dicebat DEUS; Epulo omnes in mundo delicias in ore suo positas habet? sine morâ, in infernum detrudatur, ibique os ejus maximis excrucietur tormentis; ideoque miser in mediis flammis exclamat & refrigerium deposcit linguæ; *Vt refrigeret linguam meam.* Circa quas rationes, pater subtilitatis, Sanctus Petrus Chrysologus dubium movet & quærit: *Quæ divitis culpa & quod scelus eum suppliciis addixit inferni? nunquid per se divitiæ sunt criminosæ, aut penes Deum damnandæ sunt vestes? vel per se sic puniendæ sunt crapulæ, ut non solum careant præmio bonorum, sed omnium malorum ferant & mereantur exitium?* Qua de causa Epulo ad infernum damnari potuit? fortè quia dives, gulosus & purpurâ vestitus erat? hoc non sufficit, quia *etiam Abraham fuit dives in possessione auri & argenti*; thesauris abundabat Abraham, & nihilominus in cœlum sublatus fuit: *Cur ergo Abraham innocentem habuère divitiæ, Epulonem verò fecêre divitiæ criminosum?* Cui dubio ipse sanctus divinum hoc reponit responsum: *Abraham, fratres, non sibi sed pauperi dives fuit; nam quoties peregrinum vidit, semper hospes hospitem ipse suscepit: Ast Epulo palatia possidens, tectum pauperi nunquam dedit.* Considerandum est, inquit sanctus, Abraham quidem fuisse divitem, sed egenis; quotiescunque enim videbat peregrinum, semper eum invitabat ad ædes suas; Epulo autem tantis abundans divitiis, & tantorum superbus palatiorum dominio, ne vel unicum unquam notatus fuit excepisse pauperem: *Tectum pauperi nunquam dedit.*

S. P. Chry. ser. 121.

XXXIV. Ut porrò eorum, quæ hac de re in medium producturus sum, acumen attingatis, duo supponatis oportet; primum est, CHRISTUM duplici modo transsubstantiari sacramentaliter; altero, in altari sub specie panis & vini; altero, dum se veste induit pauperis, ita ut Peregrinus neutiquam sit contemnendus, quia sub pauperis illius vestibus ipse latitat CHRISTUS; unde ipsemet Dominus attestatur, dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; & alibi: *Esurivi ego, & dedistis mihi manducare*; quæ verba sanctus Petrus Chrysologus sequenti illustrat discursu, inquiens; *Non dixit; esurivit pauper, & dedistis illi manducare, sed; esurivi ego, & dedistis mihi; sibi datum clamat, quod pauper accepit; & si aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse, qui dixit: esurivi ego, & dedistis mihi manducare.* Ita ut pauper ille, cui vos opitulamini, exterius quidem similitudinem præseferat & speciem pauperis; veraciter tamen non sit pauper, sed ipse Christus sub pauperis pallio; aut, veniam date verbis & ut perfectius exprimam, permittite, ipse

Christus dupliciter in sacramento.

Matth. 25. v. 35.

S. Chrys. serm. 14.

Pauper dicitur eucharistia.

ipse est sacra quædam Eucharistia misericordiæ; sicut enim sacramentum altaris, verè quidem panis apparet, at non est tale, sed est viva caro, corpus & persona Christi, speciebus sacramentalibus panis, per divinæ potentiæ efficaciam *ex vi verborum*, transsubstantiatum in Christum; ita & pauper mendicans, exterius quidem repræsentat inopiam, ast veraciter Christus est in sacramentum conversus sub accidentibus paupertatis; vultusque ille pallidissimus & macilentus, laceri panni, vestesque incultæ egenorum, sunt quasi species sacramentales, sub quibus Christus absconditus latet; nunquid enim audistis paulo ante? *mihi fecistis.* Atque ita dum vos pauperem videtis, misericordiæ gradientis Eucharistiam vos intueri arbitremini.

Christus peregrinus.

XXXV. Secundò supponendum est, Christum in sacramento esse veluti peregrinum; si enim peregrinus est ille, qui in loco degit extraneo, vestituque utitur emendicato; Christus in sacramento locum obtinet extraneum, utpote locum panis, & chlamydem gerit mendicatam, dum sese velo cooperit accidentium panis; Christus igitur in sacramento habitum exprimit peregrini; unde Hugo à S. Victore inquit: *Verè Christus sub speciebus panis est hospes, quia tunc ibi est sub specie peregrina.*

Hu. de S. Vict. in c. 6. Ioan.

Duplex communicandi modus.

XXXVI. Hoc supposito, mea in præsenti subintrat speculatio; dupliciter potest quis communicare; aut recipiendo sacram Eucharistiam, id est, Christum sub specie panis; aut benefaciendo pauperibus, quod est veluti recipere Christum sub veste pauperis, quod est quasi mystica quædam communio, quæ Abrahamum salvavit beatumque effecit; licet enim hic sacram non susceperit Eucharistiam, utpote tunc temporis necdum institutam; figuram nihilominus accepit Eucharistiæ, pauperes admittendo in domum suam, quia *semper hospes hospitem ipse suscepit.* Quid verò Epulo? hic crapulis adeo addictus erat, tantamque adversus pauperes atrociam exercuit, ut & figuram contempserit Eucharistiæ: *Et tectum pauperi nunquam dedit.* Ex quo argumentum formo à fortiori: si Epulo damnatus fuit, quia frui neglexit figurâ sacramenti, quid hujusmodi accidet Christianis, qui ipsam frequentare negligunt communionem sacram.

Sentent. S. Th.

Cur species sacrã in pyxide consumptæ.

XXXVII. Hîc aliud subingreditur pariter à me vobis propositum dubium; scilicet unde proveniat, reperiri quandoque in sacra pyxide consumptas species sacramentales, & in vermes degeneratas? ex qua substantia formantur hujusmodi vermes? sustinent aliqui, eos formari ex aëre, hostitiæ adjacente; sed hæc sententia admitti nequit, quia conformiter infallibili principio philosophico: *Mirum non fit immediatè ex elementis*; superaddite etiam, quòd vermes *fiunt ex putrefactione*; *putrefactio autem non fit ex aëre, sed ex speciebus corruptis.*

Ægid. Rom. in Theorem. de corp. Dom. propos.

Unde vermes in pyxide.

XXXVIII. Asserunt alii, substantiam panis, quæ ante consecrationem erat in hostia, reducem degenerare in vermes; ast hæc secunda sententia detestabilior est, quàm prima: vel enim panis redit eo tempore, quo adhuc in hostia sunt accidentia panis? hocque dici nequit, quia eo tempore, quo in hostia sunt accidentia panis, semper adest sacratum Christi corpus; quàm diu autem præsens est corpus Christi, nequit inibi esse substantia panis, alioquin ibi *simul*

simul & semel duæ essent substantiæ. Aut verò panis redit, corruptis jamtum speciebus panis? id quod inverisimile videtur, quia panis nequit esse sine accidentibus panis.

Sentent. S. Th. XXXIX. Angelicus Doctor asserit, quantitatem interminatam panis miraculosè converti in naturam materiæ, exque hac materia fieri vermes. Hanc D. Thomæ sententiam, veluti coronam meo impono capiti; sique meum mihi licet exprimere sensum, dico, difficilem admodum hanc mihi videri doctrinam; quia quantitas est accidens, materia autem est substantia; qualiter verò accidens converti potest in substantiam? dicere, id miraculosè fieri, minimè sufficit, sed meum potius adauget dubium; inferendum namque foret, DEum in hujusmodi vermium generatione, nova ac totidem semper operari miracula.

Ægid. Rom. in Theorem. de corp. Dom. propos. XL. Pro hac itaque vice, doctrinæ insistendum erit, quam Religionis meæ gloria, Ægidius Romanus assignat, dicens; accidentia panis, sub quibus Christi corpus detinebatur, ex mora, quam in custodia trahunt, corrumpi; corruptisque speciebus sacramentalibus terminatur sacramentum. Si porrò inquiritis, unde hæc oriatur specierum sacramentalium corruptio; respondeo, ex accidentibus pani contrariis, id est, ex accidentibus illis, quæ, si panis adesset, non possent simul cum speciebus istis sacramentalibus existere; & quia accidentia ista corrupta, non possunt esse sine subjecto naturaliter, DEus tanquam auctor naturæ surrogat materiam, quæ dicta accidentia sustentet, exque tali materia postea generantur vermes; neque ad hoc requiritur, ut DEus operetur miracula; quia sicuti corpori humano disposito DEus infundit animam, sine miraculo, utpote tanquam auctor naturæ obligatus subjecto disposito communicare formam: ita quoque dum hostiæ accidentia adveniunt contraria, accidentium panis corruptiva, cùm hæc sine subjecto esse nequeant, DEus tanquam auctor naturæ tenetur providere iis de subjecto; atque ita ex illa substantia postea nascuntur vermes; ita ut, si me interrogaveritis, quare aliquando hostiæ adveniant accidentia contraria, accidentium panis corruptiva; respondeam ego, id fieri, quia accidentia panis longo nimis tempore, in sacro loco asservata fuêre. O DEum! ergone vermes nascuntur ex substantia illa, quæ in locum panis subintrat, propter nimiam, quam sacra hostia in custodia trahit moram?

XLI. Audi & extremisce ô Christiane. Carceratus squalebat Patriarcha Joseph, cumque ipso duo servi Pharaonis, alter pincerna, pistor alter; utrique horum, nocte quâdam, somnia obtigerunt adeo intricata, ut non levem cerebro intulerint perturbationem. Orto sole, Joseph insolitam eorum advertens mutationem, fratres ajebat, *cur hodie tristis est facies vestra?* video vos omnino turbatos, Gen. 40. v. 7. &c. quid vobis sinistri accidit? ah chare Joseph, respondebant illi; *Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur illud.* Somnium habuimus extraordinarium, cujus dum expositionem nescimus, omnibus exhorrescimus artubus. Quibus Joseph; agedum fratres, omnem ex cordibus vestris pellite tristitiam, & *referte mihi somnia vestra.* Loqui igitur exorsus Pincerna, *videbam*: ait, *coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea; tuli ergò uvas,*

&

& expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Quâ narratione finitâ, Joseph ad pistorem conversus, & tu, dicebat, quid somniasti? Cui hic: *Ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum; & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me putabam omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque cœli comedere ex eo.* Tunc Joseph; sufficit, abundè intellexi, ecce vobis utriusque somnii interpretationem; & quidem quod te inprimis concernit ô Pincerna: *Post tres dies recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum*; infra trium dierum spatium in pristinam Regis gratiam redibis. Tibi autem ô Pistor durum apporto nuncium: *Post tres dies auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Tertio ab hinc die Rex jubebit te adigi in furcam, & carnes tuæ devorabuntur ab avibus. Novi equidem ô sancte Joseph, te cum spiritu loqui prophetico; sed cur obsecro, pistor potius quàm pincerna ad patibulum rapietur? An non videtis, respondet Joseph, negligentiam pistoris? panem suo asservat commodo, eumque à volucribus manducari permittit; hoc malum adeo enorme est, ut non minorem mereatur pœnam, quàm consumi à volucribus.

XLII. Idem penitus asseram de vobis; sacratum habetis Christi corpus, quod vobis in animæ cibum offertur; vosque omnes epulis dediti corporalibus, permittitis, ut ex acedia vestra species perdantur sacramentales, ita ut postea in locum, earum vermes subintrent. Prædico & denuncio vobis, quòd *volucres cœli lacerabunt carnes vestras.* Propriæ divitiæ & thesauri malè impensi, tanquam dæmonum instrumenta, vos ad infernum conducent; quod dixisse sufficiat.

Negligens communionem, esca dæmonum.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA SEXTA DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De magnitudine divinæ misericordiæ erga peccatores, & ingratitudinis peccatorum contra DEUM.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam; sed agricolæ apprahensis servis ejus, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt: iterum misit alios servos, & fecerunt similiter; novissimè autem misit filium suum. Matth. 21. v. 33. 35. & 36. & 37.

PROBLEMA

Utra sit major; an divina in peccatores misericordia; an verò peccatorum contra DEum ingratitudo? quæque omnium arborum sola & unica, divinis oculis maximè gratos pariat fructus?

INTRODUCTIO.

I.

INdulgete mihi Auditores nobilissimi, ut hodierni dicursus mei atrium ingenioso præclarissimi juxta atque sapientissimi cujusdam belliducis emblemate insternam; qui die quodam latentes animi sui sensus expressurus, generosum sed animo dubium depinxit leonem in bivio, nivibus obsito; ambiguum, utram è duabus viis, æqualiter tritis, ingrederetur; qui tandem utramque fastidiens viam, tertiam sibi omnino distinctam elegit. Porrò ipsum nobile emblematis corpus epigraphe animaverat sequenti: *Ny por aca, ny por alla*; volens per hoc significare, se in fortunato quodam conflictu victoriosam palmam & gloriosum reportasse triumphum contra juratum inimicum suum, eum compræhendisse, carceri mancipasse; quo facto diversos consuluit, quid sibi de reo statuendum foret? alii igitur suadere, ut captivũ crudelitate & sævitiâ exanimaret, ut vinctum atque ligatum asperrimis flagellis & scorpionibus discerperet, ut ita tantò forent tormenta & supplicia ejus longiora, quò diuturnior superstes ejus squaleret miserrima vita intolerabili adeo servitute. Alii mitiora meditantes, respondere: imò dux invictissime, potius eum mor-

Emblema. Inscriptio.

morte perime acceleratâ; ita namq; & justę indignationi tuæ totaliter satisfacies, simul & sinistro rumori os occludes, ne tyrannus audias per mundum. Dux itaque hæc veteranorum militium suorũ consilia secum sagaciter agitans, tandem judicavit semitas hasce nimium vulgares & tritas esse; unde abjectis adeo & trivialibus indignatus consiliis, audacter conclusit: *Ny poraca, ny por alla*; sed generosæ indulgentię, amplũ patefaciens campũ, captũ & vinctum solvit, eiq; non minus inexspectatã, quàm desideratam impertiit libertatem.

II. Videor mihi, ô Auditores meliori cum jure, hodie præclarũ adeo usurpaturus emblema, quando in sapientum tribunali disceptatur, quid circa iniquos & scelerastos illos agricolas statuendũ, qui tanta cum temeritate servos & ipsum denique magni Domini filium interemerunt. Aliis igitur judicantibus, eos pœnis plectendos esse:

Matth. 21. v. 41. *Malos malè perdet*: aliis æternæ mortis sententiã adversùm eos denunciantibus: *Auferetur à vobis regnũ Dei*: video ego, utrumque tramitem nimis tritum esse & vulgarem; ita ut hodie nec de suppliciis, divinæ justitiæ effectibus, nec de quocunq; alio malo, mortis causativo discurrere libeat, sed novam potius ingredi viam, & cum invicto dicere duce: *Ny por aca, ny por alla*: ideoq; novum inducam atq; inexspectatũ cœlestis indulgentiæ, & divinæ pietatis conceptum, resolutionis meæ ducem statuens, æterni Patris actionem, qui postquã alios & alios misisset famulos, tandem proprium unigenitum filium suum ablegavit: *Novissimè misit filium suum.* Sed ô Pater sancte, an nescis fortasse, tuum pariter filium ab ingratis vinicolis occidendum esse? ita, inquit æternus Pater, scio equidem, sicuti servis ita & filio meo scelestissimos istos necem illaturos esse, eandemq; ob causam, quia scilicet vinicolæ tantam mihi offensam intulêre, ideò proprium meum mitto filium, ut mundo universo misericordiæ meæ innotescat infinitas.

III. Hodie nobis quasi pertinacem exhibet conflictum, divina in peccatores misericordia, & humana in Deum pientissimũ ingratitudo; quantò magis supremus Deus offenditur à peccatoribus, tantò majorem in peccatores exercet clementiã & pietatem; peccator è converso, quò frequentioribus à Deo cumulatur beneficiis, eò adversùs Deũ consurgit ingratior. Ecce vobis planissimũ hodierni Evangelii textum: Deum Patrem offenderant vinicolæ, primos & secundos perimendo servos, & nihilominus solito longè benignior atque humanior, proprium ad ipsos filiũ postea destinavit: *Novissimè autem misit filium suũ.* Vinicolæ autẽ primũ à Domino beneficiũ acceperant, collationẽ vineę, deinde visitationẽ diversorũ servorũ, ac tandẽ unigeniti filii prę sentiã; & nihilominus semper ingratiores finaliter concluserunt, ipsimet filio inferre mortem: *Hic est hæres, venite, occidamus eum.* Quibus conforme, ni vobis displicet, sequens vobis tollite problema: Problem. utra sit major, an divina cum peccatoribus misericordia, an verò peccatorũ cum Deo ingratitudo? discursus porrò docebit, Deũ à nobis fructus requirere bonorũ operũ, ut pluriũ bonorũ nos ditet abundãtia; audietis insuper, non esse meliorẽ methodũ, bonum quodcunq; in nostram redigendi potestatẽ, quàm ut illud Deo donemus; tandem verò probabo, eum, qui recusat Deo dare quid exile, jure meritissimo privari omnibus. Nisi vos toto, vitę vestrę determinato tempore destitui volueritis, unã hodierno discursui horã impẽdite in silentio.

IV. *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & dedit eam agricolis suis.* Hic pater-

terfamilias est æterni Patris figura, qui vineam plantavit Ecclesiam sanctam, eamq; nobis dedit Christianis, ut in temporibus determinatis fructus referremus bonorũ operũ; & non obstante, quòd fontem illũ pietatis sine mensura offendissimus, mundo nihilominus ipse patefacere voluit universo, quòd *ubi abundavit malitia, superabũdavit & gratia.* Quantam vos esse arbitramini misericordiã divinã? nihil Deus fecit *ad extra,* in quo divina nõ resplendeat pietas; imò opera, in quibus divina non relucet misericordia, non vult Deus reputari sua; tandem certissimũ divinæ cognitionis in nobis signũ, est sola divina misericordia. Notate vivam quandã & delicatã ponderationem. Vixit Christus Dominus noster cum hominibus, 33. annos, totoq; illo tempore centũ & mille operatus est mirabilia, per quæ divinitas ejus agnosci poterat; nihilominus, considero ego, Judæos tot visis prodigiis, non modò divinitatẽ ejus non agnovisse, sed & insuper morte dignum judicasse: *Reus est mortis*; quod impium sacrilegiũ ut executioni demandarent, primò suis eum vestibus spoliarunt: *Diviserunt sibi vestimenta mea*; postea faciem ejus obscurarunt velo: *Cœperunt velare faciem ejus*; & tandem affixerunt cruci: *Et crucifixerunt eum.* Neq; adhuc tantâ saturi sævitiâ, ipsi potum prebuêre fellis & aceti; quodq; omniũ horribilissimũ est mortui latus aperire non erubuerunt, ferocientes semper, usq; dum ex mortui latere sanguinẽ profluere viderent & aquã; vix autẽ pretiosum hunc cruorem conspexerant, & ecce subitò ipsum agnoverunt esse Deum, uno pro omnibus exclamante Centurione? *Verè filius Dei erat iste*; omnesq; pœnitentes, *revertebantur percutientes pectora sua*; in hoc puncto consistit tota mea difficultas; quare Judæi, qui tot visis miraculis nunquam voluerunt credere Christo, imò eum tandem crucifixerunt; cur, inquam, illi mortuum professi fuerint Deum? quid Christus prodigii post mortem operatus fuit, vi cujus pro unigenito Patris filio agnitus fuit?

Rom. 5. v. 20.
Immensitas divinæ miseric.
Matt. 26. v. 66.
Ps. 21. v. 19
Marc. 14. v. 69. c. 1.
Marc. 15. v. 25.
Luc. 23. v. 47. v. 48

V. Grave hoc dubium ad aliud quoddam Doctoris Angelici me ablegat, ubi hic sanctus quærit; quare Deus dum opus patrat misericordiæ, illud exequatur sine interventu justitiæ; opus autem justitiæ nunquam consumet sine interventione misericordiæ? Si nos Deus ad gratiam & gloriã prædestinet, totũ hoc ex misericordia facit sine respectu ad justitiam: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Si primam nobis confert gratiã, ecce non justitiæ, sed puræ misericordiæ effectũ; si enim prima gratia nobis obtigisset ex justitia, eo ipso jam non esset gratia: *Si ex operibus daretur gratia, jam non esset gratia.* Incarnatio, effectus fuit solius misericordiæ sine ulla justitiæ intelligentia; quæ enim justitia exigebat, ut innocens & ab omni immunis peccato nasceretur, ad subeundam pro peccato pœnã? incarnatio itaq; fuit ex mera misericordia: *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Ecce vobis misericordiam sine interventu justitiæ. Nunc autem vos ullum, si potestis, opus justitiæ in medium adducite, non stipatum misericordiâ. Si Deus pænâ æternâ punit damnatos, in eo ipso divina relucet pietas, quia eos nõ castigat *ultra condignum*, sed *citra condignum*; cumq; meritò pænã ijs infligeret infinitam *intensivè & extensivè*, solam infert infinitã *extensivè*. Cælos creavit cum intelligentia divinæ misericordiæ: *qui fecit cælos in intellectu, quoniã in æternum misericordia ejus.* Ægyptum flagellavit, sed non absque interventu divinæ misericordiæ: *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

p. 1. q. 24.
Tit. 3. v. 5.
Luc. 1. v. 78
Ps. 135. v. 5.
v. 10.

Ut plurima paucis, nullum reperire est opus Dei *ad extra*, in quo divina non resplendeat misericordia. Quare itaq; Deus misericordiam exercet sine interventu justitiæ; justitiam verò nunquam exequitur sine misericordia? Dubio huic S. Chrysostomus per divinū istud satisfacit responsum: *Vult Deus robur suum innotescere per beneficentiam & liberalitatem.* Statuit Deus, divinitatem suam per solam manifestare misericordiam.

D. Chrys. ho. 6. in Epist. ad Rom.

VI. Atque ideo à primo ortus sui instanti usque ad ultimum vitæ flatum, ex omnibus corporis sui partibus radios semper evibravit pietatis. Ad pedes devoluta Magdalena; *Stans retro secus pedes Domini*, sibi dici audiit: *Vade, remittuntur tibi peccata tua.* Ex vestibus pietatem consecuta est mulier ista, quæ laborabat sanguinis fluxu; *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Ex manibus filia Archi-Synagogi atque omnes infirmi; *At ille singulis manus imponens, sanabat omnes.* Ex oculis S. Petrus: *Respexit Dominus Petrum, & conversus est Petrus.* In summa, omnes corporis Christi partes operatæ fuerunt misericordiam. Sancte Deus, dicebat diabolus, si iste supervixerit, infallibiliter se Deum probavit misericordiæ; quid agitis ô Judæi? occidatur Christus iste, sed ante suis exspolietur vestibus, ne mediantibus illis aliquam exerceat misericordiam, ideoq; *diviserunt sibi vestimenta ejus*; deinde obtegantur oculi ejus, ne respiciendo misereatur: *Et cæperunt velare faciem ejus.* Denique affigatur cruci non modò manibus, sed & pedibus, ut nulla ex parte possibilitas ei suppetat exercendi misericordiam, atque ideo *crucifixerunt eum.* Christus se talibus constrictum videns augustiis, totam misericordiam in os collegit, unde sacra ejus labia nil nisi misericordiam spirare cœperunt in crucifixores: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Item in latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*; nec non in Joannem: *Ecce mater tua.* O sancte Deus, inquit dæmonium, ergone impossibile est huic Christo abstinere ab exercitio misericordiæ? Agedum ô Judæi, occludite illi os: *Et continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & dabat ei bibere.* Ubi Arnoldus Carnotensis ait: *Et sancto ori ejus venena propinant, ut misericordiæ fontem exsiccarent.* Videns Christus os sibi obstructum, ita ut ulterius misericordiam communicare nequiret, quid fecit? caput inclinavit: *Inclinato capite, vocavit Longinum*, inquit S. Augustinus; heus ô Longine, adesto; scias, colluviem istam meum mihi naturale os occlusisse, ita ut per illud nullam amplius possim communicare misericordiam, tu novum mihi os in pectore meo efforma, per quod mea egrediatur misericordia. Paruit Longinus, *lanceâ latus ejus aperuit; & exivit sanguis & aqua.* Quid sanguis iste & aqua significat? quid denotat? Respondet Sanctus Augustinus: *Sanguinis & aqua; id est, sacramenta fluxerunt.* Quo fine? *In remissionem omnium peccatorum.* Aqua hæc sanctum significat baptismum originalis deletivū culpæ, sanguis, autem reliqua denotat sacramenta, quæ virtute sanguinis Christi gratiā conferunt, sanctificantem & omnia tollunt peccata actualia. Videntes itaque Centurio & Judæi, Christum non modò in vita, sed etiam post mortem, suam longè lateq; diffundere misericordiam, omnes pœnitentiā docti, *revertebantur, percutientes pectora sua.* Ita magnus P. Augustinus, à docto quodam patre in hæc verba relatus: *Et quomodo verum Deum non proclamasset ille Centurio, qui eum vidit, etiam mortuum, misericordiæ fontes dimanantem?*

Christi misericordia. — *Luc. 7. v. 47.* — *Matth. 9. v. 21.* — *Luc. 4. v. 40.* — *Luc. 22. v. 61.* — *Luc. 23. v. 34.* — *Luc. 23. v. 43.* — *Ioan. 19. v. 27.* — *Matth. 27. v. 48.* — *Arn. Carn.* — *Cur Christi latus apertum.* — *Ioan. 19. v. 34.* — *S. Aug.* — *S. Aug.*

VII. Ast

VII. Ast hîc nova se insinuat difficultas, meæ modò obvia memoriæ. Quare Christus mori voluit in cruce, in medio duorum latronum? Dixeritis utique, Christum obiisse propter Adamum, qui dum fructum Deo reservatum subduxit, furto se contaminavit; sed hoc ipsum magis meam auget difficultatem, cur namq; Christus pro homine potius vitam suam obtulit, & non pro Angelo? imò dum latronum memini, vos interrogare compellor & quærere, cur Christus adeò fuerit prodigus erga bonum latronem, & tam tenax contra Judam? verum est equidem hunc peccasse, sed & verissimum est, eum pœnituisse flagitii: *Peccavi, tradens sanguinem justum*; imò & argenteos restituisse: *Projecit 30. argenteos.* Quare igitur hic beatitudine excidit? S. Hieronymus de Judæ peccato agens, stupescendam nimis adducit doctrinam, dum ait: *Majus peccatum fecit Judas in pœnitendo, quàm in tradendo.* Gravius atque execrabilius crimen admisit Judas, dum pœnitentiam egit, quàm dum ipsum tradidit & vendidit Deum: *Sed hoc pro clementia Domini dico; quia magis offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit.* Judas Christum vendendo, graviter utiq; deliquit, ast tunc non rebellavit, imò vasallus effectus fuit justitiæ divinæ; quando autem impœnitens se suspendit, tunc divinam enormiter læsit misericordiam, quia tunc de divina desperavit clementia; sicq; vendendo Christũ, non offendit justitiam; at suspendendo se, rebellis factus est misericordiæ divinæ, ideòque damnatus fuit. Videns itaque divina misericordia se destitutam Judâ, & justitiam sub dominio suo continere latronem, Calvarium ascendit, ubi cum duos reperisset latrones, ad Christum conversa, ait: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Memineris ô Domine, me oculorum tuorum esse pupillam, ideoque concede mihi hunc bonum latronem; quia justitia me alio destituit latrone, scilicet Judâ. Ita, respondit Christus, justa est prætensio tua, fiat tibi gratia, quam petis: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Justitia, quæ causam suam tuebatur contra misericordiam, dum hæc ita agerentur, accurrit, malumque latronem mori fecit impœnitentem; latro iste, inquiebat illa, meus est. Huic se opponens misericordia, ergone, ajebat, justitia duos, & ego unum solum habebo latronem? *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me cum uno latrone.* Hos misericordiæ ejulatus vix audierat æternus pater, moxque imperavit, dicens: alius donetur misericordiæ latro, & non quidem qualiscunque, sed adeo famosus, ut infinitis æquivaleat latronibus, scilicet homo, fur & deprædator fructus Deo reservati; Angelus autem nec fur nec latro fuit, utpote qui per superbiam duntaxat deliquit; moriatur itaq; in cruce Christus, & moriatur pro homine tanquam prædone, totumq; hoc fiat in majorem divinę misericordię splendorem. *Maluit Deus*, inquit S. Petrus Chrysologus, *deduci sententiam, ne misericordiæ quid negaret.*

Cur Christus obiit inter 2. latrones.

Matth. 27. v. 4.

De bono latrone & Juda.

S. Hier. in expos. Ps. 180.

Luc. 23. v. 42.

v. 43.

Matth. 27. v. 46.

S. P. Chrysol. ser. 8.

VIII. Nequaquam mihi hucusq; satis dixisse videor, de divinæ misericordiæ splendore; sublimiora asportabo. Magis Deum usus urget misericordiæ, quàm exercitiũ justitiæ; quia executionem justitiæ non accelerat, misericordię verò exercitiũ ne ad unicum instans differt. Nunquid Deus vi justitiæ tenetur gloriã conferre justo? utique; ita namq; Apostolus docet, inquiens: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*; peccatori autem forsitan Deus etiã obligatur dare gratiam? minimè equidem: *Non ex justitia, sed secundùm suam misericordiam salvos*

2. Tim. 4. v. 8.

Tit. 3. v. 5.

nos fecit. Et nihilominus se ultro obstringit ad conferendam peccatori gratiam, quocunq; momento hic sese disposuerit: *Quotiescunque ingemuerit peccator, ejus peccatorum non recordabor amplius. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Justo autem non nisi post vitam, confert gloriam: *Quā reddet mihi in illa die justus judex.* Quare hoc? quia multò fortius Deum executio urget misericordiæ, quàm justitiæ.

2. Tim. 4. v. 8.

IX. Atque ideo dum misericordiæ vacandum est, tota sanctissima concurrit Trinitas, talique exercitio sacrata illa trias mirum in modum gloriatur; dum autem jurum in modum justitia prædicatur, renuit Deus illius vocari auctor. In forma angelica tres divinæ personæ domum inviserunt Abrahami, quas cum sanctus senecio esse crederet peregrinos, eas hospitio excepit, charitativè refecit ac tandem dimisit; ast ipsę quales essent, se manifestarunt, tres scilicet personas divinas; ideoq; Abraham *tres vidit, & unum adoravit*. Post hæc divini viatores suum prosecuti sunt iter, appropinquantesq; ædibus Loth, inquit sacer textus, *venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus civitatis*. Quomodo? Duo Angeli? nunquid tres apparuerunt in domo Abrahæ? ita sanè? *Apparuerunt ei tres viri*; ipsiq; illi pro personis divinis agniti fuerant: *Tres vidit, & unum adoravit*. Quomodo igitur in ædibus Loth duos duntaxat reperimus? Difficultatem hanc divina cum subtilitate magnus enodat P. Augustinus, dicens, in domo Abrahæ, negotiū fuisse de donando Abrahæ filio: quando de gratia tractatur, quę misericordiæ est filia, omnes tres comparent, divinæ personæ. In domo autem Loth de suppliciis, de justitia, de urbium istarum incineratione agendum erat, ideoque duæ tantum comparent personæ. Ast quare non abiit una sola? Notate; si una sola venisset,

Miser, venustas.

Gen. 19. v. 1.

Quis justitiæ author.

S. Aug. in Gen.

credi potuisset, ipsam Deum fuisse unum in essentia; si tres fuissent personæ, præsumere potuissemus, incendii illius auctorem exstitisse Patrem, Filium & Spiritum sanctum; quia verò numerus binarius non potest accommodari in divinis (non enim duo dantur dii, neq; duæ personæ) ideo *venerunt duo Angeli*; ne quis sibi persuadere posset, flagelli istius auctorem fuisse Deū. Ecce vobis ipsa D. Augustini verba: *Quando largienda est gratia, tota Trinitas adest; quando verò severitas est exercenda, duo Angeli mittuntur.*

X. At curiosè vos mihi indagare videmini, utra sit major; misericordia, an justitia? ad hoc respondeo, realiter omninò æquales esse, imò indistinctas *realiter à parte rei*. At secundùm nostrum intelligendi modum quantum ad exercitium & effectum, dico, misericordiam longè esse majorem justitiâ, tantumq; inter utramque reperiri excessum, ut justitia, veluti famula, tantum ac tale misericordiæ exsolvat tributum; ut, si v.g. duodecim gradus pœnarū vellet infligere cuipiam reo, sibi non nisi unicum servet, reliquosq; undecim consignet misericordiæ. In memoriam revocate atrox istud pestis suppliciū, quod David propter peccatū vanę glorię suę elegit: *Tribus diebus & tribus noctibus erit pestilentia in Israël.* Justitia itaq; furere cæpit, tota indignatione plena & manum armata flagello, contagionem immisit adeò mortiferā & pestilentialē, ut in unico ictu oculi, 70. obierint millia hominum. Quamdiu putatis contagium istud durasse? scriptura dicit: *Usq; ad tempus constitutum*. Textus autem græcus vertit: *A mane usq; ad tempus prandij.* A tempore matutino usq; ad prandiū, quod tempus non nisi sex includit horas. Quomodo taliter tempus præscriptū imminutum fuit? ergone ex tribus diebus & tribus nocti-

Justitia tributaria misericordiæ.

2. Reg. 24. v. 13.

S. Theod. hic. noctibus nõ nisi sex horæ asservatæ fuere? Respondet S. Theodoretus, tantos inter justitiæ rigores se insinuasse misericordiã, sibique debitum exegisse tributum. Sed quale accepit tributum? undecimam partem pro una; tres dies & tres noctes numerum complent sexies duodenum horarum; ex quo toto numero justitia non nisi sex obtinuit supplicii horas, toto residuo in tributum cedente misericordiæ; nos hîc pro omni numero denario solvimus unum; ast justitia pro una parte, misericordiæ solvit partes undecim, proq; sex sibi indultis horis, misericordiæ 66. attribuit horas. Audite Theodoretum: *Trium dierum Deus mortem minabatur, sex autem horis solum mortem intulit, si dies autem numerentur cum noctibus, invenitur pars sola duodecima pœnarum illata esse populo.* Meliusne dici poterat? imò & hodiernum nos docet Evangelium, singularem misericordiæ præ divina pietate esse excellentiam. Offenderant æternum patrem impii vinicolæ, primos & secundos occidendo servos, & nihilominus supresâ ipse justitiâ, misericordiæ suæ radios magis magisque dilataturus, quid fecit? *Novissime misit filium suum.* Majus nequibat beneficium præstare transgressoribus.

Justitia tributaria misericordiæ.

Matth. 21. v. 37.

2. Reg. 24. v. 13.

Ingratitudo vincit miseric. XI. Sed quis crederet peccatorum ingratitudinem, ipsâmet divinâ misericordia videri majorem? Scio majus non posse dari Deo aut quocunq; attributo divino; ast nostro dicendi modo, sola ingratitudo divinam videtur excedere pietatem; quia omnia inter peccata, sola ingratitudo divinâ se reddit indignam misericordiâ; ita ut infinita illa bonitas, quæ sese communicat omnibus & cuiq; peccatorum sorti, ad solos ingratos se minimè extendat; non quidem ex parte Dei, utpote promptissimi sese communicare omnibus, sed ex parte ingratorum, qui Deum obligant & constringunt, ne suos iis dispenset favores. Audite primò quandam magni P. Augustini auctoritatem, ejusque dogma vestris imprimite cordibus. Dicit itaque S. Doctor: *Scio Domine, quòd ingratitudo multum tibi displicet, quia est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem; quâ & mala jam mortua oriuntur, & viva jam cætera moriuntur.* Explicemus singula egregiæ hujus auctoritatis verba: *Scio Domine, quod ingratitudo multum tibi displicet.* Quantum putatis Deo displicere ingratitudinem? magis, quàm ipsa possit displicere traditio; ipsemet traditor proposito nostro optatam sternat semitam. Quando diabolus Judæ accepit possessionem? respondebitis utique, tempore sacrilegæ communionis; sed negat hoc S. Augustinus, ab Hugone Cardinali relatus. Tertiò Christus cœnavit cum Apostolis suis; primò dum pascha celebraturus, agnum manducavit paschalem *cum lactucis agrestibus*; cujus meminit S. Joannes, dicens: *Et cœna facta.* Secundò, dum post lotionem pedum, Christus instituit Sacramentum, omnesque Apostolos sacrâ refecit communione, de qua cœna in hæc verba tractat S. Matthæus: *Cœnantibus illis, accepit IEsus panem.* Tertia & ultima cœna fuit ordinaria, quando Salvator buccellam panis præbuit Judæ, intinctam vino; quam S. Joannes pariter describit, inquiens: *Et post buccellam, introivit in eum satanas.* Ubi notandum, omnes eos errare, qui per buccellam hanc intelligi asserunt sacramentum, teste S. Augustino, dum ait: *Non ut quidam putant, tunc corpus Christi Iudas accepit; sciendum enim est, quòd omnibus iam distribuerat Dominus Sacramentũ corporis sui; inter quos & Iudas fuit; deinde post buccellam introivit in illum satanas.* In tertia cœna, quando Christus Judæ panem præbuit, vino intinctũ, dæmon intravit

S. Aug. in solil. c. 18.

Deo maximè displicet.

Hug. Card. in Ioan. c. 13.

Ioa. 13. v. 2.

Matth. 26. v. 26.

Ioan. 13. v. 27.

S. August.

vit

vit in Judam. Ecce vobis dubium meum; quid sceleris admisit Judas in tertia cœna, ut in ea mancipium fieret diaboli; quare dæmon nõ ingressus est in Judam in 2. cœna, quando hic indignè communicavit? audite resolutionem S. Augustini: quando in secunda cœna sacramentum fuit datum Judæ, beneficiũ hocce fuit omnibus commune; ast in tertia cœna, bucella panis beneficiũ fuit particulare, soli specialiter exhibitum Judæ; qui infamis vix singulari adeo accumulatus gratiâ, loco gratitudinis, confestim magistri sui traditionẽ machinari cæpit: *Cum accepisset ille buccellam, continuò exivit.* Itane? dicebat Christus, tantane est Judæ ingratitudo? vadat diabolus & flagitiosi adeo peccatoris capiat possessionem, ut noverit mundus universus, ingratitudinem majus peccatum esse ipsomet sacrilegio. Ecce vobis ipsa S. Augustini verba: *Adhuc tantum Judæ possessio non à Domino, sed à diabolo; cum homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem.*

Joan. 13. v. 30.

S. Aug. tr. 20. in Joan. c. 13.

XII. Sed quare Deus vitium ingratitudinis tanto prosequitur odio? vultisne sententiam meã, à S. Theodoreto confirmatam? Notate, tam grave tamq; horribile est ingratitudinis crimen, ut ipsum solum tantùm valeat & ponderet, quantum reliqua omnia peccata simul, quam nos veritatem docet illa Christi parabola de servo ingrato, cui suus Dominus debitum remiserat decem millia talentorum: *Misertus est Dominus servi illius, & debitum dimisit ei.* At videns postea idem Dominus, quò servus iste exilem à suo conservo exacturus summam, *tenens suffocabat eum & misit eum in carcerem*; indignatus ait ad illum: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne oportuit te misereri conservi tui? & tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum.* Hic mea subintrat difficultas; si Dominus totum servo remiserat debitum, quare postea totum ab eo reexigit? Reviviscentiam fieri meritorum, adveniente gratiâ, docent Theologi; ast reviviscentiam negant peccatorum remissorum, quæ enim semel dimissa sunt, *non reviviscunt amplius.* Quomodo igitur parabolicus hic Dominus, qui Deum repræsentat, suum condemnat servum, volens, ut *universum debitum* solvat, etiam remissum? Isidorus Clarius per *universum debitum*, actum intelligit ingratitudinis, à servo commissum, quis ingens Domini sui beneficium expertus, conservum suum non modò non patienter toleravit, sed & pessimis insuper modis habuit: *Tenens suffocabat eum.* Cujus sceleris tanta fuit enormitas, ut debitum adæquarit omnium 10. millium talentorum; non suscitavit debitum remissum, sed novum admisit flagitium, adeo grave, ut ad numerum excreverit decem millium talentorum, sicque aliquam quodammodo intulit totius remissi debiti reviviscentiam. *Intellige universum debitum*, inquit S. Thomas, *peccatum illud, quo ingratus tantæ Domini beneficentiæ, ne exiguum debitum fratri remittere voluit; tam grave fuit, ut illud prius 10. millium talentorum debitum exæquaverit.* Actus iste ingratitudinis totum quidem non adæquavit debitum, sed propter beneficii recepti, & non gratificati circumstantiã, adeo grave evasit scelus, ut æquale habuerit pondus cũ numero omniũ debitorũ antecedentiũ.

Gravissima noxarum.

Matth. 18. v. 27.

v. 28.

v. 32.

v. 33.

Isid. Clar.

S. Th. p. 2. q. 107.

Destruit omne bonum.

XIII. Quid porrò immediate subnectit S. Augustin⁹? *Ingratitudo est radix totius mali spiritualis.* Unde omnia nascuntur peccata, nisi ex sola ingratitudine? Regius Psaltes pœnam, quâ Deus filios Jerusalem mulctaverat, enarrans ait: *Posuit terram eorum in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* DEus salem seminavit in terra

Ingr. fons omnium peccatorũ.

Psal. 106. v. 34.

terra Jerusalem, ita ut amplissima illa Hebræorum possessio, tot ac tantis quondam abundans gratiis divinis, tamque sincerè à Deo dilecta, tota tandem evaserit sterilis & divinis odiosa oculis; cujus causam si requiritis, ecce eam ipsemet subjungit David. *A malitia inhabitantium in ea*; propter unicum malum sceleratorum incolarum flagitium. Ast quorsum dicitur malum, ubi asseritur flagitium? forsitan peccatum aliquod reperire erit, quod bonum sit? Non, dicit David; verum est equidem, omne vitium esse malum, nihilominus sicuti unum inter cætera, est omnium maximè pernitiosum atque execrandum; ita quoque *per Antonomasiam* nuncupari meretur vitium malum; quod autem est istud? dicite, nunquid ullum peccatum dabile erit, quod tot ac tanta inferat damna, quot sola ingratitudo? illa est omnium radix malorum, omnis origo dispendii; sufficitque dicere cum D. Augustino, quòd sit *radix totius mali spiritualis*.

Destruit omne bonum. XIV. Quid ultra circa ingratitudinem sanctus statuit Augustinus? *Est ventus desiccans & urens omne bonum.* Est ventus omnium exsiccativus & combustivus bonorum. O sancte Deus! ingratitudo igitur est destructiva causa boni cujuscunque? ingratitudo itaque esse Dei destruit, qui summum bonum est? Ad intelligendam S. Augustini mentem, simulq; ostendendum quòd ingratitudo, *quantum est ex se*, vellet Deum non esse; discutere prius oportet, quare Deus à nobis exigat gratitudinem? Si Deus nostris non indiget bonis, juxta illud psalmistæ: *Bonorum nostrorum non indiget*: quare à nobis gratiarum actionem requirit? Notate, Deum nostram non petere recognitionem, quasi verò ipse eâ opus haberet; sed recompensationem vult, ut occasionem habeat suas nobis impertiendi gratias. Reascendamus montem Calvariæ, delicatum inibi investigaturi conceptum. Pendulus in cruce Salvator, alia inter tormenta intensam adeo passus est oris siccitatem, ut exclamare coactus fuerit: *Sitio*; postea autem dum mortui latus aperuit Longinus, teste scripturâ, *exivit sanguis & aqua*. O mi crucifixe Deus, nonne tu idem ille es, qui paulo ante præ siti ardebas? quomodo igitur nunc è pectore tuo fons manat aquarum? Si tantam in te continebas aquam, quare potum postulasti? I a. 19. v. 28. v. 34. §. 15.

XV. Deus Abrahæ præcepisse legitur, ut suum sacrificaret filium: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offeres mihi in holocaustum.* Paruit sanctus, vocatumque filium duxit in montem Moria, jamque omnibus dispositis, brachium extenditur feriret. Quid agis ô venerande senex? filiumne occidere paras? ita; quare? nunquid tibi spopondit Deus, ex progenie tua descensurum Messiam? ita; si ergo filius hic moriatur omnis indubiè spes extinguetur futuræ prolis. Quid? respondet Abraham, creditisne vos, me, dum ego meum Deo filium offero, omni destituendum filio? minimè equidem, imò non modò retinebo filium, sed Deus ipse quasi obligabitur suum mihi dare filium; Deus meum postulavit filium, non quod indigeret Isaaco, sed ut occasionem caperet, suum mihi unigenitum donandi filium. Audite S. Chrysostomum: *Ait Dominus ad Abraham; da mihi filium tuum; non quòd accipere filium vellet, sed quòd suum proprium filium toti orbi terrarum largiri vellet; da mihi (inquit) filium tuum, immola filium, ut filium meum unigenitum immolem.* Eadem de causa Christus se tantâ siti ardere protestatus est, ut dixerit: *Sitio*. Non enim bibere petiit, quasi laboraret siti aut neces-

Gen. 22. v. 2.

Cur Deus velit gratitudinem

S. Io. Chrys.

necessariam haberet aquam; sed materialem à nobis petiit aquam, ut ipse nos potaret divinâ; ecce vobis S. Ambrosii testimonium: *Tunc sitiebat, cum de latere suo restinctura omnium sitim, aqua vivæ fluenta fundebat.*

S. Ambr. in ps. 17.

Modus omnia acquirendi.

XVI. Deus à nobis petit, ut nobis donet, seu ut divinis nos faciat abundare bonis, quia non est via certior ad efficiendum, ut res aliqua sit nostra, quàm si eam Deo consecraverimus. Ad propositum, insignem quandam auscultate D. Augustini speculationem. Homo quidam nobilis, qui Dei erat figura, profecturus, duos ad se accersivit famulos, unicuique unum tradens talentum, ut cum eo negotiaretur, quemadmodum describit S. Lucas. Primus horum nimium felix decem lucratus est talenta, sicque suum conveniens Dominum, ad eum ait: fortuna mihi singularis favit, ita ut vi unius talenti tui, lucrum fecerim aliorum decem: *Ecce mna tua decem mnas acquisivit.* Cui Dominus; ô fortunate serve, *quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui; eris potestatem habens super decem civitates.* Accessit deinde alter servus dixitque; domine, talentum tuum nihil penitus acquisivit lucri, quin imò ne me periculo exponerem perdendi illud; *ecce mna tua, quam reposui in sudario.* O impudens, piger, nulliusque valoris homo, *serve nequam*; sine mora privetur hic talento suo, deturque alteri decem habenti: *Auferte ab isto mnam & date illi, qui decem mnas habet.* Duo præclara mysteria in paucis hisce verbis latitant reclusa; primum est, talentum servi acediosi transferri in illum, qui decem possidebat. Quis decem fruitur talentis? verum est equidem, servum bonum ea lucratum fuisse, sed indilatè suo eadem Domino consignavit, qui propterea etiam decem civitatum obtinuit principatum: *Eris potestatem habens supra decem civitates.* Creditisne, inquit S. Augustinus, servum bonum, dum Domino suo decem talenta consignavit, iisdem privatum fuisse? nequaquam; quidquid Deo datur, in potestate remanet donantis.

Luc. 19. v. 16.

v. 17.

v. 20.

v. 22.

v. 24.

XVII. Ast hic secundum subingreditur mysterium: Si bonus servus decem talentorum Dominus mansit, quia illa Domino suo dedit, à fortiori dominium retinere debuisset unius istius talenti, quod Dominus ei contulerat; sicque bonus servus dicendus foret undecim talentorum possessor; id est, unius sibi à Domino dati ad negotiandum, & aliorum decem insuper acquisitorum; adeoque dicendum fuisset: *Auferte ab isto mnam, & date illi, qui undecim mnas habet.* Quomodo itaque dicitur: *Date illi, qui 10. mnas habet?* Respondet idem magnus P. Augustinus, bonum servum non dici nisi decem talentorum possessorem, ut intelligamus, in certo quodam sensu, majus esse, quod nos Deo damnus, quàm quod Deus donat nobis. Unum duntaxat talentũ Deus dedit servo bono, hicq; decem reddidit Deo, non nominetur itaq;, inquit Spiritus sanctus, unũ istud talentum, quo Dominus honoravit servum; sed sola fiat mentio decem talentorum, quę Domino obtulit servus bonus; ut mundus noverit universus, certo quodã modo, majus esse donum hominis factum Deo, quàm Dei factum homini. Ipsam accipite D. Augustini auctoritatem: *Neque enim quod redditis, reddendo minuitur, sed augetur; quia Deus benignus exactor est, non egenus.* Non exigit Deus gratitudinem à nobis, quasi necessariam sibi; nequaquam; sed eam quærit, ut motivum obtineat benefaciendi nobis: *Et hinc est,*

Luc. 19. v. 24.

D. Aug. ep. 45.

quod id, quod non redditur, perditur; quod autem redditur, reddenti additur. Deus vult nostram gratiarum actionem, ut motivũ nanciscatur suis nos accumulandi favoribus.

Ingr Deũ privat divinitate. XVIII. Figamus gressum, & permittite, ut solidum ex huc usq; dictis formem argumentum. Deus nostram postulat gratitudinem, non quia illâ indiget, sed ut motivum habeat, suas divinas nobis communicandi gratias; quando igitur quis nostrũ Deo existit ingratus, Deo occasio deficit communicandi se nobis; & quia, dum se non communicat, non se perhibet tanquã summum bonum, sequitur, per ingratitudinem nostram effici, ut Deus quasi non sit Deus. O execrandum ingratitudinis monstrum! tu Deum ipsum suâ exuis quodammodo divinitate; id quod asserere voluisse videtur S. Augustinus, dum ait: *Ingratitudo est ventus desiccans, & urens omne bonum.*

Impeditque misericordiam XIX. Ast hic forsitan pestiferum terminatur ingratitudinis malum? nequaquam, dicit S. Augustinus: *Ingratitudo obstruit fontem divinæ misericordiæ super hominem. Obstruit?* quid denotat ly *obstruit?* id est, quod ingratitudo cursum impediat & perennem occludat divinæ misericordiæ fontem; ex quibus concludere licet, quòd ingratitudo Deum exuat divinitate; sed notate, quomodo. Protomedicus Christus sanitatem decem impertierat leprosis, quorum unus, natione Samaritanus, *ut vidit, quia mundatus erat*, conspiciens se sanum esse, *regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit ante pedes eius, gratias agens.* Debitas benigno Domino grates egit; moxque Christus: *Nonne decem mundati sunt, & 9. ubi sunt?* Decem fuit restituta sanitas, quomodo itaque unus duntaxat revertitur? ubi sunt cæteri novem? Domine mi, tu ipsa infinita sapientia & scientia Deus nescis, ubi morentur reliqui novem sanati? non, dicit Deus; novem isti post obtentam sanitatem, nullas retulere gratias, sicque crimen admisere ingratitudinis, adeo execrandum, ut meæ obscurarit lumen scientiæ; ita ut ego, qui per infinitam sapientiam meam attingo omnia, solos non videam neque cognoscam ingratos.

Luc. 17. v. 15. v. 16. v. 17.

XX. Sed quomodo? Augustinus non dicit, quòd ingratitudo *obstruat lumen scientiæ divinæ*, sed quòd *obstruit fontem divinæ misericordiæ.* Impedit, efficitque, ne hominibus divina communicetur misericordia; hocque ipsum, dico ego, est ultimum ac summum ingratitudinis malum. Patres Theologi, si ego à vobis quærerem, quid est Deus? scio, vos non posse mihi assignare definitionem *à priori & per causam* esse divini; sed *à posteriori & ab affectu*, quid est Deus? Respondebitis optimè: Deus est illud, quod exercet misericordiam: *Deus cui proprium est, misereri semper & parcere.* Et alibi dicit Ecclesia: *Deus qui omnipotentiã tuam, parcendo & miserendo, maximè manifestas*: ita ut esse Dei consistat in divinam peccatoribus communicando misericordiam. Firmate pedem; quid faciunt ingrati? *Obstruunt*, inquit S. Augustinus, *fontem divinæ misericordiæ*; impediunt, ne suam Deus communicet misericordiam; ingrati igitur Deum privare attentant divinitate; ô monstrum infernale!

XXI. Concludit tandem Augustinus, dicens: *Vitio ingratitudinis, omnia mala jam mortua oriuntur, & viva jam cætera moriuntur.* Propter ingratitudinem omnia peccata præterita reviviscunt, omniaque opera bona moriuntur & valorem perdunt; ita ut, si à me peteretis; Resuscitat peccata.

 quàm

quàm grave est ingratitudinis vitium? respondeam ego, tantum esse pondus hujus unius sceleris, quantum omnium totius mundi peccatorum, simul conjunctorum, id quod jam supra probavimus; sed amplius ? tentat insuper & machinatur ipsius Dei annihilationem: non progrediamur ulterius, quia execrabilius nihil asseri potest.

XXII. Sed assumptum resolvamus propositum: quantumvis divina misericordia infinita sit erga peccatores, ingratitudo nihilominus peccatorum in Deum, major esse videtur, quia ipsiusmet Dei misericordiæ fontem impedit atque occludit.

XXIII. Quâ autem pœnâ peccatores puniuntur ingrati ? permittite, ut prius vobis singularem quandam Dei in agendo consuetudinem ob oculos ponam: assolet Deus, omni eos bono destituere, qui renuunt ei dare exile quippiam. Observastisne, per fidem vestram, notabilem aliquam circumstantiam in resurrectione Lazari ? Volens auctor vitæ Lazarum revocare à mortuis, voce usus imperativâ,
Joa. 11. v. 43. clamavit: *Lazare veni foras*; *& statim*
v. 44. *prodiit, qui fuerat mortuus, ligatis manibus & pedibus*; subitò limbus seu infernus Lazarum restituit, sed involutum & manibus pedibusque vinctum. O custodes limbi, quare miserum non solvitis Lazarum ? quare eum foras educitis totum involutum? advertite; Custodibus Limbi apprimè notus erat mos Dei, unde taliter secum discurrebant: Si nos moram traxerimus in solvendo Lazaro, hæc nostra cunctatio resistentia æstimabitur, in cujus pœnam Deus pro uno mortuo, omnes liberabit, totum evacuaturus infernum. Heus, heus igitur Lazare, sine mora egredere, etiam ligatus; non te solvemus, nullam in faciis tuis sublevandis trahemus remoram, ne in pœnam tarditatis nostræ, Deus nos omnibus mortuis privet, dum ei unicum extradere cunctamur. Conceptum hunc nobis pater tradit subtilitatis, S. Petrus Chrysologus, inquiens: *Liga-* *S. Petrus Chrys.*
tis manibus & pedibus retulit Lazarum tartarus ad superna; *timens ac tremens, ne dum solvit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert unum, omnes cogatur afferre.* Hanc enim Deus servat methodum, ut, quando quid negatur ei exile, quod petit; totum tollat, quod primò nobis dederat; exemplum capite in hodiernis vinicolis, qui dum fructus Deo negarunt, Deus ipsos fructibus, vineâ, corpore, anima, omnibusque bonis privavit: *Auferetur à vobis regnum Dei.*

XXIV. Vinea hæc, animæ devotissimæ, est Ecclesia sancta, â Deo nobis data fidelibus, *ut reddamus fructum temporibus suis.* Debitum dignos pœniten- *Moralitas.*
tiæ fructus Deo exhibendi tempus, est quadragesima, in qua Deus suos misit prædicatores ad exigendos vineæ fructus. Quos bonorum operum fructus vos mihi exhibetis, ad præsentandos eos Domino ? Ubi est divinorum observantia præceptorum ? ubi fides viva ? ubi debita gratiarum actio ? ubi opera bona ? dicite mihi omnes, & vestrum concutite pectus; nonne vobis Ecclesiæ sanctæ vinea consignata fuit? ita; nunquid pretiosus Christi sanguis pro vobis effusus est ? ita; an non sanctissima sacramenta in vestram fuere instituta salutem ? utiq;: quis autem vestrum vel unica saltem confessione suam curavit expiare animam: an non creditis magno illi patrifamilias, qui verus Deus est, dicenti: *Mat. 21.*
Vineam suam locabit aliis agricolis, qui red- *v. 41.*
dent ei fructum temporibus suis. An non per-

perpenditis, quòd *auferetur à vobis regnum Dei?* Nunquid Deus Ecclesiæ sanctæ vinea destituit Angliam, eâque beavit Indias? ita; quare? quia illi gubernare nescierunt vineam istam; cavete igitur & vos, quotquot adestis, cavete & pertimescite, ne Deus Italiam quoque hâc vineâ destituat, & Constantinopolim transferat. Fætorem mihi experiri videor ignis anglici; quid succensum fuit in Anglia? fides & sacramenta conflagrarunt, quia fides Ecclesiæ sanctæ negata fuit à populis iniquis; hâc equidem in urbe N. fides est & sanctissima sacramenta, sed quomodo frequentantur? quot sunt, qui confiteantur? quid hocce rerum? timeo, ne fumus sit incendii anglici. Quid ultra inibi conflagravit? purgatorium, dum non credidere, animas electas temporaliter puniri post mortem. In loco hoc N. creditur quidem purgatorium, sed quotus quisque est, qui animarum istarum afflictarum meminerit? quale hoc est indicium? signum est, ignem anglicum huic quoque imminere urbi. Quid ultra mali incendium causavit anglicanum? Ecclesias solo adæquavit, Christique ministros occidit. In urbe hac N. per Dei gratiam, sunt Ecclesiæ, sunt & ministri Christi; sed qualiter sacræ invisuntur ædes quomodo audiuntur conciones? quis est ministrorum Dei respectus? quid hocce monstri? est quædam ignis anglici graveolentia, extremo urbis hujus dispendio imminentis. Christiani, audite me cum sensu, vestrum mihi patefacite cor & auscultate, quæ dicturus sum: nisi vitam vestram mutaveritis, *vineam suam Deus dabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Nisi pientissimo huic DEO, pœnitentiæ & bonorum operum fructus dederitis, *auferetur à vobis regnum DEI*; nisi cum gratitudine, exile quid Christo donaveritis, justè privabimini omnibus: respiremus.

S. Petrus. Chrys.

Moralitas.

Mat. 21. v. 41.

PARS SECUNDA.

XXV. CRas discutiemus, utrum omnia illa attributa, quæ in Deo sunt per naturam, reperiantur in Maria per gratiam, cum problemate sequenti; utra è duabus personis æterno Patri sit similior; an Verbum incarnatum, an verò S. Virgo Maria? deinde transibimus ad consideranda eorum privilegia, qui se mancipatui dedicant Mariano.

XXVI. Pro discursus hujus termino, indagare placeat, quare Deus in plantandis vineis adeo oblectetur. Domine, vinearum cultus te multiplici replebit fastidio: necessum namque erit, eas fodere sæpius, succindere, mundare, stipitibus alligare, vindemiam colligere, aliosque plurimos labores subire & molestias. Nonne satius foret, hortum colere diversis distinctum arboribus? altissimis sublimem cupressis, quæ pulcherrimum circum circa efformarent prospectum? per vitam vestram, inquit Christus, ne mihi cupressorum mentionem feceritis, non enim volo arbores infructiferas, nolo labores meos vacuas evanescere in auras.

Quæ arbores Ecclesiæ.

XXVII. Christianos secundum solam apparentiam tales, qui nullos ferunt bonorum operum fructus, DEUS non vult in sanctæ Ecclesiæ suæ vinea. *Quid fiet de ligno vitis*, dicebat Deus per Ezechielem, *ex omnibus lignis nemorum?* Ad quem usum deservire poterit vitis arida & infœcunda? ad erigendam fortè sedem aut uncum? minimè equidem, dicit Dominus; ad hujusmodi efformanda lignum

Ezech. 15. v. 2.

requiritur solidum & rectum, vitis autem est curva, informis, adeoque fragilis, ut facillimè dissipetur. Domine, à mulieribus didici, ad quid deservire possit lignum aridum. Ad quid? ardet mirabiliter, magnamque causat cineris copiam. Itane; dicit Dominus, sciatis itaque, quòd

Ibid. v. 6. *sicut ligna vitis inter ligna silvarum, quod dedi igni ad comburendũ, sic tradam habitatores Ierusalem.* Sicut vitis soli apta est igni, ita Christianus, solo nomine talis, ad nihil deserviet, nisi ut in igne ardeat infernali.

XXVIII. At quid utilis erit Christianus sine fructibus? forsitan ut prædicatorem agat aut Confessarium? non; hujusmodi enim ministri fortes esse debent, ut veritatem perstringant quamcunque; cæteroquin similes erunt picturæ Satyri: an picturam hanc ignoratis? De-

Pictura Satyri.

pinxit quondam Satyrus Papam & Regem, simul gradientes in aula quadam; prope quos efformavit servum villicum, dicentem; *Ego sustento hos duos.* Hos sequebatur miles vulneribus plenus, qui latere succinctus gladio, aiebat: *Ego defendo illos tres.* Hujus vestigia premebat mercator, cum dicto: *Ego decipio illos quatuor.* Mercatori succedebat medicus, insidens mulæ, qui dicebat; *Ego occido illos quinque.* Post hunc expressus erat Confessarius, manum habens erectam ad absolvendam quasi pœnitentem, cum asserto sequenti: *Ego absolvo istos sex.* Tandem agmen claudebat diabolus, gerens saccum, qui subjungebat: *Et ego tollo omnes septem.* Ah patres Confessarii, adeone facile manus extenditur ad absolutionem? nequaquam, sed bene consideranda est peccati gravitas, neque pœnitens faciliter adeo propter nobilitatem, amicitiam, aut divitias absolvendus est.

XXIX. Domine, si cupressos recusas in horto tuo, amygdalos in eo, ni displicet, plantemus; hæ namque arbores longè sunt vigilantiores in enitendis floribus & fructibus suis quàm primæ: unde quidam curiosus, volens suam erga dominum in frequentandis servitiis significare promptitudinem, pro emblemate florentem depinxit amygdalum, cum hac epigra-

Respuit Deus amygdalum.

phe: *Sy es por velar, yo velo mas, que todos.* Quoties de servitiis Domino præstandis à famulis sermo est, nulli cedo. Placetne tibi Domine hæc arborum species? Absit, dicit Deus; nolo hujusmodi arbores in horto meo; licet enim subitò floreant, nihilominus vel ad minimum ventum mox flores congelantur, floresque depereunt. Christiani, qui auditâ concione, statim moventur ad fervorem, & postea confestim ad minimum tentationis flatum veluti gelu obrigescunt & perdunt non modò flores desiderii, sed & fructus operum, minime apti sunt ad hortum divinum.

XXX. Domine, quandoquidem ex horto tuo cupressos proscribis & a-

Et palmas

mygdalos, admittere non graveris palmas, hæ namque tantæ suavitutis fructum producunt, quantæ ipsa dactylus: acquiescisne ô Domine? non, dicit Deus; palmas ego supportarem in horto meo? absit; licet enim fructum ferant suavissimum, nihilominus ipsum producunt adeo tardè, ut potius progenies exspiret plantatoris *usque ad quartam generationem*, quàm ipsæ fructum ferant. Ego, inquit Deus, arbores volo, quæ ad minus in primis annis fructum edunt.

XXXI. Adesto ô homo & responde ad pauca, quæ interrogabo. Quot annos habes? 50. Res bene sese habet, sed videamus, si pro horto Dei idoneus existas. A quot annis incæpisti opera exercere virtutum?

tutum? fortè ab incunabilis? non pater, quia tunc judicio carebam & ratione. Fortè in juventute? minus, quia bulliens in ea fervebat sanguis: forsitan in ætate virili? minimè, quia tunc prolium, uxoris & rei familiaris me cura detinuit intricatum. Senectutem ergo exspectasti? nunc itaque decrepitus quid agis? pater, veritatem loquar: in præsenti canitie mea, dum dentes mihi defecerunt in ore, pedesque habeo in tumulo, curas & sollicitudines circumfero mundanas, adeo virides & florentes, ac si juvenis essem 25. annorum. O maledictos vitæ tuæ annos! quando igitur actibus vacabis virtutum? quare opera procrastinas hominis Christiani? ergone possibile est, ut etiam decrepitus sensualem vitam ducas? apage, non enim horto inseri potes divino.

XXXII. Domine, loco igitur palmarum olivas supponamus. Quid ad hoc propositũ? olivæ arbores sunt pulcherrimæ, optimis pollentes qualitatibus, semper folia foventes viridia, fructuque opulentæ sano, suavi & necessario; quarum vel sola umbra humanis est utilis corporibus; liquor autem è fructu promanans, adeo nobilis est atque saporifer, ut omnes inter fœcundas arbores una ferat oliva palmam, symbolum sapientiæ & pacis, Diis grata & hominibus; unde ipsa ait: *Nunquid possum deserere pinguedinem meam,* Iudi. 9. v. 9. *quâ homines utuntur & Dij? Arridentne tibi Domine olivæ?*

XXXIII. Nequaquam, dicit Deus; Item olivas. licet enim arbores istæ bonæ sint & pulchræ, attamen si fructum produxêre anno præsenti, eum negant sequẽti; ego arbores quæro, fructum ferentes per annos singulos, Christiani, qui in quadragesima & hebdomade sancta se perhibent fructuosos & operibus plenos christianis, postea autem ad vomitum redeunt & *sicut erat in principio*, prosequuntur, minimè apti sunt horto Dei, hic enim continuos à Christiano exigit, pænitentiæ & bonorum operum fructus.

XXXIV. Domine, una adhuc pro horto tuo superest arbor, tuis indubiè placitura oculis. Quæ ista? scitisne, qualis? ficus hæc quolibet anno profert fructum, & quidem in abundantia magna? quodq; majus est, fructus ejus suavissimi sunt & dulcissimi; ipsa insuper arbor magnifica est, aspectus pulcherrimi & apparatus exquisitissimi; placetne hæc tibi?

XXXV. Hæc omniũ arborũ pessima est; ficus in horto meo? absit in æternum non; hæc enim symbolũ est divitis avari, Pessima natura ficus. qui quantum mihi displiceat, vos dies docuit hesterna. Fic⁹ rad. cib⁹ suis aquas persequitur fluminum, lacuum & fontium in quocunq; etiam loco, & quantumvis tota abundet lacte, indesinenter nihilominus humores sugis alienos, ubicunq; potest, imò ex sterilioribus maximèq; aridis locis excavat succum, ex muris antiquis, lapidibus vivis, imò & siccis è cineribus; unde nimiâ hâc aviditate suâ, firmissima quandoq; destruit ædificia, semper insatiabilis; quin imò nisi fructus ejus, ubi maturuit, per industriam humanam singulariter colatur aut ab avibus absumatur, totus exsiccatur, quia arbor ipsũmet fructum exugit & suo destituit humore; quid mihi cum hujusmodi cruda arbore?

XXXVI. Christiani cupidi & avari, qui facultatibus malè acquisitis abundant, semperque adhuc insatiabiles, plura desiderant, alienum sugentes sanguinem, & ut dicere consuevimus, ex ipsis etiam petris pecuniam elicientes, minimè habiles sunt ad hortum Dei.

XXXVII.

XXXVII. Quandoquidem ò Domine, omnes prædictas arbores fastidis, quas tandem adducere poterimus, tuæ accommodas vineæ? Ego, inquit Christus, nolo arbores altas & sublimes, non; sed requiro certas quasdam arbores, humiles, parvas, terræque vicinas. Intelligo Domine mentem tuam; vitem mihi velle videris; ita est, dicit dominus, hanc ego omnibus præfero, nullâ non præstantiorem arbore, quæ Cupresso fertilior, quæ fructus sui maturitatem accelerat præ palmis, quæ arbor est dimissa, humilima, efferri nescia, contra alias sublimes nimium, quæ obtutus etiam superexcedunt humanos in celsitudine sua. Quid multis? vitem meæ ego desponsavi vineæ, illa enim unica meos oblectat sensus.

Vult Deus vitem.

XXXVIII. Animæ dilectissimæ; quisquis nostrum in arborem assumi petit horti Christi, viti assimiletur oportet, bonis fœcundam operibus; Sicca namque non nisi igni deservit: Christianum te esse decet non solo nomine aut secundum apparentiam; sed etiam in effectibus atque operibus bonis; humilitas necessaria est, exulante sublimitate; sicque te DEUS exaltabit ad gloriam, *quam mihi & vobis concedat DEUS. Amen.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO SABBATHO DOMINICÆ SECUNDÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De magna attributorum, Mariam inter & unum trinumque Deum similitudine; item de privilegiis, quibus gaudent servi augustæ hujus Dominæ.

Homo quidam habuit duos filios, quorum adolescentior dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose, seniori autem dixit pater; tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Luc. 15. v. 11. 13. 31.

Luc. 15. 11.

v. 17. Discursus filii prodigi.

PROBLEMA

Utrum attributa illa, quæ sunt per naturam, in uno & trino Deo; omnia per gratiam reperiantur in Maria? quique inter omnes hujus Virginis devotos, sint maximè securi Redemptionis hæredes?

INTRODUCTIO.

I. Mysteriosa veraciter, nimiisq; plena scatet arcanis sacra hodierni Evangelii historia. Tam infelix ille, quàm prodigus juvenis, cujus diffusa hodie fit men-

v. 18.

mentio, magis à sensualitate abreptus, quàm rationabili ductus æquitate, à proprio patre portionem exigit legitimam, sibi debitam: *Pater, da mihi portionem, quæ me contingit.* Quam cum obtinuisset, totamque continuis in lasciviis & sensualitatibus consumpsisset atque dilapidasset, in tantam demum egestatem miser redactus fuit, ut refugium quærere coactus fuerit apud quendam illius patriæ civem, qui pietate motus, eum suum deputavit subulcum; qua in vilitate dum perditus squaleret juvenis, die quâdam *in se reversus*, heu mihi, inquit, ubi dego? in hunc ego statum redactus sum, ut animalibus præfectus sim, omnium immundissimis? hiccine ego degam affectans? imò famelicus cibo inhians porcorum, ego, qui nobiles inter æquales meos vivere consuevi, dives, abundans, proprias aliis abundè dispertiens, facultates? egone florem ætatis meæ in statu adeo misero elanguescere patiar? Hiccine persistam miser solus, infelix & moriens præ fame? Si miserrimam sortem meam deflere & conqueri voluero, quis vel minimâ erga me pietate commovebitur? saxa forsitan, arbores & ligna ista, quæ omnia surda sunt? aut quam à feris potero sperare compassionem, in quibus sola hospitatur ferocia & crudelitas? nullam omnino; agedum itaque, cede pusillanimitas, magnaminos moliri juverit conatus: *Surgam & ibo ad patrem meum.* Intolerabile mihi est, ulterius dimorari in Sylvis istis & inter bestias; in domo patris mei, pro tot & tot servis panis abundat, & ego hîc præ fame peribo? neutiquam, sed *surgam & ibo.* Valete fontes & quercus; se itaq; pedes commisit itineri, cumque desideratum attigisset scopum, bonus senecio pater ut inquit textus, moræ impatiens, nimiæque

Luc. 15. v. 12.

v. 17.

Discursus filii prodigi,

v. 18.

impetu lætitiæ impulsus, totus tremulus filio occurrit obviàm *& cecidit super collum ejus*: Corruit in amplexus filii, quos inter, ad servos conversus, ait: *Citò proferte illi stolam primam, & date annulum in manu ejus.* Adducite subitò pretiosiores vestes, quibus hic miser filius meus induatur, insuper & annulus inseratur manui ejus. Notate Auditores quot & quanta in his paucis verbis lateant abscondita mysteria. Primò bonus senecio cadit super filii collum. Cautius age ò bone genitor, nunquid enim vides, filium tuum nimiis viarum molestiis extenuatum atque defessum, vix suis posse firmum consistere in pedibus? quare igitur eum tui insuper corporis mole premis? Deinde: *proferte illi stolam primam.* Certum est, hunc filium tuum domum repetiisse paternam, propter extremam, quam patiebatur famem, prout ipse profitetur, dum ait: *O quanti mercenarii in domo patris mei abundãt panibus, ego autem hic fame pereo.* Ipso igitur moriente præ fame, quare non ante omnia procuras, ut reficiatur? an non pallidum vultũ, an non debilem observas spiritum? nil præter panẽ petit & refectionem, primò igitur eum cibo cõforta, & postea vestiri poterit pretiose. Quid ipsi prodest añulus? in præsenti panis indiget, non auri, non gemmarũ aut aliorũ ornamentorum; primò igitur eum aliquo refocilla alimento, postea tempus dabitur tractandi de annulo. Advertens tandem pater, filium suum prodigum ad refectionem anhelare, servis suis imperavit cum dicto: *Adducite vitulum saginatum, occidite, & manducemus & epulemur.* Agedum servi mei, ecce filius meus iste potius mortuus est, quàm vivus, ideoque confestim pinguem asportate vitulum; manducemus omnes & universale instituatur cõviviũ. Natu major ejusdem

v. 20.

v. 22.

v. 17.

v. 23.

patris filius, tot tantisq; nimium offensus, blandimentis & apparatibus, propter perditi fratris reditum multiplicatis, conqueri cæpit atque expostulare apud Patrem, dicens: *Ecce tot annis servio tibi, & nunquã dedisti mihi hœdum, ut manducarem & epularer cum amicis meis.* Quæ hæc justitia ô pater quæve convenientia? per tot annos ego constans tibi exhibui servitium, honorem & reverentiam, & ne vel nimium edidisti tui in me amoris indicium? huic perdito fratri, qui usque modò tanta cum infamia florem consumpsit annorũ suorum, qui inventutem perdidit & substantiam, tantæ exhibentur exhibitæque fuêre blanditiæ; nunquid ego sum semperque fui filius obediens? Adhæc pater ne conquereris fili charissime, nullam enim omnino causam habes dolendi, quorsum tibi necessaria dicta blandimenta? sufficiat tibi meminisse, quòd *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Nunquid non tu es dominus, totius hujus ædificii? imò, quid meæ subjacet ditioni, quod tuum non sit? *Omnia mea tua sunt.* Hæc est tota hodierni Evangelii historia, in qua licet plurima contineantur mysteria, pro præsenti tamen non nisi tria puncta attingemus. Primum est, domus boni illius patris: *In domo patris mei.* Secundum est, ejusdem patris ad filium seniorem responsio: *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Tertium est, donorum abundantia, quâ senior pater filium recreavit prodigum: *Citò proferte illi stolam primam & date annulum in manu ejus, adducite vitulum saginatum, & manducemus & epulemur.* Explanemus singula seorsim. Evangelicus paterfamilias, certum est, quòd magnum patrem luminum, qui Deus est, significet. Domus hujus magni

v. 29.

v. 31.

Tria notantur in Evang.

patris, est augustissima Domina Maria, conformiter illi sacræ scripturæ textui: *Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei.* Quid dixit magnus pater ad hanc majorem filiam suam? *Tu semper meum es, & omnia mea tua sunt.* O Maria, quidquid in me est per naturam, totum tibi concessum est per gratiam. Sed quare tot filius prodigus accumulatur donis? verba notate filii hujus ad patrem loquentis: *Pater peccavi in cœlum & coram te, fac me sicut unum ex mercenariis tuis.* v. 18.
Quomodo? si filius erat, qual ter optat esse famulus? Tot ex mysteriis, permittite, ut duo hodie eruam problemata? Prob.
primum, an omnia attributa, quæ in uno trinoque Deo sunt per naturam, sint in Maria per gratiam? secundum, qui inter omnes Christianos Mariæ devotos, sint maximè securi Paradisi hæredes? Discursum hodie solito instituetur sublimior; quò igitur mea non poterit humilis pertingere intelligentia & rudis lingua, vos devota vestra supplete attentione: exordiamur.

II. *Tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt,* inquit supremus pater Deus ad Mariam, primogenitam filiam suam. Quidquid igitur unus trinusq; Deus possidet per naturam, Maria habet per gratiam? utique, id quod adeo verum est, ut, nisi Spiritus sanctus opportunum aliquod tulisset remedium, fides infallibile incurrisset discrimen. Paranymphus cælestis, Angelus Gabriel, ad Mariam Virginem missus, mysteriũ incarnationis illi annunciaturus, ait: *Ecce concipies & paries filium.* Domina mea, tu in magnam Dei matrem electa es, Maria hanc audiens legationem, conturbata fuit: *Turbata est in sermone ejus.* Domina, reassumebat Angelus, noli turbari, quia *Spiritus sanctus super-* Luc. 1. v. 31. v. 29. v. 35.

Eccli. 24. v. 12.

superveniet in te; superveniet, id est, iterum veniet. Exulta ô Regina augustissima, quia Spiritus sanctus de novo veniet ad te. Angele sancte, quoties Spiritus sanctus fuit in Maria? quot vicibus? non unâ, sed duabus; primò quando in conceptionis ejus instanti ipsam à peccato præservans, omnibus eam gratiis replevit, quæ in DEO sunt per naturam. Secundò in Incarnatone; in hac autem secunda vice quid operatus est? quid? *Virtus Altissimi obumbrabit.* O Maria, Spiritus sanctus iterum veniet in te, tua obumbraturus lumina, tuos obscuraturus splendores. Fige pedem & vocem cœlestis Orator, hallucinari namque videris; quomodo namque, Spiritus sanctus veniet in Mariam, ejusq; obtenebrescere faciet splendores? imò contrarium potius asserere debuisses; reversurum scilicet Spiritum S. in Mariam, in eaque gratiis gratias accumulaturum.

Quomodo Spiritus S. obumbravit Mar.

III. Ut obscurum hunc locum & umbras claro intelligentiæ lumine illustremus, quid ipsa de se attestetur Maria, audire placebit: *Creator omnium*, inquit augustissima Domina, *& qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Ignosce mihi ô suprema Regina: *Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; ad quid multiplicare verba sine necessitate?* Nunquid Creator omnium, tuus pariter exstitit Creator? ita; sufficiebat igitur dicere: *Creator omnium requievit in tabernaculo meo.*

Eccli. 24. *v.* 12.

Cur M. singularis creatura Dei. *v.* §. 29.

IV. Dum Maria in sinu requiescit DEI infiniti, vos pariter sublimi huic dubio tantillo indulgete quietis, illudque in mente vestra conservate, non ut vestros dissipetis sensus, sed ut attenti contemplemini mecum magnam nimis, quam cum uno trinoque Deo, in divinis attributis Virgo habet similitudinem. Quantam arbitramini eam esse, quæ, quoad attributa, Mariam inter & unum in essentia DEUM, intercedit paritas? scitisne, quanta? tanta, ut, qui Mariam videt, non minorem habeat satisfactionem eo, qui ipsum Deum intuetur; quisquis enim Mariam conspicit, vivum contemplatur Dei repræsentativum speculum. Asserit tam devotus ille, quàm doctus Idiota in contemplationis suæ prologo: *Inventâ Virgine Mariâ, invenitur omne bonum.* Qui Mariam videt, summum bonum videt. Quid dicis ô docte pater? ergone nulla est Christum inter & Mariam differentia? inter filium & matrem? inter creaturam & verum Creatorem? Scio, solum DEUM nuncupari posse *omne bonum*, solus namque DEUS est, qui *nullam habet rationem mali.* Vos quoque ô docti me erudistis, beatitudinem nostram duntaxat in visione Dei consistere, quia nimirum potentiæ animæ in solo Deo taliter requiescunt, ut nullam habentes extra ipsum divagandi occasionem, in eo omnem desiderabilem reperiant bonitatem & pulchritudinem; si itaque solus DEUS *est omne bonum*, quomodo dicit Idiota, quòd *inventâ Virgine Mariâ, invenitur omne bonum.*

Compar. inter Deum unum & Mar.

Idi. M. summum bonum. §. 10.

V. Ab hoc Mariæ devoto, Idiotam dico, progressum faciamus ad alterum, scilicet Areopagitam. Sanctus hic pater mariani vultus satur intuitu; imò non satur, sed in cœlestem potius, ut ita dicam, transformatus incolam, duntaxat ob visam Augustissimæ hujus Dominæ majestatem, ad cœlum conversus, ait: *O Deus, nulla major mihi videri potest*

D. Areop. *test gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego tunc felicissimus degustavi.* Nequeo persuadere mihi, majorem esse Beatorum gloriam felicitate hâc, quâ ego fruitus fui, dum vidi Mariam. Hic ego subsisto, nec progredior ulterius ô docti, quomodo? Areopagita sancte, non igitur gloria Beatorum felicitatem superat illius, qui Mariam videt? *Ergo non est major gloria videntis Deum, quàm videntis Mariam? & hoc Theologus audet dicere?* Relinquamus hac cum felicitate Areopagitam.

§. 9.

VI. Et Apocalypsin adeamus, in qua Joannes Evangelista tradit, se in cœlis quoddam conspexisse sedile, cui aliquis insidebat: *Ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.* Circum circa autem videbantur 24. seniores regiæ majestatis, qui consurgentes se prostraverunt super terram in facies suas: *Procidebant ante sedem in throno.* Deinde regiis capita sua denudantes coronis, eas ante thronum projecerunt: *Mittebant coronas suas ante thronum.* Hic *siste,* inquit Theodoretus, *non enim sicco vestigio prætereundus est locus iste.* Nequaquam obiter locus hic considerandus est; quia *seniores proni venerantur sedentem, sed viliores fiunt ante thronum.* Ne indigneris obsecro, chara nimis & veneranda senum caterva, si aliqualem operationis intentionisque tuæ rationem expostulare præsumpsero. Quem adoratis? aut sedentem aut thronum? Si sedentem; quomodo mittitis coronas vestras ante thronum? si thronum, quomodo corruitis in terram proni ante sedentem?

Apoc. 4. v. 2.

v. 10.

ibid.

Theod.

VII. Videor mihi Auditores totum hoc abundè explanaturus per illud, quod Reginæ accidit Persarum. Ingrediens majestas Persiana Alexandri palatium, primò omnium Alexandrum offendit cum Ephestione, dumque Regina anceps augustos nimium inter utriusque obtutus, discernere non posset, uter è duobus magnus esset Monarcha; primò oculos conjecit in Alexandrum, certò credens eum esse Regem; sed mox splendoribus abrepta Ephestionis, ei credidit regium esse tribuendum honorem; tandem igitur hujuscemodi impatiens confusionis, se resolvit præferre Ephestionem; cognito autem postea errore, tota vultum erubuit suffusa pudore; unde Alexander è vestigio in medium procedens, eam taliter affabatur: *Non errasti mater, nam & hic Alexander est:* nullum admisisti errorem ô chara mater, quamvis enim ego solus sim Alexander mundi Monarcha; nihilominus Ephestio iste adeo mihi existit similis, ut Alexander nuncupari queat.

Histor. de Alex. & Ephest.

VIII. Longe quid sublimius, crediderim ego, venerandis nostris evenisse senioribus. Sedens erat Deus: *Vidi Dominum sedentem;* thronus erat Maria, ita nominata in scriptura sacra: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Videntes itaque seniores sedentem, qui Deus erat; simul & intuentes thronum, scilicet Mariam; secundùm nostrum intelligendi modum, non vulgarem passi sunt hallucinationem, Deum existimantes creaturam, & creaturam reputantes pro Deo; cumque sibi persuaderent paria utrimque resplendescere attributa, in tanta confusione adorarunt sedentem, sicque *procidebant ante sedentem;* postea autem ambigui, ne aliquem forte commisissent errorem; thronum, id est, Mariam, existimantes esse Deum, *mittebant coronas suas ante thronum:* quem ut errorem intellexerunt, erubescẽtes magnus cœli Monarcha sequentibus est consolatus verbis: *Non errastis seniores, nam & hæc Dea per gratiam est.*

Ecli. 24. v. 12.

Apoc. 4. v. 10.

IX. Ecce

Sensus Areop. IX. Ecce vobis Areopagitæ sensum. Tot ac tantæ, volebat dicere Sanctus Pater, in pelago gratiarum Mariæ, eminent excellentiæ, gloriæ & splendores, ut Mariam videns, non minori repleatur satisfactione, quàm qui Deum ipsum intuetur; qui enim Mariam videt, Deum videt; qui Mariam videt, lumina videt cœlestia, imò speculum divinum repræsentativum Dei.

Et Idiotæ. X. Itane? subsumit Idiota; ergò *inventâ Virgine Mariâ, invenitur omne bonum.* Quisquis Mariam videt, omne bonum videt, quia si Deus *est omne bonum* per naturam, Maria *est omne bonum* per gratiam.

§. 15. XI. Cur factum esse creditis, quòd Christus in cruce pendens, Mariæ titulum dederit mulieris? Domine, tu Mariam vides in immenso sepultam lacrymarum oceano, quia scilicet te morientem videt in cruce, & tu eam mulierem appellitas? cur non potius ipsam dulci matris titulo consolaris?

Cur crux adoretur, & non M. XII. Dicite mihi ô Docti, quare cruci cultus exhibetur latriæ? quomodo? igiturne ligno præstatur adoratio, soli propria Deo? iterum, quandoquidem crux honoratur adoratione, cur non & Maria? Theologus sequentem nobis assignat rationem & differentiam; quia scilicet crux est propriæ incapax adorationis, dumque hæc sacro ligno exhibetur, nemo asserit aut æstimat, cruci inesse divinitatem; Virgo autem est propriæ capax adorationis, quam si mundus augustissimæ Reginæ fieri videret, illam suspicaret esse Deam, utpote in attributis persimilem Deo. Nequaquam igitur, inquit Ecclesia sancta, cultu latriæ honoretur Virgo; *Ne homines putent*, ait Hugo, *Mariam verè supra homines esse.*

XIII. Atque hanc ob causam Christus in cruce, Virgini titulum matris non impertiit; Christi divinitas innotuit in cruce; *Verè filius Dei erat iste*; Maria propter singularissimas virtutes suas, Deo in attributis divinis similis erat; si Christus itaque Mariam suam nuncupasset matrem, quid dixisset mundus? Discursum formare potuisset hjuscemodi. Maria Christi mater est, & Christus verus Deus est, ergo & ipsa Dea est. Non, non, dicit Christus; non detur Mariæ titulus matris: *Ne homines putent, Mariam verè supra homines esse.* Mat. 27. v. 54.

M. similis Deo trino. XIV. Quandoquidem magnam hucusque contemplati sumus similitudinem, quam in attributis divinis Maria habet cũ Deo, ut uno in essentia; placet modò pariter discernere, quantam in iisdem attributis similitudinem ipsa possideat cum Deo trino in personis. Nolim hic ego ordinaria in medium producere aut communia; sed inter cæteras, unam vobis repræsentabo speculationem, quæ utrùm vestro sit digna favore, ipsimet judices eritis. Vultisne in Maria, illa vobis exhiberi attributa per gratiam, quæ Pater æternus habet per naturam? animis adeste & auribus. Quid est in æterno Patre, præter divinitatem & attributa illa, quæ aliis duabus sunt communia personis? certum est, in eo fæcunditatem specialiter esse paternam, vi cujus Verbum generat divinum, adæquatum divinæ mentis suæ partum. Audite, quid S. astruat Bernardinus Senensis: *Beata Virgo*, inquit, *ab ipso Patre æterno accepit paternalem fæcunditatem, ad generandum Deum.* Maria, tanquam creatura, nec concipere nec generare poterat Christum Deum; quid igitur fecit Pater æternus? suâ propriâ paternali fœcunditate eam beavit: *Fæcundi-*

Patri

S. Bern. Sen. to. 2. Ser. 11.

Eccli. 24. v. 14.

Apoc. 4. v. 10.

cunditatem paternalem accepit à Patre. Hæc autem paterna ubertas ad quem statum, augustam sublimavit matrem? ad quem statum?

XV. Hinc æterni Patris, illinc Mariæ collocemus imperium; utrum autem creditis esse universalius & majus? pari ambo mensurantur amplitudine, teste S. Bernardino Senensi, dum ait: *Tot creaturæ, serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati.* O sancte Bernardine, quid dicis? tot sunt Mariæ subditi, quot Trinitatis? an non Maria imperio subjacet Dei? utique; quomodo igitur verificari potest: *Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quod serviunt Trinitati?* Respondet sanctus: Si Maria imperio subest divino, certè & Deus imperio se subiicit mariano, dicente S. Lucâ, cum de Christo loquitur: *Erat subditus illis.* Quo fine Christus se subjecit Mariæ? scitisne quare? causam assignat S. Bernardinus sequentem: *Quia volens filius Dei, paterno principatui, principatum æquiparare maternum, ipse, qui Deus erat, matri famulabatur in terra.* Non ob aliam rationem Christus verus Deus se subjecit Mariæ, nisi ut principatum Mariæ ad æqualitatem sublimaret principatus æterni Patris.

S. Bern. Sen. ser. 66 art. 3.

Luc. 2. v. 51.

S. Bern.

XVI. Sed quid adeo sublime reperire est in Maria, vi cujus æterno possit coæquari Patri? nunquid in æterno Patre est divinitas? utique; forsitan & in Maria, eadem reperitur? audite: sancto Epiphanio teste, certi quondam fuere hæretici, dicti Coliridiani, qui asserebant, Mariam divinam esse tantaque pollere omnipotentiâ, quantâ ipse Deus. Quo fine Deus talem in mundo permisit hæresin? scitisne quare? nunquid S. Methodius Martyr Mariam asserit Dei fuisse creditricem? ita sanè apud ipsum invenio, dum ait; *Euge ô Domina, quæ debitorem Deum semper habes.* Ast quid Mariæ donavit Deo, ut hic debitor effectus fuerit Maria? an nescitis? Maria Deo impertiit divinitatem; non dico, quod Maria divinitatem generarit in abstracto, nequaquam; id minimè dici potest; sed quid fecit? generavit Christum Deum, id est, humanitatem Christi divinizavit, quia humanitatē generavit suppositatam divino supposito; atque ideo obligatus erat Deus, Mariam beare divinitate; id autem omnino repugnabat, implicat namq; creaturā esse increatā; non possum, ait Deus, Mariæ solvere æquale, pro eo quod dedit mihi; quandoquidē igitur ei non potest competere divinitas per naturam, permitto, hæreticos esse in mundo, qui Mariam astruant esse Deam; non possum Mariam donare divinitate *positivè*, dono itaque *permissivè.* Non est divinitas in Maria per naturam, concedatur igitur ei per gratiam. Si autem hoc modo in Maria reperitur divinitas, quid ei deficit ad æqualitatem æterni patris? nihil penitus.

S. Epip. l. 3. de hær. 79.

S. Meth. orat. de purific. Virg.

S. Aug. l. 7. de Trinit.

S. Thomas opusc. de charit.

XVII. Placetne modò etiam intueri, omnia in Maria resplendescere per gratiam, quæ in filio Dei eminent per naturam? sciatis, eam Verbo divino in omnibus simillimam esse; ad cujus probationem, dicite mihi, utrùm Spiritus sanctus possit Christi pater nuncupari? negat Theologus cum omnibus sacris conciliis, quia *ad rationem patris requiritur similitudo in natura,* sed Spiritus sanctus non est similis Christo in natura humana, ergo non potest dici pater Christi. Sed contra: quare igitur Maria pleno omnium ore mater Dei celebratur? *Nonne ad rationem matris requiritur similitudo in natura?* utique; estne autem Maria Christo fortasse

Sp. S. non dicitur pater Christi

Colos. 1. v. 15.

Quomodo M. mater Dei?

tasse similis in natura divina? non: quomodo itaque dicitur mater Dei? Sanctus Augustinus nodum solvat. Docet magnus Pater, Verbi proprietatem esse, quòd sit imago Patris: *Solum Verbum est filius, quia solum Verbum est imago Patris.* Atque ideo Spiritus sanctus neque filius neque genitus est, quia non est imago Patris. Quid esse arbitramini Mariam respectu Dei? Respondeat S. Thomas. *Hanc fecit Deus*, inquit, *infinitam imaginem bonitatis suæ.* Itane? Maria infinitæ bonitatis imago? Maria itaque similis est Verbo, quia & ipsum est imago Patris.

S. Aug. l. 7. de Trinit.

S. Thomas opusc. de charit.

XVIII. Videte & dignoscite nimiam, quæ Mariam inter & divinum filium reperitur similitudo. Nunquid Mariæ paternalem contulit fœcunditatem Pater? ita: *Paternalem fœcunditatem accepit à Patre.* Vi hujus paternalis fœcunditatis nunquid Maria æterno Patri similis evasit? sine dubio. Nonne Pater æternus quo ad naturam divinam similis est Filio? certo certius; igitur & Maria Filio similis est in natura divina, unde vera Dei mater dici potest; cum hac solummodo differentia, quòd filius sit Deus per naturam, Virgo autem sit talis per gratiam.

XIX. Si denique videre optatis, omnia illa attributa in Maria coruscare per gratiam, quæ sunt in Spiritu Sancto per naturam, attentissimas mihi aures præbeatis, necessum est, talia namque in medium allaturus, ut asserere ausim, nunquam auribus vestris insonuisse sublimiora, quantum ad propositum præsens. *Qui eripuit nos*, inquit Apostolus, *de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Pater æternus à potestate tenebrarum nos liberavit, & in regnum

Sp. S. non dicitur pater Christi

Colos. 1. v. 13.

Quomodo M. mater Dei?

traduxit filii sui, qui filius est amoris ejus. Patres Theologi, dicine potest, Verbum divinum filium esse amoris patris? minimè equidem; procedit enim per viam intellectus, & non voluntatis; Verbique processio in aliqua prioritate originis, processionem præcedit amoris: Sicut igitur Spiritus sanctus, quia per actum procedit voluntatis, est amor, sed non filius, neque processio eius generatio dici potest; ita Verbum divinum, dum per actum procedit intellectus, est filius, sed non amor; neque origo illius simplex est processio, sed vera & realis generatio. Quomodo igitur Apostolus asserit, Verbum divinum filium esse amoris? filius amoris est Spiritus sanctus, si igitur Verbum divinum filius est amoris, consequenter Verbum divinum erit Spiritus sanctus: ecce vobis confusam Trinitatem. Denique adjungite, amorem procedere à Verbo: *Qui à Patre Filioque procedit.* Si amor procedit à Verbo, quomodo Verbum dici potest amor? ô quæ difficultas!

Verbum divinum filius amoris.

§. 26.

XX. Pro cujus intelligentia, sublimissimam illam S. Athanasii authoritatem explicemus oportet, dum ait: *Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem divini principatus adsunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset.* Attentè ô docti illa perpendite verba, utpote mysteriosa nimis. Asserit citatus pater, Spiritum sanctum se communicare Mariæ cum omnibus istis essentialibus virtutibus, quæ ipsi competunt ratione sui principatus. Juro vobis, quòd, nisi scirem, S. Athanasium doctorem esse catholicum Ecclesiæ sanctæ, nunquam hujusmodi ex ore meo prolaturus essem propositionem; quia in prima fronte, simplici

S. Atha. to. 2. ser. de Annunc. Virg.

literæ

literæ insistendo, videtur astrui posse, Mariam alium quendam esse Deum, procedentem à Spiritu sancto; imò quartam personam divinam, non inferiorem tribus aliis: meo vos asserto fidem facite ô docti. Nunquid Filius Dei in tantum est Deus, in quantum Pater æternus, cum essencia illi omnia communicat attributa divina? hoc ipsum certissimum est. Iterum, nunquid Spiritus sanctus, secundùm vos, in tantum est Deus, in quantum Pater æternus cum suo Filio, illi cum essentia divina communicat omnia attributa divina? utique; si igitur certum est, quomodo asserit S. Athanasius, Spiritum sanctum se communicare Mariæ *cum omnibus essentialibus attributis*? ex hoc enim sequi videtur, Virginem esse quartam aliquam personam divinam; & ecce vobis totum destructum Christianæ fidei ædificium; quomodo igitur tanti patris salvabitur auctoritas?

S. Isich. XXI. S. Isichius Episcopus Ierosolymitanus, à diversis classicis citatus auctoribus, Mariam nuncupat *totius Trinitatis complementum*. Maria complementum Trinitatis? quomodo? nunquid Trinitas est infinitè perfecta, & perfectissimè completa? sine dubio; quod igitur complementum Maria addere potuit Trinitati? (M. complem. Trinit.)

XXII. Diversas auctoritatis hujus expositiones in alios mihi dies reservo, pro nunc solummodo dicturus, Mariam complementum dici Trinitatis; nisi enim Maria fuisset, Spiritus sancti fœcunditas remansisset sterilis: me explico ô docti. Licet in Trinitate pater æternus, quia summum bonum est, se verbo communicet Filio suo; item quantumvis tam Pater quàm Filius, per actum voluntatis, propter summam bonitatem se communicent Spiritui sancto: nihilominus Spiritus divinus quantumcunque sit summum bonum, sicut Pater & Filius, non tamen se communicat ad intra alteri personæ divinæ, hoc enim mysterio repugnat Trinitatis. O, dicit Spiritus sanctus, quid hocce rei? *Nunquid ego qui alios parere facio, ipse sterilis ero*? Ergone fœcunditas mea semper sterilis erit? nunquam illa completum suum terminum *saltem ad extra* assequetur? agedum, scio quid faciam; sicut æternus Pater pro adæquato termino habet Verbum filium suum, & filii fœcunditas indivisibiliter cum illa Patris habet pro termino me Spiritum sanctum Deum, ita ego ad minus me communicare volo *ad extra*, dum propter repugnantiam mysterii me nequeo communicare *ad intra*; volo, ut completus fœcunditatis meæ terminus *ad extra*, sit Maria mater Dei, illa namque sola divinorum attributorum meorum reperietur capax. Sed quare sola Maria capax erit ad recipienda Spiritus sancti attributa? notate. Maria in Dei matrem electa fuit, & tanquam talis à Patre fœcunditatem obtinuit paternalem ad generandum Deum, quemadmodum ex illis Sancti Bernardini Senensis verbis probavimus: *Beata Virgo ab ipso Patre æterno fontanalem fœcunditatem accepit ad generandum Deum.* Non modò à Patre Maria paternam habuit fœcunditatem, sed & à Filio perfectam quandam in natura divina similitudinem consecuta est, cæteroquin non fuisset vera Dei mater. Agedum igitur, ait Spiritus sanctus; Maria à Patre plenitudinem accepit fœcunditatis paternæ, & à Filio similitudinem in natura divina; ergo etiam capax erit, ut omnia divina mea recipiat attributa: qua igitur nequeo me communicare *ad intra*, illi me communicabo

(Isa. 66. v. 9.) (M. complementũ Trin.) (S. Bern. Sen.)

cabo *ad extra.* Ideoque *Spiritus sanctus descendit in Virginem cum omnibus essentialibus attributis.*

XXIII. Progrediamini mecum Auditores humanissimi; si Maria fuisset incapax recipiendorum Spirit' sancti attributorum forsitan divini Spiritus fœcunditas completa fuisset? nequaquam; quia Spiritus sanctus ex una parte non poterat se communicare *ad intra* propter repugnantiam, ut sæpe diximus; ex alia etiam parte non potuisset se communicare *ad extra* propter defectum creaturæ capacis; sicque Spiritus sancti fœcunditas omnino mansisset sterilis, propter quod consequenter Trinitas perstitisset incompleta; inventâ autem Mariâ, tanquam capace, quæ attributa reciperet Spiritus sancti, complementum accepit divini Spiritus fœcunditas, & consequenter sub tali respectu completa fuit Trinitas. O magnæ matris excellentiam, quæ sacro illi Ternario tribuit complementum, quo ne quidem per intellectum, majus quid excogitari potest aut perfectius.

Isa. 66. v. 9.

M. complementũ Trin.

XXIV. Supposito itaque, in sensu jam dicto, Mariam complementũ dedisse Trinitati, procedamus ulterius. Dum Spiritus sanctus divina attributa sua communicavit Mariæ, ad quem creditis statum Virginem elevatam fuisse? scitisne ad qualem? Dum Maria per actum amoris à Spiritu S. divina accepit attributa, ipsa Spiritus Sanctus evasit, non quidem Spiritus sanctus Deus, sed Spiritus sanctus creatus & partus Spiritus sancti Dei: si enim Pater æternus, divinam suam essentiam & attributa, per actum intellectus, Verbo divino communicando, facit, ut idem Verbum divinum, filius nuncupetur æterni Patris; & si Pater æternus simul cum Filio, divinam essentiam & attributa, per actum voluntatis, divino communicando amori, præstant, ut idem ille divinus amor, vocetur Deus Spiritus S. igitur Spiritus S. Deus, divina attributa sua, per actum amoris, communicando Mariæ, efficit, ut Maria novus quidam Spiritus sanctus nominari possit; non quidem Spiritus sanctus Deus, sed Spiritus sanctus creatus, partus & filius Spiritus sancti Dei; atque ita duos modò possidemus Spiritus sanctos; unum, Spiritum sanctum Deum, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam; alterum, Mariam Spiritum sanctum creatum, partum & filium Spiritus sancti Dei.

S. Bern. Sen.

XXV. Conscendamus sublimius: quando Maria, exsistens Spiritus sanctus creatus & partus Spiritus sancti Dei, eundem in tempore filium generavit, qui ab æterno generatus fuit à Patre, debuit eum generasse similem propriæ naturæ suæ, quia *generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ.* Sicque illa existens quidam Spiritus S. mater interventu Spiritus S. Dei, generavit Spiritum sanctum filium, conferendo illi esse & proprietatem Spiritus sancti, in amore sitam, impertiendo. O egregiam Spirituum sanctorum triadem! Adest Spiritus sanctus Deus, *qui à Patre, Filioque procedit.* Comparet Maria, Spiritus sanctus creatus, partus & filia Spiritus sancti Dei: cernitur & Christus Spiritus sanctus & filius Spiritus sancti matris, generatus operâ Spiritus sancti Dei.

XXVI. Ex his modò facilis erit intellectu primus ille Apostoli locus, in quo Verbum incarnatum filius nuncupatur amoris: *In regnum filii dilectionis suæ.* Verbum divinum, ut à Patre procedit, nequit appellari filius amoris, quia non fuit generatum à Patre per actum vo-

Verbum divinum, fili' amoris.

Colos. 1. v. 13.

§. 19.

luntatis & amoris, sed per actum intellectus, sicque filius quidem dici potest, sed non filius amoris: idem autem Verbum, quod ab æterno per viam intellectus processit à Patre, dū in tempore à Maria per actū processit amoris, nominari potest fili⁹ Dei & filius amoris; filius Dei, quia *egressus ej⁹ sicut à diebus æternitatis*: filius verò amoris, quia Verbum incarnatum fuit generatum à Maria, quæ fuit Spiritus sanctus temporalis, creatus à Spiritu sancto Deo.

Mich. 5. v. 2.

XXVII. Quia autem Maria, ut Spiritum sanctum, qui Christus erat filius Dei & filius amoris, generaret, omnibus Spiritus sancti proprietatibus, conditionibus & privilegiis pollere debebat, ideo Spiritus sanctus Deus *descendit in Virginem cum omnibus essentialibus virtutibus, quæ illi conveniunt ratione divini principatus.* Ex quibus omnibus deducitur, in Maria omnia per gratiam reluxisse attributa, quæ in uno trinoque Deo sunt per naturam.

XXVIII. Et tandem, quia hæc Mariæ & Dei, tam unius in essentia quàm in personis trini attributa pari gradu ferri videbantur, necessum fuit, ut Spiritus sanctus tot ac tanta obumbraret Mariæ lumina, ne discrimen incurreret fides; id quod Angelus insinuare voluit, cum diceret: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Accipite S. Hilarii testimonium, totius confirmativum asserti: *A superveniente Spiritu*, inquit, *Virginis virtutes obumbrantur, ut minorem homines haberent de Divinitate certitudinem.*

S. Hil.

XXIX. Ecce pariter rationem, quare Maria de se loquens, dicat: *Creator omnium & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Volebat namque dicere; sciatis ô mortales, Creatorem omnium tot mihi communicasse perfectiones, meque in attributis adeo sibi reddidisse similem, ut, nisi ego ipsa me creaturam esse profitear atque declarem, sibi persuasurus sit mundus, me personam esse divinam; nequaquam, non sum talis, sed sum creatura: *Creator omnium & qui creavit me.* Doctum huncce vobis exhibeo conceptum, famoso quodam temporum nostrorum dignum scriptore, dum talem de Maria format discursum: *Ita ab humana infirmitate recedebat, ita ad divinam sanctitatem appropinquabat; ut, in ipsa præcaveret errorem, & nisi ipsa seipsam diceret creaturam; non humanam, sed divinam sanctitatem habuisse crederetur.*

Eccli. 24. v. 12.

§. 3.

Mendozæ in lib. Reg.

XXX. Si totidem per gratiam ornant attributa Mariam, quot Deum per naturam; quale non adjutorium erit Christiano, augustæ illius Dominæ servum esse & mancipium? jam jam hanc ego vobis veritatem patefaciam, veruntamen ante respiremus.

PARS SECUNDA.

XXXI. Die crastinâ probare satagam, Deum, si annihilationis capax foret, à nullo, nisi solo peccato annihilandum esse; quia verò ad monstrum adeo horrendum ex anima exstirpandum, in remedium assignata est confessio, problema exhibebimus sequens: utrum majoris sit roboris, an peccatum ad annihilandum hominem, eumque efficiendum dæmonium; an verò confessio, ad exaltandum pœnitentem, eumque ad esse Dei sublimandum?

XXXII. Pro præsenti restat discutere, qui inter omnes magnæ Dei matris devoto, sint omnium securissimi redemptionis hæredes? scitisne quales? quotquot se servos & mancipia dedicant consecrantq; Mariæ,

Hæredes certi Paradisi quis?

Mariæ. Observastisne hoc manè abundantiam donorum, quæ magnus ille paterfamilias contulit in prodigum filium suum? non modò pomposis eum vestibus exornavit & annulo, sed tandem etiam magnifico eum excepit refecitque convivio: *Adducite vitulum saginatum, & manducemus & epulemur.* Cur tot tantisque xeniis unius accumulatur perditus adolescens? An nescitis, filium hunc à patre suppliciter veniam petiisse? *Pater peccavi, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Ast si ipse naturalis & legitimus erat filius, cur sorti invidebat servili? Deinde cùm diceret: *Pater peccavi*, nonne se filium esse daclaravit? ita sanè; Si ergo filius erat, quomodo servilem affectabat conditionem? nunquid vobis dixi in principio discursus, in hoc patrefamilias significari Deum? ite memineritis indubiè: quænam est istius patris Dei domus? Maria: *Domus pudici pectoris, templum repente fit Dei.* Quotquot igitur in domo Dei, se offerunt & consecrant in servos & mancipia Mariæ, omnes isti hæredes constituuntur maxime infallibiles Redemptionis, seque dignissimos reddunt, ut à peccato & inferno liberentur.

Mendoza in lib. Reg.

XXXIII. Ad quod intentum, insignis quædam mihi suffragatur Apostoli sententia, inquientis; unigenitum æterni Patris filium, licet in sinu paterno, bonorum gauderet infinitate, voluisse nihilominus carnem assumere humanam & homo fieri, ut genus redimeret humanum; quid igitur fecit? *Cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* Cum Deus foret per essentiam, se exinanivit, formamque induit mancipii. Miretur hic & obstupescat quæcunque mens creata; quomodo enim? supremus omnium Dominus se servituti subjecit? Neque in hoc duntaxat tota consistit stuporis ratio; sed insuper considerandum est, Verbum divinum ex dicta subjectione majorem sibi magnificentiam atque Dominium acquisiisse, quam possederit prius dicente S. Lucâ: *Hic erit magnus*; non inquit: *est magnus*; sed: *erit magnus.* Quomodo *erit?* ille, qui se servum reddidit, nunquid Verbum divinum est, æterni Patris filius? utique: nunquid unigenitus æterni Patris semper fuit & est infinitè magnus? citra omne dubium; quomodo igitur *erit magnus*? examinandũ est, cujus se servituti mancipârit Verbũ æternum: augustæ illius Dominæ mancipatui se consecravit, quæ de seipsa dicit: *Ecce ancilla Domini.*

Phil. 2. v. 6, 7.

Hæredes certi Paradisi quis

Luc. 1. v. 23.

Luc. 1. v. 38.

XXXIV. Imaginor ego mihi, Deum inter & Mariam, in materia servitutis, pertinax quoddam evenisse certamen, utrinq; fervebat conatus, cui palma cederet servitutis. Deus Mariæ volebat effici servus, quo fine misit Angelum, qui annunciaret ac diceret ei: Domina, magnus ille Deus, cujus nutui subjacent omnia, tuum elegit esse mancipium. Tu quid ad hæc respondes? cui mox Maria: quomodo? meus & totius universi Dominus, meum fieret mancipium? nequaquam, quis tam inversum unquam vidit rerum ordinem? hoc utique in æternum non fiet, quin potius tu vade ô Angele, Deoq; significa, me ejus esse mancipium: *Ecce ancilla Domini.* Nunquamne vidisti cæremonias, duos V. G. inter amicos exerceri solitas? dicit unus: *Domine mi, ego servus tuus.* Replicat mox alter: *Servus Domine mi.* Sicque tota salutatio consistit in protestatione constanti servitutis & mancipatus: Servus, Servus. Ita pariter in incarnatione contigisse, mihi omnino persuadeo, dum

Lucta inter Deum & M.

altissimum hoc mysterium à servitute & mancipatu cœpit, cumque actibus hujuscemodi terminatum fuit. Quid fecit Deus? mancipium se constituit Mariæ: *Formam servi accipiens.* Qualiter protestata fuit Maria è contra; *Ecce ancilla Domini.* Dignoscamus obsecro, uter majorem sibi acquisierit excellentiam; an Deus, dum se servum declaravit Mariæ; an verò Maria, dum se Dei professa est ancillam. Placetne jocus egregius? attendite per salutem vestram.

Phil. 2. v. 7. *Luc. 1. v. 38.*

XXXV. Quia Dei se ancillam protestata est Maria, alias inter prærogativas, plenam non modò sibi, sed & nobis omnibus acquisivit libertatem. Pulpitum die quodam conscendens Jeremias Propheta, totus jubilo plenus, sic suum exorsus est sermonem: *Novum fecit Dominus super terram.* Exultate, jubilate popule meus; quæ tantæ causa lætitiæ? *Novum fecit Dominus super terram.* Res mirabilis, præteritis nunquam visa sæculis. Quæ ista? *Fœmina circumdabit virum.* Mulier quædam virum circumcinget. Omnes sancti Patres locum hunc de persona explicant Mariæ, dicentes, eam Spiritus sancti operâ, in utero suo virginali magnum Dei filium reclusisse. Ast quare Jeremias phrasi utitur adeo insolitâ? nunquid non satius cum Isaia Propheta dixisset: *Ecce Virgo concipiet?*

Ier. 31. v. 22. *Isa. 7. v. 14*

XXXVI. Absconditum discite mysterium. Quando antiquitus libertate donabatur quodcunque mancipium, sequens adhiberi solebat cæremonia. Stabat erectus Dominus, servus autem, libertati restituendus, circum circa Dominum se gyrabat, in signum; quòd, qui ad illud tempus fuerat mancipium, impotens se movere ullatenus ante Dominum suum, ex nunc ad placitum suum se volvere & revolvere possit, utpote libertate fruens & ab omni immunis subjectione.

Modus dimittendi mancipium.

XXXVII. Centenæ imò & millenæ historiæ clarum hujus consuetudinis nobis perhibent testimonium, ast unam pro omnibus è Scriptura sacra erutam proposuisse sufficiat. Loquens David de sceleratorum peccatorum libertate, qui nec summo Deo subiici, nec alium Dominum præter voluntatem propriam agnoscere volunt, ita inquit: *Impii in circuitu ambulant.* Homines flagitiosi continuò circum circa vagantur, ut libertate gaudeant.

Ps. 11. v. 9.

XXXVIII. Dicit itaque Jeremias: *Fœmina circumdabit virum.* Sciatis cœlestem illam mulierem, quæ nullius nisi Dei exstitit serva: *Ecce ancilla Domini:* non modò pro se, verum etiam pro nobis omnibus obtenturam esse libertatem; pro se quidem, quia ex ancilla in matrem Dei, in Reginam Angelorum, universique dominam evadet; pro nobis autem, quia de peccati servitute ad hæreditatem nos transferet Paradisi; totumque hoc conformiter antiquo usitato modo fiet, scilicet instituendo gyrum circa ipsum supremum Deum: *Fœmina circumdabit virum.*

Luc. 1. v. 38.

XXXIX. Intellectâ jam Mariæ excellentiâ, quam ex servitute, quâ se divinæ mancipavit majestati, acquisivit; magnificentiam modo, quam Deus ipse, dum Mariæ elegit subesse servus, sibi comparavit, placeat contemplari. Quid asserit Apostolus, de Christo loquens? *Exinanivit semetipsum,* inquit, *formam servi accipiens; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Qui Christus se Mariæ servum fecit, ideo universalis omnium illorum, qui pro-

Phil. 2. v. 7. *Arg. à fortiori.*

propter peccatum in mancipatu degebant, evasit Redemptor. Adeste ô devoti mariani; Si Deus ipse, quia se Mariæ subjecit dominio, tantam consecutus est magnificentiam, ut redemptor evaserit non modò Mariæ *ante lapsum*, sed & omnium, qui in peccatum corruerunt; quid ni peccator, dum se in Mariæ redigit servitutem, ab inferno redimetur, & tanquam certus redemptionis hæres, liber pronunciabitur Paradisi civis?

XL. Agedum itaque devotissimi, ad unum omnes devotos vos hodie consecrate Mariæ servos, certi, quòd, sicuti illa propter dictam servitutem, quâ se Deo mancipavit, non modò sibi, sed & omnibus nobis veram obtinuit libertatem; & sicuti Christus ipse vi servitutis, quâ se subjecit Mariæ, ad sublimem Redemptoris statum sublimatus fuit; ita pariter & vos, si ejusdem augustæ Dominæ servi vixeritis, certo certius libertatē consecuturi sitis non modò à peccato atque exemptionem ab inferno, sed & insuper exaltationem ad gloriam cœlestem, *quam Deus &c.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DOMINICA TERTIA QUADRAgesimæ.

DISCURSUS

De malis peccati & bonis confessionis.

Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum; & cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus. Luc. 11. *v.* 14.

PROBLEMA

Utrum sit potentius; aut peccatum, ad annihilandum hominem, eumque transformandum in dæmonem; aut verò confessio, ad exaltandum pœnitentem, ipsumque promovendum ad æqualitatem Dei?

INTRODUCTIO.

I.

QUis tantæ hodie duritiei peccator reperietur, qui præ horrore non exanimetur, penitusque atteratur, dum audit, peccatum, *quantum est ex se*, sufficiens esse ad inferendam Deo mortem. Confligit hodie cum dæmonio muto salvator: *Erat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.*

Inque medio certaminis ardore, elevatis in cœlum oculis, plangere cæpit: *Suspiciens in cœlum, ingemuit.* O Domine supreme, nunquid non tu Deus es ille, qui scutum circumfers omnipotentiæ? qui vocis tuæ imperio prosternis infernum? ita; quomodo igitur plangis, unicum mutum ejecturus dæmonium? Si tu es fortissimum illud brachium, quod *in digito Dei ejicis dæmonia*, qualiter modò cum monstro decertans infernali, te pavidum perhibes?

Marc. 7. v. 24.

Luc. 11. v. 20.

II. Patres Theologi sublevemini mecum. Suppono ut certum, estque doctrina sancti Thomæ, virtute sacramenti pœnitentiæ, confitenti non modò gratiam dari correspondentem confessioni & dispositionem bonam, sed & insuper totam priorem restitui gratiam, quæ per peccatum perdida erat, teste ipso Deo, dum ait: *Quotiescunque ingemuerit peccator, ejus peccatorum non recordabor amplius.* In quocunque temporis instanti peccatorem pœnituerit suorum scelerum, ego omnium penitus obliviscar culparum ejus. Nisi Deus, totam primam gratiam, per peccatum amissam restitueret, dici posset, adhuc in Deo persistere præteritorum criminum memoriam; concludo itaque ego, per sacramentum pœnitentiæ non modò novam conferri gratiam, sed & aliam restitui, quam sustulit peccatum. Hoc supposito ecce vobis dubium altissimum. Mors mundum ingressa est, mediante peccato: *Per peccatum mors intravit in mundum.* Si per sacramentum pœnitentiæ homo liberatur à peccato, quare non etiam à morte? Si in virtute confessionis homo non solum novam gratiam, sed & priorem obtinet, semel perditam, quare non etiam beneficium reassequitur immortalitatis, per peccatum amissæ? Respondet Theologus, unius duntaxat boni rationem habendam esse, scilicet gratiæ, quæ *est participatio divinæ naturæ*; aliorum autem bonorum, præscise temporalium, nullus est tenendus respectus; & sicut unius solummodo boni, scilicet gratiæ est habenda æstimatio; ita unum duntaxat malum homo declinet oportet, scilicet peccatum; Sicuti enim hoc est privatio gratiæ, ita pariter & totius ædificii spiritualis destructio esse videtur. Ecce igitur caussam, quare Christus hodie plangat; non enim flet propter conflictum cum dæmone, neutiquam; sed quia peccatorem videt, peccato vinctum.

P. 3. p. 69. a. 2.

Ezech. 18. v. 21. 22.

Rom. 5 v. 12.

III. Porro si ita sese res habet, utrum dicetur potentius; an peccatum ad annihilandum hominem, eumque in dæmonem transmutandum; aut verò sacra confessio ad exaltandum, Deoque assimilandum pœnitentem? Hic vobis hodie exhibeo problema. Postea ad circumstantias cō vertemur, requisitas ad hoc ut Deo grata sit. Recordemini vos interim sententiæ, à Christo hodie prolatæ, scilicet: *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Monstrate vos beatos, cum attentione divinum audiendo verbum. Incipiamus.

Probl.

Luc. 11. v. 28.

IV. Deus avertat ò Christiane, tuam ne animam ullum subintret peccatum mortale; vel unicum enim tot secum importat mala, ut, si Deus ipse corruptionis capax foret, à nullo alio annihilaretur, præterquam à solo peccato mortali; exordiamur ab authoritate Prophetæ Regii, qui Deo pro beneficiis acceptis gratias agens, *confitebor*, inquit, *tibi Domine Deus & glorificabo nomen tuum in æternum, quoniam eruisti me ex inferno inferiori.* Ex inferno inferiori? quot igitur dantur inferni? nonne una duntaxat est abyssus?

Ps. 85. v. 12. 13.

v. 5. 19.

V. Pro difficultatis hujus enodatione, neces-

Peccatum annihilat nos.

necessum est, ut subtiliter discutiamus, quòd sit peccatum mortale, quosque effectus in anima causet peccatrice? quam ut probationem exordiar, sequenti primas do propositioni: peccatum, monstrum est adeo horrendum, ut annihilet, inque nihil reducat miserum peccatorem; cujus ecce argumentum. Captus in horto benedictus Christus, cum ad Caipham duceretur, omnibus discipulis fugientibus,

Luc. 22. v. 54.

solus Petrus *sequebatur eum à longe*. Introducto Christo ad examen, ingressus est Petrus; quia autem frigus urgebat,

v. 55.

Petrus ad ignem accedens *calefaciebat se*: quid interim accidit: postquam tertiò suum negasset magistrum, tandem ait:

v. 58.

Homo non sum. Veraciter compatior tibi ô Petre, quia turbatum animum tuum timor percelluit; ast qualiter hominem te esse negas? quid ergo es?

§. 12.

relinquamus hîc Petrum, dum se hominem negat.

p. 1. q. 15.

VI. Adeste mecum ô intelligentes; vos me cum schola angelica edocetis, in divina essentia tanquam in ditissima gaza regali, omnium creatarum & creabilium rerum inveniri idæas, non modò secundum communes & genericas earum rationes, sed etiam specificas atque individuales; imò in eadem idææ sunt accidentium, monstrorum & chimærarum, unum duntaxat negatis in divina repræsentari essentia, cum S. Thoma; quod autem illud? peccatum. *Malum culpæ*, inquit

lo. cit. ar. 3.

Peccatum caret idæa in Deo.

S. Thomas, *non habet in Deo idæam*; *nec secundum quod idæa est exemplar, nec secundum quod est ratio*. O sancte Deus, quare omnium rerum imaginabilium in te est idæa, solum autem peccatum nullam in te habet imaginem? respondebit mihi quispiam doctus, in Deo illarum duntaxat rerum poni idæas, quarum Deus ipse causa est, Deus autem non est causa peccati, atque ideo non datur in illo idæa peccati. Optima responsio, ast ego replicarem: quare Deus non est causa peccati? si ipse est causa boni sine suo merito, cur non etiam causa esse potest mali sine suo demerito? speculationes relinquamus cathedris, dicamusque solummodo, quòd sicuti mundi hujus regibus & Monarchis superbæ illæ gazæ non ad aliud deserviunt, nisi ut oculos & corda eorum oblectent; ita pariter sublimis illa divinæ essentiæ gaza non ad alium finem servit, nisi ut Dei oculos & cor recreet atque oblectet; imò in visione & fruitione ejusdem, tota Dei consistit felicitas & beatitudo; ita ut Deus ab æterno non sit beatus neque Deus, nisi propter hanc æternam visionem & fruitionem suæ adeo excelsæ divinitatis.

VII. Ecce vobis rationem, quare in Deo non reperiatur idæa peccati; monstrum hoc horrendum, *quantum est ex se*, affligit & cruciat Deum, ideoque Dominus Lazarum resuscitaturus, flevit turbatusque fuit: *Turbavit semetipsum & lacrymatus est*; quia nimirum Lazarus figura erat peccatoris. Unde si in divina essentia peccati foret idæa, non esset beatus Deus, quia beatitudo consistit in lætitia & summa satisfactione; præsentia autem idææ peccati gaudium turbaret ac satisfactionem Dei, luctum causans ac planctum; & consequenter Deus non foret beatus, imò ne quidem Deus; quia repugnat esse Deum & summâ carere beatitudine. Tollatur itaque, inquit Theologus, horrendi istius mõstri imago â felicitate & lætitia Dei, ut in felicissima sua beatitudine Deᵒ æternaliter perseverare possit.

Peccati horror

Ioa. 11. v. 33.

Fer. 6. D. 1. n. 13.

VIII. Ast quare, interrogabitis forsitan, De' tanto peccatũ odio prosequitur? aut ut

verius

verius dicatur, cur Deus adeo à peccato abhorret, ut solus ejusdem intuitus, ipsum totaliter conturbet? scitisne causam? quia peccatum *quantum est ex se*, annihilat Deum, ita ut si Deus corruptionis capax foret, à nullo alio, quàm à solo peccato annihilandus esset.

IX. Supponamus primò veritatem quandam Catholicam, scilicet inter essentiam Dei & attributa divina, nullam esse distinctionem realem, ita ut eadem sit divinæ essentiæ & uniuscujusque attributi entitas; neque quò ad præsens intentum, illa scholæ subtilis obstat distinctio formalis *ex natura rei*, sed sufficit quantum ad præsentem speculationem, quòd inter essentiam & attributa divina non detur distinctio realis *simpliciter*; ita ut obstruere possimus, divinam essentiam realiter esse unam simplicissimam entitatem, omnes alias attributales rationes secum identificantem, ita ut unumquodque attributum sit ipsa Dei essentia.

X. Hoc supposito, te alloquor, teque interrogo ô peccator; quid prætendis dum peccas? Pater, non aliud nisi solam vani desiderii mei expletionem. O utinam, exclamat S. Bernardus, peccans aliud non intenderes, nisi tuis satisfacere affectibus: *Vtinam vel rebus istis contenta esset humana voluntas, ne & in ipsum (horribile dictu) desæviret auctorem.* Adesto, inquit S. Bernardus, adesto peccator & responde mihi: negare non potes, quin peccans unum optes ex hisce tribus; aut quòd Deus te castigare non posset, aut non vellet, aut crimina tua penitus ignoraret. *Omnino enim vellet, id est, tua voluntas, aut Deum peccata tua vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire.* Si vis, Deum non posse, vis utique Deum non esse Deum, quia potentia Dei est ipsa essentia divina; Si optas, à Deo non videri tua peccata, Deũ negasti scientiam, quæ cum sit ipsa Dei essentia, Deum utique non vis esse Deum. Si denique desideras, ne Deus te puniat, iterum cupis Deum non esse Deum, quia justitia est ipsa essentia Dei. *Vis ergo*, concludit sanctus, *Deum non esse Deum, quia ex parte tua vis. Deum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. O crudelis & execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam & sapientiam perire desiderat.*

S. Bern. ser. 3. de Resur. Dom.

XI. Ex quibus tale mihi liceat formare argumentum: Si Deus, naturâ suâ incorruptibilis atque omnis penitus incapax passionis, ne quidem intueri potest peccatum, quia *quantum est ex se*, conturbaret eum, imò si possibile foret, suâ eum destitueret essentiâ atque annihilaret; quid non operabitur peccatum in anima peccatoris, qui illud non modò aspicit, sed & voluntariè insuper admittit.

XII. O Petre, Petre, jam tibi compatior, jamque intelligo, cur te negaveris esse hominem: *Homo non sum*: Negaverat Petrus Christum, perque trinam negationem redactus erat in nihil. Ecce vobis S. Cyrilli testimonium: *Petrus dixit: homo non sum, quia per peccatum nihil evaserat.* Cui & accinit illud D. Augustini: *Peccatum nihil est, ut nihil sint, qui faciunt illud.*

S. Cyr.

D. Aug.

IX. Ast si peccatum adeo annihilet hominem, ut desinat esse homo; quid tandem erit? quid? bestia fascino delusa: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quam ob causam factum esse arbitramini, ut protoparentes nostri post peccatum, pelle vestirentur animalium? respondeat S. Gregorius: *Fecit eis tunicas pelliceas, ut foris veste belluinâ ute-*

Ps. 48. v. 13.

S. Greg.

uterentur, qui intus belluinâ cupiditate animum deformarant.

XIV. Ad quod propositum accomodè mihi delicata quædã occurrit sanctiBernardi ponderatio, accuratius discutientis illa, quæ ad protoparentem nostrum Deus protulit verba, post peccatum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quid dicis ô summeDeus? Adã post prævari cationem tibi factus est similis? imò oppositum dicere debuisses, similitudo namque, quam homo cum Deo habere potest, in gratia divina consistit; unde patres Theologi asserunt, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum fuisse, non quantum ad naturam, sed quantum ad gratiam. Nunc itaque si peccatum hominem gratiâ privat divinâ, consequenter similitudinem destruit cum DEO; quomodo igitur Adam post transgressionem DEO similis esse dicitur: *Ecce, Adam quasi unus ex nobis.* Respondit sanctus Bernardus, DEUM hæc verba non dixisse quasi de se, quasi dicere voluisset, Adamum perpetrato scelere, ad similitudinem pertigisse alicujus personæ divinæ; minimè equidem, hoc namque omnino falsum est; sed protulit hæc verba DEUS ex parte omnium animalium irrationabilium, quæ, si visâ nimiâ Adami per peccatum contractâ difformitate, loqui potuissent, exclamassent utique: O miser Adam, quomodo in brutum conversus es, deformitate oppletus propter peccatum; nobis omnino evasisti æqualis: *Puto*, inquit sanctus Bernardus, *jumenta dixisse (Si ita loqui fas est) ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Quia autem animalia nequibant hunc sensum suum explicare, Deus illorum vicem supplens, ait: *Ecce Adam.* &c. optima explicatio.

Gen. 3. v. 22.

S. Bern. ser. 35. in cant.

S. Bern. ser. 35. in cant.

XV. Nihilominus scripturæ hujus medullam curiosius penetrare placebit: Si omnia animalia & bestiæ in hæcce verba proruperunt, cur igitur dixêre. *Quasi unus?* Omnia animalia simul, plurima sunt & diversarum specierum; adeoq; leones dicere potuissent: *Ecce Adam quasi unus ex nobis leonibus.* Idem porro ab ursis, asinis, equis, cæterisq; brutis altrui potuisset; satius igitur dictum fuisset: *Ecce Adam similis nobis factus est*; & non: *quasi unus.* Domini medici, dum phthisicum quempiam curare vultis, quid facitis? quandoquidem infirmus debilitate laborat stomachi, ne amplius ipsum debilitetis, curiosam præparatis aquam ex herbis, pulvere & reliquis ingredientibus, quotquot curandæ infirmitati judicatis idonea; hancq; aquam appellatis distillatam, quintam essentiam & distractum omnium istarum herbarum. Ita omnino dum animalia dicunt: *Adam quasi unus ex nobis*, idem erat, ac asserere: Adam per peccatum, evasit quoddam distillatum, quinta quædam essentia omnium brutorũ, epilogus totius bestialitatis.

XVI. Imò omnibus bestiis longè pejor est peccator. Spirit⁹ sanct⁹ per os Davidis, duos Deum laudantiũ choros; alterum in cœlis, in terris alterum efformans, ait: *laudate Dominum de cœlis.* Ad hunc chorũ omnes fuêre invitati Angeli, sancti, sol, luna, stellæ, cœli, & elementa: *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum sol & luna.* &c. Secundus chorus in terris erectus fuit, ad quẽ vocati fuêre Principes, Reges, populi, omnesq; res inanimatæ, veluti grandines, venti; imò etiam serpentes & dracones: *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyssi, bestiæ & universa pecora, serpentes & volucres pennatæ*; solus peccator utroque proscribitur è choro: id quod admirans S. Chrysostomus, in hæc verba exclamat:

Pecc. bestiis pejor.

Ps. 148. v. 1.

v. 2.

v. 7.

v. 8.

Quid mirabilius esse potest? scorpio, dracones, & serpentes invitantur ad laudandum Deum, & solus peccator ab utroque choro sejungitur.

XVII. Ideoque pejor peccatorum est conditio, quàm ipsorummet & porcorũ. An non recordamini, dæmones quondam, humanis expulsos è corporibus, Christum rogasse, & sibi licentiam daret gregem intrandi porcorum? *Si nos ejicis mitte nos in porcos.* Moxque annuit Christus votis eorum, inquiens: *Ite.* Vix autem dæmones invaserant porcos, cum ecce hi sine mora sese præcipitarunt in mare: *Abiit totus grex porcorum in mare, & mortui sunt in aquis.* Vos ego interrogo ô Auditores homines illi obsessi, in quibus legio hospitabatur dæmonum, nonne manducabant bibebant & requiescebant? indubiè; notate nunc igitur: homines peccatores supportant diabolos, quietãq; cum iis instituunt conversationem, quos porcorum grex nequit sustinere. Ecce vobis S. Chrysologi subtilitatem: *Grex in gregem mittitur, ut appareat, hoc duos posse homines, quod tot porcos non posse sufficere.*

Marc. 5. v. 12. Et porcis.

S. Chrys.

XVIII. Vultisne, ut vobis ultimum repræsentem peccati malum? audite & contremiscite. Peccatũ peccatorem convertit in dæmonem. Formans in principio Deus proroparentẽ nostrum, teste scripturâ, eum ex luto coagulavit: *Creavit Deus hominem de limo terræ:* postquam autẽ peccavit Adam, non denominatus est amplius limus, sed terra duntaxat: *Pulvis es, & in pulverem revertêris.* Denique volens Deus serpentem condigno afficere supplicio, quia Adamum prævaricari fecerat, illi in continuum cibum solã assignavit terram: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Optimè facis ô Domine, serpenti, in pœnam sceleris sui, terram assignando in pabulum, sed quod subest mysterium in eo, quòd, cùm hominem creâris ex limo, post peccatum eum vocites terram? dicere potius debuisses: *Limus es & in limum revertêris.* Respondet Deus; sicut lutum seu limus, deficiente humido, fit terra, inque cibum disponitur serpentium; ita pariter homo, quando per peccatum, gratiæ perdit humorem, efficitur pulvis, ad nihilum aptus, nisi in escã serpentis infernalis. Adeste ô Philosophi; juxta Aristotelis vestri doctrinam, *cibus convertitur in substantiam aliti*; cibus, vi caloris naturalis, in substantiam mutatur illius, qui manducat; cum igitur peccator terra efficiatur per peccatum consequenter cibus factus dæmonis citra ullum dubium, per peccatum in dæmonem convertitur peccator; quam etiam veritatem Christus in his ad Judam verbis expressit: *unus vestrum diabolus est*; qui experientiã adjungite in Angelis: diabolus enim sine peccato, est Angelus lucis & creatura pretiosissima; ita ut solum peccatum diabolos formet in natura angelica: quare autem peccatum similiter non constituet diabolos in natura humana, hominibus in dæmonia transformatis?

Gen. 2. v. 7.

Et dæmone.

Gen. 3. v. 14.

Ioa. 6. v. 17.

XIX. Hoc loco primus ille regii Psalmistæ textus subintrat, dum ait: *Ex inferno inferiori.* Quis est iste infernus inferior? Pater Titelmannus respondet: *Infernus inferior intelligi potest carcer malæ conscientiæ.* Ast quare peccatum dicitur infernus inferior? quia scilicet sicuti peccatum est potissima damnationis causa, ita quoque terribilius est, degere in peccato, quàm in inferno; jacetque in voragine profundiori, qui Deum offendit, quâm ipse damnatus. *Vere*, prosequitur citatus pater, *vere infernus inferior est peccatum, cum perpetuæ damnationis sit potissima causa; atq; adeo terribilius est, cultũ omnipotentis offendere, quàm millies pati gehennam.*

Franc. Tit.

XX. Exhibitis usque modò peccati malis, ad confessionis bona, si placet, contem-

templanda nunc convertamur. Quid asseruimus de peccato? annihilat, inque dæmonium transmutat peccatorem. Quis autem Confessionis effectus? pænitentem exaltat, & nova quadam cum creatione, ipsum transformat in Deum; pro cujus probatione suppono & tanquam fundamentum omnium dicendorum, hancce D. Augustini præmitto auctoritatem: *O peccator, damna quod es, ut merearis esse, quod non es*, q. d. ô Christiane, qualiter putas te eam reacquisiturum, quam per peccatum amisisti dignitatem? certè non aliter, nisi ut tuiipsius index factus, sententiam pronuncies contra malam præteritam vitam tuam: tibi namq; sanctè promitto, te promeriturum ut fias, quod non es, si condemnaveris, quòd es. Hæc Augustini assertio altissima est, mihique dubium suggerit adeo difficile, ut vix sciam, utrum vobis illud hodie sufficienter explicare possim; argumentor namq; in forma sequenti. Quisquis confitetur & damnat illud, quod est, meretur esse, quod non est; hæc est D. Augustini propositio. Certum est, peccatorem ante confessionem non esse Deum; dicemusne igitur, eum, mediâ confessione, posse mereri, ut Deus evadat? hoccine bona sustinebit Theologia? ô quæ difficultas! ne perturbemini, sed gradatim discutere libebit, quanta sit confessionis in ordine ad salutē necessitas, quanti sit apud Deū valoris, quantū afferat Christiano subsidium.

S. Aug. in Ps. 49.

Ioa. 6. v. 17.

Franc. Ti.

XXI. S. Thomas Aquinas confessionis necessitatem cum alia Baptismi compararet; nunc autem sine Baptismo, vel in re vel in voto suscepto, quispiam salvari potest? minime equidem, ipso attestante Salvatore, dum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire regnum Dei*, ergo confessio *simpliciter necessaria ad salutem*.

In addit. ad 3. p. q. 6. a. 1. Confessionis necessitas. Ioan. 3 v. 5.

XXII. Tanta est confessionis ad salutem necessitas; ut, si quis post peccatum non confiteatur, faciatque interim quæcunque alia opera sancta, nunquam divinæ possit satisfacere justitiæ & salvari; imò absque confessione semper erit à Deo maledictus & ad barathrum damnatus infernale. In primum asserti testem citemus S. Petrum, cui Christus ait *Simon, quid tibi videtur? Reges terræ accipiunt tributum à filiis suis, an ab alienis?* Cui Petrus: Domine, *ab alienigenis*. Moxque Christus subsumpsit: *Vt non scandalizemus eos, unde ad mare, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies didragma, sume illud & da eis pro me & te*. Ne indignè feras ô Domine, si te verbulo interrogavero: cur mavis, pecuniam ex ore piscis, quàm quocunque alio loco extrahi? piscis naturaliter non parturit argentum vel aurum, cæteroquin omnes facile in mundo fierent piscatores; Si ad solvendum tributum, miraculum aliquod operari volebas mirè stupendum, cur non sine interventu Petri, lapides convertis in argenteos, aut aliqam terræ partem transformas in argenti vel aurifodinam?

Matt. 17. v. 24.

v. 26.

§. 24.

XXIII. Quandoquidem in mari versamur; Jonam reperiamus, qui contra omnem Dei voluntatem, *ascendit in navim, euntem in Tharsis, ut iret à facie Domini*; dumq; jam navis sulcaret altum, *misit Dominus ventum magnum in mare, & facta est tempestas valida, ita ut navis periclitaretur conteri*. Concitavit Deus tempestatē horrendam, cæperuntq; fremere venti, rugire mare, cōfringi arbores, dissipari vela; quos inter horrores, *descendit* Jonas *ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi*. Subintrat hîc sanctus Basilius Seleucus, nautasq; illos huncin modum repræhendit: *Quid prodest vobis, omnia movere; si immotū cōservatis*

Ion. 1. v. 3.

v. 4.

v. 5.

S. Basi. Sel. or. 12.

auctorem tempestatis? mare jactatur, & tempestatis auctorem sinitis considere? O stulti! vos scitis, Jonam tempestatis esse auctorem, & nihilominus eum dormire permittitis? quare illũ non projicitis in mare? Quot sunt eorum, qui in vitæ periculo constituti, opem efflagitant à sanctis, vota multiplicant, erogant & profundunt, ast peccatum interim in animæ fundo delitescere sinunt? O stulti & ignorantes! *Quid prodest vobis, omnia movere, si peccatum in anima sinitis considere?* actum agitis; peccatum ex anima propulsandum est, cæteroquin nulla alia quæcunque demum actio vestra vobis cedet in salutem.

S. Amb. l. 4. in Luc. c. 5. XXIV. Redeamus ad S. Petrum; juxta S. Ambrosii mentem, piscis, qui reliqua inter animalia os semper clausum habet, tropologice mutum denotat peccatorem, qui in tot tantorumq; peccatorum ac scelerum squalens abysso, nunquam os suum aperit, ut sese emendet. Voluit igitur Dominus, inquit sanctus, exactoribus tributi per pecuniam, in ore piscis inventam, satisfieri, ut nos doceret, ex ore ipsius peccatoris educendum esse pretium, quo divinæ satisfiat justitiæ, id est, quòd per confessionem summo Creditori Deo satisfactio præstanda sit; ita ut sive illa, quicunque alius conatus in vanum cedat. *Didragma*, verba sunt sancti Ambrosii, *non otiose in ore piscis inventum est; ex ore enim tuo justificaberis, etenim pretium nostræ immortalitatis est nostra confessio.*

Pretium salutis cōfessio.

S. Amb.

XXV. At si salutis nostræ pretium fuit sanguis Christi, quomodo igitur confessio nostra tale quid esse potest? quid? ergone confessionem nostram minori Christũ solatio afficere arbitramini, quàm propriꝰ ejus faciat sanguis? audite ingeniosam quandam Eusebii Emysseni & D. Chrysostomi speculationem. Dimorans in horto Gethsemani Salvator tantis excruciabatur doloribus & agoniis, ut sanguinem sudaret; imò tam excessivus fuit dolor, ut à Patre opem imploraret, quo fine Angelus ei submissus fuit in solatium; memoriæ mandate tragœdiã istam. In Calvario Redemptor dolores pariter subiit, sed longè atrociores; illi namque solam invaserunt animam, hi verò etiam corpus; nihilominus pendulo in cruce Deo nullam legitur consolationem attulisse Angelus; qua obsecro de causa Christus in horto dolores inter minus acerbos solatium expertus est angelicum; in cruce autem medias inter mortis angustias, incomporabiliter primis majores, ne stillulam gustavit consolationis? causamne requiritis, inquit Eusebius Emyssenus? sciatis, in horto Christũ omni penitus caruisse solatio, ideoque hoc illi cœlitus per Angelum subministratum fuit; in cruce autem Salvator bonum audiit latronem, sua confitentem peccata: *Nos quidem digna factis recipimus.* Hoc in loco, inquit Pater æternus, non eget alio Christus solatio, sed illud unicum sufficit ad temperandos dolores. *Gloriosa voce*, inquit Eusebius, *præsentes temperat cruciatus.* Clarius autem sanctus Chrysostomus in hæc verba: *Ab Angelo descendente de cœlo confortatur Christus in horto; à latrone pœnitente Christus confortatur in cruce.*

Luc. 23. v. 41.

Euseb.

XXVI. Cognitâ confessionis necessitate & valore, quem habet apud Deum, nunc pariter quã nobis afferat utilitatem, perspiciamus. Videte eximios, in nos à confessione redundantes, fructus: peccatorem mutat in sanctum, peccatum efficit decorum, infernum pœnitenti occludit, Paradisum transformat & pœnitenti patefacit: Deum denique immutat, ex iracundo judice, propitiũ eum reddens & benignũ. Primò confessio mutat peccatorem, quia

Confessio utilis.

quia ipsum ex scelerato sanctum, ex Dei inimico filium adoptivum, ex cœli exule civem Paradisi, & ex æternæ pœnæ reo, merentem efficit æternæ mercedis. Quid ni igitur pœnitentem exaltat & quasi ad esse Dei sublevat confessio? justificatio est solius Dei opus: *Deus, qui justificat impium.* Quandoquidem igitur confessio peccatorem justificat, videtur optimè concludi posse, eum mediâ confessione ad similitudinem Dei pertingere.

XXVII. Secundò confessio peccatum mutat, illudque efficit venustum. Rom. 8. v. 28. Sed quomodo? teste Apostolo: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* adjungit Sanctus P. Augustinus: *etiam peccata.* O mira sententia! ergone peccatum potest prodesse peccatori? utique. Dicite mihi ô Docti, possetne Deus, si vellet, deforme peccatum venustare, & ut pulchrum appareret, præstare? nequaquam; tanta enim peccati est fœditas, ut oculus Dei vel solum ejus horreat intuitum. Ecce vobis prærogativam confessionis: peccatum, tantâ plenum turpitudine, si confiteris, pulchrum evadit; fit namque materia sacramenti, quâ forsitan venustius quidquam reperiri poterit? Si igitur mediâ confessione præstat id, quod Deus ipse efficere nequit (non per impotentiam, sed per repugnantiam) quid ni resolvemus, pœnitentem vi confessionis similem evadere Deo?

Crimen venustat.

XXVII. Quid ultra præstat confessio? infernum mutat; sed qualiter? abyssum peccatori apertam atque patentem, occludit pœnitenti; ita apud Titelmannum discurrente Goffredo, dum ait: *Si illi Spiritus maledicti & animæ desperatæ dicere semel possent, peccavimus, vel: nos quidem justè digna factis recipimus; audeo dicere, quòd ignis ille inexstinguibilis, totus exstingueretur.* Quanta igitur confessionis erit potentia, quandoquidem æterna illa delere potest incendia, & infelicissimos incarceratos, ad easdem flamma condemnatos liberare. Dicite & resolvite intrepidè, quòd confessio pœnitentem exaltet usque ad similitudinem Dei, quia scilicet à solo Deo mutabilem, mutat in infernum.

Goffr. apud Titelm.

XXIX. Mutat enim confessio Paradisum: beatam enim civitatem illam, quæ peccatoribus occlusa est, confessio aperit pœnitentibus, in eamque virtute sua sceleratissimos mundi introducit. Auscultate D. Augustinum: *Confessio:* inquit, *est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum; & quid plura? ipsa obstruit os inferni & portas aperit Paradisi.* Quos si confessio præstat effectus, quid ni concluseritis, pœnitentem Deo similem fieri?

Mutat Paradisum.

D. Aug.

XXX. Ad ultimam denique digrediamur, quàm confessio facit mutationem; quàm istam? ipsimet fortè Deo manus inferre non dubitat? ita sanè; eum namque ex judice in patrem, ex inimico in sponsum, ex irato transformat in benignum. *Regnum cœlorum*, inquit Salvator, *vim patitur & violenti rapiunt illud:* Per regnum cœlorum, S. Ambrosius Christum intelligit, Dominum nostrum, juxta quam glossam Spiritus sanctus asserit, Christum pati violentiam. Sed à quo? à nobis fidelibus; ast quomodo? per confessionem & pœnitentiam de peccatis. *Regnum cœlorum*, verba sunt Ambrosii, *non nisi Christus est; vim ergo facimus Domino, non compellendo sed flendo, non provocando injuriis, sed lacrymis exorando.* Quanta igitur vis est confessionis, si vel ipsi violentiam infert, infinitæ fortitudinis Deo?

Ipsumque Deum.

Matth. 11. v. 12.

S. Ambr.

XXXI. Vultisne, ut quid adhuc sublimi apponam? confessio ad pœnitentiam in-

ducit Deum immutabilem; nimium dixisti ô Pater; nunquid enim Samuel ad Regem Saul ait, Deum pœnitentiæ incapacem esse, neque sua posse retractare sapientissima decreta; *Porro triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Deus itaque ad pœnitentiam indui nequit ex levitate, utpote immutabilis; neque ex ignorantia, utpote omniscius. Ego autem dico vobis, quòd peccati confessio Deum ad pœnitentiam permoveat; à Jeremia veritatem discite, quid dicit Propheta? *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaveram ut facerem ei:* ita ut pœnitentia hominis, pœnitentiam causet Dei; & mutatio peccatoris immutabilem mutet Deum; quod adeo obstupuit Oleaster, ut exclamare non dubitaverit: *O mira Dei dignatio, quem quæso non pæniteat peccatorum, cum Deum videat pœnitere pœnarum?* Et S. Hieronymus quid ait? *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Si igitur confessio violentiam infert Omnipotenti, ligat & constringit Dominum universi; sententiam cogit variare eum, qui naturâ suâ est immutabilis; fallit memoriam illius, qui omnia sibi præsentia habet; quid ni asseremus, confitentem Deo similem esse?

1. Reg. 15. v. 29.

Iere. 18. v. 8.

Olea.

S. Hier. in Ioan.

XXXII. Reassumamus modò, quàm supra deseruimus, Sancti Augustini sententiam: *O peccator, damna, quod es, ut merearis esse, quod non es.* Quid vis, quid desideras ô peccator? divinitatem vis promereri? ita: *Damna, quod es;* confitere culpas tuas; *& eris, quod non es:* sine dubio Deus eris, qualis modò per peccatum non es.

S. Aug.

XXXIII. Sed unde tanta confessioni virtus, ut pœnitentem ad Dei similitudinem exaltet? vos respondeatis ô Theologi: quæ sunt essentiales confessionis partes? tres sunt, scilicet *contritio, confessio & satisfactio.* Quid est contritio? est actus amoris divini, quo Deus amatur *super omnia;* quisquis autẽ Deum amat, nunquid vel amoris Deus evadit? utique: *Si Deum amas, Deus es,* inquit S. Ambrosius. Quid igitur mirum, si veluti Deus efficiatur ille, qui confitetur & mediâ contritione specialiter, ut debet, partes, complet essentiales confessionis?

XXXIV. Nunc mihi neutiquam difficile erit, assumptum solvere problema; quanta est peccati potentia? est monstrum adeo horrendum, ut peccatorem annihilans, eum in dæmonem convertat. Quanta porro vis est confessionis? an non intellexistis? confitentem exaltans, ipsum Deo efficit similem. Quotquot igitur estis ô dilectissimi, abominemini summè peccatum, intensissimèque sacram amate confessionem; ad quam ut vos cum fructuum cœlestium lucro disponatis, largam exhibete pauperibus eleemosynam, me interim spiritum resumente.

SECUNDA PARS.

XXXV. Nunquid præceptum habemus Catonis: *Pugna pro patria?* utique, & nihilominus audietis die crastinâ, qualiter Christus illud abominatus fuerit; problema autem statuemus tale: ubi Christus magis fuerit offensus; in patria, aut in Calvario? huic aliud porro de beatis mortuis subjiciemus problema, minimè futurum ingratum.

XXXVI. Pro præsentis autem discursus coronide sanctæ confessionis conditiones, sine quibus divinæ placere nequit Majestati, examinemus. Tres conditio- Conditiones bonæ conf.

ditionum sortes omnis bona requirit confessio prima est, *dolor de præteritis, & propositum de præteritis, & propositum de futuris.* Diligens exigitur conscientiæ examen, omniumque admissorum scelerum cum suis circumstantiis petatur à Deo remissio, cum firmo proposito, eum post hac unquam offendendi amplius. Observastisne aliquando nimium illum charitatis actum, quem Christus exercuit cum bono latrone? supplex hic pientissimo Iesu, rogabat: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*; moxque Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso;* non modò culpam, sed & pœnam ei remittens, id quod nunquam ulli præstitit alteri. Magdalenæ solam ignovit culpam: *Remittuntur tibi peccata tua*; pœnam porro ipsamet per plures annos in deserto luit prope Marsiliam. Adulteræ solius impertiit culpæ indulgentiam: *Ubi sunt, qui te accusant? nemo Domine*; *nec ego te condemnabo, vade in pace.* Soli latroni pœnam remisit & culpam; quare? nostisne causam? quia bonus latro, priusquam à Christo regnum peteret, quoddam veluti instituit conscientiæ examen, sicque cum socio suo loquens, ait: *Nos quidem justè digna factis recipimus, iste autem quid mali fecit?* itane? bonus latro sua discutit cum dolore scelera? confestim ideo culpæ & pœnæ obtineat indulgentiam: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23. v. 42.

Luc. 7. v. 47.

Ioa. 8. v. 10

XXXVII. Non sufficit dolor de culpis præteritis, sed bonum insuper propositum requiritur nullas alias committendi imposterum; ad quod intentum viva quædam deservit Apostoli doctrina, asserentis, Christum mortuum fuisse pro nobis, *in remissionem præcedentium delictorum*, ut præteritas indulgeret noxas. Quomodo præteritas? non igitur mortuus fuit in remissionem culparum præsentium? & futuras quis ignoscet? respondeo, Christum obiisse duntaxat in remissionem scelerum præteritorum, & non præsentium aut futurorum; quia Christus illi ignoscit, qui peccavit & pœnitentiā agit; non autē ei, qui actualē in peccato aut peccandi proposito complacentiā habet, talis n. actualiter peccat; veritas autem catholica est, quòd durante actuali complacentiā in peccato aut proposito peccandi, peccator remissionis sit incapax, tamdiu namque corde ad peccatum conversus est, neque verè pœnitens dici potest. Hæc est prima, quæ confessioni præmitti debet, conditio.

Rom. 3. v. 25.

XXXVIII. Secunda, quæ in ipso requiritur confessionis actu, est verecundia; debet enim pœnitens, propter Dei offensam, ad Confessarii pedes erubescere. O quanta est hujus circumstantiæ necessitas! tantundem hæc Deo placet, ut, si per impossibile, infinitum recompensari posset sanguinis Christi pretium, nihil melius in solutionem ejus offerre posset homo, quàm dictum pudorem. Sanctus Petrus Cellensis exhortans nos ad aliqualem totius illius recompensationem, quod Christus præstitit nobis, ita discurrit inter cætera: *Carnem pro carne repone, pro sancta sanctificatam; sanguinem quoque pro sanguine, pro in ara crucis fuso, fusum in rubore confessionis.* Notate: tormentis Christi nihil aliud sanctus adæquat, nisi nostras tribulationes, jejunia & mortificationes; sanguinis porro Christi, in cruce profusus, qualiter recompensari potest? per solam, respondet sanctus, in confessione verecundiam; quæ, ut nostris, nil est nisi rubor, vultu apparens verecundantis; qui rubor, teste Philosopho, sanguis est, à corde ad faciem confugiens, ut eam cooperiat in con-

S. Pe. Cell. lib. de pan. c. 1.

confessione. Dicit itaque sanctus, sanguinem à Christo profusum in cruce, recompensandum esse sanguine nostro, effuso in confessione. q.d. Si actio à nobis exhiberi posset, fusioni sanguinis Christi æquivalens, hæc utique in sola dicta verecundia consisteret, quam pœnitens subit in confessione.

XXXIX. Pater mi, dicet forte quispiam, si de pudore quæstio est, ego multoties adeo erubesco in confessione, ut mea confundar manifestare peccata. Auscultate me non quæcunque verecundia bona est in confessione; verecundia alia est externa, alia interna; illa, quæ in ore consistit, non requiritur, imò pessima est; hæc autem, quæ in corde situata est, omnino est necessaria.

Confessionis mulieris valor.

XL. Quam ob causam confessio mulierum raró bona est. Quare pater? rationem excipite. Venit v. g. ad me vir quidam, dicens; pater, obsecro faciat charitatem, excipiendo confessionem meam. Voluntariè, respondeo ego & consideo, examinans pœnitentem: quid tibi occurrit circa primum præceptum? nihil pater; idemque asserit quoad 2. 3. 4. & quintum præceptum. Circa sextum *non Mœchaberis*, reum te forsan agnoscis? ô pater, præcepti hujus transgressor sum maximus, si ab illo carnis peccato liber forem, me sanctum crederem. Venit alius, & eandem mihi accinit cantilenam; accedit tertius, eodemque laborat malo: ex quibus ego prudenter concludo, miserum genus humanum, carnis vitio addictissimum esse.

XLI. His succedit mulier & confiteri desiderat; interrogo ego, filia, quid tibi occurrit circa peccatum superbiæ? Pater, nihil omnino; hoc duntaxat excepto, quòd quandoque dicam unum verbulum, de reliquo nihil. Mulieres ordinariè linguam adeo acutam, ut etiam lapides secarent; tempore autem confessionis, nihil reperibile est hujusmodi. Sed progrediamur ulterius: circa avaritiam quid tibi incidit? Pater, ego non sum domina ullius rei, ne quidem aquæ; maritus meus omnia mihi obserata servat. Videte; dum de charitate est sermo, nihil possidet mulier, tota inops; dum autem deliciis & vanitati indulgendum, expendit & profundit, quantum potest. Procedamus ad alia: commisistine aliquem actum impudicum, contra sanctum matrimonium? ô Jesu! quid mihi dicis ô pater? ne quidem simile quid mihi per somnium occurrit. Venit alia mulier, idemque prorsus affirmat; & sic deinceps. O Domine lamentari cogor contra divinam majestatem tuam; Si enim salutem meam volebas, mulierem me creare debuisses; profiteor namque & audio plerumque, majorem virorum partem carni deditissimam esse. Ast mulieres? omnes illæ sanctæ sunt. Quid? creditisne mulieres esse hujusmodi? persuadeat id sibi, qui voluerit; ego saltem non inducar, ut credam mulieres alterius forte sunt speciei, quàm viri? nequaquam; imò si viri sunt fragiles & carnis vitio dediti; mulieres sanè deditissimæ sunt. Scitisne sententiam meam? credo ergo, raras omnino mulieres ritè confiteri; quam enim verecundiam deberent possidere in corde, circumferunt in ore.

XLII. Nequaquam ita ô Auditores nulla debet in ore pœnitentis residere erubescentia, omnia peccata sincerè aperienda sunt cum omnibus circumstantiis aggravantibus; cæteroquin vel unicum peccatum, malitiosè suppressum, confessionem reddet irritam omnino & nullam.

XLIII. Ter-

XLIII. Tertia, confessionem subsequens circumstantia, est satisfactio, Deo præstanda & proximo; Deo quidem per pœnitentiam tibi à Confessario impositam; proximo autem per restitutionem famæ aut bonorum. Patres Confessarii adeste omnes, ut sequens mihi resolvatis dubium. Estne aliquod peccatum mortale, non remissibile in Ecclesia sancta? respondebitis negativè, quia summus Pontifex claves possidet thesauri Christi, vique potestatis suæ absolvere potest à quocunque peccato. Ego autem dico vobis, in Ecclesia sancta quoddam esse peccatum, omnino irremissibile; quod istud? id ipsum modò vobis ob oculos ponam. Tenet quispiam injustè substantiam proximi, aut contra justitiam, fratrem suâ exuit famâ. Si talis Episcopum convenerit, nunquid absolvi poterit sine facta restitutione? neutiquam. Si summum pœnitentiarium Romæ adierit, absolutionem fortè obtinebit? minimè gentium. Si ad pedes Papæ prostratus, restitutionem adimplere capax, eam prætermiserit; absolvi poterit? nequaquam; quia juxta S. Augustini assertum: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ad propulsandum igitur ex anima peccatum, unicum remedium est sacra confessio, quæ ut Deo grata sit, nobisque utilis, tenetur pœnitens debitum conscientiæ suæ præmittere examen cum dolore de vitiis præteritis & firmo Deum nunquam amplius offendendi proposito; deinde verecundiam habere debet internam, exterius autem ore suo omnia explicare peccata cum suis circumstantiis: & tandem Deo per pœnitentiam, proximo autem per restitutionem famæ aut bonorum satisfacere. Hisce vestita circumstantiis confessio, efficacissima est, ut vobis gratiam conferat in hoc mundo, & gloriam in futuro. Ite in pace.

S. Aug.



PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA SECUNDA DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De petitionis, à popularibus ad Christum directæ, imperfectionibus; item de documento à Christo nobis tradito in responso, pro adjutorio animarum Purgatorii.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua; Iesus autem respondit eis: nemo Propheta acceptus in patria. Luc. 4. v. 23. & 24.

PROBLEMA

Ubi Christus gravius fuerit offensus & cruciatus; in patria propter petitionem, sibi factam à Popularibus; aut verò in Calvario propter crucifixionem & blasphemias, sibi illatas à Pharisæis?

Quidve animas Purgatorii ardentius excruciet; an ignis ardens, rigorosum justitiæ divinæ instrumentum; aut verò popularium, consanguineorum, amicorumve oblivio?

INTRODUCTIO.

I.

NEminem latet gratiosum illud proverbium, quo dicitur, pro fide & patria omnia licere; cui Catonis consonat præceptum, inquientis: *Pugna pro patria.* Equidem quis nescit, quis non videt, quantum in pectoribus humanis amor valeat patriæ? Teste Cassiodoro, nulla est creatura animata, quæ nõ urgeat, ametq; patrię bonũ: *Vnicuique patria sua charior est, dum supra omnia salvam fore quæritur; feris datum est, agros sylvasque quærere; hominibus autem fores patrias super cuncta diligere: aves ipsæ per aëra vagantes, proprios nidos amant, erratiles feræ ad dumosa cubilia festinant; cunctaque animalia ibi se norunt profugere, ubi longissimâ cupiunt ætate constare.* Demostenes amorem patriæ debitum illi comparare non dubitat, quo proprios tenemur prosequi parentes: *Arbitretur ingenuorum quisque, non patri & matri solùm esse natum, verumetiam & patriæ.* Imò Socrates amorem patriæ, amori docuit præferendum esse materno: *Solet ferè quisquis ergo suam patriam magis esse*

Cassiod.

Amor patriæ.

Demosth.

Socr.

pro-

propensus, quàm matri. Quot non fuêre, qui bonum patriæ, innato longè præposuêre amori prolium? Audiamus Senecam: *Præferre patriam liberis, Regem decet.* Quot generosa pectora non modò annos & labores, sed & ipsam vitam suam, pro patria laudabilissimè se impendisse & profudisse judicarunt? nimis quàm nota sunt & publica hujusmodi exempla. Romanæ eloquentiæ pater, utilitatem patriæ commodis propriis anteponendam admonet, dum ait: *Omnia quæ à nobis geruntur, non ad nostram utilitatem & commodum, sed ad patriæ salutem conferre debemus.* Quot invicti heroes in ipsam, pro patriæ defensione, mortem irruerunt? Ecce vobis doctissimi testimonium Mirandulani: *Legimus, pro tuenda patria alios strenuè bellando, inter hostes oppetiisse, alios sibi certam elegisse mortem.* Imò ipsemet subjungit: *Hominem pro patria mori, non est mori, sed debitum solvere.* Plato sequentem nobis post se scriptam reliquit sententiam: *Patriæ amorem longè nobis charissimum esse debere; & pro eadem vitam, si oportuerit, in discrimen esse vocandam, nemo dubitet.* Famosa quædam virago, nomine Lacena, audiens, duos filiorum suorum in bello pro incolumitate patriæ occubuisse, infaustum nuncium lætissimo excepit vultu, cœloque largam retulit gratiarum actionem, quòd filiorum suorum interitus victoriam conciliare meruisset patriæ, exclamans: *Libenter accipio filiorum interitum;* quam proinde Plutarchus sequenti celebrat elogio: *Egregia mulier privatos in liberos affectum, publicæ in patriam pietati posthabuit.* Quantam denique sempiternæ memoriæ consecrant nominis sui gloriam impavida illa corda, quæ non dubitant, suam in feretro vitam ei reddere, à

Sen.

Cic.

Mirand.

Plat.

Plut.

qua gratiosum in cunis beneficium accepêre? *Beati,* inquit Xenophon, *quicunque pugnantes pro patria, victores evadunt, illis enim lætissima dies fulgebit.* Si res ita se habet, prout tot approbant auctores; cur itaque Christus hodie in patriam suam se perhibere videtur inhumanum? Quid illi hodie proposuêre populares? *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Quid verò ad hæc Christus? *Nemo Propheta acceptus in patria;* indigni estis, qui me vestrum habeatis municipem. Hoc responso offensi Nazareni, *omnes repleti sunt irâ, & ejecerunt eum extra civitatem, duxeruntque illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.* Ex quibus omnibus accommodam ego desumpsi occasionem, duo vobis exhibendi problemata. Primò; ubi Christus plus fuerit irritatus & afflictus; an in patria, propter popularium suorum petitionem; aut verò in Calvario, propter crucifixionem & Pharisæorum blasphemias? in secunda exinde parte aliud elucidabimus: à quo scilicet animæ Purgatorii atrocius crucientur an ab ardenti igne, rigoroso justitiæ divinæ instrumento; an à popularium, amicorum & consanguineorum oblivione? non quidem vester ego sum municeps, nihilominus vester percupio esse servus; in signum igitur, quòd me ut talem acceptetis, attentas mihi exordienti aures præbete.

Luc. 4. v. 19.

Probl.

II. *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Fuit hæc Pharisæorum petitio adeo defectuosa, tantisque plena imperfectionibus, ut facilimè cognituri sitis, ubi Christus gravius fuerit offensus; an in patria propter dictam petitionem, an in Calvario propter crucifixionem? Quam vos primâ & principalem

prima imperfectio est invidia. cipalem hujus Nazarenorum petitionis imperfectionem fuisse arbitramini? scitisne, quæ fuerit? invidia, S. Ambrosio teste, dum inquit: *Videte fratres, quantum malum invidia afferat, quòd propter invidiam, patria videtur indigna, ut in ea civis operetur.* Ast quid tandem erit invidia, tanti causa mali? respondet sanctus Chrysostomus, inquiens: *Est certè tale & tantum malum invidia, ut nulla unquam malignitas pejor inveniri queat.* Invidia malum est adeo execrandum, ut omnia inter horribilissima mala, nulla possit malignitas reperiri, illâ pejor. O Deum! quid audio? nonne crucifixio pejor est invidiâ? non, inquit S. Chrysostomus; cujus hæc est ratio: quia *invidia alienas jacturas quæstus suos existimat; & aliorum felicitatem, miseriam suam arbitratur.* Hanc ego intelligo rationem; ast nunquid alia poterit assignari causa, propter quam invidiæ malum omnium sit pessimum? imò verò, inquit sanctus: *Quia invidia est pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem & in dæmonem immanissimum convertens.* Hanc ego rationem non penetro; quid facit invidia? quomodo illa hominem in dæmonium convertere potest?

S. Ambr. in c. 4. Luc.

S. Chrys. ho. 41. in Matt.

Invidiæ horror.

III. Sanctus P. Augustinus longè magis prodigiosa tradit de invidia, quæ meum propemodum exanimen spiritum. *Avertat Deus*, ait, *invidiæ pestem ab animis omnium; est enim invidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est, & inexplicabiliter reus.* Liberet nos ab invidia Deus, est enim vitium adeo diabolicum, ut omnino sit irremissibile. Quid astruis ô pater? invidia peccatum est irremissibile? quæ potest esse tanta invidiæ malitia, ut non ignoscat ei misericordia?

S. Aug. de doctr. Christ.

IV. S. Petrus Chrysologus in vitii hujus descriptione superexcedit reliquos omnes, dum inquit: *Omnia quidem vitia ad aliorum potius videntur intendere læsionem; at verò invidia suum cruentat auctorem, & hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorē.* Tres illæ auctoritates mihi, ut asseram, jubent; invidiam monstrum esse adeo horrendum, ut invidum transformans in dæmonium, humeros eius continuo oneret inferni pondere, longè atrociori, quàm sit ipsa abyssus, in qua æternis damnati cruciantur tormentis; quod ut convincam, respondete mihi ô docti: ubi degunt diaboli, qui *circumeunt, quærentes quem devorent*: Quo loco moratur dæmon ille, ad Deum quondam dicebat: *Circuivi terram, & perambulavi eam?* qui vivos exagitant, circumvagantur forsitan in mundo præsenti? nonne certum est, quòd diversis Angelis apostatis Deus pro inferno hunc assignaverit aërem? ita certè nos sanctus docet Augustinus, dum ait: *Peccasse quosdam Angelos & in hujus mundi ima detrusos, qui locus eis velut carcer est, usque ad ultimam in die judicii damnationem.*

S. Petrus Chrys. ser. 172.

Iob. 1. v. 7.

S. Aug. l. 11 de civ. c. 33.

V. Dico itaque ego & quæro: utrùm dæmones, qui in hoc mundo & in communi isto aëre degunt, in oblectatione aliqua vivant, nullis subjecti doloribus, veluti cruciantur reliqui, abysso alligati? utique, quis hoc negare potest? quandoquidem n. prævaricati sunt cũ reliquis, à principio in abyssales, æternaliter arsuras, flãmas præcipitatis; consequenter sicut alii, ita & ipsi pariter, dignam debent sustinere pœnam; nisi aliquam Deo in pœnis infligendis, partialitatis pœnam inurere vellemus. Cui igitur subjacent supplicio? simili & minimè inferiori, quàm sit ipsius inferni. Sed quomodo? ignis fortè cruciatum subeunt? sustinent

pœna dæmonum in aëre.

§. 15.

stinent aliqui, dæmones istos *portionem quandam ignis inferni semper secum habere.* Ast opinionẽ hanc egregiè refutavit Eminentissimus Cardinalis Ægidius; si enim ita foret, inquit hic auctor, necessum foret, Deum infinita operari miracula: quia cùm ignis infernalis sensibilis sit & summę activitatis, consequenter, si illi diaboli aliquã ignis infernalis portionem semper secũ deferrent, quando corpora ingrediuntur humana, idque sine omni combustione aut calefactione, dicendum foret, flammarum concursum divinitus & miraculosè suspendi; cui primo inconvenienti nolim ego subiicere plura, qualia latius deducit dictus Eminentissimus Columna. Quomodo itaque cruciantur dæmones aërei? Respondet idem auctor, horũ spirituũ pœnã, licet in omnibus & per omnia, infernali sit æquivalens, nihilominus *non esse ab igne, sed à Deo.* Novum hocce mihi videtur dogma: *à Deo?* quæ igitur erit ista pœna, quæ diabolis à Deo infligitur, supplicio æquivalens infernali?

Card. Ægi. in 2. dist. 6. q. 2, a. 2.

VI. Audire juvat in præsenti insignem quandam sancti Antonii de Padua sententiam, in qua sequentia, notatu dignissima, exprimit verba: *Magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria Paradisi.* Si Deus invidum graviter plectere vellet, non posset majus illi infligere tormentum, quàm collocando eum in Paradiso, inter Angelos & Beatos. Quis non hujusmodi obstupeat verba? si Paradisus est præmii, lætitiæ, extremæque locus consolationis; quomodo invidus in Paradisum translatus, pœnam experiretur infernalem.

S. Ant. Pad. fer. 4. Dom. pass.

§. 12.

VII. Pro nodi hujus solutione animam citemus damnatam, & ex omnibus quidem infortunatum Epulonem, cujus meminit S. Lucas. Miser hic medias inter flammas, ad patrem Abraham conversus, ita supplicare cœpit: ô magne pater, tantam in pauperes & miseros pietatem exercere solitus, vide obsecro, in quãtis ego malis contabescã; vix mea possum movere labia, propter nimium quem patior ardorem; si quem coram te locum habere possunt preces meæ, Lazarum mihi submitte, ut vel unius madefacti digiti sui extremitate aridam refrigeret linguam meam: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam.* O stulte & imprudens, an igitur nullum aliud præterquam sitis pateris supplicium? quare non etiam aliarum pœnarum postulas refrigerium? in eo non consistit dubium. Miserabilis itaque primas suas preces videns irritas cecidisse, ad nova convertitur lamenta, inquiens: *Pater Abraham, mitte Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres.* Hunc in locum sanctus Chrysologus morosos coniiciens oculos, videte, inquit: *Non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* O infelix, quandoquidem tot immersus squales tormentis, cur non potius ex flammis illis eripi & ad locum Lazari transire desideras; desideras sed potius eligis, ut Lazarus relicto cœlo, te conveniat? ecce vobis subtile Chrysologi responsum: *Quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui; & zelo magis incenditur, quàm gehennâ: est grave illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* Miserum hunc invidia contorquebat, maiusque experiebatur supplicium, videndo Lazarum in paradiso, quàm proprios devorando in inferno ardores.

Luc. 16. v. 24.

§. 13.

S. Chrys. ser. 123.

VIII. Quam verò ob causam, invidum bona magis affligunt proximi, quàm mala propria? Hic sanctus subintrat Gregorius

S. Gr. Naz. Nazianzenus, qui de invidia tractans, elegantissimam illius tradit definitionem, dum ait: *Invidia justissima & injustissima res.* Sed quomodo possibile est, ô Philosophi, ut una eademq; qualitas simul duas habeat denominationes contrarias? poteritne forsan unum subjectum duarum contrariatum formarum capax esse? nequaquam; quomodo igitur astruit Nazianzenus, invidiam rem esse justissimam simul & injustissimam? Notate, inquit sanctus, quòd rationabiliter loquendo, fieri nequeat, ut duæ formæ *simul & semel* idem informent subjectum: quia autem invidia non est rationabilis, imò rationi contraria, ideo non repugnat ei, contrarias habere denominationes, *etiam in gradu intenso.* Quòd verò invidia naturæ contrarietur, ex eo probari potest, quod scilicet qualecunque aliud peccatum pro objecto suo aliquam habeat bonitatem; ita V. G. furtum, respicit utile; inhonestas objectum delectabile: & ut plurima paucis, omnia peccata pro objecto habent bonum, quod sensus alliciens & desiderium inflamans, cor quasi constringit ad amorem sui; invidia autem qualem pro objecto bonitatem habet? nullam penitus. Invidia non nisi de malo proximi lætatur, deque bono ejus contristatur. *Invidia*, inquit S. Thomas, *est dolor de proximi prosperitate*; id quod acutius in hoc versu expressit Ovidius: *Vixque tenet lacrymas, cum nil lacrymabile vidit.* Cernens invidia, nullam in proximo reperiri planctus aut amaritudinis occasionem; ex mera rabie & nimio cordis dolore, sese emacerat, suspirat & plangit. Objectum igitur invidi est malum proximi, in quo unico, suum reperit solatium & satisfactionem. *Alienas enim jacturas*, inquit S. Chrysostomus, *quæstus suos existimat, & aliorum felicitatem, miseriam suam arbitratur.* Si hujusmodi est invidia, quidni injustissima, appellanda erit.

Invidia essentiæ.

Omne peccatum an pro objecto aliquam habeat bonitatem.

S. Th. 2. 2. q. 36. a. 1.

Ovid.

S. Chrys.

IX. Necdum tamen sufficienter probavi, quòd invidia *est injustissima res.* Quæ res iniquior reperiri poterit quã ea, quæ *quantum est ex se*, nihil molitur aliud, præterquam Deum annihilare & Trinitatem destruere personarum? sanctus Petrus Chrysologus propositionem adducit summè difficilem, dum ait: *Invidia Judæos fecit esse Deicidas.* Invidus ne deicida est? qualiter hoc astrui potest? nonne Deus est immortalis? utique: *Rex invisibilis & immortalis.* Quomodo igitur invidus potest occidere Deum? Regrediamur ad essentiam invidiæ. Quid dicit S. P. Augustinus? *invidia est odium alienæ felicitatis*; S. Thomas pariter definitionem invidiæ superius assignavit, cui & doctrina consonat D. Basilii; ita ut, juxta communem omnium sanctorum Patrum consensum, invidia abhorreat a bono; sicque subinde bonitatem aliquam videt, seipsa roditur & contabescit. Vos nostis ô docti, quòd sicut Patri æterno attribuitur potentia, & Filio sapientia; ita Spiritui sancto approprietur bonitas; sublatâ ab attributis divinis bonitate, indubiè tollitur Spiritus sanctus, qui cum sit indissolubilis Patris, Filiique nexus (*qui à Patre, filioque procedit*) Si per impossibile deficeret Spiritus sanctus, consequenter exstingueretur & Trinitas. Invidia igitur, *quantum est ex se*, dum bonitatẽ odit, tollit Spiritum sanctum, cumq; Spiritu sancto attentat insuper abolere Trinitatem. Quid ni igitur monstrum hoc horrendum est crudelissimus deicida? hanc ob causam, sanctus Augustinus peccatum invidiæ nominat irremissibile.

Inv. est in justitia.

S. Chrys. ser. 72.

S. Aug. lo 50. homil. hom. 20.

Inv. Deicida.

X. Quodnam est peccatum *in Spiritum sanctum?* respondet idem magnus P. Augusti-

Invi. peccatum in Spir. S.

stinus, inquiens: *Est charitatem fraternam per invidiam oppugnare*: nolle bonum proximo est peccatum *in Spiritum sanctum*. Qui enim odit bonitatem, Spiritum sanctum odit; quis autem est iste, qui bonū videre nequit proximi sui? solus invidus; hic itaque peccatum admittit *in Spiritum sanctum*. Ignoratis autem, quòd *peccatū in Spiritum sanctum non remittitur, neque in vita, neq; in morte?* Optimè igitur asserit Nazianzenus, quòd invidia sit *injustissima res*; quia nimirum immediatè Spiritui S. opponitur: quo etiam ex fundamento bene docuit S. Augustinus, invidiam peccatum esse irremissibile.

Luc. 12. v. 10.

Inv. res est justissima.

XI. Superest, ut modò etiam discutiamus, qualiter invidia sit *res justissima*. Romam fortè invidū ablegabitis, pœnitentiæ gratiâ? minimè id necessariū est; siquidem invidia ipsi invido pœna est crudelissima; si enim quandoq; invidus nullum in proximo observat malum, totus se ipso roditur & consumitur, juxta illud S. Gregorii Nazianzeni testimonium: *Invidus suiipsius est justissimus carnifex*; cui & accinit illud S. Chrysostomi: *Grave vitium est invidia, quæ, quos possidet, tam miserè torquet, & tanquam perniciosum quoddam virus consumit.* Figamus gressum: nullus invido vicinior, magisque conjunctus est, quàm ipse invidus; Si igitur ille proximi nequit sufferre bonum, imò proximum animo & affectu annihilat; quia dum eum bonitate exuit, pariter & entitate privat: per necessariam consequentiam infertur; invidum suam sibiipsi auferre entitatem, est enim sibi omnium maximè proximus, maximèque conjunctus: id quòd Chrysostomus sequenti expressit in discursu: *Invidia suum cruentat auctorem; & hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.*

S. Grego. Naz. or. 20.
Chrysol. in Matt. ho. 15.

XII. Ex hucusque dictis, residuum facillimè intellexeritis. Cur invidus in Paradiso existens, gravissimam experiretur pœnam? respondet ipse S. Antonius de Padua: *Quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximorum, & à luce beatitudinis ipsorum.* Gloria Paradisi infernus foret invido; intuens namque & observans tot animarum beatarū jubilos, lætitias & consolationes, vel solo hujusmodi bonorum proximi intuitu graviter vulneraretur, cruciaretur, moreretur.

S. Antoni. Pad. loc. cit.

XIII. Imò, inquit S. Chrysologus, invidus in Paradiso existens majori torqueretur pœnâ, quàm in inferno: quia *zelo magis uritur, quàm gehennâ; est grave invidis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuêre contemptui, videre felices*: quam veritatem nonne paulò ante dives nos docuit Epulo? miser iste majorem ex felicitate Lazari pœnam hauriebat, quàm ex malo proprio. Collocate igitur, ubicunq; volueritis, invidum; nuspiam à pœna, inferni immunis erit; quia *dura sicut infernus æmulatio.*

Cant. 8. v. 6.

Inv. effectus.

XIV. Monstrosa modò intelligetur vis invidiæ, quæ tanta est, ut invidum transformare valeat in dæmonem. Lucifer fortè à primo creationis suæ instanti, in statu Luciferi collocatus fuit? nequaquam; in principio ipse pulcherrimi venustissimique Spiritus figuram accepit, juxta illud S. Basilii assertum: *Non enim diabolus, creatus est diabolus, sed cum angelicam potestatem accepisset, tunc in dæmonem est conversus, quando invidit homini tantum bonum.* Lucifer primitus creatus fuit Angelus lucis; ast dum videret hominem ad unionem hypostaticam sublimatum, tanti impatiens boni & honoris, proptium suum Angelicum annihilavit decorem, dæmonque evasit.

S. Bas. hom. ii. de invidia.

Audite

S. Chrys. ser. 149. Audite sanctum Chrysologum: *Maluit in diabolum commutari, ne hominem plenum gloriâ sic videret.* Si itaque tantæ sunt invidiæ vires, ut Angelum converterit in dæmonem, quidni & hominem invidum in Spiritum poterit mutare infernalem? hoc utique insinuare voluit S. Chrysostomus, dum ait: *Invidia est pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem & in dæmonem immanissimum convertens.* Videte igitur, num fortè peccatum aliquod invidiâ horribilius dari possit; invidus itaque semper inferni patitur pœnam.

XV. Et ecce vobis principalis dubii solutionem, quare scilicet Angelos, qui cum Lucifero ceciderunt, Deus condemnaverit, ut suũ in mundi hujus aëre supplicium subirent. Quam pœnam, quodve tormentum experiuntur dæmones illi? scitisne quale? quandoquidem inibi ab infernalib⁹ flammis cruciari nequeunt, justo Dei judicio æquivalentes nihilominus torturas pati debent, *non ab igne, sed à Deo*; quas verò illas? invidiæ. Audite S. Bernardum: *Diabolus in pœnam suam; locum in aere isto, medium inter cœlum & terram, de cœlo cadens, sortitus est, ut videat & invideat, ipsaq; invidiâ torqueatur.* Melius utiq; dici non potuisset; degunt diaboli condemnati in aëre mundi hujus, qui est medius cœlum inter & terram locus, ut videntes in terra justos & beatos in cœlo (illos, qui per fidem sua adaugent merita; hos autem, qui per amorem exultant in gloria) continua torqueantur invidiâ. S. Ber. ser. 50. in can.

VI. Permitture ô Auditores ut proposito accommodũ formem argumentum, quòd meæ promptè memoriæ in præsenti occurrit: Hodierna Nazarenorum ad Christum directa petitio utique invida est, nisi erraverit S. Ambrosius, dum ait: *propter invidiam patria vocatur indigna, ut in ea civis operetur.* Hæc propositio mihi serviet pro majori. Invidia malum est adeo horrendum, ut *nulla unquam malignitas ea pejor inveniri possit*; juxta S. Chrysostomum, superius citatum, qui etiam subjunxit: quòd *invidia est pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem convertens*; imò juxta S. Augustinum: *Invidia vitium est diabolicum, quo solo diabolus reus est, & irremissibiliter reus.* Ecce vobis minorem; vos modò inferte consequentiam, liberèque concludite, pharisaicam hanc petitionem, adeo fuisse perversam & iniquam, ut omnibus malis atque imperfectionib⁹ dici possit repleta. S. Chrys. S. August.

XI. Atque in effectu quidem, quam potest humana fragilitas admittere malitiam, in hac petitione non contentam? superbam vultis & arrogantem? considerate particulas istas: *Fac & hic.* Nazareni creaturæ erant, Christoque subditi; & nihilominus temerariè ipsi præcipere audent: *Fac.* Petitio quoque ista propriũ spectabat interesse; dicebant namque Pharisæi: Domine, tu noster es popularis & consanguineus, quandoquidem igitur exteros tot honoras prodigiis, cur illis tuos destituis populares? quibus Christus: nequaquam; nullas ego gratias cuipiam confero, sanguinis aut amicitiæ motu, sed meritorum duntaxat intuitu. Adulatoria fuit; dicebant enim: *Quanta audivimus facta in Capharnaum?* ô Domine, quàm gratiosus & prodigiosus es virtutum operator; cur non etiam aliquas in nos gratias transfundis? quibus Christus: apage colluvies perversa, an ergo nescitis, quantum mihi displiceat adulatio? *Nemo Propheta acceptus in patria.* Petitionem hanc fidei pariter inhonoravit defectus; non enim signa quærebant Nazareni, ut iis visis, in divinitatem crederent Christi, sed potius ut majori ipsum odiò prosequendi, imò enecandi caperent occasionem. Quæ enim, obsecro, fuit substantia iniqui illius con-

conciliabuli, in quo eum morti dedere concluserunt? nonne, quia miracula patrabat? veritatem ex ipso inimicorum testimonio eliciamus: *Quia hic homo multa signa facit, ideo cogitaverunt illum interficere.* O scelerati & temerarii! Si Christum propter miraculorum multitudinem interficere vultis, ad quid hodie signa sollicitatis.

Ioan. 11. v. 47.

XVIII. Ast nunquam me finiturum adverto, si singulas petitionis hujus imperfectiones contexere intenderem; id solummodo vobis proponam, quod meæ nunc menti occurrit, quodque indubiè plurimos alios iniquorum horum Nazarenorum aperiet defectus. Quid hodiè ipsi dixêre ad Christum? *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Adesto ô gens indigna & responde mihi. Scisne, Christum prodigia operatum fuisse in Capharnaum? ita; certò nobis constat, opera inibi ab eo patrata fuisse, hucusque inaudita. Si ita est, cur non ad pedes ejus prostrati, ipsum adoratis? deinde possibilene foret, eum in hac ipsa patria vestra Nazareth, nulla edidisse divinitatis suæ indicia? nonne vos ipsimet in alia quadam occasione dixistis: *Hic homo multa signa facit?* Si ipse adeo indefessus est in multiplicandis miraculis, cur non hæc visa vos inducunt ad credendum in divinitatem ejus, & assentiendum sanctitati ejus? cur non ex iis motivum accipitis, sincerè amandi ipsum? quo fine novos hodie investigatis stupores? creditisne ô Auditores Nazarenos hâc incredulâ suâ petitione Christum crucifixisse ante tempus? animum, obsecro, & aures applicate dicendis. Resuscitatus à mortuis Christus, mox nimio, quo in discipulos ferebatur, impellente amore, eos invisit, dicens, ô chari discipuli mei, num me cognoscitis? ego sum magister vester: *Vide-te manus meas & pedes meos.* Hæc vulnera, amore vestri, perpessus sum. His visis & auditis, discipuli fide credidêre supernaturali; ast quia pro eo tempore unicus inter omnes aberat S. Thomas (*Non erat Thomas cum eis, quando venit Iesus*) omnes sollicitè Thomam investigarunt, tandemque reperto dixêre: lætissimum nuncium ô Thoma, resurrexit Magister noster. Ad hæc incredulus Thomas: Fidem vobis adhibeat, qui voluerit; ego saltem, *nisi videro & tetigero non credam.* Audiit hæc Dominus, ideoque secundâ vice, sancto Thomâ cum reliquis Apostolis degente, se omnibus stitit: *Apparuit iterum Iesus, & Thomas erat cum eis:* moxque ad incredulum conversus, ait: me non cognoscis ô Thoma? non; sed quomodo? quæ igitur signa petis, quibus ego me tuum probem esse magistrum? ego, inquit Thomas, manum & digitos meos in vulnera tua mittere vellem. Itane? respondet Christus; fac quod desideras: *Infer digitum tuum huc, pone manum tuam in loca clavorum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Accedit Thomas, & tanquam cæcus intellectu, sacra vulnera gradatim incipit palpare, tandemque manum suam sacro imponens lateri, exclamat fortiter: *Dominus meus & Deus meus.* Jam cognosco, verèque profiteor, te meum esse Deum. Subintrat hoc loco S. Petrus Chrysologus, dubiumque movet profectò subtilissimum, dicens: *Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resulcat? cur illud latus, quod impij lancea militis patefecit, perfodere manus nititur obsequentis?* O sancte Deus! cur plagas, ab impia Judæorum manu inflictas, devota renovat discipuli dextera? cur latus, impii Longini lanceâ perforatum, manus iterum patefacit unius Thomæ?

Ioan. 20. v. 20. *v. 24.* *v. 25.* *v. 27.* *S. Th. Ap. renovat Christi plagas. v. 28.* *S. Chrys. serm. 24.* *§. 21.*

XIX. Quandoquidem plagam contemplamur lateris Christi, placeat tantisper considerationi immorari ejusdem: quid emanavit ex plaga hâc? teste Sancto Joanne, *Exivit sanguis & aqua.* O casum prodigiosum! estne possibile ô Medici, ut ex corpore inanimato sanguis profluat & aqua? Sancta Brigitta attestatur, id quod exiit de latere Christi, non fuisse verum & purum sanguinem, sed cor Redemptoris, resolutum in sanguinem: *Tunc crepuit cor meum, præ dolore egrediebatur in sanguine.* O Deum immortalem! quis tandem casus evenit in passione, tam potens, ut cor CHRISTI converterit in sanguinem?

Ioan. 19. v. 34.

S. Brig. in revel.

XX. Remotius relegamus gradum, à capite 19. sancti Joannis, ad 2. regressuri. Promiserat Judæis Dominus se moriturum in cruce, tertioque die postea resurrecturum; hanc autem ipsis resurrectionem sub symbolo destructionis templi proposuerat, dicens: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Destruite, prout vobis libet, templum istud; & ego, spatio trium dierum, illud in formam prioris structuræ restituam (*ipse autem loquebatur de templo corporis sui*) cœperunt itaque Judæi sacrum illud templum destruere, Christum in horto compræhendere, flagellare, cruci affigere & quasi in nihilum redigere. Pendente in cruce Redemptore, ipsi accessêre Judæi: *& moventes capita sua, dicebant: vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.* Nonne tu jactabas, te, intra triduum, virtute propriâ resuscitandum? nunc igitur *descende de cruce, & credimus tibi.* Videns Dominus, Judæos in sua infidelitate pertinaces, nova expetere prodigia: *Descende de cruce, & credimus tibi:* quanto putatis dolore oppressus fuit? cor ejus se resolvit in sanguinem, sicque conversum è plaga exiit pectoris; prout hæc Christi, in sanctæ Brigittæ revelationibus expressa attestantur verba: *Dicentibus illis vah, tunc crepuit cor meum, & præ tristitia egrediebatur in sanguine. Dicentibus illis vah.* Cum Christus videret, verbis suis nullam à Judæis adhiberi fidem, cor ejus divulsum fuit, inque sanguinem conversum, exivit è pectore.

Ioan. 2. v. 19.

Marc. 15. v. 29.

Matth. 27. v. 40.

Luc. 23. v. 48.

XXI. Ecce vobis causam, cur Thomas vulnera renovarit, primò à Judæis inflicta. Incredulus erat Thomas, neque ullam resurrectioni CHRISTI adhibebat fidem, quantumvis sufficientia habuisset ad fidem eliciendam motiva. O Thoma, dicebat CHRISTUS, hæc tua incredulitas me novâ conficit morte; agedum, reaperi mihi plagas meas & fidem præbe. *Thomas Apostolus,* inquit Sanctus Chrysologus, *ut Christum Deum crederet, immisit manum, injecit digitum, patefecit vulnera, iterum compulit pati Christum.* Notetis in auctoritate hac, prima & ultima verba: *Thomas, ut Christum DEum crederet, iterum compulit pati Christum.* Defectus fidei Christum crucifigit.

S. Chryss. ser. 84.

XXII. Redeamus modò ad Nazarenos. Quot audierunt à Christo patrata fuisse prodigia in Capharnaũ? ipsimet id asserũt, dicentes: *Quanta audimus facta in Capharnaum?* Quot insuper signis Christi in patria propria condecorati fuêre? nihilominus hodie maximè omnium increduli, nova postulant signa: *Fac & hîc in Patria tua.* Per hanc petitionem tantâ plenam infidelitate, ante tempus, Christum crucifixêre.

Luc. 4. v. 29.

XXIII. Ex hucusque dictis facile inferre poteritis, longè majorem torturam & offensam Christum perpessum fuisse, pro-

propter dictam petitionem in patria, quàm per crucifixionem in Calvario; post crucifixionem enim bonus latro eum confessus est DEUM: *Domine memento mei*; similiter & Centurio: *Verè filius DEI erat iste*; omnes imò crucifixores pœnitentes *revertebantur*, *percutientes pectora sua*. Hodie autem nunquid per petitionem, tantis plenam imperfectionibus, eum omnes doloribus mortis confecerunt? id ipsum jam probavimus. Post petitionem verò quid moliti sunt ulterius? quid machinati atrocius? Audite Evangelistam: *Omnes repleti sunt irâ, & ejecerunt eum extra civitatem, & duxernt ipsum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum.* Quis non videt, petitionem hanc longè ipsâ crucifixione atrociorem fuisse? Si modò responsum pariter CHRISTI auscultare placet, tantisper ante respiremus.

Luc. 23. v. 48.

Luc. 4. v. 29.

S. Chrys. ser. 84.

SECUNDA PARS.

XXIV. CRas difficile admodum vobis exhibebo problema, scilicet: utrum sacrificium, divinius, DEo gratius, nobisque utilius appellandum sit; an redemptio animarum, à Christo peracta in cruce; an verò correctio fraterna.

XXV. Examinatâ usq; modò popularium petitione, Christi modò responsum breviter discutiamus. Quid responsi Salvator suis reddidit municipibus? *Nemo Propheta acceptus in patria.* q. d. ô iniquam mundi legem, ô detestabilem observantiam! dum civis prosequitur civem, dum quis non amat, imò potius odio prosequitur ejusdem secum consortes naturæ, ejusdem participes cognationis & parentelæ? ô detestabilem consuetudinem! veritatem hujus ab Angelico Doctore discamus, qui in quæstione quadam particulari, quam de Purgatorio instituit, dubium movet, tam curiosum, quàm nostro accommodum intento; quærit namque: *Vtrùm animæ, quæ sunt in Purgatorio, puniantur ab Angelis?* sibique ipsi respondens, ait: *Animæ Purgatorij non puniuntur dæmonum ministerio, quorum victores exstiterunt.* Quæ enim convenientia suadet, inquit sanctus, animas istas, quæ in mundo hoc spiritus illos infernales triumpharunt atque vicerunt, ab iisdem dæmoniis cruciandas esse? neque etiam ab Angelis bonis dictæ animæ affliguntur: *Nec minus affliguntur ministerio Angelorum bonorum, quia cives suos non tam vehementer affligerent.* Animæ istæ miserabiles, quæ modò purificantur in Purgatorio, quandoq; cives erunt Paradisi & concives Angelorum; quia autem lex domus divinæ inviolabiliter præcipit, ne civis affligat, puniatve civem; ideo *animæ, quæ sunt in Purgatorio, non puniuntur ministerio bonorum Angelorum, quia cives suos non tam vehementer affligerent.*

S. Th. q. de Purg. ar. 5.

Quis puniat animas Purgat.

XXVI. S. Doctor Angelice, si animas Purgatorii neque Angeli boni neque mali excruciant, à quo itaq; castigantur? à quo? ab igne, divinæ instrumento justitiæ. Optimè; sed unde amplius? à popularibus suis & amicis, principaliter autem à consanguineis. An non auditis, qualiter ipsæ mæstissimè consequerantur: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quare persequimini me sicut Deus?* At si animas istas miserabiles justitia divina, consanguinei & populares affligunt; quis horum tortor est omnium atrocissimus? an ardentes flammæ, instrumentum justitiæ divinæ, an amici, an populares?

Iob. 19. v. 21.

Omnes creaturæ compatientes animabus Purgat.

XXVII. Nequeo confeſtim adeo hocce vobis reſolvere dubium, niſi ante diſcuſſerim cauſam & motivum, ob quod animæ Purgatorii tot multiplicent gemitus & querelas contra populares & amicos ſuos. Quam mihi cauſam indaganti, incidit in memoriam, nullam aut in terris aut in cœlis creaturam fuiſſe, quæ in animas Purgatorii pia non exſtiterit & miſericors.

1. Inſenſatæ.

XXVIII. Exordiamur à creaturis inſenſatis. Cruci affixus Salvator, inclinato capite, dum ſuum Patri recommendans ſpiritum, obiiſſet; teſte ſancto Matthæo: *Ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Frontiſpicium templi, ex raris magnisque fabricatum marmoribus, à ſummo uſque deorſum ruptum fuit; univerſalem matrem noſtram (terram dico) inſolitus continuò invaſit tremor, lapides confracti fuēre atque diſſipati. Prodigia hæc fuēre ſanè memorabilia; aſt notate obſecro, inſenſibiles haſce creaturas, ante mortem Salvatoris, ne minimi motus quidem edidiſſe indicium; viderunt eum gravi in humeris oneratum crucis pondere & ſpinâ cinctum coronâ; nullâ autem earum vel minimum edidiſſet doloris indiciolum. Sublato in crucem Salvatore, omnibus ſpectantibus, totaliter ſanguinolento, & lacero, & incomparabili cum verecundia omnino nudo; debuiſſent ubique vel ipſi diſſipari lapides molares, expaveſcere terra, aperiri tumbæ; videntes Deum illum, qui opulento admodum diverſoque amictu campos, montes ferasque circumdat, omni deſtitutum velo, ne minimo quidem tectum amiculo, publico non modò proſpectui, ſed & deſpectui, viliſſimique opprobrio populi expoſitum; & ne quidem vel unica creatura inſenſibilis tam afflicto ſpectaculo commota fuit. Aſt quid? vix Chriſtus ſuos clauſerat oculos, vix mortuus apparuit: *Emiſit ſpiritum*; moxque ſine ulla mora: *velum templi ſciſſum eſt, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.* Quomodo? quid rerum inſenſibilibus accidit creaturis, ut tantam omnes induerint mutationem? an neſcitis Domini mei? volebant inanimatæ iſtæ creaturæ, durique lapides, ſuo modo loquendi, dicere: dum viveret univerſalis omnium noſtrum Dominus, ne quidem acerbiſſimæ etiam paſſiones ejus nos à noſtra potuēre dimovēre conſtantia aut aliquam ingerere doloris ſenſum; aſt in morte ejus, quis ſuam poſſet cohibere afflictionem? nihil nobis naturalis noſtra potuit ſuffragari durities, ſed nimius mæror & pietas, adamantina frigidaque viſcera noſtra calefecit, mediaque diſſipavit: *Petræ ſciſſæ ſunt.* Videte ô dilectiſſimi; ipſa duriſſima ſaxa rupit, terræq; viſcera pandit compaſſio & pietas in mortuum.

Matth. 27. v. 51.

XXIX. Aſt petris; omnibusque inanimatis relictis, à terra in cœlum conſcendamus, vel ab ipſis Angelis, regni illius beati habitatoribus, edocendi, quantam illi in beatos mortuos exerceant clementiam. Tenerrimè plangens ad ſepulchrum CHRISTI Maria Magdalena, nimii adacta amoris impulſu, tumulum inſpexit, duosque vidit Angelos, candidiſſimâ amictos chlamyde: quos putatis hoſce fuiſſe? erant duo Angeli, venerabile illud monumentum ſuis demulcentes obſequiis, qui cœlitus deſcenderant, ut divinum cuſtodirent theſaurum. O piiſſimi ſpiritus, ſummis in cœlum uſque laudibus veſtra ego proſequor obſequia; aſt ignoſcite temerariæ repræhenſioni meæ. Quare adeò tardi acceſſiſtis? quomodo pietas veſtra tam lento ſe gradu inſinuavit? Chri-

2. Angeli.

Marc. 16 v. 6.

Ioan. 20. v. 21.

Chryſ.

Christum vidistis in cruce, vestro summè indigum solatiò; & quare tunc instar plumbi deorsum prolapsi non fuistis? igiturne spinæ illæ, quibus undique cinctus erat, & acutissimi clavi nullum in vobis doloris sensum excitarunt? extremè hîc vestro opus erat subsidio, cur itaque certatim non acurristis, ut ardentem exstingueretis sitim, ut sanguinem debita cum reverentia elueretis, ut profundas plagas balsamis sanaretis cœlestibus? quorsum modò vos sistitis præsentes Christo mortuo, & non potius dum viveret, totusque in cruce langueret vulneratus? Respondere mihi videntur spiritus cœlestes in hunc modum: magna equidem in pectoribus nostris regnat pietas in favorem & subsidium vivorum, ast quando de obsequiis agitur mortuorum, ipsum etiā deserimus cœlum. Laudo responsum vestrum ô Spiritus beati; ast indulgete mihi obsecro, ut, priusquam à sepulchro recedam, cum sancto Chrysostomo vos interrogem: ubi est magnus ille Dominus, qui hoc loco jacuit exstinctus? dicetis utique: *Surrexit, non est hîc.* Bona responsio; quid igitur vos inibi dimoramini? cur non potius resuscitatum Dominum comitati estis, pompas honoraturi triumphorum ejus? ad nihilum hîc amplius deservitis, vestrum implestis officium, sepulchrum vacat; cur vestram non repetitis patriam, gloriam cœlestem? Angelorum loco, divus nobis Chrysostomus respondens, sciatis, inquit, nobilissimos illos spiritus de suo in cœlos reditu minimè amplius sollicitos fuisse: *Sed ut ostenderent, Deum ibi fuisse sepultum, ad sepulchrum tanquam ad cœlum manebant.* Quia mortuis suum semel dedicaverant officium, tantam in exercitio hoc oblectationem experiri cœperunt, ut sepulchrum ipsimet anteponerent cœlo; quasi dicentes: sepulchrum hoc noster amantissimus Paradisus, amœnissimumque cœlum; quamvis enim nullos modò contineat mortuos, ad hoc tamen ut nos illud, veluti alterum appretiemur Paradisum, sufficit ipsum mortuorum fuisse locum. O delicata responsio! videte ô Domini mei, quando in pretio Angeli habeant mortuos beatos.

Marc. 16. v. 6. — *Ioan. 20. v. 21.* — *Chrys.*

XXX. Supra Angelos immediatè, augusta nostra comparet Domina Maria; hæccinè forsan curam abjecit & pietatem exuit in animas defunctorum? audite per salutem vestram, audite, quid ipsamet per os sanctæ Brigittæ dicat: *Ego sum mater Dei, & mater omnium, qui sunt in Purgatorio.* Quo in asserto pro præsenti aliud non considero, nisi quod Maria amorem, quo animas Purgatorii prosequitur, amori assimilare videatur, quo Christum diligit unigenitum filium suum; æqualiter namque se matrem asserit hujus & illarum. Quantus autem est Virginis in Christum amor? impossibile sanè est, ut quis omnes, illos affectus amorosos sufficienter exprimat, quibus & infantem ipsa dilinivit, quosque ad mortem usque postea immuneros multiplicavit: concludere itaque possumus, Mariam flagranti æquè, versùs animam Purgatorii, exarsisse amore, quia *& est mater Dei, & mater omnium, qui sunt in Purgatorio.*

3. S. V. Maria. — S. Brig. in revel.

XXXI. Singulare id equidem est nobis omnibus solatium; ast quid diceretis ô Domini mei, si vobis demonstrarem, Mariam majori quodammodo curâ & sollicitudine uti circa animas Purgatorii, quàm circa ipsum Christum? jocum auscultate inprimis singularem. Canit Ecclesia sancta in Christi natalitiis: *Fœno jacere pertulit, præsepe non abhorruit, & modico lacte pastus est.* Divinus infantulus exili

sustentabatur lacte. Quomodo, pauxillo lacte? casu forsitan lactis tantillum in uberibus virgineis remanserat? nunquid de Virgine asseritur: *Vbere de cœlo pleno?* utique; repræsentabant virgineæ istæ mamillæ duos veluti abundantissimos fontes, quæ per occultos canales lac è cœlo suscipientes, semper intumescebant plenæ & supra modum exundantes; quomodo igitur parvulus JEsus *modico lacte pastus est?* Mariam fortasse tenacem dicemus & parcam nimis, in refocillando dilectissimum filium lacte isto, quod ei tanta cum abundantia cœli subministrabant? ita sane. Virgo Maria, tantam lactis fertilitatem possidens & abundantiam, parcè illud & guttatim Christo conferebat, abundantię tenax, ut hanc postea copiosè animabus profunderet Purgatorii: Ego, dicebat illa, *sum mater Dei & omnium, qui sunt in Purgatorio.* Mater ego sum non unius duntaxat infantis, qui Christus est, sed infinitarum insuper animarum Purgatorii, quæ indesinenter debitum à me flagitant alimentum. Ideò divinum filium meum modico lacte reficio, ut residuum in abundantia inter animas distribuam Purgatorii, meis charissimis pignoribus & dilectissimis filiabus.

4. Christ⁹. XXXII. Sed prætereamus creaturas, tandem ad Christum, supremum viventium caput, devolvendi; specialiter autem hortum ingrediamur Gethsemani, ibi namque incomparabilem Domini, erga purgatorii animas, affectum clarè distinctèque perspiciemus. Trinâ vice, nec plus nec minus, in funesto horto oravit

Matt. 26. v. 44. Salvator, teste S. Matthæo, dum ait: *Iterum abiit & oravit tertiò eundem sermonem.* Ast in qua ex tribus hisce vicibus sanguinem sudavit? communis sanctorum Patrum opinio sustinet, quòd in tertiâ vice; quia S. Lucas stupendum hunc pariter recensensus sudorem (*Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram*) mox immediatè adventum Judæ, Christique subnectit capturam: ita ut Christus, primâ vice genuflexus, apertissima ediderit doloris sui signa, corruendo in vultum suum super terram: *Procidit in faciem suam;* secundâ autem vice similiter impalluerit, tremuerit, expaverit: *Cæpit pavere, tædere & mæstus esse.* At tertiâ vice mæstum ejus animum ita penitus invasit, occupavitque dolor, ut ex omnibus poris ejus sudorem elicuerit sanguineum: *Factus est sudor ejus &c.* Cur Salvator mæstissimus in tertia potius vice sanguinem sudavit, quàm in duabus prioribus? responsum inveniemus in illo, quem magnus P. Augustinus conscripsit librum *de cura habenda pro mortuis*, ubi asserit, tres illas vices, quibus Redemptor oravit in horto, pro tribus hominum statibus fuisse. In prima intercessit pro miserabilibus istis, qui in culpa degunt mortali, fuitque oratio ista formidinis plena & pavoris: *Procidit in faciem suam.* Secunda petitio fuit pro justis, ne reincciderint in peccatum; quæ etiam sollicitatio tristitiâ repleta fuit & timore: *Cæpit pavere, tædere & mæstus esse.* Tertiam verò supplicam pro quibus putabis à Christo oblatam fuisse? Scitisne pro quibus? pro spiritibus in Purgatorii cruciatu squalentibus, inquit S. Augustinus. Notate obsecro; orans Christus primâ & secunda vice, pro vivis, tam peccatoribus quàm justis, graviter quidem afflictus fuit, at citra sudorem sanguineum; in tertiâ autem vice, cogitationibus suis torturas penetrans Purgatorii, vidensque animas illas electas, tantis immersas malis, sine ullo solatio; quid, ait Christus, pro animabus istis adeo afflictis præstabo? deseramne eas tantis in ne-

Marginal notes (right): Luc. 22. v. 44. — Mar. 14. v. 35. v. 33. — S. Aug.

necessitatibus & horroribus? nequaquam; hoc enim innatæ pietati meæ omnino contrarium est. Quid igitur faciam? sufficietne, me iis condoluisse? multò minus, necessitas namq; earum est ingens nimis. Agedum igitur, sanguis egrediatur è venis meis. O animæ afflictæ, scio, excessiva nimium esse mala vestra, ideoq; meo vos sanguine confortate, hic vobis serviat in lavacrum, ad eluendum reatum pœnæ; sit sanguis meus mare purpureum, per quod transeatis usque ad cœlum, sit balsamum vestras consolidans plagas, sit deniq; fons vivus vestram illam omnino exstinguens ardentissimam sitim, ideoque *factus est sudor ejus.* Videte per salutem vestram, ô dilectissimi; quia in toto tam in terris, quàm cœlis dimorantium ordine, omnes compassionem & pietatem exercuêre in beatos mortuos.

XXXIII. Ex hisce facile innotescit, cur animæ Purgatorii adeo doleant & lamententur de popularibus, amicis & consanguineis suis. Videntur namque Spiritus illi beati clamoribus asserere velle: quomodo? ergone possibile est, omnes eos, qui nullam erga nos miserabiles obligationem habent, tantam in nos exercere pietatem? petræ sensu carent & ratione, & nihilominus ex compassione scissæ sunt. Angeli nec humani sunt, nec nostræ participes naturæ, ita ut amici aut consanguinei dici queant; & nihilominus suum ipsi quodammodo deseruêre cœlum, ut miseris nobis præstarent obsequium. Nunquid & augustissima Regina, vera Dei mater, elegit & nostra esse amantissima mater? nonne ipsa dulcissimum suum lac, soli Christo filio ejus debitum, nobis servavit profuditq; in Purgatorio? Quid amplius? ipse Christus, qui nos propter prævaricationes nostras totaliter deserere debuisset, sudore suo sanguineo ardentes flammas nostras frigefacere, penitusq; extinguere attentavit. Si igitur omnes isti, qui nullâ erga nos obligatione tenebantur, tanta nobis præstitêre; quomodo vos soli populares, vos soli amici & consanguinei nostri, qui adeo nobis obstricti estis, omnem penitus nostri memoriam deposuistis? Hæc, hæc ipsa est omnium crudelissima atque atrocissima pœna, quam in obscuro isto carcere experimur. Quòd divina justitia nos flammis castiget atque excruciet, transeat; hæc siquidem pœna est nostris debita erroribus: ast quòd populares, amici & consanguinei nostri, nullâ non lege obligati nos consolari in pœnis nostris, non modò non adjuvent, sed & penitus in ardoribus maximis deseruerint, hoc ipsum est omnium atrocissimum, quod nos conficit, excruciatque tormentum.

XXXIV. Nequeo gradum promovere ulterius; unicam duntaxat vobis denunciabo sententiam, formidabilem nimis, quam sequentibus verbis expressit Haymon, inquiens: *Iusto Dei judicio, æternæ damnationi se subjicit, qui defunctorum immemor, quantum ad auxilia & suffragia, existit.* Haym. Qui pro animabus Purgatorii orare obligatus, earum obliviscitur, certus sit de inferno. Insculpite sententiam hanc cordibus vestris, sufficietque quantum ad diem præsentem.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA TERTIA DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De correctione fraterna.

Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Matth. 18. *vers.* 15.

PROBLEMA

Utrum sacrificium nuncupari debeat magis divinum, magis Deo gratum, nobisque fructuosius; an redemtio animarum à Christo peracta in cruce, aut verò correctio fraterna?

INTRODUCTIO.

I.

CErtam mihi fidem adhibete ô Auditores inter omnes Regii Prophetæ (quorum nullus non difficilis est magnâque plenus doctrinâ) duos illos versiculos, qui in Psalmo 24. & 114. leguntur, Metaphysicam quandam continere, nimis difficilem. Dicit Psalmista regius in primò
Psal. 24. v. 8. loco: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via*; in altero autem loco asserit: *Misericors Dominus &*
Ps. 114. v. 5. *justus, & Deus noster miseretur.* Deus noster adeo augustus est, ut justitiæ dulcedinem, dulcdini associes severitatem: *Dulcis & rectus, misericors & justus.* Domini Metaphysici dicite mihi obsecro: *Duo contradictoria possuntne esse simul vera, respectu ejusdem?* nequaquam, id enim repugnat; bene respondistis, ast nunquid esse justum & misericordem respectu unius subjecti, & esse dulcem & rigorosum in uno eodemque tempore, nunquid apertè sunt contradictoria? utique: quando enim quis est dulcis, non est justus; & dum quis est justus, non est suavis; quomodo igitur asserit David, DEum nostrum simul justum esse & dulcem, misericordem & justum? quid? ergone non auditis, quid Rex subjungat? *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Quia de una eademque persona verificari nequit, eam esse misericordem simul & justam, rigorosam & dulcem, ideo legem quandam universalem Deus imposuit Christiano. Quam legem? correctionem fraternam. Ecce vobis casum in forma. Peccat homo quispiam mor-

mortaliter, moxque Deus illum exuit gratiâ, eum privat Paradiso, jusque ipsi confert ad infernum. Quomodo se Deus gerit in hoc casu? dulcedinem forte consociat misericordiæ? neutiquam; imò cum rigorosa justitia procedit. Sed quid? Auscultate: in eodem tempore legem quandam universalem toti Christianismo promulgat DEUS, volens, ut unusquisque ex obligatione peccatorem deliniat rebellem; jubens, ut singuli admoneant emendationemq; procurent illius infelicis prævaricatoris: *Si peccaverit in te, vade & corripe.* Qualiter se Deus hac in lege habet? ut rigorosus forsitan & justus? minimè equidem; sed dulcem se præbet ac benignum. Bene itaque regius asserit psalmista; DEum nostrum uno eodemque tempore dulcem esse & justum, rigorosum & pium; dum enim quis cadit in peccatum, DEUS castigando illum, exercet justitiam; sed & misericordiam præstat ac dulcedinem, dum vult, ut tali peccatori correctio fiat fraterna atque emendatio ejus procuretur. Quòd si conatu vestro, perque correctionem fraternam, delinquentem reduxeritis ad statum gratiæ; quàm eximium præstabitis opus? sacrificium offeretis Deo gratissimum, quia animam illam lucrabimini, pro qua ipse Deus semet-
Problema. ipsum obtulit in sacrificium. Pater, utrum, ergo sacrificium celebrabitur divinius, DEo gratius, nobisque utilius? an redemptio animarum, quam Christus peregit in cruce? an verò correctio, quàm nos ipsi facimus proximo nostro? Hoc ipsum vobis hodie ob oculos pono problema; tandem etiam conditiones assignabimus, tam in correctionem dante, quàm eam recipiente necessarias: favete mihi hodie, vosquemetipsos corrigite, abstinendo à fabulis, exordientem auscultando per discursum in silentio.

II. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Consideranti apud memetipsum, quanto cum zelo correctionem fraternam executioni mandare debeamus, subitò occurrit illa Christi, per S. Matthæum expressa, auctoritas, ita unumquemque nostrum alloquentis: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid adversùm te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Si casu quo accesseris ad altare, mihi oblaturus sacrificium, ibidemque meminisse incipias, fratrem tuum tibi irratum esse, relicto mox sacrificio, curre animo resoluto, ut amorem tibi reacquiras animi fraterni. Difficultas hujus textus consistit in eo, quòd sacrificium, quale Deo offertur in altari, figura sit Eucharistiæ (loquendo de sacrificio Mosaico) quæ est viva imago alterius repræsentativa sacrificii, quod Christus ipse pro totius mundi peccatis obtulit in Calvario. Nostis vos omnes, in tota Religione nostra Christiana nullum reperiri mysteriũ, sacratius aut excelsius, quòdque offensum Deum magis placare possit, quàm sacrificium altaris, vivè repræsentans Deum crucifixum; quomodo igitur jubet Christus, ut intuitu faciendæ correctionis fraternæ, sacrificium deseratur altaris?

Matth. 5. v. 23.

Frat. correctionis necessitas.

III. Nequeo vobis totalem hujus dubii dare solutionem, nisi ante vobis demonstrem, duplici ex capite dictam correctionem faciendam esse: primò, quia Deus illam præcipit; secundò, quia omnium operationum divinarum hæc in seipsa est dignissima, utpote DEO maximè grata, nobisque summè utilis.

Corr. imperat Deo.

IV. Facienda est correctio fraterna, quia DEUS illam fieri jubet; quàm propterea antiquæ nobis & modernæ recommendant scripturæ, docuerunt lex & Prophetæ, exaggerarunt doctrinæ & exempla, timor inculcavit pœnæ & spes præmii, instinctus suasit naturæ, persuaserunt impulsus gratiæ, intimarunt prælati & privati; propter eam destinati sunt in Ecclesias Episcopi, Principes ad Respublicas, Consiliarii ad populos; judices præfixi curiis, capita familiis, magistri scholis; Prædicatores per Orbem dispersi; ut nimirum singuli eorum virgâ correctionis in & per semitam ducerent justitiæ & rectitudinis, quotquot curæ suæ habent commissos.

A quo facienda.

V. A qua universali lege ne ipsi quidem subditi & inferiores exempti sunt; imò juxta sacrorum Theologorum dogma, & hi pariter officium correctionis fraternæ adimplere tenentur, non modò circa sibi æquales, sed etiam in certis quibusdam casibus, circa proprios prælatos & superiores. Ita novimus, sanctum Paulum fecisse superiori suo, sancto Petro; sic sanctus Joannes Baptista regem suum redarguit Herodem, Stephanus Hebræorum concilium, cui ipse suberat; Nathan Principem suum, Davidem; Elias Achabum, cujus erat subditus; ita Basilius reprehendit Valentem, Ambrosius Theodosium, Chrysostomus Eudoxiam, Gregorius Mauritium; singuli imperatores suos. Ita S. Sebastianus martyr perstrinxit Diocletianum, servus Dominum; Christina patrem suum, nullo non titulo majorem se: tandem magnus P. Augustinus quantumvis sanctum longè excederet Hieronymum, tamen illius minimè recusabat correctionem, dicens: *A minore quolibet non est refugienda vel dedignanda correctio.*

VI. Sed contra objecerit fortè quispiam, non videri hoc præcepto obligatos singulos, sed eos duntaxat, qui offensi sunt; dicit namque Christus hodie: *Si peccaverit in te*; si tu offensus fueris, *vade & corripe.* Qui igitur non fuerint offensi, à præcepto hoc exempti erunt; difficilè equidem est hocce dubium, responsum nihilominus accipite, quod in promptu est. Obligatio correctionis fraternæ omnibus est universalis; assertum declaro similitudine sequenti. Qui offenderet patrem vestrum, nunquid & vos pariter offenderet? utique: quis autem est universalis omnium nostrum pater, nisi ille, cui quotidie dicimus: *Pater noster qui es in cœlis?* Matth. 6. v. 9.
Quisquis igitur per peccatum mortale Deum offendit, nos pariter offendit, adeoque omnes præcepto tenemur correctionis fraternæ. Unde S. Thomas inquit: *Correctio fraterna cadit sub præcepto, secundum quòd est necessaria ad fratris emendationem.* Et S. Augustinus severè invehitur in eum, qui dictam negligit exequi emendationem; dicit enim: *Tu eum vides perire, & negligis? peior es tacendo, quàm ille convitiando.* S. Th. 2. 2. q. 33. a. 2. S. Aug. ser. 26. in Matth. to. 10.

VII. Tanta autem est penes omnes faciendæ correctionis fraternæ obligatio, ut eam omittens, ejusdem fiat peccati reus, quod perpetrat ille quem non corripit. Loquens apud Psalmistam cum peccatore Deus, ita illum aggreditur: *Tu verò odisti disciplinam; si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*; & immediatè postea: *Existimasti inique, quòd ero tui similis; arguam te & statuam contra faciem tuam*; putasti impie, me tibi fore assimi- Psal. 49. v. 17.

similem; sed delusus es, severè namque te castigabo. Ponderemus, obsecro, industriè verba hæc, utpote mysteriosa admodum. Quis tandē adeo barbarus est & insulsꝰ, qui, cum ipse fur sit aut adulter, Deū quoque alterutrius criminis reum audeat pronunciare? possibile equidem est, hominem stultum Dei negare existentiam, teste Psalmistâ, dum ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*; fieri pariter potest, ut impius quispiam iniquè asserat, Deum nō esse justum, quia benefacit peccatoribus & tribulat justos; cæci enim & ignorantes non curant de altis Dei judiciis penetrandis. Transeat etiā, aliquem astruere, quòd Deus nullam hujus mundi inferioris curam gerat; hæreticus enim temerariè asserit: *Super astra cœli perambulat, nec nostra considerat.* Quis autem sibi imaginari poterit, hominem dabilem esse, qui dicat, Deum furem esse aut adulterum? nemo utique; quomodo igitur apud Psalmistam Dominus ait: *Existimasti inique, quòd ero tui similis?* pro responso notetis accuratè, quod dicam. Non ille duntaxat adulter est, qui sanctum matrimonium offendit; sed & ille adulter nominari potest, qui proximū in adulterio depræhendens, eum, cum possit, corrigere negligit. Ita quoq; est fur, non modò ille, qui bona aufert proximi; sed & alius, qui dum furta videt committi, quæ emendare posset, obmutescit. Dicit itaq; Deus: si arbitreris ô peccator, me in adulteria & furta tua consensurum neq; ea correcturum, utiq; tibi similis evaderem fur aut adulter. Ex quo talē formo discursum: si Deus ipse peccatis nostris consentiendo, eorū fieret particeps; consequenter quisquis nostrum commodè proximi peccatū corrigere poterit, illudq; neglexerit, reus efficietur ejusdē peccati; ecce vobis planam S. Basilii doctrinam; *Si in hoc negligens fuerit, & tenendæ patientiæ suæ causâ, id dissimulanter tulerit, taciturnitate illâ peccantis particeps efficitur.*

[Margin: Ps. 13. v. 1. — Iob. 22. v. 14. — Matth. 6. v. 9. — S. Th. 2. 2. q. 33. a. 2. — S. Aug. ser. 26. in Matth. 10. 10. — Psal. 49. v. 17. — S. Bas. in Reg. interrog. 232. apud Nugnez.]

VIII. Ast quo fine Deus omnibus nobis præceptum imposuit correctionis fraternæ? an non sufficiebat altissimum illud dilectionis inimicorum statutum? Ecce vobis secundum punctum. Non sufficit ignoscere adversario, sed & correctio præstanda est; quia omnes inter operationes divinas hæc in se est maximè digna summè Deo grata, nobisque proficua. Est correctio fraterna omnes inter operationes divinas dignior in tali ac tanto gradu, ut gloriosi sancti in cœlo, propter animarum lucrum, ipsam deseruerint Paradisi gloriam; cujus rei testem, ipsum vobis adduco Apostolum, qui sua enumerans præclara facinora, inquit: *Scio hominem, sive intra corpus, sive extra corpus, nescio, raptum hujusmodi usq; ad tertiū cœlū.* Ego, inquit ille, me vidi raptum; at nescio, utrum in spiritu, an verò in hoc mortali corpore meo; id scio, me adeo sublimatum fuisse, ut plurimas stellarum meis habuerim subjectas pedibus, ut plurimos seniores mihi viderim texentes coronam; ut civitatem illam contemplatus fuerim, cui pro pavimento cœlum est, & cui cœlum, gloria est; ut plurima paucis complectar, me quasi beatum arbitrabar. Sed ô fortunatissime Apostole, nunquid distinctè nosti, quousque se tuus extenderit volatus? ita, dicit Paulus: *Usque ad tertium cœlum.* Ast ut verum fatear, non mihi erat animus, ut progrederer ulterius; sed pedem retrahere conveniens duxi. Interim ecce vobis Domini mei, rem prodigiosam nimis: nonne S. Paulus erat ille, qui vero flagrabat desiderio præsentes rumpendi corporis laqueos, ut expeditus

[Margin: 2. Cor. 12. v. 2.]

Differ. inter S. Petr. & S. Paul. &c. cœlum conſcenderet? utique: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Quare igitur modò, dum vix ad tertium pertigit cœlum & ſuum ſenſit puriſſimo gaudio obumbrari

Phil. 1. v. 23. pectus, non modo non quærit progredi ulterius, ſed etiam ſubitò terram repetit. Longè vobis difficilius erit dubium iſtud, ſi comparationem inſtitueritis inter reſolutionem Pauli & aliã quandam viſionem Petri. Exiſtens Apoſtolorum Princeps in monte Thabor, vix exilem attigerat gloriæ radium in transfiguratione Chriſti, moxque inebriatus ait: O DEus meus, ne ab hoc loco recedamus? eſt namque venuſtiſſimum, tantæ claritatis intueri ſolem. Valete, valete ô pulcritudines & venuſtates terrenæ; quæ poterit violentia

Luc. 9. v. 33. me à monti hujus cacumine divellere? *Bonum eſt, nos hîc eſſe.* Videte, quanto Petrus ardeat amore? vel unico ſolo gloriæ radio cônſpecto, è Thabor recedere detrectat; Paulus quid fecit? ad tertium uſque cœlum abreptus erat, cœleſtes jamtum deguſtabat delicias; & non modò non molitur gradum promovere ulterius, ſed quaſi nullâ penitus gloriâ fruitus fuiſſet, confeſtim reverſus eſt in terram. Quid agis ô ſancte Apoſtole? cur non & reliquas ſphæras ſuperaſti? cur non attentaſti ſolio appropinquare divinitatis? ubi nobiliſſimorum inter Seraphinorum ardores totus incineratus, indefectibilem poteras æternare amorem. Vide & intuere generoſam aquilam Petrum, qualiter in contemplatione ſolis Thaborii abſorptus, inde deſcendere abnuat; tu verò, qui ad veram pertigiſti quietem, ad labores & ſudores redire affectas? Forſitan ampliſſimum pectus ſuum gaudii illius incapax erat? Factum hoc accuratè diſcutit

S. Cyr. Al. Catech. 14. S. Cyrillus Alexandrinus, qui & vi gloſſæ ſuæ, totam videtur eluere difficultatem, inquiens; *Deſcendit iterum Paulus, non quòd dignus non eſſet converſatione cœleſti; ſed ut guſtatis ſupercœleſtibus, Chriſtum prædicaret.* Maxima, inquit S. Cyrillus, reluxit charitas in S. Pauli ad terram reditu; ſpeciem facti mihi imaginor ſequentem: pertingens uſque ad tertium cœlum Apoſtolus, ſuos, neſcio quomodo, in terram conjecit oculos, cumque videret, Eccleſiam & innumeras animas alias ſummâ prædicationis, eruditionis & doctrinæ ſuæ neceſſitate laborare ac penuriâ; tanto exarſit zelo, ut decreverit animas illas informare, Deoque repræſentare; cum autem adverteret, cor ſuum propter moram dolore rumpi; nequaquam, dicebat, progrediar ultra, permitte me abire ô Domine, neceſſitas namque fidelium eſt magna nimis. An non vides ô Domine miſeros Corinthios, meam præſtolantes opem? reſpice Philippenſes & Coloſſenſes; nunquid Græciam, millenis involutam erroribus, deſerere potero? Romamne in interitum ruere permittam? Non, non. Redire volo; non mihi ultra cura eſt de gloria, ſufficiat mihi, hucusque pertigiſſe; modò neceſſitas urget, ut ad lucrum deſcendam animarum: *Deſcendit iterum Paulus, ut Chriſtum prædicaret.* *Pſ. 21. v. 26.*

IX. Atque hanc ob cauſam, crediderim ego, Petro macula ignorantiæ inuſta fuit: *Neſciebat, quid diceret.* O Petre, igiturne nimiam ignoras, quam noſtri mundus habet neceſſitatem? quis mortalium corriget errores? ſi nos hoc in monte ſubſtiterimus, certò certius illi peribunt. Ignarus ô Petre, neſciens, quantum importet animas illuſtrare ad ſalutem; ſi enim hoc noſſes, utique nil amplius curares de gloria, neque dixiſſes: *Bonum eſt, nos hîc eſſe.* Deſcendere de mon- *S. Hier.*

monte animarum invigilare saluti, est quid longè fructuosius ipsâ gloriâ.

X. Nimis hucusque exile asserui ad meum intentum: non modò sancti cœlorum incolæ, supernæ renunciant gloriæ, amore lucrandi DEo animas; sed ipsum etiam Verbum, æterni patris filius, juravit, votumque fecit solemne nascendi & tandem moriendi in mundo, eo duntaxat fine ut mundum corrigeret atque animas à peccato eriperet; neque nudo contentus voto, tandem illud totaliter adimpleturus, suam in cruce profudit cum sanguine vitam, ex eo tantùm motivo, ut animas traheret ad Paradisum. Auscultare non pigeat difficillimum quendam Psalmistæ textum, ubi David in persona Verbi ita discurrit: *Vota mea Domino reddam in conspectu timentium Dominum.* (Ps. 21. v. 26.) Debeo executioni mandare, quandocunque demum, quæ Domino feci vota. Quæ emisit vota verbum divinum? mirabile nimis videtur, vota edi à Verbo divino, ipso Dei filio, & quidem qua in materia hic se obligare potuit per votum solemne? ad peregrinationem forte & visitationem locorum sanctorum? Non; quæ enim pars mundi adeo est remota, quam ipse non consecrarit, suum eam adoptans in templum? forte ad omnes vitæ suæ dies & annos religiosæ cuipiam communitati consecrandos? neque hoc; à quo enim claustro capi potuisset immensus? quæ igitur vota Verbum fecit æternum? S. Hieronymus in loci hujus commentario respondet, dicens: (S. Hier.) *Vota Christi sunt nativitas & passio.* Duo & non plura emisit Filius Dei vota; scilicet de nascendo in mundo & postea moriendo. Sed ô sancte Deus, transeat, ipsum in mundo nasci & tandem mori decrevisse; ast quæ voti erat necessitas? ecce vobis dubii solutionem, humanæ nostræ conformatam intelligentiæ. Reformidabat Verbum æternum, ne sua quandoque impedirentur dilata nimis desideria, forte quia prævidebat, Spiritum quempiam elevatum destinare descendere in mundum, ut elisæ succurreret naturæ humanæ. Itane? dicebant Verbum; nequaquam ita fiet, nolo ut quisquam præter me lucro se ingerat animarum; mihi soli reservatum est hoc opus insigne, ideoque volo me totaliter obligare, ut omnis regressui præcludatur locus. Votum emitto solemne, & cum juramento promitto, quòd primò me carne mortali vestiturus sim; postea autem cùm per 33. annos, vitâ, doctrinâ & exemplis meis Mundum instruxero atque correxero, vitam terminabo in cruce, ut animas transferam in Paradisum.

XI. Sed gradum siste Domine mi; quò abriperis, tuæ immemor Majestatis? considera, quid imperium deceat excellentiæ tuæ divinæ; non videtur conveniens, ut Rex supremus ibi agat personam, ubi nullus nisi momentaneus est triumphus. Quomodo? tu miserâ te carne vestires, qui cœlos omnes suis induis splendoribus? Tu qui in Empyreo annos vivis immortales, annos in mundo assumeres laborum? qualiter in animum tuum inducere potes, ut tu mortem subeas, & hanc quidem in infami ligno, tu inquam, qui absolutum geris imperium vitæ? Mitte duntaxat Angelum; nunquid enim Spiritus illi elevati officio fungi noverint animas lucrandi & acquirendi cœlo? Nequaquam, dicit Dominus; antiquitus quidem omnes provincias, expeditiones & negotia gravissima semper commisi Angelis: ast hoc salutis animarum opus tantam in se continet dignitatem & difficultatem, excellentiam & momentum, ut illud nulli alteri com-

mittere velim; Angelis quæcunque alia imponantur negotia, hoc autem salutis animarum ego ipse in persona mea exequi volo, absq; omni excellentiæ & majestatis meæ respectu, pro nihilo ducens atrocissimâ quâcunq; mortē, modò à peccatis redimā animas. Videte per salutem vestrā, quanti pretii & valoris sit negotium salutis animarum; quandoquidem ipse Dei filius nimio hujus exercitii absorptus desiderio, non dubitavit suam cum sanguine prodigere vitam & subjici morti.

XII. Quem inter discursum, alia quædam, notabilis admodum, menti meæ occurrit correctionis fraternæ excellentia. Nonne Verbum divinum votum emisit solemne, humanam assumendi naturam, ut mundum corrigeret; ac tandem moriendi, ut animas salvaret? nemo dubitat. Videte autem, quanta cum vigilantia quantoque cum zelo, exercitium frequentarit correctionis; nondum carnem assumpserat humanam, imò cæptâ vix creatione, correctionem inchoavit peccati, ut animas retraheret à crimine. Quid non dixit, quid nostris non præstitit protoparentibus, uniuscujusque redarguens transgressionem? Deinde successu temporis, per tot sæculorum decursus, nihil aliud fecit, quàm per os Prophetarum repræhendere malum. Appropinquante autem plenitudine temporum, personaliter decrevit ingredi mundum, ut corrigeret omnes, in peccatum prolapsos. Tantam verò ut demonstraret, se nihil in vita sua attentasse, quàm correctionem & repræhensionem vitii, dum à morte resuscitatus, jam jam suum in cœlos meditaretur ascensum, repræhendit Apostolos: *Et exprobravit incredulitatem eorum & duritiam* Marc. 16. v. 14. *cordis.* An non videtis, quanta cum industria & zelo Filius DEI correctioni studuerit fraternæ? Animum applicate speculationi meæ. Postea igitur ad dextram gloriosus transiit paternam; sed quo fine? scitisne quare? ut ejus loco Ioan. 16. v. 7. descenderet Spiritus sanctus: *Nisi enim abiero, Paraclitus non veniet; cum autem abiero, mittam eum ad vos.* Domine, quæ est necessitas, ut veniat Spiritus S.? quæ necessitas? v. 8. *Cum venerit Paraclitus, arguet mundum de peccato.* Necessum est, ut Spiritus sanctus descendat ad corrigendum mundum. Subintrans hoc loco magnus P. Augustinus, non sine admiratione Aug. interrogat, dicens: *Nunquid Christus non arguit mundum*; Si Christus non fecit aliud in mundo, præterquam mundi repræhendere vitia; ad quid eo fine Spiritum S. descendere necessum erat.

Cur post resurr. venerit Sp. S. §. 14.

Corrigere est amare.

XIII. Notate obsecro: correctio fraterna actus est amoris purissimi, imò unicum divini amoris indicium. Si proximum amas, atque omni prætermissâ correctione fraterna, eum permiseris squalere in peccato, non agis verum Dei amatorem; dum enim vulnus sanare negligis in corde proximi residuum per peccatum, tu in Dei consentis offensam; major Dei amator est ille, qui corrigit quàm qui ignoscit; hic enim suo duntaxat parcit inimico, ast eum in peccato relinquit: ille autem non modò remittit culpam, sed & salutem procurat proximi; hancque promovendo, se verum probat amantem Dei, mediâ namque correctione, Dei tollit offensam. Audite, qualiter totum hoc in verbis sequentibus magnus expresserit P. Augustinus: *Quare fratrem corripis? quia doles quòd peccaverit in te? absit; si amore tui hoc facis, nihil facis; si amore Dei facis, optimè facis.* S. Aug. ser. 6. de verbis Dom.

Quan-

Quando in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis; nam gloriosum est injurias oblivisci; sed oblivisci injuriam tuam, non vulnus fratris tui.

XIV. Supposito itaque, correctionem fraternam actum esse amoris divini; quis post discessum Christi hoc correctoris officium, melius subire poterat, quàm divinus ille Spiritus, qui est purissimus amor? Advertatis: Si Filius Dei propter correctionem, omnia sua prodigit, vitam, sanguinem & divinitatem; Sanctus quoque Spiritus omnia sua impendit in correctionem: quid autem proprium possidet Spiritus S.? Amorem; cum igitur correctio sit purissimus quidam Dei amor, sequitur utique, eum à Spiritu sancto propter correctionem impensum fuisse, utpote proprium ipsi.

XV. At si Verbum divinum propter correctionem, suam prodegit vitam, & Spiritus sanctus, eodem functurus munere, summa cum satisfactione totum suum esse, quod est esse amoris impendit; Patrem fortè in animarum salutem nihil operatum fuisse dixerimus? in præsenti ponderationem excipite, nullo non judicio peregregiam. Pro quanto pretio Judas vendidit Christum? pro 30. argenteis. O infamis præditor! quomodo? Magdalenæ odoramentum dignum reputasti valore 300. aureorum; hanc autem personam infinitam, in qua *plenitudo divinitatis* habitabat, quæ pretio valet infinito, pro 30. divendis argenteis? Ne admiremini ô Auditores non Judas vendidit Christum, sed simplicem duntaxat hac in parte egit proxenetam; quis igitur principalis fuit venditor Christi? scitisne quis? Pater æternus. Hic actum ursit venditionis in cancellaria seu tabulario æternitatis: *Qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Postea autem in plenitudine temporum, actio executioni mandata fuit, mediante Judâ. Ast vel hoc ipsum citra omnem mensuram novo me replet stupore: quis enim unigeniti Dei filii valorem melius cognoscebat, quàm ipse Pater æternus? O summe, sempiterneque pater, quandoquidem decrevisti tuum vendere filium, ipsamque venalem exponere Deitatem, æquali saltem pro pretio eum commuta; quorsum pro nihilo prodiges infiniti personam pretii? An nescitis ô Domini mei, quòd pro re quapiam rara, in tempore necessitatis, pretiosissimi etiã expendantur thesauri? quoties non incomparabilis valoris gemmæ pro nihilo erogatæ sunt, tantummodo ut res obtineretur dilecta? Notate successum rei, videbat æternus Pater extremam mundi necessitatem, in tyrannide squalentis peccatorum; tot conspiciebat à se creatas animas tantis immersas culpis: Quid faciam? dicebat; permittamne animas istas perire? nequaquam; necessum est, ut meum ego filium divendam, quem licet sciam infiniti esse pretii, nihilominus, ut mundi assequar correctionem, animarumque salus, quantum possibile est, acceleretur, vendatur subitò hic filius meus pro eo, quod reperitur pretium, agedum fiat contractus mediante Judâ. Advertite per vitam vestram, quantũ Patri æterno emendatio placuerit & correctio animarum.

XVI. Verum enimverò quomodo potero ego sufficienter & plenè dignitatem vobis exhibere & pretium correctionis, nisi ante animæ illius, quæ per tale opus acquiritur, valorem vobis demonstravero. Quantum putatis pretium esse animæ illius, quæ à peccato revertitur ad gratiæ statum? si justa in trutina, raræ & pretiosæ hujus gemmæ pon-

Marginalia: [Io]an. 16. v. 7. | [...] S. Cur post resurr. venerit Sp. S. [...] 14. | Aug. | Corrigere est amare. | Colos. 2. v. 9. | S. Aug. ser. [...] de ver[bis] Dom. | Rom. 8. v. 32. | Pretium animæ pœnit.

pondus dignoscere vultis, non pigeat quendam mecum annotare Isaiæ textum, in quo Propheta inquit: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ factæ sunt.* Ubi particula ista *momentū* annotanda occurrit, quæ propriè pondus illud significat, quod uni bilancis parti imponitur ad dignoscendum valorem illius rei, quæ venditur aut comparatur; id quod S. Cyrillus Alexandrinus hisce verbis expressit: *Momentum stateræ ad æqualitatem redigit, quod emitur & venditur.* Revocate in memoriam vestram ô Auditores Salvatoris crucem ab Ecclesia sancta stateram nuncupari, dicit enim: *Statera facti corporis*; in ea enim Filium Dei & pretiosum illius sanguinem, ad comparandam animam fidelem, justitia ponderavit divina. Quem conceptum Eucherius Lugdunensis in hæc doctissimè verba expressit: *In hac ergo crucis trutina, non aurum, non argentum, non corpus aliquod angelicum, sed semetipsum passus est salutis auctor appendi.* Hoc supposito, accedit Isaias & de animabus loquens humanis, quomodo eas intitulat: *Ecce gentes quasi momentum stateræ.* q. d. Id quod infinitam adæquare potest Redemptoris & infiniti corporis ejus molem, est certè anima humana; ita ut, si in una trutinæ parte collocaretur Verbum divinum cum omnibus suis operationibus divinis, cum gravissimis suis tormentis & pretioso sanguine, nec non cum infinito meritò suo; imò cum infinito isto amore, quo Spiritus sanctus, Mundum hunc correcturus, descendit: ex alia verò parte, sola poneretur anima humana, quæ est *momentum stateræ*; videatur trutina omnino æqualis; adeo ut neque Redemptor, neque Spiritus sanctus quidquam reperire posset, quod trutinā dictā æquaret atq; in pleno constitueret æquilibrio, præter animam humanam, tanto gravem pondere, quantum ipse importat amans Deus. O anima fidelis, quantus est valor tuus? Ausculta, quam delicatè hunc tibi conceptum expresserit Pater Velasquez, dum ait: *Non nisi divinitate quodammodo metiendus est homo, quippe qui in statera cum DEo expensus, adeo sit momentosus, ut bilances dirigere videatur.*

Isa. 40. v. 15.

Crux statera.

Euch. Lu. ho 2. Symb.

Vel. in Epist. ad Philip.

XVII. Si itaque tantus est animæ christianæ valor, quàm divina erit actio illa, quando quis nostrum mediā correctione fraternā, DEo ipsam acquisierit & lucratus fuerit? sed ecce dum progredi festino, correctionis mihi fructus occurrunt, dominationibus vestris mox communicandi. Scitisne, quid evadat corrector? Patris æterni collega, coadjutor Christi, vicarius seu locum tenens Spiritus sancti.

Fructus correctionis.

XVIII. Vultisne collegam videre Patris æterni? teste S. Augustino: *Majus est de impio facere pium, quàm creare cœlum & terram*; quam ut vobis authoritatem explanem, vos ego interrogo: cui attribuitur omnipotentia? citra dubium Patri æterno: *Credo in DEum Patrem omnipotentem.* In quo autem manifestatur omnipotentia Patris? in creatione, quæ virtutem requirit infinitam, propter rationem doctis notam. Quid existimatis, præstat ille, qui suum corrigit fratrem, eumque reducit à peccati statu? novam quandam operatur creationem. Ecce vobis scripturam. Dum Abraham suam peregrinaturus desereret terram, secum duxit, ut ait textus, *omnes animas, quas fecerat in Aran*, quis est iste loquendi modus? si dixisset: *omnes homines*, intelligi potuisset de generatis ab Abrahamo filiis; ast nullum præter Isaac, filium habebat, & ne hunc quidem genuerat in Aran; sed dicit Deus: *Omnes*

D. Aug.

Gen. 12. v. 5.

Omnes animas quas fecerat in Aran. Nonne anima per creationem producitur, suum nacta esse ex nihilo? nemo dubitat; creatio autem nequit communicari creaturæ; quomodo igitur asserit scriptura: *Animas, quas fecerat in Aran?* Nicolaus Lyranus in loci hujus expositione, respondet: *Animas, quas fecerat, id est, viros ac mulieres, quos de idololatria converterat ad cultum veri Dei.* Abrabam animas abstraxerat & alienarat ab idololatria per correctionem & industriã suam; tantum autẽ est retrahere eas à malo quantum creare ipsas. Forte nova non exercetur creatio, dum reus à peccato exiens, ad statum redit gratiæ? ita sanè affirmat David, inquit: *Cor mundum crea in me DEus.* Abraham itaque gentem illam ab idololatria retrahens, eas quasi omninò creavit; ideoque dicitur: *Animas quas fecerat.* Corrector igitur nominari potest creator, & consequenter cum creatio Patri æterno attribuatur, corrector nuncupari poterit æterni Patris collega.

Nic. Lyr.

Corr. est creatio.

Ps. 50. v. 12.

Creationem vincit.

XIX. Ast minimè hocce contentus sanctus P. Augustinus, ulterius progreditur, dicens: *Majus est, de impio facere pium, quàm creare cœlum & terram.* Conversio & justificatio vel unius peccatoris, opus est, ipsâ cœli terræque creatione præstantius: in creatione enim nulla adest resistentia ex parte creaturæ; in justificatione autem, dum peccator convertitur, potest ex parte hujus oriri resistentia; corrector itaque Patri æterno non modò evadit similis, sed & opus perpetrat, ipsâ prodigiosius creatione.

XX. Vultisne, correctorem modò in similitudine Filii Dei contemplari? quod præmium creditis illum recipere à Deo, qui correctionem adimplet, salutemque procurat animarum. Audite quid per Jeremiam dicat Dominus: *Si lucratus fueris fratrem tuum & separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Quod est os Patris? Filius ejus, per quem veluti per os suum nos allocutus fuit: *Locutus est nobis in Filio.* Dicit itaque Dominus: Si tu pretiosam nimis animam à vilitate separaveris peccati, eris quasi filius meus.

Ier. 15. v. 19.

Hebr. 1. v. 2.

XXI. Clariusne perspicere placet similitudinem, quam corrector habet cum Filio Dei? Avertite, quòd ipsemet Redemptor manifestius non habuerit signum, quo se æterni Patris Filium & divinam Personam probaret esse, quàm studium, quod in animabus salvandis & lucrandis collocavit; si enim in Mundum venisset sine dicto salutis animarum officio, pauci, vel ut verius loquar, ne unus quidem cognovisset ipsum DEum esse. Admoniti Magi de Christi nativitate, sine ulla mora se ad iter accinxerunt, ductumque sequentes sideris, tandem pertigerunt ad locum, ubi infantulus morabatur divinus; hîc igitur subsistente stellâ, hospitium ingressi, infantem ut viderunt, debitâ pleni reverentiâ, procumbentes, latriæ culu eum honorarunt: *Et procidentes, adoraverunt eum.* Relinquamus hîc prostratos obsequiosos istos Principes.

Matt. 2. v. 11.

XXII. Alias investigaturi personas, non regalis palatii, sed rustici incolas tugurii. Admoniti ab Angelo certi quidam pastores confestim gurgustiolum petierunt Bethlehemiticum, quod cum intrassent, blandissimum reperêre infantulum, quem & signis ab Angelo datis agnoverunt: *Invenietis infantem, positum in præsipio:* eumque cum Virgine curiosè & cum admiratione contemplati fuêre; neque aliud Scriptura de pastoribus illis commemorat, nisi hoc quod sequitur: *Reversi sunt pastores;* nullâ factâ mentione adorationis ab iis præstitæ; res certè admiratione digna-

Luc. 2. v. 12.

Luc. 2. v. 20.

gna. Quomodo enim? Principes illi præclaro sanguine orti, videntes infantem, stupore & veneratione plurimâ, mox humillimè in terram prostrati, eum adorarunt: *Procidentes, adoraverunt eum.* Pastores autem sine ulla obsequii exhibitione & absque debita submissione in divini infantis conspectum se ingerunt, moxque recedunt? pastores isti, quos informaverat Angelus & harmonia angelica, & consequenter certò sciebant infantis illius majestatem: sique nihil horum aut aliud quid simile præcessisset, possibilene fuit, pastores in rudibus præcordiis suis nullam sensisse vim aut commotionem à delitescente causatam divinitate? O fortunatissimi pastores, videte venustissimum istum vultum, cœlorum speculum, inspicite frontem, cujus splendor meram spirat majestatem; contemplamini labra, quorum risus radius est Paradisi. Præsepium, panni & fasciæ quid sunt, nisi res divinæ? prosternite itaque vos in terram, & trementes tremulum adorate Deum. Ne vobis persuaseritis, respondet S. Bernardus, pastores debito suo defuisse; adorarunt & ipsi natum Deum infantem, ast cum differentia voluêre Evangelistæ recensere id, quod præstiterant Magi, & pastores, ut nobis absconditum patefacerent mysterium. Notate inquit sanctus, quia quando venerunt Magi, divinus pusio jamtum circumcisus erat; nam *post dies octo factum est, ut circumcideretur puer*; & consequenter ei jamtum impositum erat nomen Jesu, id est, Salvatoris; quòd insinuabat, eum venisse in mundum, ut salvaret animas: tantam igitur lucem atque splendorem secum importabat hicce titulus & officium lucrandi, Deoque acquirendi animas, ut tunc veraciter in vultu ejus visa fuerit quasi coruscare propria ipsius divinitas, & ipsemet appareret. In adventu autem pastorum, cum nondum haberet venerabile illud Salvatoris nomen & titulum, quantumvis verè Deus esset, & non alius; nihilominus divina ejus excellentia non innotescebat forinsecus: ideoque divina scriptura, dum de Magis loquitur; profundissimarum inclinationũ & humilissimarũ meminit reverentiarum, taciturna circa pastores. Ecce vobis sancti Bernardi verba: *Indicavit profectò gloriam majestatis Verbi Dei in carne sacratissimum nomen, & ipso acclamante nomine, procidentes adoraverunt, oblatis tandem muneribus, venerantur ut Deum.* Corrector itaque & qui salutem procurat animarum, sine mensura, ad æterni Patris, Verbiq; incarnati pertingat similitudinẽ.

Tempus adventus trium Regum. *Luc. 2. v. 21.*

S. Bern. ser. 1. de Circumc.

XXIII. Quis porro negare poterit, correctorem Spiritui sancto perassimilari? nunquid Spiritus sanctus amor est, à patre & Filiò procedens? utique, hoc ipsum de fide est: quid autem est correctio fraterna, nisi purissimi actus amoris? id quod paulo ante probavimus. Quisquis igitur correctionem exercet, animasque Deo lucratur, Spiritui sancto similis evadit.

XXIV. Tempus nunc urget resolvendi problematis utrum sacrificium, sit dignius, DEO gratius, nobisque fructuosius; an redemptio animarũ, à Christo peracta in monte Calvariæ super cruce; an correctio fraterna? Nemo dubitat, quin in sacrificio crucis, ex parte quidem Christi copiosissimus fuerit profusus sanguis, ast ex parte crucifixorum infinita intervenêre peccata: quid autem in correctione fraterna? hæc sanguinem recuperat Christi & destruit peccatum. Insuper qui sacrificium obit sine correctione, perfecto caret amore, quia scilicet

licet fratrem in offensa Dei inveterascere sinit; qui autem officio fungitur correctoris, perfectissimum se probat Dei amatorem. Concludite igitur cum Dionysio Areopagita, dicentes: *Omnium divinorum divinissimum est, cooperari DEo ad salutem animarum.* Correctio fraterna est Soror charitatis, ut igitur vos ad correctionem fraternam peragendam probetis inclinatos, charitatem in præsenti exhibete pauperibus: ego interim spiritum tantisper resumam.

SECUNDA PARS.

XXV. TAnto DEus flagrat cordis nostri amore, ut hodie omnibus nobis præcipiat, tollere illud à proximo nostro; dicit enim: *Corripe*; quod idem importare videtur, ac: *Corrape*; hoc supposito, ecce vobis curiosum diei crastinæ problema. Uter magis est monstruosus plusque oculis displicet divinis? an peccator, qui operatur sine corde & tot' est lingua; an verò diabol' in inferno?

XXVI. Prosequamur modò telam texere præsentis discursus; primò conditiones examinaturi, corrigenti necessarias. Quid asserit David? *Corripiet me justus, & increpabit me.* Peccator forsitan aliquem ex correctione fructum eliciet nunquam: id omninò impossibile est. Abulensis ingeniosissimam quandam movet difficultatem in persona Salvatoris, baptizati, in Jordane transfigurantis se in monte Thabor. In Utroque loco vox patris insonuit, dicentis: *Hic est filius dilectus, in quo mihi bene complacui,* Ast in vertice thaborio aliquid superadditum fuit, non expressum in fluvio Jordanis. Super Thabor enim Pater ait æternus: *Hic est filius meus dictus*, moxque adjunxit: *ipsum audite*; quæ ultima verba non fuerunt audita ad Jordanem. Quærit itaque Abulensis: *Cur ita factum est?* Nunquid est unus idemque Dei filius, baptizatus in Jordane & transfiguratus super Thabor; sine dubio; itaque *cur ita factum est?* Respondet quidam doctus pater, quòd baptizatus in Jordane Christus, statum repræsentabat peccatoris; in cacumine autem montis (utpote ubi *resplenduit facies ejus sicut sol*) in candore fulgebat sanctitatis; per quod, judicio meo, Pater æternus quasi docere voluit; peccatorem neque alios corrigere debere, neque corrigentem audiendum esse. *Christus Dominus*, ait citatus auctor, *in baptismo quandam peccatoris imaginem praferebat, in transfiguratione verò summam prædicatoris sanctitatem; quo ex discrimine summus Pater significare voluit, nullam labem, sed summam innocentiam in eo esse oportere, qui aliis audiendus proponatur.*

XXVII. Et quidem cur arbitramini voluisse Christum, ut aquæ converterentur in vinum, in nuptiis in Cana Gallilæa: nunquid non vasa ista vino replere poterat, nullâ præviâ aquarum conversione? utique, dicit Eusebius Emyssenus: sed quia *quodammodo in aquis ipsis similitudo baptismi regenerationis exponitur, ideo mutantur subitò aquæ, homines postmodum mutaturæ.* Aquæ in vinum conversæ, figuræ fuerunt aquarum baptismalium; sicut igitur hæ, ut homines convertant in filios Dei, primò convertuntur in vinum; ita impossibile est, ut quis corrigens, animâ convertat fratris sui, nisi ipse primò ad statũ transierit sanitatis.

XXVIII. Sanctitatem correctoris concomitari debet secretũ; dicente Christo: *Corripe eum inter te & ipsum solum*; id est,

Ps. 140. v. 5.
Correctoris conditiones.
Matt. 3. v. 17.
Mar. 9. v. 6.
Abul. in c. 17. Matth. q. 60.
Mendoz. in lib. Reg. c. 3. n. 21.
Ioan. 2. v. 9.
Eus. Em. ho. 2. de Epip.

S. Aug. to. 10. ser. 16. *non palam sed in secreto*, inquit S. Augustinus. At si Christus correctionem fieri jubet in secreto, quomodo Apostolus Timotheo præcipit, dicens: *Peccatores coram omnibus argue?* (1. Tim. 5. v. 20.) *Nunquid ergò aliud judex nuntiat, & aliud præco clamat?* Dubium hocce nobis sanctus Anselmus taliter resolvit: (S. Ans. in 1. ad Tim.) (Correctio qualis sit oportet.) vel enim peccatum proximi est publicum, vel secretum? si primum, publicè repræhendas *coram omnibus*; si secundum: *Inter te & ipsum solum.*

XXIX. Sanctitatem & secretum comitetur oportet amor; nunquid enim abundè probavi, correctionem actum esse amoris divini? utique; quisquis igitur correctioni vacat cum desiderio lucrandi anim fratris, totus charitate vestri debet, suavibusque verbis animum captivare proximi, in peccatore sordescentis. Ecce vobis depromptas, quæ requiruntur in correctore conditiones.

XXX. In correcto autem quid exigigitur? scitisne quid? necessum est, correctionem bono suscipiat corde: sed heu mihi; hodie idem ferè fuerit, colaphum impingere ac aliquod proferre correctionis verbum. Si quis v. g. Religiosus, honoris divini zelo succensus, animam attentet ex obscuro liberare peccati carcere; mille reus injurias, mille servo Dei eructabit improperia. Sed attendat & videat unusquisque vestrum, qualem talis prævaricator sortiatur exitum. O sapiens, dic nobis: *Viro, qui corripientem se durâ cervice contendit*, quid eveniet? (Prov. 29. v. 1.) O miserum! *repentinus ei superveniet interitus*; morte subitaneâ delebitur, corporis & animæ patiens jacturam.

XXXI. Animæ delectissimæ, correctio adimplenda est, tum quia illam præcipit Deus, tum quia actio est in se dignissima, Deo plurimum grata, nobisque summè fructuosa. Qui correctorem agit, justus sit oportet atque à peccato liber; & reprehensus, bono humilique corde admonitionem recipiat, necessum est. Vultisne autem, ut hucusque dicta uno terminem verbo? audite magni P. Augustini doctrinam: *Dilige ô homo, & poteris dicere, quidquid voles.* (S. Aug.) Charitate polleas, quisquis corrigis; & suum consequetur finem correctio: majestatem ames Dei offensi, bonum diligas animarum, pretioso Christi sanguine recuperatarum; te denique ipsum ames, ne suo correctio frustretur effectu; in his si defeceris? totum perdidisti; his si parueris, dicito, quidquid placuerit: *Dilige, & dic quidquid voles*; totum namque cedet ad Dei gloriam; vade in pace.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUARTA DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De hypocrisi & detractione proximi.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me Matth. 15. v. 8.

PROBLEMA

Uter sit monstruosior, divinisque ingratior oculis; an peccator ille; qui sine corde vivit, totusque lingua est; an verò diabolus in inferno?

INTRODUCTIO.

I.

COnfiteamur oportet ô Auditores & tanquam veritatem infallibilem admittamus, cor creatum angustam nimis sedem esse, quàm ut duos dominos capere possit; esse nimis exilem campum, quàm ut duos admittere queat bellatores: unde, crediderim ego nascitur vulgare illud, ast sapientissimum assertum: *Nequit unâ sede morari majestas & amor.* Impossibile est, ut una moles corporea plures sustentet animas; ut angusta vestis plura cooperiat corpora, ut coarctatus rivulus in loca diversa suam dispergat aquam, ut alius cum Sole præsenti nostrum illuminet hemisphærium, ut unum idemque corpus à pluribus circumscribatur locis; propter eandem quoque causam non modò difficile, sed & impossibile, ut in uno eodemq; corde duplex simul moretur amor. Plurimum itaq; deciperis, quisquis es, vir aut mulier, qui tibi persuades, te posse in una simul hora, in uno simul momento, eodemque tempore Deum amare & mundum; absque eo, quòd in divino pectore intensam causes zelotypiam; tantus namq; æmulator Deus est, ut qualemcunq; in objecti adamati corde recuset amoris consortem, totalem sibi soli vendicans possessionem, ut oderit extremè, si objectum dilectum ab aliis manibus, præterquam à suis, ulla recipiat dona aut acceptet munuscula. Et quidē cur fieri existimatis, ut vos Deus vestris sæpe exuat divitiis, nisi ex zelotypia? cur vobis filios multoties subtrahit & consanguineos, nō nisi quia zelotyp⁹ est? & tandē cur vestrâ vos destituit sanitate, nisi quia solus à vobis amari desiderat? nisi quia vult, se solum à vobis diligi ex toto corde?

II. At si deformis ille dicendus est, qui DEUM amat sine corde, quantò fædior & indignior erit ille, qui aliud circumfert in corde, & aliud exprimit ore? Tam abominabile, tamque horrendum monstrum est hicce abusus in vita corporali, scilicet quòd cor non correspondeat linguæ, ut nihil horribilius cogitari queat; quid ni igitur & res erit turpissima, si in vita spirituali aliud lingua loquatur, & aliud cor sentiat?

III. Hanc hodiernum evangelium patefacit deformitatem; dicunt enim ad Christum Pharisæi: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus, cum panem manducant.* Domine, discipuli tui manifesti sunt prævaricatores veterum observantiarum, prandentes sine prævia manuum lotione. Ast Christus mox iis respondit, dicens; ô hypocritæ, externum mihi tribuitis sine interno? linguâ me honoratis, quem corde odistis: *Quare & vos transgredimini mandatum DEI?* vos estis populus iste indignus, *qui labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Non volo ego solum externum, sed simul etiam cor ipsum; sine quo quæcunque alia res omninò nulla est.

Matth. 15. v. 2.

v. 3.

Problem. Non igitur displiceat vobis ô Auditores si curiosum quoddam vobis hodie exhibuero problema; scilicet uter sit deformior & divinis ingratior oculis; an peccatòr, solam habens sine corde linguam; an verò diabolus; hoc ipsum in prima parte discutiemus, in secunda deinde visuri malitiam ejus, qui quidem cor habet, at in damnum proximi totus est lingua. Quandoquidem verò hodie de corde & lingua sermo erit; vos ex parte vestra, in auscultando me, cor applicate; & ego in servitium vestrum, vobis prædicaturus, applicabo linguam: exordiamur.

IV. Avertat Deus ô Auditores ne ei serviatis sine corde. Quid est ille, qui sine corde DEO famulatur? hypocrita; quid autē rei est hypocrita? Est monstruosissimus inter monstra, pejor damnatis, pessimus inter dæmones. Non exordiar discursum hunc à probatione ordinaria, sed ab ipsiusmet Christi authoritate, per S. Joannem dicentis: *Vtinam aut calidus esset aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Loci hujus difficultas consistit in eo, quòd per totaliter calidum intelligatur ille, qui totus est Dei, per totaliter autem frigidum, qui totus est dæmonis; per tepidum verò hypocrita, qui forinsecus calidus, & videtur esse Dei; intrinsecus autem frigidus est, & totus mundi. Sed quomodo mi Domine, ergone plus tibi displicet hypocrita, quàm ipse diabolus? quid hocce rerum?

Hyp. pejor dæmone.

Apoc. 3. v. 15.

V. Necessum est, subtiliter discutere, quid sit hypocrita? S. Gregorius eum ita describit: *Hypocritæ in facie quod ostendunt, ex ratione sanctitatis est; sed bestiale est corpus, quod sequitur; quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur.* Ubi notanda est particula ista *bestiale.* q. d. Estne aliud forsan hypocrita, præterquam bestia, faciem præseferens humanam? eodem prosus colore ipsum depingit S. Ambrosius, dum ait: *Sunt enim hypocritæ bestiales feræ, formâ hominum indutæ, de quibus dicit Dominus: attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ast si hypocrita bestia est, eum monstrum esse fortè astruemus? utique, ne dubitetis hoc eum nomine compellare; in vita spirituali, hypocrita monstrum est horrendum, quia forinsecus bonitatem præsefert, intrinsecus autem traditor est Christi.

S. Gre. l. 9. mor. c. 2. & 11.

Hypoc. monstrũ.

S. Ambr. l. 6. exam. c. 8.

VI. Mat-

VI. Matthæi evangelium ingressi sumus, eidem immoremur; Christus in ultima cœna ad discipulos suos conversus, ait: *Unus vestrum me traditurus est*: moxque omnes *contristati valde, cæperunt singuli dicere; nunquid ego sum Domine?* Domine, dicebat Petrus, ego forsan flagitium hoc admittam? non, non. Quis igitur? *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet.* Ponderemus obsecro hæc Christi verba. Aut in illa sacrata mensa unus duntaxat catinus erat, ex quo manducabant omnes? & hoc dici nequit, aliàs enim asserendo Dominus (*qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*) designasset discipulos omnes esse traditores. Aut verò singuli convivæ suam habebant paropsidem? quo dato, quæ tanta illa fuit Judæ temeritas, ut manum suam ad paropsidem Christi extendere auderet? Notate circumstantias; dixerat Christus: *Unus vestrum me traditurus est*; Judas itaque ut se à traditionis suspicione eximeret, seque Christi probaret confæderatum, manum suam paropsidi immisit magistri sui. Ecce vobis ipsa, qui hunc conceptum efformavit, sancti Hieronymi verba: *Manum cum magistro misit in paropsidem, ut audacem bonam conscientiam mentiretur.* Quòt, prô dolor, reperire fuerit, qui noctu millenos admittant defectus; die autem sequenti, ut se sanctos & innocentes probent, manum suam super altare sacrum extendere audeant? ô traditores infames!

Matt. 26. v. 21. & v. 22.

Hyp. traditor.

v. 23.

S. Hier. hic.

VII. Sed exile nimium est asserere, hypocritam Christi esse traditorem; est hypocrita monstrum adeo horrendum, ut nullum honoratum mereatur titulum titulum aut nomen quodcunque; imò vel sola hypocrisis umbra & apparentia Deo summè abominabilis existit. Creationem luminarium cœlestium quæ nos hodie lucidissimâ suâ circumferentiâ oblectant, à summo factore DEO consummatam, descripturus chronologista Moyses, ita discurrit: *Fecit DEus duo luminaria magna in cælo; luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti; & stellas.* Quomodo ô sancte Moyses? tu lumina magna, solem nuncupas & lunam; & maximum quidem omnium, solem; quare & stellas pariter magnas non appellas?

Gen. 1. v. 16.

§. 11.

VIII. De cœlo stellato ad inferiora tantisper descendamus. Nunquid vidistis quandoque in aëre Iridem illam pulcherrimam, arcum cœlestem? quis oculus mortalis nimio formosissimi hujus, supraque modum diversicoloris arcus decore plenè exsatiari potest? & nihilominus jam jam res vobis pandam stupore plenas. Tres illi magnanimi pueri, qui ex jussu Regis Babyloniæ in flammas conjecti fuêre, ne in minima parte læsi, in eodem igne, tanquam in aura jucundissima deambulantes, divinum illud composuêre canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* In quo, si sedulò observastis, ad laudandum Dominum omnes invitantur Angeli, cœli, sol, luna, stellæ, ignis, aër, aqua, terra, omnes meteorologicæ impressiones, veluti grandines, pruina, ros, pluvia, nix, nubes, tonitrua, fulgura & hujusmodi alia plura. Solam in dicto cantico videbitis omissam iridem, arcum cœlestem, pacis symbolum. Ecce vobis materiam stupore plenam. Continetne aër quidquam arcu cœlesti pulchrius aut venustius? Nonne hic est arcus ille, qui intuentium rapit oculos, quemque Virgilius millenis intitulat distinctum coloribus, dicens?

Dan. 3. v. 57.

Mille

Mille trahens varios opposito sole colores.

Quomodo gratiosi juvenes rei hujus obliti estis adeo venustæ? cur non ad laudandum Dominum & Iridem invitastis, prodigiosissimam omnium, quæ videntur in cœlo?

IX. Porrò pro solutione hujus novi dubii, ex aëre in terram dilabamur oportet, altare adituri. Quis mihi vestrum ô Auditores causam assignare poterit, quare Ecclesia latina sacratum Christi corpus consecret in pane azymo, & non in fermentato? Pater subtilitatis S. Chrysologus respondet in hunc modum: *In fermento non moles magnitudinis, sed tumoris; & conspersio tali specie conflata est, non ditata.* In pane fermentato quid aliud videtur quàm inflata materia? quantitas panis fermentati magna est forinsecus, ast intrinsecus quid est? nihil penitus. Itane? dicit Christus; talisne conditionis panis est fermentatus, ut ad extra pulcher appareat & magnus, ad intra autem sit realiter omnino vacuus? Tollite illud ex altari meo, nolo ego hujusmodi materiam conservationi deservire corporis mei.

S. Chrys. ser. 72.

Cur Ecclesia lat. consecret in pane azymo.

X. Ecce nunc vobis rationem, quare nulla sit mentio facta arcus cœlestis. *Deum laudare non meruit arcus ille pulcherrimus*, inquit S. Augustinus, *quia fictos habet colores*. Tota illa arcus cœlestis venustas & pulchritudo ad nihilum deservit nisi apparatum, deliciosum oculis exhibet spectaculum, ast totum hoc esse non nisi apparens est; non enim realiter ullum continet aut rubeum, aut viridem, aut similem colorem aut pulchritudinem: sed quidquid est, totum causatur in aëre ex interpositione nubium ad radios solis. Quasi igitur dicere volebant gratiosi illi juvenes: arcus qui tantam forinsecus præsefert venustatem, omni intrinsecus destitutus bonitate, nequaquam invitetur ad laudes DEI. *DEUM laudare non meruit arcus ille pulcherrimus, quia fictos habet colores.*

S. Ambr.

XI. Atque hanc ob causam Moyses stellas non appellavit magnas, quia ut dicit Albertus M. *Stellæ minus apparent, quàm sunt.* Aliter se nobis stellæ repræsentant, quàm sint in se; realiter magnæ sunt, sed parvulæ videntur coram oculis nostris. Dicebat quasi igitur Moyses: creaturæ, quæ realiter sublimes sunt & superbæ, extrinsecus autem se minorant, quæ cervicem gerunt elatam & oculos in terram dimissos, non merentur titulum aut nomen grandium; imò vel à sola hujusmodi umbra & similitudine extremè abhorret DEUS.

Alb. M. ser. 71.

XII. Quantum verò putatis quòd DEUS horrorem gerat contra hypocritas? Audite per salutem vestram. Loquens sapientia incarnata de peccatoribus & justis, apud Sanctum Matthæum ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Quod CHRISTI assertum miratur Dionysius Carthusianus, & admirabundus interrogat: *Nonne Christus vocavit Iacobum justum & Petrum, qui nunquam comedit quidquam immundum; nonne etiam vocavit Andræam & Ioannem & alios quosdam justificatos? quomodo ergo ait; non veni vocare justos, sed peccatores?* Difficultas hæc equidem magna est; sed relictis diversis in præsenti Doctorum responsionibus, unicam pro nunc amplexabor Rabani, dicentis; justos in duplici esse differentia, scilicet justos veros & justos falsos; illos nemo non novit, hi autem qui sunt? hypocritæ, qui exterius formam præseferunt justorum, inte-

Matth. 9. v. 13.

Dio. Car. in c. 9. Matt. art. 18.

Hyp. justi falsus.

interius autem pessimi sunt & omnino vitiosi: Deus itaque, qui in mundum venit ad salutem omnium, quantumcunque gravissimorum peccatorum; falsorum duntaxat justorum, id est, hypocritarum, omnem se profitetur, abjecisse curam; hos enim tanto in odio atque horrore habet, ut eos ne ad suam quidem sequelam admittere velit. Ecce vobis verbi Rabani: *Non venit vocare justos sed peccatores, intellige falsos, id est, hypocritas, qui in sua justitia gloriantur.*

Raban.

Hyp. infidelis.

XIII. Tam horrenda monstra sunt hypocritæ, ut pœnitus ex Ecclesia proscribi atque ex Christianorum gremio extrudi debeant, realiter namque infideles sunt. Plurimis scatent mysteriis illa Christi, ad Apostolos, specialiter verò
Luc. 12. v. 46. ad S. Petrum loquentis, verba: *Veniet Dominus servi illius, in die quâ non sperat; & hora, qua nescit; & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Quibus infidelibus servus hic malignus annumerabitur? S. Matthæus eadem Christi exprimens verba, inquit: *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* At si S. Lucas ait: *Cum infidelibus*, cur S. Matthæus variato termino, asserit: *Cum hypocritis*? Respondet Pater Celada & quærit: quid? ergone hypocrisin ab infidelitate differre arbitramini? nequaquam: hæc eadem res est, quæ illa; hypocrita & infidelis Synonyma sunt; ecce vobis verba auctoris: *Ecce tibi, qui à Matthæo dicitur hypocrita, à Luca dicitur infidelis; hypocrisis enim est spei jactura, fidei amissio & quædam species infidelitatis; vel saltem hypocrisis valde impellit ad infidelitatem.* Vix video, si quid majus circa hypocrisin hodie astrui possit.

Matt. 24. v. 51.

Cel. comm. in Iudic. 9. v. 1 §. 2.

Hyp. diabolus.

XIV. Nihilominus S. Vincentius Ferrerius ad ulteriora progressus, hypocritam diabolum nuncupat carne vestitum. Notate, obsecro, egregiam quandam ponderationem. Transiens Genezareth Dominus, certos in via offendit dæmones, quorum unus pro omnibus elatâ voce clamabat: *Iesu Nazarene, venisti ante tempus torquere nos; scio quia sis sanctus & filius Dei.* Matt. 8. v. 29.
Christus autem, ut scribet S. Marcus, *comminatus est ei, dicens; obmutesce.* Tace ô Spiritus infernalis, cave verbulum loqui. Domine, quare detrectas à dæmonio tuam publicari & notificari sanctitatem? §. 22.

XV. A dæmone naturali ad aliū transeamus, taliter denominatum à Christo, dum ait: *Vnus vestrum diabolus est.* Scire optarem, quando & quomodo Judas evaserit in dæmonem? Notabilem in præsenti pertransire nequeo in silentio, quandam sancti Ambrosii sententiam, inquientis: *Magis peccavit Iudas in pænitendo, quàm in tradendo; nam si in tradendo prævaricator extitit, in pænitendo dæmon evasit.* O sancte Pater, quid audio ex ore tuo? Judas in dæmonem conversus fuit, dum pœnitentiam egit? mira profectò sententia. Ioa. 6. v. 71.

S. Amb.

Jud. quando factus dæmon & §. 21.

XVI. Verborum satis est cum dæmoniis, sermonem modò ad charissimum Dei amicum, S. Jobum, dirigamus. Virum hunc sanctum maximâ impleverat tristitiâ & mærore, opum, prolium & salutis, à dæmone illata, jactura; abierunt itaque certi quidam amici, consolaturi afflictum; quibus simul discurrentibus, ecce, tres formosissimæ per viam transierunt puellæ, quibus visis, amici ad Job conversi, vide, vide, inquiunt; nimium illarum virginum venustatem, omnis ut è corde tuo pellantur melancholiæ nubila; contemplare extremum hunc decorem, tui vivificativum cordis. Quibus Job: Deus avertat, egone oculos meos in hujusmodi conjicerem puellas? absit, in æternum non. *Pepigi fœdus* Iob. 31. v. 1

cum oculis meis ut ne cogitarem quidquam de virgine. Votum emisi solemne, me nunquam talem visurum pulchritudinem. O sancte Job, certo certius tibi promitto: quòd ad venustatis hujusmodi conspectum, omnis è corde tuo evanescet mæror & afflictio.

S. Vinc. Fer. ser. de S. Simeon. XVII. Hoc loco sanctus subingreditur Vincentius Ferrerius, inquiens: *Cum mulieres vadunt ad orandum, Deus avertit faciem suam ab eis*; cujus rationem assignat sequentem: *Quia habent faciem diaboli.* Quis hæc non admirabitur verba? quomodo? sancte Pater, mulieres ad rationem se accingentes, vultum gerunt diabolicum? ita, dicit sanctus; ast sciendum, me non loqui de omnibus indiscriminatim mulieribus, sed de iis duntaxat, quæ vultus suos purpurisso adulterant & aliis fucatis coloribus; hæ omnes faciem indutæ sunt dæmoniacam. Ignosce mihi Pater sancte, imò mundus contrarium opinatur, scilicet quòd mulier se exornans, caputque suum fucatè discriminans, dispersâ, per vultum cum purpurisso, cerussa, Angelum repræsentet.

XVIII. Duplici ex capite mulieres, quæ vultus suos dicto modo expoliunt, sunt dæmonia; primò quia sicut *diabolus* Joa 8. v. 44. *est Pater mendacii*; ita hæ mulieres in dicto ornatu nil nisi mendacia perhibent: asserto declaro in similitudine. Volens judex facti cujusdam occulti elicere veritatem, quid agit? torturæ subjicit delinquentem. Mulier pariter quotidie torturâ excruciat, non ad veritatem, sed ad mendacium eruendum. Ast quem excruciat mulier? Respondet quidam poëta: -- *Tormenta fœmina crinem.* Summo mane se à lecto proripit mulier, apprehensoque pectine, torturam exorditur capillorum & tandem calido ferro speciosam comæ imprimit formam. Mendacium machinaris? ita, quale? puellæ speciem effingam annorum 16. (ipsa autem 40. facile superaverit annos) Sicque recalefaciendo ferrum, novosque crinibus affingendo fucos, nova multiplicat identidem mendacia. Satis est, hîc gressum figere placet. Quis falsitatum est auctor? audistis resolutionem: *Diabolus est Pater mendacii.* Itane? diabolus primus est mendaciorum inventor? singuli igitur comæ calamistratæ cincinni totidem loquuntur mendacia; quotque caput habet cincinnos, tot, astrui potest, diabolos muliebri inhærere vertici.

XIX. In alio quoque sensu mulier; suum exornans vultum, *habet faciem diaboli.* Infernalis inimicus juvenem quempiam decepturus, quid facit? turpis fortè mulieris induit figuram? minimè equidem. Iterum si mulieri supplantare affectat, in propria fortè fœdissima specie apparet? absit. Qualem igitur se exhibet? audiamus S. Paulum: *Ipse enim Satanas*, inquit, *transfigurat se in Angelum lucis.* Advertite: mulier per naturam & senium deformis, insidias molitur castitati proximi; sed quâ viâ & modo? vultum suum cerussa implet ac purpurisso, hocque medio ad suum pertingit intentum, miserum virum aut adolescentem fucatâ inescans venustate. Quod huic mulieri nomen imponendum censebitis? dæmonem eam nuncupate, cum enim tota deformis sit, se exornat, ut mundum fallat.

Mulier dæmonis imitatrix.

2. Cor. 11. v. 14.

XX. Hanc igitur ob causam detrectabat Job dictas intueri puellas. Nolo, dicebat sanctus, hujusmodi videre fœminas; fieri namque posset, quòd in forma muliebri, expolita forent dæmonia.

XXI.

XXI. Ubi ecce pariter rationem, cur Judas in pœnitentia evaserit dæmon. Quæ fuit ejus pœnitentia? *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Verba hæc apparenter bonum faciunt sensum, at realiter hæresin continent, Judas siquidem Christum confessus est justum esse, ast non Deum. Unde S. Leo inquit: *Dicens; peccavi, tradens sanguinem justum; non Deum, nec Dei filium, sed nostræ conditionis confessus est Christum.*

Matt. 27. v. 4.

S. Leo.

XXII. Ideoque & Christus, silentium imposuit dæmoni. Quomodo enim, dicebat Redemptor, in opere diabolus, in ore veridicus? nequaquam, sed protinus *obmutesce. Noluit Christus*, inquit S. Laurentius Justinianus, *ut Spiritus mendax, veritatis fieret testis,* Cum igitur hypocritam videritis, id est, talem, qui extrinsecè totus apparet sanctus, intrinsecè autem plenus scatet vitiis, liberrimè ei nomen imponite dæmonii incarnati.

S. Laur. Iusti.

XXIII. Verum enim verò longè pejor ipso diabolo omnis est hypocrita; probationem hujus auscultate peregregiam. Deus Moysi legem præscribens leprosorum, reliqua inter ordinavit, ut, si quis malo lepræ laboraret secundum aliquam corporis partem, talis nullatenus posset cohabitare aliis concivibus, sed ut citra ullam dispensationem, è communi incolatu urbis exularet: *Homo, in cujus carne orta fuerit plaga lepræ, adducetur ad sacerdotem, & ad arbitrium ejus separabitur.* Notate ly *plaga lepræ* & ly *separabitur.* E-contra verò si quis leprâ respersus fuisset à capite usque ad pedes, permittebat Deus, ut liberè posset practicare cum omnibus & cohabitare iis: *Si effloruerit discurrens lepra in cute & operuerit omnem carnem, à capite usque ad pedes; considerabit eum sacerdos, & teneri leprâ mundissimâ judicabit.* Notate, in præsenti non dici, *separabitur,* sed tantummodo *teneri leprâ mundissima judicabit.*

Levit. 13. v. 2. & 3.

§. 40.

ibid. v. 12.

XXIV. Aliam similem legem ego in testamento novo reperio, ab Apostolo Corinthiis datam ubi ait: *Si is, qui frater inter vos nominatur, sit fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, cum hujusmodi nec cibum sumite.* Audite ô Corinthii, si quis in conversatione vestra fuerit sensualis, avarus aut maledicus, præcipio vobis, ne unquam manducetis aut agatis cum illo, ne vel in minimo; at *si quis infidelium vos vocat, & vultis ire, omne, quod vobis appositum fuerit, edite.* Dic mihi ô Apostole, qualiter hæc lex tua intelligenda erit? si Corinthiis permittis ut cum infidelibus liberrimè edere valeant & practicare, quare postea iisdem omnino prohibes, ne ullum cum malis Christianis commercium habeant?

1. Cor. 5. v. 11.

Cum infidelib⁹ potius quam cum malis Christianis conversari jubemur.

1. Cor. 10. v. 27. §. 39.

XXV. Apostoli mentem indaganti, confestim mihi notabilis quædam occurrit sancti Ambrosii sententia, dicentis. *Tolerabilius DEUS sustinet infidelem integrum, quàm fidelem divisum; hic enim DEUM, quem optimè novit, contemnit, quòd gravius est: ille verò DEUM, quem non novit, aspernit, quod levius est.* Exile est, paganum aut Turcam non esse Dei, siquidem nullus eorum cognoscit Deum; ast Christianum divisum esse, qui Deum quidem cognoscit, illi tamen nec servit nec adorat, idipsum Deus minimè sufferre potest. Quis autem Christianus vivit divisus, Deum cognoscens illi tamen non serviens? solus hypocrita; hic siquidem divisus est, quandoquidem extrinsecè apparet Christianus, intrinsecè verò totus est dæmon. Hic igitur malus Christianus, id est, hypocrita tanto apud Deum fastidio est,

S. Amb.

ut supremus Dominus, cui de Æthiope, Judæo & Pagano cura est; nimiâ contra hypocritam indignatione provocatus, hunc sufferre non possit.

XXVI. Quia verò ad præsentem devoluti sumus hypocritarum miseriam, permittite, ut prius vobis exponam id, quod meæ modò incidit menti; deinde namque subitò ad Apostoli & Levitici statutum revertemur. Observastisne, quot hypocritis immineant mala, qualisque mors miseram eorum sit terminatura vitam? Inprimis specialem sibi & individuam comitem habet maledictionem Dei; ita ut sive bibat sive comedat, sive operetur sive dormiat, omnia contrarium sortiantur exitum, nihilque ei cedat in emolumentum, quasi excommunicatus esset aut maledictus. Memineritis horrendæ illius maledictionis, quâ Christus ficum maledixit, inquiens: *Nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum, & statim continuò arefacta est ficulnea.* Quærebat Christus in refocillationem sui, aliquos in ea arbore fructus; cum autem nil præter folia inveniret, maledictionem ei imprecatus est; at si pro tunc *non erat tempus ficorum*, quorsum tam rigorose adversus hanc arborem sententia? deinde cur sola inter omnes arbores maledicitur ficus? notate. Ficus corticem habet cineritium, folia aspera ad instar cilicii; fructus, quos producit, vestem plerumque circumferunt laceram calorem semper exprimentes pallidum; imò quò maturiores fiunt, eò magis apparent mortificati; cervicem semper dimissam habent & caput inclinatum, vixque unquam eos videbitis sine lacrymis. Poteritne vivacior exprimi hypocritæ figura? minimè equidem. Ideo itaque cum Dominus solum videret hypocritæ prototypon, tantâ ipsum abominatione prosequi cœpit, ut incontinenter illud malediceret. Ex quibus certam vos deducite consequentiam; si Christus contra arborem adeo exarsit, ut ei maledictionem imprecatus fuerit ideo duntaxat, quia repræsentabat hypocritam; qualiter non excandescet contra hypocritam? iterum si Christus unico verbo exsiccavit ficulneam, quia folia portabat, sed sine fructibus, quantò severius supplicium infliget iis hypocritis, qui in apparētia vigorem monstrant sanctitatis, de residuo autem in operibus bonis omnino steriles sunt & infæcundi? Hæc est maledictio, quam individuam secum comitem circumfert hypocrita.

Hyp. excommunicatus & maledictus.

Matt. 21. *v.* 19.

Mar. 11. *v.* 13.

Cur Christus maledixit fic.

XXVII. Exilia nimis vobis proposui; hypocrita namque præter dictam maledictionem, insuper & mortem suis habet continuò imminentem humeris, ita ut, dum fictum ille peragit sanctitatis opus, pœna eum oppressura sit cœlestis & vitam sublatura. Veritatem hujus in alia contemplemur arbore, longè venustiori quàm ficus sit; in arbore scilicet, quam se in somniis vidisse testatur Nabuchodonosor, inquiens: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia, magna arbor & fortis proceritas ejus contingens cœlum, aspectus illius usque ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima & fructus ejus nimius, & esca universorum erat in ea; subter eam habitabant universa animalia & bestiæ, & in ramis eius conversabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro*; vix pulcherrimam hanc arborem rex intuitus fuerat, moxque: *Ecce vigil & sanctus de cœlo descendit & fortiter clamavit, sic dicens: succidite arborem, præcidite ramos eius, excutite folia, dispergite fructus; fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Continuò de cælis prolapsus Angelus, altâ voce clama-

Dan 4. *v.* 7. *&c.*

clamare cœpit: evellatur radix arboris hujus, amputentur rami, proiiciantur fructus, omniaque fugentur animalia.

Malę conditiones hypocr. *Dan. 4. v. 8. v. 11.*

XXVIII. Delicatos admodum & gratiosos hisce in verbis degustabimus conceptus. Quomodo namque tantæ venustatis arborem, ut vertice suo cœlos pulsaret (*proceritas ejus attingens cœlum*) eradicari & detruncari jubet Angelus? *succidite arborem?* utique, & justè quidem; arbor, quæ ramis suis cœlos contingit, radices autem terræ penitus infixas habet, sine mora detruncetur funditus. Persona, quæ extrinsecus se perhibet omnino spiritualem, ut cœlum attingere videatur per tot communionum & spiritualium exercitiorum frequentiam; cor autem terræ totaliter affixum habet, sine respectu eradicetur: *succidite arborem.*

Hyp. receptaculum impiet. *Dan. 4. v. 9.*

Dan 4. v. 7. &c.

XXIX. Et quidni meritò arbor ista evellenda erat, quæ receptaculum agebat bestiarum atque omnium silvestrium ferarum? quid enim dicit textus? *subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli.* Non dicuntur ad arboris hujus umbram confugisse homines aut aliæ personæ magnificæ, nequaquam; sed bestiæ duntaxat. Itane? dicebat Angelus; igitur *succidite arborem.* Persona, quæ toto die frequentat Ecclesias, visitat oratoria & cœlum se contingere monstrat extrinsecè; & nihilominus fautor existit atque receptaculum hominum nequam & scandalosorum, sine misericordia penitus eradicetur, ignique devoveatur.

XXX. Ast quare arbor ista, adeo pulchra & decora, non nisi ferarum sylvestrium erat receptaculum? Crediderim ego, animalia dicta ad arborem hanc confugisse, ut lectionem ediscerent sævitiæ & crudelitatis; omnium namque agrestium ferocissima atque atrocissima est arbor. Leo utique crudelissimus est, utpote oves occidens & devorans, idem assero de lupo; ast omnes hæ, similesque bestiæ cognoscuntur esse tales, quarum aliquâ conspectâ, nemo non fugit; & tandem feræ istæ palam suas interimunt prædas. Arbor autem terram devorat, eamque in suam convertit substantiam, latenter adeo & occultè, ut nullus omnino, qualiter aut quomodo manducet, advertere queat, etiamsi centenis & millenis oculis instructus foret aut totus visio esset; imò cognitio hujus necessariò prærequirit Philosophiam. Seminate amygdali nucleum, postque annos paucos ingentem videbitis ex eo consurgere arborem, quæ magnam terræ occupet quantitatem; unde hæc obsecro ortum trahit arbor? perquid augmentatur, quo medio accrescit? scitisne qualiter? quod nos comedimus & quantum comedimus, tantum in nostram convertitur substantiam; ita pariter & arbor terram manducat, & eam in se convertit; unde quò sublimior surgit arbor, eò exilior restat in terra. Deum immortalem! quomodo manducat arbor? si attenti invigilaveritis, neque die neque nocte eam manducantem videbitis: hæcque ipsa est nimia arboris crudelitas, quòd edat, imò devoret omnes partes, idque nullo penitus advertente. Ecce vobis veram hypocritæ figuram; hic enim quò ad exteriora nec bibere videtur, nec edere; imò quidquid in eo apparet, totum spiritus esse putatur, nulla rapit bona proximi, Jesum Christum semper in ore circumfert; in interioribus autē ipso peior est Judâ, auferens quæ potest; & licet coram vobis videatur abstemius, seu coram aliis; in abscondito tamen pro quatuor vorabit & potabit. Huic igitur, qui secundùm exteriora ver-

bis videtur contingere cœlum, quò ad interiora autem sævitiam superat lupi, quid evenit? quid? *succidite arborem*, eradicetur & Vulcano devoveatur.

XXXI. Ast observastisne particularitatem quandam? unde vox illa processit; *succidite arborem*? Angelus quidam sanctus de cælis descendens, hanc
v. 10. contra arborem protulit sententiam: *Ecce vigil & sanctus de cœlo descendit & clamavit fortiter, succidite arborem.* Sed quare Angelus potius, & non homo? vel cur Angelus sanctus, & non dæmonium? In eo difficultatis vertitur cardo. Omnes alios peccatores propria puniunt scelera, dæmonum ministerio admissa; hypocrita autem, utpote qui Deum fictâ suâ offendit sanctitate, ab hac eadem cruciatur & mactatur: *Vigil & sanctus fortiter clamavit.*

XXXII. Ast ultimum necdum attigi hypocritæ malum; scitisne, qualiter obibit? morte repentina, suam gerens in ore fictam sanctitatem. Audite scripturam sacram de hypocritis lo-
Iob. 36. v. 14. quentem: *Morietur in tempestate*, inquit *anima eorum & vita eorum inter effeminatos.* Septuaginta legunt: *Moriatur in juventute anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis.* Hypocrita in flore extinguetur juventutis suæ, & quando minimè arbitrabitur, per manus angelicas. Ita omnino Regi evenit Herodi, scripturâ sacrâ teste, dum
Act. 12. v. 21. ait: *Vestitus veste regiâ (Herodes) sedit pro tribunali & concionabatur ad eos; populus autem clamabat, Dei voces, & non hominis.* Die quodam Herodes tribunal conscendit, regali indutus amictu; cumque ad universos circumstantes sermonem haberet, omnes subditi divinis eum laudibus extulerunt. Sed quid sequitur? *Confestim autem percussit eum Angelus, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus vermibus, exspiravit.* Quia v. 23.
arrogans rex gloriam Dei sibi asscripsit, ideo indilatè eum feriit Angelus, & à vermibus devoratus, vitam terminavit; casus profectò admodum notabilis; in principio namque hujus capituli de eodem Herode dicitur: *Misit Herodes Rex* ibid. v. 1.
manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Iacobum, fratrem Ioannis, gladio. Misit impius rex ministros suos ad tribulandos Christianos; ipseque manu propriâ peremit Jacobum, germanum Joannis; neque eum tunc percussit Angelus, neque à vermibus absumptus, obiit. Progrediamur ulterius: *Videns, quia placeret Iudæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum.* Ut advertit autem, in hac ejus impietate plurimum sibi complacere Judæos, constituit & intercipere Hyp. exitus.
Petrum: neque propter hoc scelus eum Angelus punivit. Ast quando acclamanre sibi populo, totum sibi vendicavit honorem, Deo debitum, mox ab Angelo percussus & à vermibus consumptus, animam exhalavit; ut doceamur, quòd hypocrita, dum fictâ & extrinsecâ suâ sanctitate mediante, Dei sanctorumque ejus machinatur deprædari honorem & sibi eum asscribere, quòd, inquam, tunc certus eum maneat interitus: *Morietur in juventute anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis.*

XXXIII. Audistisne modò, quantis hypocrita subjaceat malis? continuâ premitur maledictione: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Hypocrita suis semper habet mortem adhærentem lateribus, eique Angelus identidem interitum minatur, clamans: *Succidite arborem.* Et tandem miserabilis repenti-

S. Greg. l. mor. c. 12.

Hyp. similis struthioni.

pentinâ extinguetur morte, devoratus à vermibus; *Morietur in juventute anima ejus.* Ast quod grave adeo malum perpetrat hypocrita, ut tam atrocem mereatur pœnam?

S. Greg. l. 7 mor. c. 12. XXXIV. Gregorius hypocritam struthioni comparat, inquiens: *Sicut struthio volandi speciem habet, sed volandi usum non habet; ita hypocrita cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Duas speciales conditiones habet struthio. Prima est, quòd collum suum taliter abscondere norit, ut ordinarium appareat collum; at vix datâ, ad intentum ejus, occasione quâpiam, porrigit extenditque collum ad tantam longitudinem, ut etiam ad altissimi cujusque palatii pertingat fenestram. Ita & hypocrita collum ordinariè gerit adeo breve, ut vix appareat; semper declivis, capite semper incedit demisso; cumque loquitur, quid putatis eum fari? nihil quæro, nullam ego sollicito promotionem; ô humilem! sed aliquam hic idem nanciscatur occasionem, contingat vacare officium aut beneficium; videbitis mox collum ejus extensum usque Romam. Quomodo? tune ille es, quis nihil penitus affectabas? quomodo igitur modò collum tuum extensum patet à Provincia in Provincias? ne admiremini ô Auditores hypocrita namque struthionem imitatur.

Hyp. similis struthioni.

XXXV. Secunda struthionis conditio est, quòd omnia digerat, etiam usque ad ferrum inclusivè. Quid arbitramini? ab hypocrita forsan non digeri ferrum? Deus vos liberet ab hypocrita, est namque totalis universi ruina, non modò in temporalibus (id quod exile foret) sed etiam quò ad spiritualia. Vultisne id vobis probari?

XXXVI. Auscultemus primò S. Petrum Chrysologum, taliter de hypocrita discurrentem: *Crudeli arte virtutes truncat, jejunio jejunium perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Hypocrita virtutum est carnifex, jejunando interimit jejunium, misericordiâ ipsam dejicit misericordiam; sique breviter ultimum placet intelligere malum hypocritæ, audite: hypocrita devorat virtutem, eamque in peccatum convertit, sanctitatem in malitiam; & tandem quidquid sufficit ad conducendam in Paradisum animam, ipse absorbet, inque materiam convertit ignis infernalis. Pet. Chrys. ser. 10.

XXXVII. Ast non intelligimus ô pater hanc S. Chrysologi sententiam; quomodo enim hypocrita potest destruere virtutem, eamque in peccatum convertere? attendite, in eo enim tota consistit hodierni diei concio. Quo pascitur, quo nutritur hypocrita? solâ extrinsecâ sanctimoniâ; nunquid autem juxta Philosophum *cibus convertitur in substantiam aliti?* utique; hypocrita igitur, qui realiter est peccator, sanctimoniam, quâ pascitur convertit in peccatum; atque ita hypocrita nec totus justus, nec totus peccator dici potest; sed partim peccator, & partim justus; sanctitate ejus conversâ in malitiam. Reperite, si potestis, in universo entium moralium ordine monstrum aliquod eo difformius. Si quis sensualis est, ecce vobis peccatorem carnis vitio totaliter deditum; si fur, ecce injustum; si idololatra, ecce falsum totaliter; imò si vultis, ecce devotum inferno spiritum. Sed quid hypocrita? hic monstrum est adeo horrendum, ut, quisquis ipsum videt, abhorreat; est

Hyp. horror & abominatio.

est enim compositus ex bono & ex malo, ex peccato & sanctitate; non est totus peccator, sed peccator sanctus; non est totus sanctus, sed sanctus peccator. O deformitatem! ô abominabile monstrum! Si mundus in ipsum conjicit oculos, abhorret nimis, utpote extrinsecam præseferentem sanctitatem; si cœlum respicit, exhorrescit longè amplius, quia internam attingit malitiam. Infernus forte eum recipere volet? minimè omnium, hic ipsum abominatur præ omnibus, quia scilicet eum ex bono & malo compositum conspicit.

XXXVIII. Si tantorum malorum causa est hypocrita, an non justissimè maledictionem Dei & mortem subit repentinam?

XXXIX. Tempus modò urget, ut ad Apostoli legem revertamur. O Corinthii, dicebat ille; qui solo nomine Christianus est, in opere autem peccator, symbolum est hypocritæ; hypocrita autem, utpote ex malo & bono compositus monstrum est adeo horrendum, ut etiam ipsemet horrorem incutiat inferno; ideoque *cum hujusmodi nec cibum sumite*; unde asserebat S. Augustinus: *Timeo de vobis, non tantum à Paganis, quantum à malis Catholicis.*

Explicatur Ap.

S. Aug.

XL. Atque hic est alterius, in Levitico expressæ legis, idem omnino sensus. Totaliter leprosus eum significat, qui totus malus est, veluti Turca, aut quicunque alius, qui totus est diaboli; sed partialis lepræ plaga seu media sanitas Lypocritæ est figura. Quisquis apparenter bonus, & realiter malus est; monstrum est adeo deforme, ut ab omnibus sine ullo pietatis motu debeat declinari; qua de causa *ab omni consortio separabitur*. Hypocrita è consortio expellatur Christianorum, utpote monstrum pestiferum, totam potens inficere communitatem.

Et lex Levit.

XLI. Ecce vobis claram primi dubii solutionem; totus calidus est ille, qui totus est Dei; totus frigidus, paganus est seu Maurus; ad tepidus, est hypocrita. Utrum ergo monstrum dicetis esse abominabilius atque deformius; diabolum, an hypocritam? dæmon indubiè fœdissimus est, non tamen eum abhorret infernus? imò anhelantibus brachiis ipsum recipit atque amplexatur: ast hypocrita monstrum est monstrorum omnium; cœlum ab eo abhorret, quia malus est; terra eum excutit, quia speciem circumfert sanctitatis; infernus ipsum reformidat, quia cum malitia extrinsecam habet conjunctam sanctimoniam. Concludite igitur, hypocritam monstrum esse ipso horribilius dæmonio. Si aliud nunc monstrum, hypocritæ non dissimile, quod totum lingua est, contemplari lubet, tempus mihi indulgete, ante ut respirem.

Resol. Probl.

SECUNDA PARS.

XLII. De crastino in ædibus Petri, hinc socrus se offeret Simonis febricitans, illinc Christus salvificans. Problema igitur statuemus sequens. Utra domum Petri beatiorem atque feliciorem reddiderit, an febris socrus, an verò præsentia Christi?

XLIII. Cognitâ hypocritæ deformitate, Deo servientis sine corde; contemplemur modò, utrùm horribilior eo atque deformior sit peccator ille, qui cor quidem, ast totus lingua est. Sanctus Jacobus de ligna discurrens, *lingua*, inquit, *ignis consumens est, universitas iniquitatis*. q. d. omnia mala, damna & ruinas, quibus totus abundat mundus, causat lingua.

Iac. 3. v. 6.

XLIV. Lin-

Linguæ murm. mala.

XLIV. Lingua murmuratrix (Deus vos liberet ab ea) crudelior, magis impia, majoresque infert Christo cruciatus, quàm ipsamet ei causarit amara passio. Christus Dominus vice quâdam miserum curaturus mutum, *suspiciens in cœlum, ingemuit*; quod salvatoris factum admiratus mellifluus Doctor, exclamare non dubitat: *O Deus bone, excruciaris mille tormentis, & non gemis, & ad linguæ solutionem gemis? estne tibi impiorum lingua sævior omni mortis telo?* Linguam peccatoris atrociorem fortè & flagitiosiorem reputas toto infinitorum tormentorum tuorum oceano? Audite ejusdemmet sancti responsum: *Nec verò hujusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis; fodit enim hoc quoque Christi corpus, nec jam exanime fodit; ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus & pedibus consummatio judaicæ iniquitatis infixit.* Omnium passionis Christi tormentorum maximum est lingua murmuratrix.

Marc. 7. v. 34.

D. Ber. ser. 3. de trip. cust. ling.

Blasphemiarum horror.

XLV. Id quod si minimè vobis sufficit, audite, quid ipsemet in cruce astruat Redemptor. Lamentans Dominus de crucifixoribus suis, Patrem æternum per os regii Prophetæ ita alloquebatur: *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & supra dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Sed ô mi crucifixe Deus, quos novos cruciatus tot tantisque plagis tuis adjunxere Judæi? Respondet Franciscus Burgensis: *Addiderunt tela linguarum, dicentes; vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud.* Ast quod Christo malum inferre potuerunt hæ crucifixorum blasphemiæ? majus forsitan omnibus doloribus & flagellis, quibus excruciarunt Salvatorem spinæ, clavi, virgæ & scorpiones in passione? quod malum? audite S. Cyprianum. Omnia, inquit hic sanctus, flagellationis, coronationis & crucifixionis tormenta ad inferendam Christo mortem, corpusque ejus excruciandum ordinata erant; ast linguæ judaicæ interitum machinabantur universi mundi; volebant perfidi Christum descendere de cruce, ne mundo redemptionis conferretur beneficium. *Transverberat*, inquit S. Cyprianus, *pectus Iesu lancea; clavi, spinæ & alia corpus eius perdunt: ast Iudæorum linguæ petunt crucis descensum, quo totus mundus intereat.* Notate ô Auditores quàm longe majora tormenta & damna maledicorum causent linguæ, præ omnibus passionis Christi cruciatibus.

Ps. 68. v. 27.

Fr. Burg. in c. 27. Matt.

Mat. 27. v. 40.

S. Cypr.

XLVI. Proprietates autem, seu ut verius dicam, malæ linguæ monstruositates, omnium ingeniosissimè regius nobis Propheta in sequentibus expressit verbis: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, judica illos Deus.* Unumquodque hujus versiculi verbum specialem sui meretur cum attentione ponderationem. Quid creditis esse murmuratoris pectus? scitisne quid? teste David, patulum est sepulchrum; proprietates discutiamus sepulchri. Prima est, quòd exterior sepulchri species visu sit amœna & pretiosa, ex marmore v. g. variisque distincta statuis, quodammodo animatis; interius autem sola delitescunt ossa. Quid est murmurator? diffamaturus proximum, ardentem fingit honoris divini zelum, & proximi quasi deplangit infortunium; quibus & similibus coloribus, eum accuratè & gratiosè nimis sanctus expressit Bernardus, dum ait; *Videas præmitti alta suspiria, sicque quâdam gravita-*

Ps. 5. v. 11.

Murm. sepulchrum patens.

S. Bern. ser. 24. in cant.

vitate, vultu mœsto, demissis oculis & voce plãgenti egredi maledictionem, & quidẽ tanto persuasibiliorẽ, quanto creditur aliis, qui audiunt, corde invito & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Accedens ad conversationẽ murmurator, nullo expresso verbo, certa incipit edere suspiria, quibus vel ipsum videatur inflammare aërem; vultum præferre melancholicum, quasi quam nescio adversam nimis subiisset fortunam; quibus præambulis auscultantium captatâ benevolentiâ, interrogatus forte de sinistri casus eventu, quomodo, inquit, an igitur vos solos proximi latet infelicitas? quæ? nequeo ego illam recensere vobis, cujus vel sola memoria, mea mihi exanimare videtur præcordia. Hæc & similia dicta, commilitonum magis magisque succendunt desideria, ut intelligant successum. Quomodo, inquiunt? an igitur sciri non poterit, quid acciderit novi? tuncque impius detractor suum quasi coactus os aperit, tetrum adeo exhalans fætorem, ut omnes inficiat circumstantes. *Ore vipereo detrahebant mihi,* inquit S. Hieronymus, *& osculabantur mihi manus, dolebant labiis & corde gaudebant.*

1. Proprietas sepulchri.

S. Hier.

XLVII. Secunda sepulchri proprietas in eo consistit, quod omnes suscipiat foveatque calamitates, sine ulla superstite prosperitate. Vidistisne quandoque sepulchrum fabricari in Ecclesia, ut in hortum deserviat deliciarum, aut artificiosum aquarum torrentem, aut in splendidum convivii apparatum? neutiquam; moritur pater vester, & subitò transfertur ad sepulchrum; exspirat filius; mox traditur sepulturæ; ita ut omnes miseriæ, & adversitates traducantur ad sepulchrum. Quid autem est murmurator? *Sepulchrum patens est guttur eorum.* In pectore ejus nullum reperire erit proximi bonum, nullam dico virtutem, nullos bonos mores, nullam nobilitatis aut bonæ vitæ mentionem & similia; quid igitur? omnes miserias & defectus. Ante centum annos contigit talis & talis casus circa aliquem adolescentem; hujusmodi infortunium in pectore invenietis maledici. Mulier ista prospexit per fenestram, ut videret transeuntes; contigit aliquos aut legitima de causa aut per inadvertentiam suas non abluere manus ante prandium; omnes hos & similes defectus exiles in malæ linguæ pectore sepultos reperietis.

2. propr.

XLVIII. Aliam discite sepulchri gratiam; sicuti in sepulchris sancta quandoque corpora miraculosè perstant incorrupta; sic & in pectore murmuratoris defectus proximi instar corporum sanctorum perseverant integri & quasi recentes ab heri & nudius tertius admissi, cum tamen ante aliquot jam annos fuerint perpetrati.

XLIX. Tertia sepulchri proprietas insignem meretur ponderationem, scilicet quòd non modò horrorem incutiat fætoremque causet, quidquid malum est aut corruptum, sed etiam id ipsum, quod bonum est. Projicite cadaver in tumulum, moxque fætet; id quod mirum non est, quoquo enim illud collocaveritis, fœtebit. At si cadaver pretioso involueritis panno sicque involutum ad mediam horam in sepulchro reliqueritis; pannus seu linteum omnino redolebit purulentum, nulli amplius aptum servitio, imò summi conciliativum horroris omnibus contingentibus ipsum. O Iesu, dicet hic, egone linteum attingam de sepulchro eductum? absit. Si suaseris alteri, ut sepulchrum ingrediatur, mortuumque exspoliet, heri serico sepultum cum amictu, ipsumque induat; non modò hujusmodi atten- 3. propr.

attentare, ſed & audire horrebit. Quare? quia quidquid ſepulchro infertur, quantumcunque bonum & pretioſum, totum ſuum amittit valorem vel ex eo præſcisè, quia tumulo illatum fuit.

L. Quid igitur eſt murmurator? *ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* In ore ejus fætere inhoneſtatem, uſuram, avaritiam, quis admirabitur? & idem ſentio de quocunque alio, quod in ſe malum eſt; cum enim hæc omnia peccata ſint, quocunque demum loco illa ſituaveritis, ſemper fætebunt; & licet omnes alii peccatores ſint etiam ſepulchra, ſunt tamen occluſa, ita ut incluſus non erumpat fætor; at murmurator patulum ſepulchrũ, eſt omni ex parte deteſtabilem diffundens fætorem. Aſt ſummum in eo non conſiſtit malum, ſiquidem in ore maledici ipſa etiam fætet bonitas; virtus, vigor, bona vita proximi omnem in pectore murmuratoris perdunt valorẽ; ita ut, quidquid ex ore eius egreditur, fæteat & de virtute in vitium tranſiiſſe videatur. O quàm fætidum ſepulchrum eſt murmurator! quidquid boni in os ingeſſeritis murmuratoris, totum fætebit; humilis eſt hypocrita; Religioſum reputat ſæcularem, ſi vel ſemel eum viderit recreationi indulgentem aut crapulæ, totus ſimplex hilarem dicit diſſolutum; ô ſepulchrum infernale, in quo vel ipſa ſuum perdit valorem virtus, fætetque adeo, ut vitium appareat.

3. propr.

LI. Nunc itaque concludamus: quandoquidem hypocrita, quia bonum in malum convertit, monſtrum evadit, ipſo horribilius dæmonio; quid de murmuratore ſeu maledico aſtruemus, qui, ſepulchrum patulum, ipſas etiam facit fætere virtutes, & omne opus bonum? concludite liberè, hypocritam & murmuratorem, tanquam ex eodem exciſos ſtipite, monſtra eſſe adeo horrenda, ut ab iis ipſemet abhorreat infernus; quæ vobis reſolutio ſufficiat pro die præſenti.



PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA QUINTA DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De valore & merito tribulationum, item de præsentia Christi sacramentalis.

Introivit Iesus in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4. v. 38.

PROBLEMA

Utra domum Simonis beatiorem ac feliciorem reddiderit; an febris socrus, an verò præsentia Christi?

INTRODUCTIO.

I.

IN domo itaque Petri socrus degebat oppressa doloribus, obsessa febribus? *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Nunquid easdem ædes præsens incolebat Christus Jesus? utique; *Introivit Iesus in domum Simonis.* Quomodo autem potuêre dimorari simul Jesus & febris? *Quæ conventio febris & Iesu?* dicit quidam doctus pater: Jesus nil nisi salutem sonat; febris autem, ut omnes norunt, infirmitas est gravis nimis: quomodo igitur in domo Petri simul hospitari potuêre morbus & salus. *Si Iesus*, inquit Origenes, *salutem importat, & febris infirmitatem; quæ conventio febris & Iesu?* Judicabit indubiè mundanus quispiam, aut quicunque oculis terrenis alta contemplatur Dei judicia, socrum Petri, doloribus hodie & febrium torturâ circumseptam, à divina pœnitus destitutam esse pietate; ast erroneo deluditur judicio, quin potius eò est fortunatior, quo majoribus aggravatur doloribus. Gentilis erat Demetrius Philosophus, & nihilominus infelicissimum eum omnem æstimandum agnovit, quem felicem reputat mundus, unde dicebat: *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam accidit adversi*; id quod & sapiens approbavit Seneca, dum ait: *Illos meritò quis dixerit miseros, qui nimiâ felicitate torpescunt.* Quæ veritas nec Philippum latuit Regem Macedoniæ, qui cùm die quâdam tres fortunatissimos acciperet felicium successuum nuncios, loco gaudii, in amaras prorupit lacrymas. Quomodo ô Philippe? cur plangis in tanti die jubili? fleo, respondit ille; quia fortuna & Dii exilem mei videntur habere curam, neque me talem

Orig.

Sen. li. cur bonis viris &c. c. 4.

Plutarc. in Apopht. fol. 345.

talem reputant, qui ſufferendis eorum ictibus ſim ſufficiens; unde ad cœlum converſus, dicebat: *O Dÿ, pro tot tantiſque bonis, levi quopiam malo afficite me.* Poſſibilene eſt ô Dii, mei vos tam exiguam habere æſtimationem, ut ſecundis ſemper navigem ventis? mei, vos precor, experientiam capite, intrepidum animum aliquo ad minus agitate aſſultu: *Levi quopiam malo afficite me.* Seneca porro rationem aſſignans, cur infelices illi habendi ſint, quos felices accinit mundus, ita diſcurrit: *Fortuna fortiſſimos ſibi pares quærit, quosdam faſtidio tranſit, rectiſſimum aggreditur, adverſus quem vim ſuam intendat.* Erubeſcit fortuna manus conſerere cum hominibus abjectæ conditionis & animi vilis, generoſos appetit & magnanimos. Unde ſi quis ſe tribulationibus concuti advertérit, aquieſcat lætabundus; ſignum namque eſt, eum à fortuna & cœlo in magna haberi æſtimatione & reſpectu, tanquam hominem virtutis & fortitudinis.

II. Veruntamen ad omnium tribulatorum conſolationem & lætitiam, auſcultare inſuper non diſpliceat, id quod patientiſſimus Job aſtruit, inquiens: *Terrebis me Domine per ſomnia & viſiones, quapropter ſuſpendium elegit anima mea & mortem oſſa mea.* Domine, propter quoddam à me viſum ſomnium volo ſuſpendere me. Nunquid ſecundùm vos ô Docti, omnes actiones, *quæ procedunt ex humana inconſtantia*, ſunt peccaminoſæ? ſi quis ex deſperatione voluntariè ſemetipſum perimit, damnatus eſt; quomodo igitur aſſerit Job, ꝙ propter ſomnium, ſe in furcam adigere velit? Reſpondet Chryſoſtomus, Jobo in iſto ſomnio myſterium revelatum fuiſſe prædeſtinationis; ſicque vidit Stephanos lapidatos, Laurentios incineratos, Petros crucifixos. Itane ô Domine? dicebat Job; omnes itaque prædeſtinati per tribulationes tranſiêre & labores? & ego quid patiar, ut tuus habear electus? ſcio quid faciam: ſuſpendio me interimam. Ecce vobis S. Chryſoſtomi verba: *Suſpendium elegit anima Iob, ut in ſortem vocaretur ſanctorum.*

Iob.7.v.14

S. Chryſ.

III. Pater, omnes itaque afflicti ſunt beati? ita ſanè; ecce vobis clarum Evangelii textum. Ubi hodie comparuit Chriſtus? in domo Simonis. Quis autem degebat in ædibus illis? *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Advertite per ſalutem veſtram, quia nec ſocrus Simonis febricitans videtur ſine Chriſto, neque Chriſtus ſine tribulatis. Aſt ſi in iisdem ædibus præter febricitantem ſocrum affuit & præſens Chriſtus; qua ex parte domum hanc reputabimus beatiorem? vel propter febricitantis mulieris dolores & cruciatus, an verò propter præſentiam Chriſti? Hoc problema collocabimus in fronte, occaſione cujus valor ſimul & meritum explicabitur tribulatorum: deinde propter hodiernum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento conſecratum diem, effectus examinabimus & quantum præſentia valeat Chriſti ſacramentalis contra omnes tam corporales quam ſpirituales infirmitates. Infirmi & tribulati indigent ſolatio; me igitur hodie de infirmitatibus & afflictionibus ſermocinantem devoto vos confortate ſilentio, atque exordiamur.

Probl.

IV. *Introivit Ieſus in domum Simonis.* Cur domum Petri tantus hodie exornavit favor præſentiæ Chriſti? dicite mihi, quis domum ejus incolebat? ſocrus febricitans: *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Domus igitur, quam exagitant tribulationes, domus eſt Dei; nunquid autem ubi Deus eſt, Paradiſus eſt? utique; domus igitur tribulationum, Paradiſus eſt.

Anguſtiæ beatificant.

Vultisne gloriam specialiter dignoscere tribulatorum? Auscultate eum, qui meæ modò menti occurrit præclarus S. Matthæi textus, in Christi persona dicentis: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito.* Beatum illud regnum recondito comparatur thesauro. Quis tantus hic esse potest thesaurus, ut regnum ei assimiletur cœleste? Circumquaque vestros, quoquo libet, conjicite oculos; promitto equidem nullibi thesaurum vos in terris reperturos pretiosiorem & venustiorem eo, quem possidet Ecclesia, cujus claves summus asservat Pontifex, cujusque meminit Salomon, dum ait: *Est infinitus thesaurus, quo qui bene usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Monetam, argentum & aurum dignoscere cupio, in hoc repertum thesauro? scitisne, quâ fulgeat monetâ? non aliâ, quam passionibus, tribulationibus, afflictionibus, martyriis & omnibus denique à Christo Domino nostro, à sanctissimâ ejus matre, ab Apostolis, Martyribus atque omnibus gloriosis cœli incolis, exantlatis pænalitatibus; ita ut pretiosissimum, quod Ecclesia sancta in animarum salutem & cœli acquisitionem expendit aurum, sint servorum Dei, in cœlis regnantium, pœnalitates, afflictiones & tribulationes: tantusque hic est passionum thesaurus, ut cuicunque rei pretiosissimæ, imò divinæ, ad cœlum obtinendum comparandæ sit sufficiens.

Matt 13. v. 44.

Sap. 7. v. 14.

V. Permittite mihi hodie, ut sensim sine sensu gradiens, præsentis discursus tramitem veluti per scalam conficiam, quæ nos subitò à terra elevatos transferet in Paradisum. Quid optatis? beatitudinem in hac infima terra? sedulò ponderate mecum illum psalmistæ versiculum: *Et beatum faciet eum in terra.* Quomodo quis beatus esse potest, tantâ à cœlis distans intercapedine? Beatus est comprehensor; qui terram incolit, viator: contradictionem itaque involvit dicere, esse quem beatum & degere in terra. Patres Theologi, in quo consistit beatitudo nostra? Doctor Angelicus sustinet, quòd in visione Dei; & quantumvis Scotus doceat beatitudinem in fruitione & actu voluntatis consistere; nihilominus non excludit à beatitudine actum intellectus, saltem *initiativè*. Atque ita asserere possumus, illum beatum esse, qui oculo animæ Deum videt; quid autem, si vobis demonstravero, tribulationes nos ad visionem usque Dei evehere? Mementote stupendi illius miraculi, quando Christus tot millia personarum paucissimis satiavit panibus. Nonne hic providentiæ actus sufficiens erat, ad inducendos Apostolos, ut Christum confiterentur atque adorarent ut Deum? indubiè, & nihilominus teste sancto Marco, *non intellexerunt de panibus*; eum non agnoverunt. Ad ulteriora gradiamur. Apostolis iisdem aliâ quâdam die in alto mari circumerrantibus, tempestas exorta est adeo terribilis, ut navis *periclitaretur conteri*: moxque omnes exclamare cæperunt: *Domine, Domine salva nos, perimus.* Advertite; in prosperitate & bonorum abundantia *non intellexerunt*; in tempestatibus autem & tribulationibus omnes Christum cognoscunt esse Deum. Si igitur beatitudo nostra in visione Dei consistit, & tribulationes ad Dei nos sublevant cognitionem; vos consequentiam inferte, libere cum S. Augustino dicentes: *Si tribulatio carnem pungit, animum ungit; si corpus affligit, animum beat.*

Ps. 40. v. 3.

p. 1. q. 2

Marc. 6. v. 52.

Matt. 8. v. 25.

Tribulatio ad Dei elevat visionem.

D. Aug.

VI. Quam sancti Doctoris authoritatem obiter minimè transeundam judico; quomodo namque? *tribulatio animum*

Et consecrat.

mum ungit? Tribulatio itaque consecrat tribulatum? Dicite mihi ô Domini mei, quæ est sublimissima omnium in terris dignitas? nunquid non sacerdotalis? utique; quomodo igitur David, cum laicus esset, sancta sanctorum ingressus, panes propositionis accepit & manducavit? quid agis ô David? nunquid non laicus es? sum; quomodo igitur panem edis, solis summis reservatum sacerdotibus? Ecce vobis S. Hieronymi responsum: *David non erat de sacerdotibus, nec ei licebat comedere panes propositionis; Sed quia persecutio Saul urgebat, propterea in fuga sua subitò Antistes efficitur, & panes accipit propositionis, nec violat mandatum Dei.*

S. Hier.

VII. Taliter porro tribulationes suos consecrant tribulatos, ut eos quasi totidem efficiat reliquias sacras; in cujus veritatis probationem, duos in medium adducamus testes, omni dignissimos fide: & primo quidem loco Christum statuamus resuscitatum, cujus pedibus cum advolvi gestiret, tam amans quàm pœnitens Magdalena, mox sibi dici audiit; *Noli me tangere.* Recede ô Magdalena, & cave me contingere. Quomodo? Magdalena, dum peccatrix esset, tuos ô Domine permittebatur tangere, atque exosculari sanctos pedes: *Non cessavit osculari pedes meos.* Jam verò sanctam & justam repudias? Thomam incredulum ad ipsiusmet lateris admittis contactum: *Mitte manum tuam in latus meum:* à Magdalena autem justa vel ipsos detrectas attingi pedes?

Tribul. reliquiæ sacræ.

Joa. 20. v. 17.

Luc. 7. v. 45.

§. 9.

VIII. Secundum agat testem Patriarcha Jacob, indubiè & ipse nobis quam indagamus, patefaciet veritatem. E Mesopotamia redux hic S. Patriarcha, dum eum per desertum transire contingeret, ab obscura nocte præventus, in eodem defessi corpusculi vires nocturnâ quiete statuit restaurare; ideoque *tulit de lapidibus, & supponens capiti suo, dormivit.* Post paucarum autem horarum quietem, suo se audiit nomine compellari. Heus Jacob, surge; ecce adsum tecum decertaturus Angelus, egredere in campum. Quid facies ô Patriarcha sanctissime? tibine cordi est, ut tot viarum molestiis appetitus, lassus atque exhaustus, certamen præsens ineas cum Angelo? ita sanè, animo polleo & viribus sufficientibus. Erectus itaque in pedes, singulari cum animositate exorsus est conflictum: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Quis autem rei successus? in media lucta impegit Angelus ictum adeo gravem adversarii lateri, ut miser hic cæperit claudicare. *Tetigit femur ejus, quod statim emacuit.* Ecce tibi ô Jacob, quod timebam, tuæ præmium temeritatis; quid enim moliri poteras contra Spiritum fortissimum? digna est tibi inflicta pœna, pedeque claudo triumphum identidem divulgabis gloriæ victoris Angeli. Credideram ego, Jacob læsum & claudum victas confestim Angelo daturum manus, ab eoque bonâ veniâ discessurum; sed contrarium omnino accidit, Angelus namque potius licentiam petiit abeundi, Jacob verò magis ad pugnam concitatus, his competitorem aggressus est verbis: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quidquid feceris, & quicunque demum fueris, seu Angelus seu DEUS, non te dimittam, neque tu ex loco hoc ante recedes, quàm tuâ me beaveris benedictione. Dicite, si nostis; quam tanta cum instantia Jacob sollicitabat benedictionem? forte ut incolumis patrios repeteret lares? non; plurimos fortassis petiit annos & fortunatum senium? minus; numerosam forte posteritatem

Gen. 28. v. 11.

Gen. 32. v. 24.

v. 25.

v. 26.

Flagella divina benedictiones sunt.

tatem & facultatum copiam, fors incrementa bonorum aut domus suæ honorem & magnificentiam? Non, dicit Abulensis; nihil horum quærebat, quid igitur? rogabat, ut quemadmodum unius plagam lateris passus erat, ita vulnus experiretur & alterius. Quomodo? dicebat ille; quid alteri lateri? *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Sed qualiter fieri potuit, ut Jacob suum adeo instanter efflagitaret malum? quomodo non uno contentus ictu aut plagâ, plures expetiit? malum forsitan postulavit Jacob? minimè equidem Domini mei: sed nunquid latus suum vulnerari desideravit? ita; ast quid inde? percussiones & plagas de cœlo provenientes quid esse arbitramini? si nescitis, edicam: beneficia, gratiæ sunt & privilegia singularia, quibus consecratur, quisquis, ea recipit: atque ideo Jacob dictâ per Angelum percussus plagâ, nec gratias Deo obtulit, nec speciale sacrificium: sed quid fecit? audite quid egerit: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Gen. 28. v. 18. Subsistite, errasse mihi videtur textus. Quomodo *tulit lapidē, quem supposuerat capiti suo*? nunquid priusquam dormiret Jacob, astruit text⁹ quod Jacob *tulit de lapidibus, & supponens capiti suo, dormivit*? Si plures erant lapides, quomodo itaq; dicitur: *Tulit lapidem*? Respondet Tostatus, plures realiter fuisse lapides: at quia decertabant invicem, quis ex omnibus caput Jacob attingeret, ita Deus, ut ipsos componeret atque à controversia eximeret, ex omnibus fecerit unum. Ast hîc nova insurgit difficultas: quam ob causam lapides tanto cum zelo atque æmulatione caput quærebant attingere Jacob? quid sollicitatis? an non paulo ante dixi vobis? Jacob maximis fuerat subjectus tribulationibus, & specialiter quidem per Angelum claudus effectus: vi tribulationum consecratus erat & quædam quasi sacra evaserat reliquia; ideoque mutuò concertabant petræ, quæ ex omnibus sanctum & sacrum ejus corpus attingerent. An nescitis, quòd ad impositam altari reliquiam omnes certatim confluant populi, ut contingant eam? imò nunquid videtis, Angelos ipsos erexisse scalam, per quam *ascendebant & descendebant*: descendebant Angeli, ut sanctam hanc venerarentur reliquiam; postea autem iterum ascendebant: ast minimè contenti unico hujus reliquiæ intuitu, redierunt ad ejus spectaculum; ita ut ipse DEUS summè sibi complaceret in hac Angelorum æmulatione scalæ vertici innitens: *Et Dominum innixum scalæ.* Gen. 28. v. 12.

IX. Ecce igitur vobis rationem, cur Christus post resurrectionem suam à Magdalena noluerit contingi. Passionis namque virtus eum consecrarat & veluti sacram effecerat reliquiam: res sacræ, ut nostis omnes, à sacerdotibus, & non à fœminis attingi possunt. O Magdalena, dicebat Christus, *noli me tangere*. Recede, tu mulier es, sacratum tibi attingere, non licet; tu autem sacerdos, ô Thoma: *Mitte manum tuam, in latus meum*; tibi me contingere licitum est. Ioa. 20. v. 17. Ioa. 20. v. 27. *Transierat dominicum corpus per flagella*, inquit doctissimus quidam pater, *per passionem & crucem; & passionis oleo fuerat Domino consecratum, & propterea non amplius tangitur à muliere, quòd toties tangitur ab incredulo.*

X. Scalam conscendere cæpimus, sed paucos nimis usque modò attigimus gradus; propterea liceat mihi veniâ vestrâ sublimiorem conscendere verticem, ex eoque sequentem proferre sententiam:

tribu-

tribulatum scilicet mystici instar sacramenti adorandum esse. Nunquid sub specie panis sacratum latitat corpus Christi, latriæ cultu dignum? utique: nostisne, sub tribulationis specie, divinitatem latere & animam? pressus, afflictus & tribulatus virtute tribulationis in subjectum convertitur adeo sacrum, ut mystici ad instar sacramenti adorari mereatur. Propheta Daniel in lacum leonum, ut devoraretur ab iisdem, conjectus fuit; at teste Ephemo: *Immanes feræ in medio sui videntes Prophetam, se inclinantes, adorabant illum.* Res sanè prodigiosa, in qua non tam admiror, à famelicis bestiis non fuisse decerptum Danielem, quàm quod speciali cum veneratione Danielem adoraverint feræ: *Inclinantes se, adorabant illum.* Totus verò stupore abripior considerans, quòd è lacu leonum, Daniele educto, Regique præsentato, *Rex Næbuchodonosor cecidit in faciem suam & adoravit Danielem, & incensum & hostias, præcepit, ut sacrificarent ei.* Quid facis ô fatue Rex? tu hominem adoras? mancipio tuo incensum offerri præcipis? prostratum in præsenti ad pedes Danielis prætereamus Regem barbarum.

S. Eph. de recta vir. ratione n. 86.

Dan. 2. v. 46.

§. 14.

XI. Et duos Exodi textus conferamus ad invicem, quorum primus in tertio, & alter in 33. hujus libri capite reperitur. Pascens in monte Horeb gregem suum Moyses, flammam vidit de cœlo cadere, quæ cum rubum accenderet, sed citra læsionem ullam, curiositate ductus dignoscendi prodigii, sensim sine sensu pedes movere cæpit rubum versus; cui dum appropinquaret vicinior, sibi dici audiit: *Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis.* Quam rub' ille cõtinebat sanctitatẽ, ut nullos nisi nudos admitteret pedes?

Exod. 3. v. 5.

XII. Hic alter subintrat Exodi textus, ubi Propheta faciei divinæ affectans intuitum ait: *Domine ostende mihi faciẽ tuam.* Cui Deus nequaquã; *non enim videbit me homo, & vivet.* Vultũ meũ homo nequit intueri mortalis. Nihilominus nostin e ô Moyses, quid possim præstare amore tui? *Ostendam tibi omne bonum.* Quid autem ei exhibuit? dorsum suum: *Posteriora mea videbis.* Ignosce verbis meis ô Domine: quod tu Moysi facis promissum: ejus minimè quadrat petitioni. Ille tuam quærit intueri faciem, quomodo igitur tu ei dorsum ostendis? Respondet Dominus accommodè nimis sese operari; quid enim esse arbitramini dorsum & humeros meos, tot dilaceratos flagellis & verberibus? certè non aliud quàm divinitatis subjectum; ita ut, sicuti in sacramento altaris aliud apparet forinsecus, & aliud est in substantia; sic pariter in tribulato corpore meo humeros visuri sitis tot confractos flagellis, caput meum extrinsecè confixum spinis; at intrinsecè atque in substantia nihil est, præterquam divinitas. *Videte* inquit Rupertus Abbas, *videte non solum flagella in humeris; nec solum calamum pro sceptro & spinas pro corona; sed in veritate rem veram, scilicet summum cœli & terræ imperatorem.* Notate verba illa: *Rem veram.* Flagella & spinæ se veluti species habebãt sacramentales, aliud demonstrantes forinsecus, aliud in reali continentes virtute. Secundum apparentiam Christus patiens, Rex videbatur lusus & opprobrii, at realiter Rex erat divinus, verusque Dei filius.

Exod. 33. v. 13.

v. 19.

v. 23.

Rup. Alb. l. 12. de vict. verb. Dei.

XIII. Atque ideo ô Moyses, dicebat Deus, cum videris humeros meos, te reputa, felicissimum, nimisque beatum; videbis enim *omne bonum.* Ubi sunt flagella, passiones & tribulationes, ibi adest & divinitas: unde & eidem Moysi præceptum fuit, ut nudis ad rubum pedibus acce-

Exod. 3. v. 5. accederet: *Solve calceamenta.* Rubus ille spinis scatebat, spinæ autem Symbolum tribulationum; ubi verò sunt tribulationes, ibi est divinitas. Quomodo ô Moyses, dicebat Deus, tunc in loco, ubi degit divinitas, calceatus incedere audebis? cave, feceris: *solve calceamenta tua.* Rubus hic quoddam veluti sacramentum est, exterius perhibens spinas, interius autem S Theod. q. 7. in Exod verè continens Deum. *Solvere calceamenta jussit Dominus Moysi,* inquit S. Theodoretus, *ut ipsum religiosiorem redderet.*

XIV. Modò facile est intellectu, cur Daniel à leonibus & rege Nabuchodo- Cur Dani. adoratus. nosore fuerit adoratus. Tribulatus mysticum est sacramentum, apparenter pœnis squalet coopertus, in veritate autem totus divinus. Quia igitur Daniel leonibus objectus, propter Deum hæc & similia sufferebat supplicia, ideo veluti divinus effectus, ut talis adoratione honorari Rich. a S. Vict. meruit. *Quia illum à leonibus custoditum,* inquit Richardus à S. Victore, *verè Dei templum esse deprahendit; propterea tali honore dignum esse existimavit.*

Tribul. confert deitatem. XV. Permittite mihi ô Auditores ut sublimius conscendere, cœloque possim appropiare. Tribulatum & afflictum, Deum liberè nuncupate terrenum. Existens in monte Thabor Dominus, immutatâ ex improviso figurâ, non jam humanam ultra nec mortalem præse ferre visus est. Vultum mox solis implere splendor, corpus circumdare fulgor, omni candidior nive, totus in gloria coruscare vertex; quæ inter vox insonuit Patris, pro suo eum declarantis unigenito filio: Matt. 17. v. 5. *Hic est filius meus dilectus.* Ut plurima Minor Christi gloria in Thabor. paucis; mons iste in Paradisum videbatur transmutatus. Joannes Evangelista, unus è tribus discipulis, rari admodum spectaculi testis, visionem hanc describere volens, inquit: *Vidimus gloriam* quàm in Calvario. *ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Gloria ejus oculis nostris contemplanda ex Ioan. 1. v. 14. hibita fuit, quæ quasi unigeniti Patris vibebatur magnificentia: memoriæ vestræ hoc Joannis tradite testimonium, ad alia transitum facturi. Eodem Christo super montem calvarium crucifixo, §. 22. neque ullo divinitatis ejus edito signo, nec Patris æterni accedente testimonio de divinitate Christi; elatâ voce clamare non dubitavit Centurio, dicens: *Verè filius Dei erat iste.* Rationem effla- Matt. 27. v. 54. gito differentiæ ô Auditores, quid enim hocce rerum? Joannes Evangelista oculis propriis gloriam intuitus est Christi, auribus suis vocem audiit Patris, Christum declarantis Unigenitum suum; & nihilominus visionem recensens, ait: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Centurio autem, nec ullo viso miraculo nec Patris audito testimonio, simpliciter profitetur divinitatem Christi, inquiens: *Verè filius Dei erat iste.* O Joannes, quid dixisti? *Gloriam quasi?* An non Patrem audisti dicentem: *Hic est Filius meus dilectus?* an non sanctum illum intuitus es vultum, radios evibrantem divinitatis? Audivi, vidi. Quomodo igitur asseris: *Gloriam quasi?* dicere debebas: *Gloriam veri filii Dei.* Centurio, qui nec vidit, nec audiit quidquam hujusmodi, inquit: *Vere Filius Dei erat iste;* tu verò: *Gloriam quasi?*

XVI. Neque in hoc adæquata consistit difficultas. In Calvario ubi Christus omnibus pependit incognitus, nullo penitus crucifixum illum reputante Deum, nulla audita fuit vox paterna, quâ Christus Dei declaretur Unigenitus: in Thabor autem ubi Christus vel ex solis, è vultu ejus promicantibus splendoribus divi-

divinitatis, Deus esse agnoscebatur, vox insuper accessit Patris: *Hic est filius meus dilectus.* Pater æterne, non est necessum, ut Christum in monte Thabor tuum declares §.22. esse filium, jam enim inibi cognitus est, ut talis: in Calvario tuam exalta vocem & Crucifixi hujus attestare divinitatem.

XVII. Finem forte dubii vos attigisse arbitramini? nequaquam, alia supersunt longè magis prodigiosa. In cœna ultima Domin⁹ sacramentũ instituit altaris, omnesq; cõmunicavit Apostolos, quos inter & Judas erat. Quis è toto illo cœtu, ejus agnovit divinitatem? non modò non fuit creditus Deus sed Judas insuper veram penitus amisit fidem, & bonam, quã de Magistro suo habere debebat æstimationem; hâcque inscitia sua, hostiam adhuc in ore tenens, exorsus est traditionem: *Cum ac-* Ioan.13.v.30. *cepisset ille buccellam, continuò exivit.* Cum tamen in Calvario, nullo Christi viso mi- §.21. raculo, bonus latro ipsum protestatus fuerit Deum: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* In eo tota consistit substantia dubii mei: quare Christi divinitas fuit agnita in Calvario, & non in monte Thabor, nec in ultima cæna.

XVIII. Tres carcerati nos è compedibus eximent tantarum difficultatum: primus erit Patriarcha Joseph; cujus acta docet Genesis. Detinebatur in carcere innocentissimus juxta atque castissimus juvenis, & cum eo duo alii regis Pharaonis ministri; qui duo ultimi post aliquot dierum circulum certa quædam habuêre somnia, quæ eos summâ affecêre perturbatione & melãcholiâ, ita ut Joseph commiseratione eorum tactus, peteret: *Cur* Gen.40.v.7. *tristis est facies vestra?* Quid sinistri sustinetis ô socii mei? summa vos video affectos melancholiâ. Cui illi: *Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur illud.* Nihil urget aliud? dicebat Joseph; vanas mittite curas. *An non est Dei interpretatio?* diffiditis forte, quin DEUS somnia vestra interpretari valeat? Resumite vires, animum induite lætum: *Referte mihi somnia vestra, quæ videritis.* v.18. Totum mihi recensete, & ego veram vobis pandam interpretationem. Dic mihi ô castissime Joseph, nunquid somniorum interpretationem Deo propriam esse asseruisti? ita; *an non Dei est interpretatio?* quomodo igitur vis tibi recenseri somnia; quomodo tu veram eorum sociis te promittis daturum explicationem? *Refertemihi.* Deusne tu es? ita, dicit Joseph; an non videtis me carceratum? Sciatis, me compedum & tribulationum vi, DEUM quendam evasisse per gratiam. Ecce vobis sancti Diodochii Episcopi Posticensis testimonium: *Equidem sic Ioseph vincula & carcer evexerant, ut terrenus Deus videretur, & posset ad ea, quæ Dei sunt, opem suam ipse spondere.* S. Diod. Ep. Postic.

XIX. Accedant modò duo alii carcerati, qui certo certius in eandem cum Josepho sententiam descendent. Primò autem loco magnus compareat Baptista, qui *cum audisset in vinculis opera Christi,* Matt.11. *misit duos ex discipulis suis.* Quomodo? v.2. inquit Origenes, *Ioannes in vinculis* sancti- Tria dubia circa ficatus in utero materna, squalet in car- S. Joan. ceribus? *quæ conventio, Ioannes & vincula?* incarceratum. Joannes idem est, quod gratia: *Ioannes gratiam sonat.* Carceribus mulctantur delinquentes, quomodo igitur inter catenas hæret gratia? Ultra progressus Origenes, dubium quoddam movet, quasi indissolubile. Constitutus in carcere Baptista, duos ad Christum misit discipulos, ut quærerent, utrum ipse Messias esset:

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illis tu es, qui venturus es, an aliū exspectamº? Quomodo? in præsenti interrogat Origenes? Joannes forte nesciebat, Christum esse Messiam? imò verò noverat optimè, qui dicebat: *Ecce Agnus Dei.* Ex quibus duobus prædictis dubiis, ultimum elicit omnium difficillimum. Legationem executi discipuli sancti Joannis, Redemptorem interrogarunt: *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* quibus Christus: *Ite & renunciate Ioanni, quæ vidistis? cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Domine, inquit Origenes, responde ad propositum. Baptista nihil scire desiderat, nisi utrum Messias sis; prodigiosa opera tua ipsum minimè latēt, quia ut inquit textus: *Cum audisset Ioannes opera Christi.* Quomodo tu eum adeo reputas ignarum, ac si nullam divinitatis tuæ haberet notitiam? Respondet Christus, nunquid Joannes in carcere detinetur? ita: *Ioannes in vinculis.* Incarceratus virtute tribulationum evadit in Deum; nisi igitur Joannes in passionibus constitutus, declaretur inscius, periculum erit, ne ipse ut Deus adoretur.

Ioa. 1. v. 29.

Matt. 11. v. 3.

XX. Ad tertium modò transeamus incarceratum, qui utique etiam, quid sit tribulatus & afflictus, nobis aperire non dedignabitur. Quis est autem iste tertius? S. Petrus, Apostolorum vertex, O miser senecio incarcerate sancte Petre. Heus Angele, dicebat Deus, curre citò & Petrum libera è carceribus. Ingressus carcerem Angelus, Petrum mox surgere jussit: *Surge velociter*, erigere in pedes & proripe te via. Tardavit forte egredi Petrus? minimè equidem Domini mei, sed exiit indilatè; quia verò tempus noctis erat, nesciens quò se reciperet, aliquorum fidelium simul congregatorum ædes, adire statuit, in quibus consueverat antehac dimorari: *Venit ad Domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes.* Ut domum hanc S. Petrus attigit, ad pulsum portæ mox affuit puella requirens causam pulsus, quæ ut ex respondentis voce Petrum adesse ipsummet advertit, subitò ad suos reversa, Apostoli iis annunciavit præsentiam: *Pulsante eo ostium Ianuæ, processit puella, & cognovit vocem Petri, nunciavit, Petrum stare ante januam.* Nequaquam, responderunt ad eam alii; non est Petrus, *sed Angelus ejus est*; Est Angelus ejus Custos. At unde collegerunt illi non Petrum, sed Angelum ejus adesse Custodem? *A tempore conjectabant*, inquit sanctus Chrysostomus. Conjecturam sumpsêre ex tempore, sciebant namque Petrum detineri in carcere. Ast extravagans nimium hæc mihi videtur esse conjectura; si enim S. Petrus asservabatur in vinculis, utique vel maximè Angeli Custodis indigebat assistentiâ in solatium sui & provisionem de rebº necessariis. Quare igitur cætus ille sibi persuadebat Angelum Custodem S. Petri, relicto solo inter vincula Apostolo foribus astare & pulsare? Difficilis hujus dubii solutionem, judicio vestro longè subtiliorem, sanctus nobis assignat Chrysostomº, dicens: Angeli Custodes eminentia pollent & superioritate super eos, quos custodiunt, sunt namq; nobis à Deo dati propter humanā fragilitatē, quemadmodū Ecclesia sancta in hymno canit Angelorū, inquiens: *Custodes hominū psallimus Angelos, naturæ fragili quos pater addit.* Ideoq; Angelis carent custodibº illi, qui superioritatē habent in Angelos. Christo forsitan fuit assignatº Angelus? non; sed ipse potius omnium erat Angelorū custos.

Act. 12. v. 7.

Act. 12. v. 12.

v. 13.

S. Chrys. ho. 26. in Act. Apost.

In hym. SS. Angel.

Et

Et quantũvis Beatissimæ Virgini Mariæ ante incarnationẽ datus fuerit Angel⁹ custos, nihilominus ut primum Dei mater evasit, angelicâ non amplius indiguit tutelâ, siquidẽ Angelis fuerat effecta major; quæ veritas vel ex eo patet, nam mox ut Angelus consensum audivit Mariæ (*ecce ancilla Domini*) confestim disparuit Angelus, ipsamque deseruit: *Continuò discessit Angelus ab ea*: revertamur ad intentum. Constituto igitur inter vincula Petro, dum populus portam audiit pulsari, quid respondit? ille indubie est Angelus Custos sancti Petri; quamdiu enim S. Petrus pro Deo patitur & incarceratus est, Deus est per gratiam: si autem Petrus virtute tribulationum in Deum evasit, Angelis utique nobilior effectus est & dignior, quorum proinde nullius ultra tutelâ indiget Apostolus; ideoque non Petrus, sed Petri est Angelus, qui portam pulsat: Petrus enim virtute carcerum divinitatem Dei terreni sibi acquisivit, & ut talis custodiam necessariam non habet Angelorum.

Luc. 1. v. 38.

ibid.

XXI. Hisce tribus felicissimis incarceratis ductoribus, facilè modò nobis fuerit causam dignoscere, ob quam Christum non agnoverit in cæna Judas, quem Deum confessus est in cruce latro. Qualem exprimebat in cæna figuram Christus? Teste S. Thoma, Regis instar epulabatur, vasallisque suis magnifica distribuebat dona: *In hac mensa novi Regis*. Itane? Regem agit in cæna Christus? quid mirum, si non agnoscitur? in cruce autem qualiter constitutus erat? clavis perterebratus, pessimèque habitus; ubi autem passiones sunt & miseriæ, ibi est divinitas; sed Christus in cruce totus erat laceratus, ergo crucifixus iste est Deus. Ecce vobis S. Maximi verba, quibus hunc nobis exprimit conceptum, inquiens: *Ne mireris, quòd plus latro credit in cruce, quàm Judas in cæna; hic enim supplantavit magistrum per cibum, ille verò credidit Deum per dolores.*

S. Maxim.

XXII. Atque hanc ob causam non fuit Christus in monte Calvariæ à Patre declaratus Dei filius, quemadmodum in Thabor; quia scilicet in Calvario patiebatur Christus, ipsæque hæ passiones ejus manifestabant divinitatem, nullo interveniente æterni Patris testimonio; in monte autem Thaborio Christus totus resplendebat gloriosus; hic meo opus est testimonio, dicebat Pater æternus, quo Christi declaretur divinitas, cæteroquin non agnoscetur ut talis. Ubi pariter discite, cur Joannes Evangelista videns Christum in triumpho, non dixerit: *Vidimus gloriam veri filii Dei*, sed *gloriam quasi*: cum tamen Centurio, quia scilicet Christum viderat totum plagatum atque convulsum, liberrimè exclamarit. *Verè Filius Dei erat iste. Vide*, inquit Chrysostomus, *quanta sit vis tribulationis & patientiæ, quòd Christus in cruce verè Filius Dei proclamatur à Centurione; cum in monte sancto, ubi festosus apparuit, testimonio Patris indiguerit, ut dilectus filius diceretur.*

§. 15.

Ioa. 1. v. 14.

Matt. 27. v. 54.

S. Chrys.

XXIII. Nunc me rapi, dulciterque deferri adverto usque ad ultimum scalæ nostræ gradum, ipsos suffulcientem cœlos; quò dum vix pertingo, gravi me dubio circumseptum animadverto; scilicet cui gloria magis sit conjuncta; an divinitati, an verò tribulationibus & passionibus? Clarioribus terminis dubium hoc proponamus. Si Deus crescere, inque magnificentia & gloria sua proficere posset; per quid magis sublimaretur, aut per gloriam divinitatis, aut per passionis meritum & valorem? necdum meum mihi dubium sufficienter exposuisse videor. Trutinam sublevemus in altum, hinc

hinc gloriosum cum sua divinitate Deum; illinc eundem collocaturi passum & crucifixum Deum. Quid inter hæc? majorem cœlum rationem & respectum habet Dei crucifixi, quàm gloriosi. Ut meum vobis patefaciam conceptum, supponite primam gloriam Paradisi cum tribulationibus & passionibus taliter conjunctam esse, ut non reperiantur divisæ. Quid
S. Luc. 24. v. 26. dicit Spiritus sanctus? *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Notate, non dixisse; conveniens aut decens est, sed *oportuit*; necessarium fuit, ut nisi ipse Dei filius mortem & passionem subiisset, nec gloriam intrasset Paradisi.

XXIV. Imò observavi, gloriam cœlestem conformiter ad tribulationum & passionum dari mensuram. Mementote illius apostolici ab ipsomet S. Paulo
2. Cor. 12. v. 2. commemorati ascensus, dum ait: *Scio hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, raptum hujusmodi.* Me raptum vidi, & ad cœlos usque sublimatum; ast ad quale cœlum pertigisti ô Apostole
Cur Sanctus Paul⁹ non transcenderit 3. cœlum. sancte? *Usque ad tertium cœlum.* Cur non perrexisti ulterius? cur non promovisti volatum? ignoscat tibi Deus; si namque animosius tuas inquietasses alas, indubie usque ad cœlum pervenisses empyreum, ibidemque infinitas quasi contemplatus fuisses gloriæ abyssos; cur igitur ô S. Paule non attentasti scandere sublimius? Quid? inquit Apostolus; forsitan ex parte voluntatis meæ defectum aliquem intervenisse arbitramini? nequaquam; non ascendi ulterius, quia sublimior mihi defecit scala; gradus, quibus in cœlum conscenditur, passiones sunt: quia itaque ego tertiò duntaxat propter
2. Cor. 11. v. 25. Deum aspera sustinui flagella & trina itidem subii naufragia: *Ter virgis cæsus sum, ter naufragium pertuli*; ideo non nisi ad tertium potui pertingere cœlum; si pluribus fuissem subjectus flagellis & passionibus, alios adhuc superiores utique superassem cœlos.

XXV. Hoc supposito, dicit S. Joannes, quòd Magdalena, Christi corpus inquirens, *prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos sedentes*; à quibus dum interrogaretur, quid quæreret, respondit: *Tulerunt Dominum meum; & nescio, ubi posuerunt eum.* Quibus vix prolatis verbis, sese vertit: *Cum hæc dixisset, conversa est retrorsum.* Quo loco sequentem S. Chrysostomus instituit quæstionem, dicens: *Quare ad Angelos loquens, & nondum ab eis aliquod audiens, convertitur retrorsum?* Dic mihi ô bona mulier, cur Angelos alloquens, nec ullum adhuc ab iis habens responsum, dorsum ab illis obvertis? Respondet S. Thomas, inquiens: *Magdalena vidit Angelos assurgentes & figurâ & motu, novum alicujus ingressum notantes.* Advertit Magdalena, Angelos, qui ante sederant, sese in pedes erigere, & motu & gestibus corporis significare, magnæ cujusdam personæ, scilicet Christi, accessum. Rationem in præsenti à vobis expostulo ô Docti, & quæro; nunquid Angeli in sepulchro existentes, Deum incessanter intuebantur? utique: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Cur itaque Angeli, divinam contemplando essentiam, sedent; Christum autem, ad se accedentem, conspiciendo, surgunt? Major itaque reverentia exhibetur Deo, carne vestito, quàm Deo incorporeo? ita sanè, dicit doctissimus Baeza: *quia vulnera Salvatoris venerabiliorem Dominum reddiderunt.* Deus patiens, per passiones longè evasit venerabilior ipso Deo glorioso.

Ioa. 20. v. 12. v. 13. v. 14. Chrysost. Matt. 18. v. 10. Baez.

XXVI.

XXVI. Ast si tantas miseriæ & tribulationes important glorias, cur tu ô Christiane in afflictionibus desperas? cur non consideras, tribulationibus te ad cœlos sublevari? salutem fortè speras sine prævia hic passione? turpissimè erras; audi S. Augustinum: *Qui hic consolantur,* inquit, *Domine Iesu, indigni tuâ consolatione sunt; sed qui hic cruciantur, à te Domine consolantur: nemo potest, in utroque sæculo consolari, nemo potest hic & in futuro gaudere.* S. Cyprianus adjungit: *Si justus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis?*

S. Aug. c. 21 solil.

S. Cypr.

XXVII. Si fusius intelligere placet, quàm possibile sit gloriam obtinere sine tribulationibus, audire non pigeat illud, quòd S. Paulus Episcopus Nolanus recenset in hunc modum. Increbuerat certi cujusdam Doctoris Parisiensis fama, quem magnum Dei servum, longè lateque celeberrimum reddiderat vita perquam exemplaris; interea contigit, ut die quodam multi Cardinales, Principes & Prælati Regem inviserent Franciæ, ubi cætera inter colloquia, tandem & mentio incidit dicti servi Dei, de quo cum visitatores eminentissimi plurima audissent, Regem rogarunt, ut eum in præsentium solatium & instructionem citaret. Vocatus itaque servus Dei, paruit, palatium adiit, cui cùm appropinquaret, vidit forinsecus tot extraordinarios apparatus, tot vestes gentilitias, tot musicas & solemnitates; ipsum denique palatium, insolitâ plenum lætitiâ; intravit igitur ad præsentiam Regis, moxque nimiam servi Dei sanctimoniam, quam mortificatus spirabat vultus, admirari omnes; modestiam, humilitatem, integerrimos mores obstupescere singuli. Præcepit itaque Rex ei, ut quid doctrinæ spiritualis promeret, in communem ædificationem, detrectavit ille, sed constrictus tandem, stans erectus, ita effari cœpit. Stultus & ignarus S. Joannes Baptista, stulti Apostoli, insipientes martyres, fatuus & ignorans Christus. Ad has voces fuêre confusi, imò scandalizati omnes, & singulariter quidem Rex ipse mortificatus, qui dubitans, ne forte homo ille in aliquod delirium incidisset, irato vultu, quæ, inquit, sunt hæreticalia verba ista? sine mora retractentur. Tunc equidem homo Dei elatiori voce, eadem replicare cœpit verba; quibus magis exacerbatus Rex, heus, inquit, verba illa aut ignem merentur aut catenam. Si cum ratione & intellectu ea protulisti, flammis sunt expianda; sin minus, catenis. Ad hæc intrepidus Dei servus, ô Sire, ait, nonne tu es Rex Franciæ Christianissimus? sum. Nunquid vos ô Cardinales, columnæ estis Ecclesiæ sanctæ? sumus; nunquid omnes Paradisum ingredi prætenditis? prætendimus: si ita est, respondit sanctus pater, ergo amentes fuere Martyres & Apostoli, delirus Salvator; siquidem potentes Paradisum intrare sicuti vos, per viam deliciarum, jocorum, commoditatum, recreationum, vanitatum & voluptatum; semitam elegere tribulationum, passionum & profusionis sanguinis. Aut si Christus sapiens, si sapientes Apostoli & reliqui sancti qui aliam ad cœlum nescière viam, nisi afflictionum & laborum; tu stultus es ô Rex, vos fatui estis Cardinales, si præsumitis tantis cum deliciis pertingere ad Paradisum; impossi-

S. Paul. Nol.

impoſſibile eſt, hic abundare, & in futuro; id quod aſtruebat S. Auguſtinus, inquiens: *Nemo poteſt hic & in futuro gaudere.* Per tribulationes itur in Paradiſum quas ſi non habetis, eas largâ charitate à pauperibus comparate; interim ego reſpirabo.

SECUNDA PARS.

XXVIII. CRas Salvatorem intuebimini totaliter ſudantem atque defatigatum, pro unius Samaritanæ converſione; problema autem exhibebo tale: ubi Chriſtus plures exantlarit labores, an in Samaria, propter unius Samaritanæ converſionem; an in Calvario, propter totius generis humani redemptionem?

XXIX. Quemadmodum Petri ſocrus per tribulationes & febres, præſentiam meruit Chriſti; ita per Chriſti præſentiam, liberationem nacta eſt à febribus: *Intravit Ieſus in domum Simonis, & reliquit eam febris.* Beatam equidem & felicem reddidêre ſocrum Petri, febres; utpote quæ eam ad gradum ſublimarunt deitatis participatæ; ſed & beatam illam, imò feliciſſimam effecit præſentia Chriſti, hæc enim eam ab omni liberavit infirmitate. Auditores quæ Chriſti præſentia nos à febribus liberare poteſt?

Luc. 4. v. 38. & 39.

XXX. Nunquid hodie Jovis eſt dies, Sacramento ſanctiſſimo ſacer? ita. Audite ſubtile S. Paſchaſii argumentum, *à minori ad majus.* Mulier illa, dicit hic ſanctus, quæ fimbriam tetigit veſtis Chriſti, nonnè ſtatim & abſque dilatione ſanitati reſtitua fuit? indubiè. *Audiat* igitur, inquit ſanctus, *quilibet Chriſtianus, corpus Chriſti de altari percipiens, quantam de eo ſumere poßit medicinam, quando mulier tantam rapuit, de ſola Chriſti fimbria ſanitatem.* Si ſola fimbria & extrema veſtis Chriſti pars tantam habuit virtutem, ut infirmitati mederetur adeo gravi; quid præſtabit non jam veſtis extrinſeca, ſed ipſemet in ſacramento Chriſtus? noſque idem formantes argumentum, dicamus: ſi corporalis Chriſti præſentia ſocrum Petri confeſtim à febribus eripuit, quid non præſentia ejus efficiet ſpiritualis?

S. Paſch.

Luc. 8, v. 44.

XXXI. Aſt primò è Scriptura virtutem eruamus ſacramenti contra infirmitates corporales, immediatè poſteà ejus quoque efficaciam abunde probaturi, quâ pollet contra morbos ſpirituales. Prædicans quondam Salvator Judæis, dicebat: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus; qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Eſtne quidquam ô Auditores à quo magis abhorreat homo, quàm à carnis eſu & ſanguinis potu hominis alterius? Et ſi Chriſtus carnem ſuam ſe promittit daturum ad manducandum, quomodo eandem ipſe poſtea appellat panem? *Ego ſum panis vivus.*

Ioa. 6. v. 56.

Euch. ſanat corporaliter

ibid. v. 51.

XXXII. Altiſſimo à principio reſponſum derivemus oportet. Dicite mihi, ô docti, quare Verbum divinum, ut redimeretur homo, ipſummet in perſona propria humanam voluit aſſumere carnem? ſique peccati infirmitas præſentiam requirebat alicujus Perſonæ divinæ, cur non venit Spiritus ſanctus? reſpondebitis utique, Adam per peccatum divinam ambiiſſe ſapientiam (*eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*) ideoque divinæ incumbebat ſapientiæ, reſtauratio hujus caſus; quia ergo Verbum divinum eſt ſapientia Patris, illi & nulli alteri competebat adimplere redemptionem. Optimè reſpondiſtis; aſt quare Verbum divinum, ut homini vitam conferret, carne veſtiri voluit humanâ? Nunquid ipſemet Deus ait: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt*

Gen. 3. v. 5

Ioa. 6. v. 64.

deest quidquam. Non caro sed spiritus vitam impertitur. Iterum si Deus seu Verbum divinum nostrâ voluit carne vestiri, cur eandem postea panis accidentibus voluit cooperire?

XXXIII. Contemplamini speculationem meam. Creans Deus hominem, corpus ei contulit carneum; ipsum porro animaturus in vultum ejus sufflavit: *In-* Gen.2.v.7 *sufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ*; adeoque in homine caro est & flatus Dei: dum autem prævaricatus est homo, factus est mortalis & millenis subditus infirmitatibus. Huic infortunio compatiens Deus, quandoquidem, ait, hominem culpa reddidit mortalem, variisque subjecit morbis; remedio opus est tam præservativo, quàm sanativo; hoc, ut infirmatus à malo liberetur; illo, ne in morbũ incidat. Quod autem hoc est medicamentum? Verbum divinum, tanquam divinioris flatus: *Ego ex ore Altissimi prodivi*; ideoque Ecclesia canit, dicens: Ecli. 24. v. 5. *Vt medelam ferret inde, hostis unde læserat; missus est ab arce Patris, natus orbis conditor.* At si ita est, cur Verbum divinum carne vestiri voluit? An praxin nescitis medicorum? quando hi medicinam habent valentem nimis, quam prævident non conservandam ab infirmo, quid faciunt? medicamentum illud per alias temperant ingredientias, stomacho suscipientis proportionatas. Ita pariter & Verbum dinum, oris paterni flatus, medicina erat nimium fortis, in ordine ad stomachum humanum; non fuisset miser homo capax ad recipiendam illam, unde Gen.6.v.3 & ipse Deus ait: *Non permanebit in homine Spiritus meus, quia caro est.* Miser homo debilis est, & ex carne constans, non poterit sufferre medicamentum; quia igitur infirmus carne amictus est, carne vestiatur & Verbum divinum, sicque carne indutum, homini detur in medicinam.

Modus applicandi medicinas

Nos quidem cum caro essemus infirma, inquit S. Cyprianus, *renovari non poteramus, nisi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens, & contraria contrariis admoverentur, & similia similibus convenirent.* S. Cypr.

XXXIV. Ast si Verbum divinum suam carne attemperavit virtutem, cur eandem carnem accidentibus cooperuit panis? an igitur nescitis Aromatopolarum methodũ, quando hi medicinã infirmo dare intendunt in cataporiis, medicinam in varios dividunt bolos, quos singulos involvunt hostiis, ut infirmus, non videndo medicinam in specie propria, faciliter & absque nausea illam deglutiat. Ita & homini sua erat præparata medicina, scicet Verbum divinum in carne, quem bolum utique stomachus fastidiisset humanus. Agedum itaque, ait Deus, Christus cooperiatur hostiâ, ut hanc faciliter homo recipiat medicinam; ita S. discurrit Gregorius Nyssenus, dum ait: *Horrori esset, si caro ipsa videretur; & propterea seipsum dedit in cibum sub speciebus panis.* S.Gr. Nyss.

XXXV. Ideoque Christus ad Judæos dicit: *Nisi manducaveritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioa. 6. v. 54. Si vitæ optatis prolongationem & morborum expulsionem, meam, necessum est, ut manducetis carnem cujus esus ne vobis nauseam pariat, ego eam accidentibus panis cooperui: *Ego sum panis vivus.* Ecce vobis, v. 51. qualiter sacramentum salutis corporalis sit remedium.

XXXVI. Longè autem efficacior ad auferendam quamcunque ex anima infirmitatem medicina est divinus hic panis. Ardentissimis forsan febribus & gravissimis oppressi estis doloribus? consolamini; altissimum namque Altaris sacra-

Eũch. medicina spiritualis.

mentũ validiſſimum eſt contra omnia mala antidotum, efficaciſſima morborum noſtrorum medicina, ditiſſimum omnium infirmitatum remedium, potus dextrè ſublimatus, ſubtiliſſima quinta eſſentia, embamma pretioſum, aurum potabile, contra omnes animæ febres & Languores.

Febres animarum. XXXVII. At quæ ſunt iſtæ animarum febres? auſcultate: *Febris noſtra avaritia eſt, febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra iracundia eſt.* An medicamen vultis efficaciſſimum contra animæ avaritiam? audite; quare Chriſtus manibus propriis diſcipulorum ſuorum voluit eluere pedes? Reſpondet S. Gregorius Papa: *Vt omnipotentiâ ſua Iudam converteret in Deum.* Volebat Chriſtus convertere Judam, in cujus converſionem ſuâ uſus eſt omnipotentiâ; quia verò noverat, omnipotentiam ſuam reſidere in manibus (*omnia dedit pater in manus*, Ioa. 13. v. 3. ideo pedes lavit avariſſimi illius diſcipuli. At vos interrogo ego, Chriſtuſne omnipotentiâ ſuâ convertit Judam? non. Iterum ob illum ſummæ humilitatis actum, quem Chriſtus præter omnipotentiam exercuit circa Judam, timuit fortè dæmon, fore ut amitteret Judam? minus. Adeſte mecum in cæna. Poſtquam Chriſtus ſacramentum inſtituiſſet altaris, illud diſtribuit omnibus, & ſpecialiter quidem Judæ; qui dum vix communicaſſet, mox, inſtigante diabolo, ſe proripuit è cænaculo: *Cum accepiſſet, illė buccellam, continuò exivit.* Ioa. 13. v. 30. Quò abriperis ô perfide Juda? ſciatis, reſpondet ipſe, me à dæmone cogi ad diſceſſum. Sed quomodo? Chriſto ſuam adhibente omnipotentiam, diabolus ne in minimo commotus fuit; nunc autem, poſtquam Chriſtus ſuum tibi communicavit corpus, ipſe timet amitttere te? Uter majoris eſt potentiæ, an Chriſtus in Sacramento potentior eſt Chriſto omnipotente? ita ſanè. Audite, quid hac de re nobis ſcriptum reliquerit S. Cyrillus, dum ait: *Timens tum moram, tum benedictionem, magna præcipitem agit diabolus celeritate, ne ſcintilla in eius animo accepta, illum deinde illuminaret.* S. Cyr. Al. l. 9. in Ioã.

XXXVIII. Non modò Sacramentum ad animam ab avaritiæ, ſed etiam à ſenſualitatis febre liberandam efficaciſſimum eſt. Providens Deus Eliæ Prophetæ de neceſſaria eſca, cibum illi miſit per duos corvos, quorum alter panem, carnem portabat alter: 3. Reg. 17. v. 6. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter & panem & carnes veſperi.* §. 40. Quare corvus carnem bajulans, ipſe illam non abſumpſit? Si caro proprius eſt corvorum cibus & paſtus, cur à comeſtione hujus carnis dictus abſtinuit corvus?

XXXIX. Reſponſum accipiamus à Zacharia Propheta, dicente: *Quid eſt pulchrum & bonum ejus, niſi granum frumenti & vinum, germinans virgines?* Zach. 9. v. 17. Quid creditis eſſe venuſtiſſimum atque optimum in Eccleſia ſancta? certè non aliud niſi frumentum & vinum, quod virgines efficit, manducantes ſe. Gloſſa ordinaria per frumentum & vinum iſtud, Sacramentum intelligit Euchariſtiæ, inquiens: Gloſ. ord. *Quid eſt bonum & pulchrum eius, niſi corpus Chriſti, conſecratum in pane frumenti?* Hoc totum intelligo? aſt quare ſacramentum virginitate donat eos, qui fruuntur illo? an non ſufficiebat dixiſſe: Sacramentum ſanctos facit, manducantes ſe? utique, hoc ipſum ſufficiebat; nihilominus ad informandum nos, quòd ſacramentum à ſe manducantis anima omnem tollat ſenſualitatem, eumque ad angelicam promoveat puritatem, ideo ſuperadditur: *Corpus*

S. Bern. in Nat. B.M. *Christi germinans virgines. Angelica planè viva virginitas*, inquit S. Bernardus, Mat. 22. v. 30. *& qui non nubent, neque nubentur, sunt sicut Angeli Dei; & hujusmodi germinantur & fiunt, qui manducant corpus Christi sub speciebus panis.*

XL. Ideo itaque unus corvorum non manducavit carnem; nunquid enim panem portabat alter? ita: panis autem nunquid figura est Sacramenti? indubiè. Ecce rationem abstinentiæ; vel sola sacramenti figura, sufficiens est, ad præcavendum, ne corvus appropiet carni ad devorandum eam. Si tantum in corvo vel sola præstitit Sacramenti figura, quidni Christianum à febre sensualitatis verum liberabit Christi corpus?

XLI. Forsitan autem sacramentum hoc medicina sat etiam efficax erit ad exstirpandam ex anima iracundiæ febrim? auscultate per salutem vestram. Cùm degeret Christus in cænaculo cum discipulis suis, factâ nondum communione, certus de machinatione traditoris Judæ, Mat. 26. v. 24. rigorissimis eũ verbis perstringere cœpit, dicens: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; melius fuisset ei, si natus non fuisset homo ille.* In magis iracunda verba prorumpere fortè poterat Salvator, aut vehementius invehi in traditorem? minimè equidem: transeamus à cænaculo ad hortum. Orationes inibi profundente ad Patrem Christo, supervenit Judas cum cohorte, ut eum caperet, ligaret ac Judæis traderet. Christus itaque traditori obviàm processit, cum dicto: *Amice, ad quid venisti?* ô chare amice: *amice?* quomodo? nonne Judas iste armatus venit, v. 50. ad intercipiendum te? ita; quomodo igitur amicus? progredior ulterius: nonne hic, qui modò hortum ingressus est, ut te mortis manibus consignet, est ipsemet ille, contra quem in cæna justam tuam pro fudisti indignationem, iratusque dixisti: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur?* quomodo igitur nunc amicus? Scire vos oportet, inquit S. Chrysostomus, hæc in cænaculo verba proferente Christo: *Væ homini illi:* necdum institutum fuisse sacramentum, ideoque inibi iracundus aggressus est Judam; ast in horto præcesserat jam Christi communio, ideoque ibi totum se perhibuit mitem, sine ira atque indignatione.

XLII. Si itaque sacramentum ad conferendam nobis, tam corporalem quàm spiritualem salutem est efficacissimum, taliter concludite: si domicilium animæ nostræ felix atque beatum habendum est, propter tribulationes, utpote deitatis per gratiam collativas: felicissimum utique ac beatissimum reputari debet propter præsentiam Christi sacramentalem, hæc enim ab omnibus nos liberat generibus infirmitatum; atque insuper gratiam nobis conferens in vita præsenti, gloriam finaliter adjungit insequenti, *quàm Deus &c.*



PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO FERIA SEXTA DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS
De conversione Samaritanæ.

Fatigatus Iesus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Ioan. 4. v. 6.

PROBLEMA
Ubi Christus graviores exantlârit labores; an in Samaria, ut unam converteret Samaritanam; an verò in Calvario, pro totius humani generis redemptione?

INTRODUCTIO.

I.

SUbtilissima mihi semper visa est atque difficillima illa Apostoli doctrina, dum de essentia divina discurrens, divinæ charitatis attributum ipsi longè præfert atque anteponit scientiæ; doctrina sanè tantam involuens difficultatem, ut, quò intellectus noster studiosius allaborarit, sensum ejus assequi literalem, tantò majus nobis detur supernæ specimen doctrinæ; dicit namque Apostolus: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Charissimi mei Ephesii, ut vos divinæ repleamini gratiæ plenitudine, probè cognoscatis oportet eminentissimum Dei amorem & charitatem, quæ ipsam plurimum exsuperat scientiam ejus: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* O docti, quod est vestrum de hac apostolica propositione judicium? putaverim ego, eam non modò bonæ Theologiæ, sed & Philosophiæ contrariari; vos enim me docetis ô Theologi, quòd, licet attributa divina, *secundùm nostrum modum concipiendi*, inter se distinguantur; nihilominus *ex natura rei*, omnia sint unum & idem, ita ut hoc in sensu dici nequeat, unum esse alio majus aut minus. Vos pariter nostis ô Philosophi, quòd amoris nostri mensura, semper mensuram sequatur scientiæ, ita ut objectum nec plus nec minus à volitiva diligatur potentia, nisi in quantum scientia illud proponit, unde commune illud circumfertur principium: *Nihil volitum, quin præcognitum*: quod si ita est, quomodo igitur inquit Apostolus, charitatem Dei divinâ majorem esse scien-

Eph. 3. v. 19.

scientiâ? An nescitis hominem per peccatum in nihil redigi? ita sane psaltes regius attestatur, dum ait: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*: & magnus p. Augustinus superaddit: *Ad nihilum reduxerunt me iniquitetes meæ.* Creatura igitur, quæ ante in Dei gratia existens, divinæ objectum erat scientiæ; dum illam existentiam per peccatum amittit, desinit objectum esse cognitionis divinæ, quia *quod non est, non scitur.* Ast, inquit Apostolus, *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* q. d. Quantumvis homo per peccatum redigatur in nihil, & consequenter objectum esse desinat cognitionis divinæ, nihilominus etiamsi flagitia reiteraret millies, nunquam tamen ita penitus destruitur, quin non objectum maneat charitatis divinæ; tanto namque Deus hominis est illectus amore, ut etiam ingratum fugientem amet ac sequatur, ei manum porrigat, ipsum sublevet cadentem: ecce hodie *fagitatus Iesus ex itinere.* Quò progrederis ô amantissime Deus, totus lassus atque exhaustus? *Non frustra fatigatur Iesus*, inquit S. Augustinus, *non frustra fatigatur virtus Dei.* Hodierna Christi fatigatio non caret mysterio, sudavit Salvator propter unius Samaritanæ salutem: *Fatigatus est Iesus, sitiens mulieris salutem.* Sed quomodo? nunquid & in Calvario in laboribus mortis desudavit? indubiè: ubi ergo dicemus, Christum graviores subiisse labores; an in Samaria, ut unam duntaxat converteret Samaritanam; aut verò in Calvario, ut totum converteret genus humanum? Ecce vobis hodiernum problema. Me igitur nimios Christi, tum in Samaria, tum in Calvario exantlatos, labores explanantem officioso vos consolamini silentio, spe cujus exordior.

Ps. 27. v. 22.

S. Aug. tr. 15, in Ioan.

Probl.

II. *Fatigatus Iesus ex itinere.* In Samaria igitur laborum mole oppressus est Iesus? Curiosos, Domini mei, circumgyrate oculos & incarnatum contemplamini Deum, à tempore, quo ex Patris æterni sinu descendit usque ad ultimum mortalis vitæ ejus flatum; promitto equidem, nunquam vos eum reperturos alibi defatigatum. De cœlo descendit in terram, sed absque labore: *A summo cœlo egreßio ejus, exultavit ut Gigas ad currendam viam.* Altissimos conscendit montes veluti Thabor & Oliveri, sed absque defatigatione. Quatuor adiit tribunalia, flagellis onustus, tormentis exhaustus; fortè lassus succubuit? minimè equidem. Tandem excelsum superavit Calvarii verticem, grave crucis lignum propriis bajulans humeris, at semper & usque animosus, ita ut suos etiam provocaret discipulos, dicens: *Surgite, eamus; ecce appropinquat, qui me tradet.* Hodierno duntaxat itinere lassatus fuit, dum Samariam peteret. *Fatigatus Iesus ex itinere.* Domine, lassitudo magnam in subjecto quod afficit, arguit imperfectionem; qui enim languori succumbit, divinitatem negasse videtur, mutationis & defectus siquidem incapax est Deus: hoccine de te dici permittes, cum tanto divinitatis tuæ præjudicio?

Ps. 18. v. 6. 7.

Mat. 26. v. 46.

III. Ulterius adaugeamus difficultatem. Duobus in locis Christus legitur ardenti laborasse siti, scilicet in Samaria & in cruce; in Samaria supra fontem confidens, ait ad Samaritanam: *Mulier da mihi bibere*; in Calvario, cruci affixus, pariter ad Judæos ait. *Sitio.* In utroque loco ardens Christi sitis horâ sextâ urere cœpit; in Samaria, *Iesus sedebat supra fontem, hora autem erat quasi sexta.* In Calvario; *Ab hora sexta usq; ad horam nonam,*

Bis Christus sitivit

nonam, sciens Iesus, quia jam consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Cur semper Christum sitis ussit horâ sextâ? Notate, inquit S. Augustinus, hanc mysteriosam esse horam. Peccavit homo, ast horâ sextâ: *Ab incursu & dæmonio meridiano*: incarnatus est filius Dei, horâ sextâ: *Dum medium silentium tenerent omnia.* Horâ sextâ Christus principia exorsus est passionis suæ; & quidem notanter hodie: *Iam incipiunt mysteria; hora erat quasi sexta.* Et tandem horâ sextâ suam Christus terminavit vitam: *Ab hora sexta usque ad horam nonam tenebræ factæ sunt & crucifixerunt eum.* Ita ut Christus suam in Samaria inchoarit passionem & quidem horâ sextâ cum siti, eandemque cum siti terminarit horâ sextâ in Calvario. Quid obsecro hæc Christi in horâ sextâ exardescens, significare potuit sitis?

Notabilis hora sexta.

Ps. 90. v. 6.

Sap. 18. v. 14.

V. Primò de siti in Samaria discurrere placet: difficultas consistit in eo, quòd Christus potum à Samaritana postulârit, cui mox ipsemet promisit, dicens: *Qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum.* Domine, si tu aquam possides adeo præcellentem & cœlestem, ut uniuscujusque, ex ea bibentis, satiet atque extinguat sitim, cur aquam mendicas, cur eam à Samaritana requiris? Quid hæretis? non materialem Christus petebat aquam, sed siti laborabat salutis animarũ: *Sitiebat mulieris salutem.* Atque ideo ipse defatigatus substitit, singularem eo in itinere passus sollicitudinem. *Defatigatus ex itinere.*

Ioa. 4. v. 13.

V. At hîc novum subingreditur dubium, grave nimis judicio meo: possibilene est, ut Deus ille, qui nullum in totius mundi creatione sensit laborem, lassitudine opprimatur in unius mulieris conversione? Nunquid vos ô Docti ad creationem, virtutem requiritis infinitam? utique, & hanc nulli communicabilem creaturæ. Virtutem creatio exigit infinitam, *non* quidem *ex parte rei Creatæ*, hæc enim finita est; sed *ratione modi agendi* Exire namque ab intellectu & non præsupposita operandi materia, soli isti proprium est agenti, qui cum purissimus sit actus, neque *per transmutationem* operetur *& motum*, non requirit, ut actionem suam materia præcedat aut subjectum. quemadmodum exigit unumquodque agens creatum; certo vigente principio illo theologico, quòd ad creationem virtus requiratur infinita, nulli communicabilis creaturæ, atque ita solus Deus est principium creativum: redeamus ad propositum: summus artifex Deus aliquem fortè perpessus est laborem in totius hujus mundanæ machinæ creatione? nequaquam; sed solo vocis suæ imperio, tantam quantam expedivit: *Ipse dixit & facta sunt.* Quomodo igitur in unius conversione Samaritanæ tantos subiit labores? respondebitis cum S. Augustino, quòd *majus est, de impio facere pium, quàm creare cœlum & terram.* At in hoc ipso mea consistit difficultas: majoris fortè virtutis erit & fortitudinis, efficere, ut peccator deserat peccatum & ad gratiæ statum revertatur, quàm ut creatura de nihil transeat ad esse?

Ps. 148. v. 5.

VI. Ingens hocce dubium, me, vos ut interrogem, compellit; utra sit major: an turpitudo animæ peccatricis, an verò ejusdem animæ conversæ formositas? & ne à Samaritana recedamus, utram dicemus in muliere hac fuisse majorem; fœditatem & fœtorem peccati ejus, an verò venustatem & ejusdem animæ conversæ bonitatem? primò statum ejus peccaminosum

sum discutiamus; ut autem prætereamus illa quæ sunt omnibus communia peccatoribus, Samaritanam consideremus cum quinque maritis, quos primò habuit, & tandem cum alio, quem de facto habebat virum non suum. Quæ, qualisve erat mulier ista in hujusmodi statu? vultisne, ut liberè enunciem veritatem? Mulier, quæ in peccatum corruit sensualitatis seu carnis, tam fœtida est & spurca, ut nulla omnino immunditіes aut fœtor ad ejus pertingere valeat obscœnitatem: quo appellatur nomine meretrix? Scio equidem, ast mihi illicitum arbitror, qui meo illud ore exprimam, apostolici illius probè memor præcepti omnibus impositi prædicatoribus? *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis*; ita nihilominus eam describamus, ne in minimo lædantur aures puræ. Dicite mihi ô Grammatici, quid significat verbum *puteo*, *putes*? idem quod fœteo seu malè oleo: si ex verbo illo *puteo*, nomen quis derivare voluerit fœmininum, quomodo ei dicendum erit? *puttana*; verborum satis est, filum abrumpite resolutionis vestræ, neque enim ultra patientes libet applicare aures: tali nomine; juxta idioma italicum, mulier vocatur inhonesta, ut scilicet omnes discant timorati Dei servi talem devitare mulierem veluti quid fœtidum, tabificum & pestilentiale.

Meretrix fœtet.

VII. Vultisne dignoscere, quanta sit hujusmodi mulierum fœditas, quantamque ruinam suo causant fœtore & graveolentiâ? quærit S. Joannes Chrysostomus, unde maxima Ecclesiæ inferatur tribulatio, an ab hæreticis an à tyrannis, vel à meritricibus? responderque, dicens: *hæretici & tyranni martyres fecêre in Ecclesia Domini, sed meretrices hæreticos & tyrannos.* Hæretici quidem & tyranni malè faciunt, ast finaliter plurimos Ecclesiæ creant martyres Christi; meretrices autem quid operantur mali? tot & tantos in civitatibus hæreticos parturiunt & tyrannos, quot fuêre usque modò, quorum non pauci, talium amore mulierum, voilentam mortem propriis intulêre genitoribus. Iterum hujusmodi fortè mulierum amatores, Ecclesia ubi sit, cognoscunt? nequaquam, DEUM forsitan norunt? multò minus; tot igitur in Religione Christiana hæreticos & tyrannos parturiunt meretrices: & quidem ut ad particularia descendamus.

Meretrices abominabiliores hæreticis.

VIII. Lascivia Samaritanam vitiorum fecit esse metropolim, quæ quandam in se coadunarat malorum infinitatem; aspera in CHRISTUM fuit & assentatrix, dum exilem aquæ potum CHRISTO negavit, dicens: *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Ioa. 4. v. 9.
Mendax fuit, quia cum amicum foveret domi, ad CHRISTUM ait: *Non habeo virum.* v. 17.
Infamis fuit, ita ut etiam Apostolis occasionem præberet stuporis, cum hi eam cum CHRISTO viderent loquentem: *Mirati sunt, quòd cum muliere loqueretur.* v. 27.
Importunitatem atque arrogantiam probavit in verbo sequenti: *Nunquid tu major es patre nostro Abraham?* v. 12.
Impudentia ejus & nimia animi levitas se prodidit in eo, quòd cum Christus ad illam diceret: *O si scires, quis est, qui loquitur tecum, forsitan petiisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam*: v. 10.
illa mox inverecundè responderit: *unde habes hanc aquam?* quid singula commemorem? certè nullo non malo lascivia hæc laboravit Samaritana.

Sam. vitiorum sentina.

IX. Per-

IX. Permittite mihi ô Auditores ut diversa in præsenti vobis mala recenseam, quæ causat secumq; importat lascivia, immediatè postea ad nostram rediturus samaritanam. Angelicus Doctor effectus illius esse asserit, cæcitatem mentis, præcipitationem, inconstantiam, inconsiderationem, amorem proprium, odium Dei, affectum ad præsentia, horroremq; futuri; *Simplex intelligentia, quæ apprehendit finem ut bonum, consilium de his, quæ sunt agenda propter finem, judicium de agendis & præceptũ rationis; omnia hæc impediuntur per luxuriam.* Auferantur ab homine omnes prædicti actus, & quid in eo superarit boni? nihil; parum dixi: quid restabit in illo humani? nihil omnino: lascivus igitur & bestia pro eodem reputentur, oportet.

S. Th. 22. q. 153. a. 5. Effectus lasciviæ.

X. Necdum satis asserui: lascivia taliter animum atque omnes mancipat impudici potentias, ut ipsa etiam ipsum exuat libertate, penitusque servituti subjiciat dæmoniacæ. *Sentio aliam legem in membris meis*, dicebat quondam Apostolus, *repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Discutere non gravemini mecum ly *Captivantem me*: captivum aut captivatũ nuncupamus eum, qui se juxta beneplacitum suum nullo modo movere potest: magnum equidem est, ab immunditia corpus captivari humanum cum sensibus suis, imò omnes exui corporales vires; ast hoc ipsum transeat; sed quomodo luxuria animam captivare potest & potentias ejus? quomodo voluntatem offendere potest, quam ne ipse quidem Deus infirmat, quantumcunque efficax conferat auxilium? Hic punctus, judicio meo, est omnium hodie proponibilium difficillimus: quomodo concupiscentia sensualem exuere potest omni non modò judicio & ratione, sed etiam affectu & libertate illâ, quæ divinam æmulatura Omnipotentiam, Dei quandoque posternit imperium? Notate, duplici modo posse vim cuipiam inferri; aut realiter & physicè, aut politicè: dum quis prædator invadit, capitque viatorem, violentiam infert physicam, quia scilicet realiter suâ eum exuit libertate. Secundus captivandi modus est politicus, E. C. Si quis in prandio conviva propinat convivæ; ille, propino, inquit; Domine mi, respondit alter, nolo bibere. Propino, repetit ille, neque enim aliter fieri potest; non, replicat alter, ne me obsecro interimere velis, siquidem grande mihi ex potu præsagio futurum malum. Propino, urget ille, amore dilectæ tuæ; moxque alter bibit: vis hæc non physica, sed politica nuncupatur; revertamur ad propositum. Concupiscentia sensualem non physicè, sed politicè captivat; sensus ad rationem ait: propino tibi actum carnalem; non, dicit ratio, neutiquam mihi convenit hujusmodi actus, Replicat concupiscentia per nova incentiva carnalia; propino, ita fiat necessum est: nequaquam, resumit ratio; siquidem gravis hæc foret offensa DEI. Hanc inter luctam lasciva subintrat mulier, quæ blanditiis atque amorosis verbis suis tantum præstat, tantumque loquitur, ut miserabilem illum captivet, penitusque mancipium efficiat diaboli. In quo autem eum captivat? in omnibus; in anima, in corpore, in intellectu, in voluntate & in omnibus potentiis animatis. O indicibilem concupiscentiæ violentiam!

Rom. 7. v. 23.

Lascivia tollit libertatem.

XI. Ex quo provenit, ut, quem diabolus populum, aut etiam hominem supe-

superare nequit, integrâ omnium spirituum infernalium armatus cohorte, eum mediâ lascivâ muliere, atterat, prosternat & subditum reddat inferno. Moliebatur quondam Rex Madianitarum, hebraici populi desolationem, quo fine Balaam adhibuit falsum prophetam, qui licet per artem magicam omnes coadunasset furias Infernales, nunquam tamen Regis potuit adoriri victoriam. Quid igitur fecit? Regi persuasit, ut in Hebræorum exercitum aliquot mitteret inhonestas mulieres, quòd hoc siquidem modo suum infallibiliter obtenturus esse intentum. Paruit Rex atque aliquot exercitui immisit lascivas mulieres; ast quo
Num. 25. *v.* 1. effectu? notate textum: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab. quæ vocaverunt*
v. 2. *eos ad sacrificia sua; at illi comederunt & adoraverunt deos earum.* Vix Mulieres fuerant ingressæ exercitum, moxque populus ad idololatriam conversus fuit, propter quòd iratus DEUS, internecioni dedit 24. millia hominum. Hoc ego loco subsisto: transeat, mulieres ad peccatum carnis induxisse milites; ast qualiter eos in idololatriam præcipitarunt? An non dixi vobis? quidquid vult, exequitur lascivia: quem totus nequiit infernus expugnare numerosissimum populum, singulariter à DEO protectum, quatuor lascivæ exarmarunt, viceruntque mulieres. An non igitur meretrix ipso potentior est inferno? nunquid non hujusmodi mulieres mala operari norunt & possunt, qualia nec ipse diabolus? quæretis in dubie, unde tanta earum potentia; Responsum auscultate
S. Pet. Chry. ser. 74. sancti Petri Chrysologi; *Lacrymis arma vincunt, regna fletibus inclinant, lamentis & blanditiis totam fortitudinem virorum frangunt.*

XII. Quapropter nec asserere vereor, hujusmodi fœminas non modò diabolis potentiores, sed & longè pejores esse. Notate qualiter: asserit Angelicus Doctor, dæmones multos, dum suæ recordantur nobilitatis atque excellentis creatæ naturæ, non audere homines circa lasciviæ peccatum tentare: *Dicunt Magistri, aliquos esse dæmones qui memores suæ antiquæ nobilitatis, non dignantur de peccato luxuriæ tentare.* Veritatem haurite ab experientia, inquit sanctus Thomas; Lucifer namque CHRISTUM tentans in deserto, quem non DEUM (cæteroquin ipsum minimè aggressus fuisset) sed hominem reputabat, nunquam illi tentationem suggessit luxuriæ: *Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato.* Animadvertite; diabolus, qui se Spiritum cernit bellissimum, suæq; nobilissimæ recordatur naturæ, non audet tentationem ingerere libidinis; meretrices autem, quò se vident formosiores atq; exquisitis ornatiores naturæ donis, eò magis accenduntur ad tentandos miserabiles viros: ipsis igitur pejores sunt dæmoniis.

Lascivâ mul. pejor dæmone.

S. Th. l. 5. *de erud. princ. de* 15.

Matt. 4. *v.* 3. *&c.*

XIII. Et quidni ipsis pejores erunt dæmoniis, quæ per lascivias suas, majus causant damnum & ruinam, quàm ipsa dæmonia? diaboli tentationibus suis non nisi mortem procurant animæ, meretrices autem non modò perimunt animas, viros præcipitando in peccatum, sed & corpora interimunt miserorum amantium: audite scripturam. Introducit Salomon quandam lascivam mulierem, suo obviam dilecto, sed verba notate impudici oris: *Victimas pro salute devovi, hodie obtuli vota mea; ideo egressa sum in occursum tuum; intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis* ex

Meretrices perimunt animas & corpora.

Prov. 7. *v.* 14. 15.

v. 7. ex Egypto, *asperſi cubile meum myrrha, aloe & cinnamomo.* Primum hujuſmodi fœminarum exercitium eſt, cum innumeris in publicum prodire iniquitatibus, aſt verbis inſtructas amoriferis & adulatoriis, ſed notate in præſenti, eam à Salomone deſcriptam mulierem quæ neſcio proferre verba: *Aſperſi cubile meum myrhâ, aloe & cinnamomô.* Audiſtiſne unquam quid ſimile? lecti roſis violis & ſimilibus aliis inſtruuntur deliciis, aſt non cum myrrha & aloe, hæc enim non niſi corporibus mortuis condiendis & conſervandis deſerviunt; quid igitur ſuo hæc mulier obtulit amatori? An neſcitis, Caipham vel invitum veritatem dixiſſe, mortemque Chriſti prædixiſſe? ita ſanè: *Expedit, ut unus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Ita pariter illa, per Salomonem expreſſa meretrix, vel nolens, veritatem locuta eſt: quando enim juvenis quiſpiam aut quicunque ſimilis miſerabilis ſocius, credit ſe lectum adire voluptatum, ut laſcivis fruatur amplexibus, eo ipſo tempore tumbam, tumulum & ſepulturam ſibi præparat; vel enim exanimatur ſalus, aut malum contrahitur incurabile quod per totam vitam deploret infelix; aut inſidians aliorum amantium zelotypia iniquos crudeli morte dirimit amplexus: ecce vobis impudicas mulieres ipſis pejores dæmoniis, quia miſeros viros morte perimunt corporis & animæ.

XIV. Ideoque S. Paulus Corinthium illum carnalem, cum proprii patris uxore peccantem, diabolo conſignavit in
1. Cor. 5. v. 5. ſupplicium: *Iudicavi tradere hujuſmodi hominem ſatanæ.* Cur non alteri, quàm dæmonio puniendus traditus fuit? quia ſenſuales, tanquam totidem inferni carbones, aut nihil aut parum ab animabus differrunt damnatis, quas nullus melius punire novit quàm diabolus, inferni miniſter.

XV. Concluſurus itaque hoc punctum, dico; tantam eſſe meretricis ſpurcitiem & fœtorem, ut, citra divinæ potentiæ miraculum, ne una quidem earum ſuum ſit derelictura ſtatum, ſeque ad Deum converſura, teſte Apoſtolo, dum ait: *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, & quid adhuc dicam?* Recenſebat Apoſtolus magna fidei prodigia, poſt enumerata autem majora diverſa, qualia fides in Abele, Noe, Abrahamo, totque aliis ſanctiſſimis Patriarchis operata fuerat, tandem quaſi ultimum catenæ appoſiturus annulum, concludit, fide conſervatam fuiſſe Raab meretricem: *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, & quid adhuc dicam?* Quid ſublimius dici poteſt? Quomodo ô ſancte Apoſtole? nonne admirabilius fuit, Joſue in medio cœlo curſum ſtitiſſe ſolis? nequaquam; nec hoc, nec quodcunque aliud prodigium accedit ad iſtud, quod eſt, ſalvari quampiam meretricem; hæc enim, utpote infinitas ſecum portans immunditias & turpitudines, ſi ex infami ſtatu ſuo ad Deum educatur, converſionem hanc miraculum eſſe, ſcitote omnipotentiæ divinæ.

Salus meretricis miraculoſa.

Hebr. 11. v. 31. v. 32.

XVI. Tempus modò ſuadet, ut ad eam, quam deſeruimus, revertamur Samaritanam: quid mirum, ſi Chriſtus hodie, viarum moleſtiis exhauſtus, defeſſus, laſſusque deficiat? *Fatigatus ex itinere?* Quò abiit? ad Samaritanam; quo fine? ut eam converteret; qualis hæc mulier erat? meretrix. Itane? mulier ſuam habens venalem carnem, ne igitur admiremini ultra. Si medicum in via offenderetis in ipſo meridiano fervore, quid con-

Cur Chriſtus laſſus.

concluderetis? utique infirmus quispiam in magno versatur vitæ periculo. Ita pariter pientissimus Jesus, in ardentissimis caloribus (*Hora erat quasi sexta*) totus graditur lassus & defatigatus; quare? quia omnium malorum maximo mederi cupiebat & delictum sanare, quod tot est origo malorum; Samaritanam convertere allaborabat, quæ tanquàm meretrix, omnium erat sentina vitiorum.

XVII. Imò ut lascivam hanc fœminam converteret Dominus, non videtur suffecisse defatigationem ejus, sed & ante tempus insuper propterea crucifigi voluit; audite namque, qualiter discurrat textus: *Fatigatus Iesus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Particula *Sic* sudorem multis expressit interpretibus: quomodo Christus consistebat super puteum? *Sic* sed qualiter, in qua forma? Respondet S. Bernardus Senensis: *Iesus sedebat supra fontem, cum brachiis apertis ad modum crucis.* O rem stupendam atque inauditam! Tanto igitur tempore ante ô Domine tua cruci membra affigis? ita, dicit Dominus; quia de meretricis conversione res agitur, quæ non minus quàm meam exigit in cruce mortem; quia verò necdum mihi licet crucem conscendere ligneam, me cruci affigo cum animo. Videte, quanta fuerit hujus Samaritanæ fœditas, utpote quæ etiam CHRISTUM immaturam ante tempus adegit in crucem.

S. Ber. sen. to. 4. ser. 24.

XVIII. Viso miseræ hujus mulieris peccaminoso statu, modò ad conversionem ejus contemplandam digrediamur. Residente Christo lasso in crucifixi forma super fontem Jacob, venit mulier Samaritana vase suo haustura aquam: *Venit ibi mulier Samaritana haurire aquam.* Hoc ego factum considerans, obstupesco nimis, nunquid enim possibile est, ut mulier, quæ tanto tempore quinis servierat amatoribus, & de facto quidem alium fovebat domi suæ: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir*: estne possibile inquam, ut mulier tot amicorum officiosa dilecta, nihil penitus aquæ ab aliquo habere potuerit? O miseria! ô miseri servi mundi! cur non perpenditis, vos quantô frequentiora præstatis mundo obsequia, in tanto sublimioribus natitare miseriis?

XIX. Ast casu forsitan mulierem hanc ad fontem Jacob accessisse arbitramini? nequaquam, sed effectus fuit divinæ providentiæ; quis crederet hunc impiæ illius fœminæ exitum, in meridie institutum, ejusdem fuisse prædestinationis effectum & salutis originem? Altissimam auscultate Theologiam ô docti: *Ex vi præsentis decreti*, si Samaritana fontem Jacob non invisisset, salutem non obtinuisset; Deus enim *ab æterno* prædestinans Samaritanam, ordinavit, ut salus ejus inchoaretur in exitu ad fontem Jacob, pro haustu aquæ.

XX. Pater, igitur opera nostra naturalia causa esse possunt nostræ prædestinationis? An non intelligitis sensum meum? opera nostra naturalia, quantumcunque bona, nec sunt meritoria, nec servire possunt pro dispositione proxima aut remota, ut DEUS primam nobis conferat gratiam excitantem; opera enim nostra naturalia sunt, gratia autem supernaturalis: *Et inter naturalia & supernaturalia nulla est connexio.* Ast quid dico? opera nostra bona naturalia summo in pretio habenda sunt,

ut unusquisque nostrum ad recipiendam Dei gratiam tantò semper inveniatur capacior, minusque impeditus: me declaro in exemplo. Vigilia nostra non est actus meritorius neque etiam dispositio dici potest, ad consecutionem alicujus doni supernaturalis; sed quid? vigil & expergefactus capacior est conversionis quàm dormiens, quia scilicet vigilia impedimentum tollit conversionis, nempe somnum: ita pariter in præsenti. Qui bona cum intentione naturali recitat unum *Ave Maria*, ad conversionem aptior est alio, qui in peccato hæret mortali, hoc enim est impedimentum positivum, prohibens aditum gratiæ: atque ita in proposito nostro, exitus Samaritanæ ad fontem Jacob ad hauriendam aquam, opus fuit merè naturale, non meritorium, neque dispositio proxima aut remota ad inchoandam conversionem; nequaquam: sed quid? opus fuit momenti magni & subsidii specialissimi; hic enim exitus eam minus reddidit impeditam, magisque capacem ad conversionem obtinendam, ita ut ex eo temporis, momento salutis ejus jacta fuerint fundamenta.

XXI. Afferti veritatem dignoscere placet; notate successum. Vix ad puteum pervenerat Samaritana, moxque aquam attrahere cœpit; Jesus igitur propter nimiam lassitudinem insidens fonti, quietis causâ; ad mulierem conversus, ait: *Mulier da mihi bibere.* Fœmina, te rogo, ut mihi quid potus præbeas: Samaritana autem, aut ex vestitu aut ex loquela colligens, Christum Judaicæ esse professionis, ei respondit, dicens: *Quomodo tu cum Judæus sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Cui Christus: nescis ô mulier, quis & qualis à te potum postulet; si enim id scires, tu potius ipsa potum ab eo petiisses, atque ipse tibi aquam dedisset cœlestem; replicavit Samaritana: *Domine, hic puteus altus est, unde ergo habes hanc aquam*: audi mulier, ait Christus & scito: Quòd *qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum.* Ast Domine mi, si aqua fontis Jacob in vestrarum aquarum comparationem, fœtida est & qualitatis pessimæ, cur eam igitur, quasi necessariam tibi petis à Samaritana? *Da mihi bibere*: quid? creditis forsitan, Christum aquam à Samaritana petiisse materialem? minimè equidem; sed volebat Christus se animæ communicare Samaritanæ, & animam Samaritanæ sibi in cibum servire sacramentalem suæ communionis.

XXII. O pater, nimium hoc est encomium: Samaritana igitur ad tantam pertigit venustatem & perfectionem, ut in communionis Christi sacramentum deservire poterit? Ita sanè; equidem quid fuisse arbitramini Samaritanam conversam? Dea fuit per gratiam, imò vitæ Christi redemptrix; sublimiora dicam: tanti illa pretii fuit atque æstimationis, ut locum tenens evaserit unius personæ divinæ: ne turbentur catholicæ aures.

XXIII. Samaritana redemptrix fuit vitæ Christi & Dea per gratiam: notate qualiter. Prædicabat Christus, Samaritanam exhortans ad vitæ mutationem, eique dicebat: filia, fons gratiæ longè diversus est ab illo Jacobi hic è terra, ille è cœlo originē trahit, quia *est donum Dei*: hic semper deorsum fertur, ille sursum: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*: hæc aqua terrena non nisi per labores acquiritur & sudores, illa cœlestis facillimè ab omni, petente eam: *Tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*: Sam. Dea per gratiā.

hæc

hæc aqua mortua est, nullum vivificans, nullum à morte liberans; illa autem cuicunque se bibenti vitam impertitur æternam. Hæc bibentis nunquam exstinguit sitim pro semper: *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum*: illa autem uniuscujusque in æternum delet sitim: *Qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc ut audiit Samaritana, omni cum humilitate in sequentia prorupit verba: *Domine, hanc da mihi aquam.* Filia, ait Christus, paratus ego sum, meâ te exornare gratiâ; at certa esto, neminem, in peccato mortali existentem, hujus posse participem fieri aquæ; tu autem usque modò & in peccatis insorduisti, & necdum emersisti; quinque enim maritis fruita fuisti, & modò alium foves fornicarium domesticos inter parietes: *Quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Domine, inquit Samaritana, videris mihi Propheta esse: *Domine, ut video, Propheta es tu*: Non enim vel in minimo à veritate aberrasti. Confiteor peccatum meum, veniam peto & dico; mea culpa, mea magna culpa, mea maxima culpa. Itane? Samaritana tribunal conscendit pœnitentiæ, suumque confessa est crimen? vitæ igitur Christi redemptrix dici potest, quia hæc ejus emendatio Deum, qui ante in ipsa per peccatum mortuus erat, resuscitavit per pœnitentiam; quia autem cum conversione gratiam habuit justificantem (*quæ est participatio divinæ naturæ*) illa post conversionem, Dea per gratiam nuncupari potest.

XXIV. Sublimia asserui, nihilominus jam jam longè quid astruam magis stupendum. Certificata Samaritana de Messiæ adventu, audiensque ab ipso Christo dici sibi: *Ego sum, qui loquor tecum*, subitò repetiit civitatem, suisque prædicare cæpit popularibus, dicens: *Venite omnes & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Egrediamini ô omnes municipes mei, currite, ut Messiam videatis, qui mihi revelavit, quidquid feci in vita mea: *Et multi crediderunt in Iesum propter verbum mulieris, testimonium perhibentis.* Effecit Samaritana, ut plurimi in divinitatem crederent Christi. Itane? tot Samaritana Deo lucrata est animas? concludite igitur, eam propterea divinizatam fuisse & quandam quasi Deitatis obtinuisse speciem, quia ut testatur S. Dionysius Areopagita: *Omnium divinorum divinissimum est, cooperari Deo ad salutem animarum.* S. Dion. Ar.

XXV. Necdum Samaritanæ excellentiarum attigi epilogum; audite igitur & obstupescite. Christus Sichimitas conversurus, solam misit Samaritanam, ast ut ipsam converteret Samaritanam, ipsemet ivit in persona. Domine, ut unicam convertas mulierculam Samaritanam, tot in persona propria labores exantlas & sudores, ut autem integram convertas civitatem, unam mittis fœminam? nonne satius fecisses, aliquem ablegando Apostolorum? non, dicit Christus; per mulierem habitatores Sichar convertere volui, ut noverint omnes, Samaritanam conversam divinæ meæ æquivalere personæ; ut autē Samaritanam converterem, in propria persona abire volui; me namque cum eadem hac conversa Samaritana decrevi communicare.

XXVI. Veritatis hujus quæritis probationem? notate: abierant in urbem Apostoli, ut necessarios procurarent cibos: *Discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.* Reduces autem Christum invenerunt loquentem cum Samaritana: *Et mirati sunt, quòd cum muliere loquere-*

 tur;

tur; quo non obstante, sine ulteriori consideratione, *Rogaverunt eum, dicentes*; *Rabbi, veni & manduca*; chare magister accede ad prandium. Non, ait Christus: *Alium cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Ego epulas habeo delicatissimas, sed incognitas vobis. Ad hæc attoniti & ad invicem conversi Apostoli, dixere: *Nunquid aliquis attulit ei manducare*? quibus Christus: nullus omnino, Apostoli mei; sed sciatis, quòd *meus cibus est, ut perficiam opus ejus, qui misit me.* Salus animarum unicus est cibus meus, ac proinde dum unam hanc converti tanta cum gloria mea, cum eadem me communicare volo & satiare.

Joan. 4. v. 34.

XXVII. Ex huc usque dictis, vos responsum diluite dubii principalis. Gloriosior fuit Christi in cœlo labor & defatigatio & passio, quam subiit in Samaria, propter unius Samaritanæ conversionem, præ passione & morte ejusdem Christi in Calvario, ut totum redimeretur genus humanum: passionis enim & mortis Christi in Calvario, ipse Salvator minister non fuit, sed Judæi; laboris autem & passionis in Samaria ipsemet exstitit author, amorosè se crucifigens per affectum, ut unicam salvaret peccatricem.

XXVIII. Adjungite insuper in cœlo exstitisse Christum Redemptorem vitæ, pro toto genere humano; ast in Samaria, coversam Samaritanam, vitæ Christi fuisse redemptricem.

XXIX. Quibus superaddite, passionem & mortem Chiisti in Calvario, fuisse quidem sacrificium, æterno oblatum Patri, pro peccatis totius generis humani; non tamen sacramentum, vi cujus ipsemet Christus se communicaret: in Samaria autem, quidquid Christus pro Samaritana fecit, sacrificium fuit, pro salute ejusdem à Christo oblatum; ipsa porro Samaritana tanquam cibus serviit eucharisticus illius communionis. O infinita Crucifixi mei bonitas, eosdem pro unius animæ salute subeuntis labores, quos pro redimendo & salvando passus est toto genere humano!

XXX. Audi & obstupesce ò Christiane nimium Dei in te amorem; vel unica anima tanto in pretio est apud Iesum, quanto mundus universus; quantumque pro una Christus fecit Samaritana, tantundem hodie pro uno quoque nostrum præstaret. Ecce hodie ipsum non supra fontē, sed in cruce reali crucifixum, in qua tuam sitiens salutem, petit: *Anima, da mihi bibere.* O anima fidelis præ siti morior salutis tuæ; adeone tu hodie barbarus eris, ut sitibundo huic Deo omnem penitus deneges lacrymarum guttulam? *Amari sitit.* Crucifixus iste nostram sitit salutem, nostram conversionem & pœnitentiam.

XXXI. Quoties id ipsum tuis insonuit auribus ô Christiane, & nihilominus ne quidem in minimo hucusque inductus fuisti ad detestationem peccati? quod hocce fascinum ô cor surdissimum? ergone possibile est, ut Deo præ salutis tuæ siti emoriente, tu nec commovearis, nec inflammeris, neque te emendes? nisi hodie totus resolvaris, te ipso dicam duriorem esse dæmonio. Audi, & nisi cor geras lapideum tantus quantus resolvere in planctum. Legitur quondam malâ sorte suâ ex eremo ægyptiaca in urbem discessisse quidam pater, qui diabolici cujusdam sacerdotis filiam conspiciens, tanto ejus amore raptus fuit, ut ad eremum suam redux, suum indilatè Abbatem adierit, ab

Exempl. Eremitæ diabolici.

Exempl. Eremitæ diabolici. ab eoque licentiam petierit discedendi, cum animo relinquendi eremum. Rediens igitur postea ad urbem, sacerdotem ut reperit, fœminæ patrem, ab eo filiam petiit in sponsam. Cui Sacerdos: nequeo tibi promittere filiam meam, nisi prius Deum meum consuluerim; diabolum itaque adiit, quem adorabat, eique dixit. Diabole, Eremita quidam meam procatur filiam, visne, ut ego illam ipsi consignem in sponsam? Cave, respondebat diabolus; non facias, nisi suo ipse prius renunciet habitui & professioni. Fratercule, si meam tibi deposcis filiam ducere in uxorem, professioni renuncies oportet; ad quæ Eremita: renuncio habitui, renuncio professioni, & cuicunque alteri, prout volueris. Diabole, consensit Eremita in petitionem meam, quid ultra restat? dic ei, ut renunciet sacramentis. Amice, renuntia etiam Sacramentis. Renuntio sacramentis, imò & Deo. O maledicta creatura; diabole, acquievit Eremita; superestne quidquam aliud? imò; dicito illi ut singula propria promissa suo in scriptis consignet sanguine. Heus Eremita, paratusne es manu tuâ omnes in scripto confirmare sponsiones? utique, non semel sed centies; apprehenso itaque ferro seu ense sanguinem elicuit, quo omnes suas consignavit promissiones. Diabole, nunquid modò meam Eremitæ donabo filiam? *Tunc diabolus clamare cœpit, noli eam dare; quia quamvis hæc omnia fecerit, Deus tamen suus est ita bonus, quòd eum non deseruit, sed adjuvat eum.* Ne annueris petitioni ejus licet etiam ipsi Deo suo renunciarit, hic nihilominus adeo bonus est, ut eum non dereliquerit, sed amore eum prosequatur majori hodie, quàm unquam. O amantissime Deus, quomodo nunc cor meum non discinditur? cur pectus meum non confringitur? possibilene est ô Christiane, eam à dæmone bonitatem cognosci, quam Deus exhibet nobis; nos autem, pretioso ejus sanguine redemptos, nullatenus eam agnoscere? tune ô peccator permittere potes, ut Deus ille moriatur præ siti? Ipse hodie à te potum exigit, dicens: *Fili, da mihi bibere.* Eritne quispiam inter hos omnes præsentes crudelis adeo atque inhumanus, qui vel unicam etiam sitibundo Deo deneget lacrymam? si lacrymæ desunt, nunquid suspirium recusabitis? unus pœnitentiæ actus sufficiens est, ô homo, ad salutem tuam. Imo si suspiria deficiunt, fel offerre ne moreris, fel inquam peccati: *Fel draconū amarissimum.* Nostra ei donemus peccata omnes ad sanctos ipsius pedes prostrati; quibus aquam adjungite eleemosynæ: *Aquam nostram pecunia bibimus*: sint vobis recommendati pauperes. Tempore autem, quo vos ad reconciliationem cum Deo disponitis, mihi indulgete, ut respirem.

SECUNDA PARS.

XXXII. De crastino elucidare conabimur, utra sibi in augustissima Domina nostra vendicet præcellentiam; an puritas matris, an verò maternitas Virginis? Evangelium hodiernum admodnm prolixum est in verbis, ast multò fæcundius mysteriis. Potuissem loquacitatem redarguere mulierum; Christo enim vix tria proferente verba (*Mulier da mihi bibere*) Samaritana mox in integrum effunditur discursum, dicens: *Et quomodo tu cum*

Judæus

Iudæus sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Mulieres suas cohibeant linguas præsertim autem in Ecclesiis, in præsentia Christi.

XXXIII. Potuissem pariter discursum vobis instituisse de vitandis mulieribus; Apostoli namque hodie Christum invenientes, loquentem Samaritanæ *Mirabantur, quòd cum muliere loqueretur.* Materia hæc omnes quidē respicit, principaliter autem Ecclesiasticos, & maximè verò Confessarios. Patres Cofessarii, tanta vos inter & pœnitentes non vigeat familiaritas, sed ut confessi sunt, eos abire sinite.

XXXIV. Docere vos potuissem, dedecere mulieres dona & munuscula accipere, sine licentia maritorum. Samaritana hodie à Christo petebat aquam: *Da mihi hanc aquam*: Cui mox Christus: *Vade & voca virum tuum.* Domini uxorati, si quid in ædibus vestris repereritis non comparatum à vobis, invigilate sedulò, mulieres namque vestræ vos in societatem Cornelii celsi asscribere attentant.

XXXV. Ast supersedeamus illis & omnibus aliis, unicum duntaxat consideraturi punctum, eumque egregium nimis. Duo in hodierno Evangelio contemplor dona & totidem dantes; hinc Christum à Samaritana postulantem aquas: *Mulier da mihi bibere*: illinc Samaritanam, Christo supplicantem: *Da mihi hanc aquam.* Notate obsecro, in utroque loco aliud non dicit, quàm *Da, Da.* Christus enim ad Samaritanam ait: *Da mihi bibere*: Samaritana quoque ad Christum: *Da mihi hanc aquam.* Intelligere percupio, utrum donum fuerit excellentius; an Christi, an Samaritanæ? primò inspiciamus munera; quid Christus donavit Samaritanæ? aquam divinæ gratiæ: *Si scires donum Dei, forsitan petiisses, & dedisset tibi aquam vivam.* Quod Christo donarium impertiit Samaritana? Animam conversam & divinâ decoratam gratiâ: *Sitiebat Christus mulieris salutem.* Trutinæ huicce duo imponamus dona, investigaturi, utrum pretiosius sit ac magnificentius, an viva divinæ gratiæ aqua, quam Christus contulit Samaritanæ; an verò ipsa Samaritanæ anima conversa, quâ mulier hæc honoravit Christum? pretiosiusne quidquam divinâ gratiâ reperiri potest? neutiquam, hæc enim *est participatio divinæ naturæ*; & tantundem est divinam possidere gratiam, ac ipsam habere participatam Dei essentiam; ideoque justi appellantur Dii per gratiam: *Ego dixi, dii estis.* Ps. 81. v. 6.

XXXVI. Nihilominus concludo ego, in trutina divina plus ponderis & pondo animam habere conversam, divinâ decoratam gratiâ, quàm ipsa habeat divinitas participata. Non præsumpsissem simile quid asserere, nisi duo sancti Patres ad assertum hoc liberè enunciandum linguam meam animassent. Doleo defecisse tempus, quò minus de animæ ad Deum conversæ pretio & venustate discurrere valeam; ast acquiescite exili isti, quod jamiam vobis depromturus sum. Decor animæ conversæ. Sanctus Bernardinus suam ita alloquitur animam: *Magno quidem pretio æstimata es anima mea, pro qua acquirenda à summo cœlo, Dei filius descendit in uterum Virginis.* Quis conversæ pretium animæ æstimare poterit, quandoquidem Dei filius, ut eam investigaret, de cœlo descendit Empyreo, in Virginis incarnatus utero? Sanctus Eusebius nostrum magis consolidare videtur argumentum, cùm de animæ conversæ pretio discurrens, ait: *Magnum quidem est, quòd me esse sentio opus Dei; sed multò magis fuit*

S. Ber sen. ser. 5. de dign. an. c. 1.

S. Eusebi h. 6. de Pasch.

fuit, ipsum transiisse in pretium meum, ut homo ipse Deum valere videatur. Quantum ô homo esse putas animæ justæ valorem? idem hujus, qui DEI est valor? Deus namque pro ejus comparatione omnia sua expendit; quid autem expendit? animam, corpus, sanguinem atque ipsam divinitatem, omnes erogavit divinos thesauros.

XXXVII. Ecce vobis hic peraccommodam Philosophi regulam: *Propter quod, unumquodque tale, & illud magis.* Quandoquidem igitur Deus, ut sibi justam compararet animam, suam expendit divinitatem; ex eo igitur legitimam vos deducite consequentiam, scilicet in cœlesti trutina & penes Deum majus obtinere pondus animam Deo amicam, quàm ipse obtineat Deus; adeoque concludere possumus, præclarius hodie munus à Samaritana accepisse Christum, scilicet conversam mulieris animam, quàm à Christo consecuta fuerit Samaritana, participatam à Christo adepta Deitatem, scilicet gratiam.

Ps. 81. v. 6.

XXXVIII. Nunc igitur discerne ô Christiane, quid præstes, dum peccato derelicto, ad Deum te convertas; eo ipso tempore tuam Deo assimilas animam; in eo momento, tanto evadis dignus valore & pretio, quantum de facto Deus ipse meretur: hæc vestris imprimite cordibus, & itote in pace.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE SABBATINO DOMINICÆ TERTIÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De magna puritate Mariæ, cujus speciales se filios perhibent confratres Sanctissimi Rosarij.

Decor animæ conversæ.

Adduxerunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi mulierem, depræhensam in adulterio; Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Ioa. 8. v. 3. 6.

S. Ber. sim. ser. 5. de dign. an. c. 1.

PROBLEMA

Utra puritas coram oculis creatis sit admirabilior; an divinarum personarum, an verò Mariæ matris Christi? Quæque inter omnes Ecclesiæ Christianæ confraternitates, sit hæres Paradisi certior, quàm illa Sanctissimi Rosarij?

INTRODUCTIO.

S. Eusebi h. 6. de Pasch.

I. Ecce me hodie, Domini nobilissimi, non temerario & præsumptuoso, sed humili ac reverentiali nisu, stadium ingredientem puritatis Mariæ, matris Chri-

Christi. Quid dicis ò pater? Puritatis matris? si Maria mater est, quomodo pura? si virgo, quomodo mater? prodigiũ sanè singulare. Dicite vos mihi, quotquot meum obstupuistis assertum: nonne gratia potẽtior est, quàm natura? ita sanè Doctor tradit Angelicus, inquiens: *Major est gratia, quàm natura.* Si igitur tot ac tanta naturæ conceduntur prodigia, quid ni & gratiæ attribuendi erunt effectus stupendi? nonne Valerio Maximo teste, Tullia Virgo cribrum tulit aquâ plenum à Tyberii usque ad templum Deæ Vestæ? nunquid non de Martia scribitur nobili Romana, quòd dum utero ferens, fulmine tangeretur, exspirarit ille quem prægnans portabat fœtum, ast ipsa remanserit intacta? Rex de Cambaja, ab incunabilis veneni nutrimento assuetus, nonne naturam induit adeo malignam, ut respiratione & saliva, imò vel solo obtutu suo omnes perimeret, quotquot videret? Olympiodoro teste, vir quidam, tempore Aristotelis, per totum vitæ suæ cursum, nullum unquam cibum sumpsit aut quietem, solo calore Solis, nutritus ex aëre. Tempore Frederici Secundi accidisse memoratur, quòd quidam in Germania Clericus, propter venæ apertionem, talem memoriæ fecerit jacturam, ut deinceps nec scribere sciverit, nec legere; post anni verò spatium, iterum eandem sibi curans aperiri venam, beneficium receperit memoriæ, ita ut legere potuerit & scribere, quemadmodum prius. Recenset Muretus, se quendam Patavii vidisse Corsicum, fœcundâ adeo pollentem memoriâ, ut 33. millia nominum ordinatè recitârit à primo usque ad ultimum, eademque postmodum ab ultimo repetierit usque ad primum. De Epimenide Cretensi historiæ tradunt, eum à patre ad gregis custodiam missum, quietis causâ speluncam quandam intrasse, ubi sine ulla intermedia vigilia, per 50. continuos annos dormivit.

S. Th. opus. 17. — *Val. Max. 8.* — *Ludov. de mirac. naturæ.* — *Olymp.* — *Andr. Eboren.* — *M. Ant. Muret. Sylva var. lect.* — *Lud. Ravis. de mir nat. f. 49.*

II. Si natura tot admirandos producit effectus, quidni prodigios magis gratiæ attribuerimus? nunquid virga in manu Moysis, modò in serpentem, modò de serpente in virgam commutata fuit? Ita Exodus attestatur. Ad nutum Elisæi, exile lignum, in aquas præcipitatum, ad fundum descendit, & ferrum econtra, non obstante pondere naturali, è fundo ad aquarum ascendit summitatem: *Misit Elisæus lignum in aquam, & natavit ferrum.* Magnus martyr Areopagita, pro Christi fide, capitis sui abscissionem passus, ad duo millia passuum, caput suum in manibus propriis portavit, quemadmodum vitæ ejus historia refert in hæc verba: *De eo illud memoriæ proditum est, abscissum suum caput sustulisse & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse.* Nunquid magnus Mediolanensis pastor Sanctus Ambrosius eodem tempore, quo in cathedrali sua sacrum missæ officium perageret, simul etiam Turonibus, præsens inter fuit Sancti Martini exequiis? nonne Sanctus Gregorius Thaumaturgus, fluvios exsiccans & paludes, montes transtulit de loco in locum? Si hujusmodi prodigia operari potuit gratia; quid me admiramini dicentem: hodie vobis de magna Mariæ, Christi matris puritate verba facturus sum? An fortè authenticum hujus testimonium deficit in scriptura sacra? tertium Exodi caput requirite, eumque, quem vobis re-

Exod. 4. v. 3. — *4. Reg. 6. v. 6.* — *In ejus vita.*

præ-

præſentabit rubum, attentè contemplamini ardentem quidem, aſt non conſumptum: *Rubus ardebat, & non comburebatur,* Cujus rubus iſte exſtitit figura, niſi magnæ puritatis Mariæ? *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.* Supra quæ verba ſancti Bernardus & Gregorius Nyſſenus ita diſcurrunt: *Rubus in deſerto ardens, Maria Virgo eſt, quæ increatam parturiens flammam, non corrupta eſt, ſed Virgo permanſit.*

Lud. Ra. vit. de mir nat. f. 49. — Exod. 3. v. 2. — DD. Bern. & Gr. Nyſ. — Exod. 4. v. 3.

III. Et Chriſtus Dominus de quo alio hodie diſcurrit: niſi de matris ſuæ puritate? Phariſæi atque Hæretici eam tanquam adulteram accuſabant & impuram; Dominus autem *inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.* Quid exaravit in terra Chriſtus? *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam, lapidem mittat.* q. d. Si quis ex vobis à peccato immunis eſt, permitto ei, ut lapidibus appetat hanc mulierem, matrem meam, ſignificatam per eam, quam calcat terram: *Bene dixiſti Domine terram tuam:* quæ Salvatoris ſententia omnes adeo perſtrinxit accuſatores, ut *exirent unus poſt unum, incipientes à ſenioribus.* Quandoquidem igitur, ait Chriſtus, nullus veſtrum à peccato liber eſt, caveatis mulierem hanc genitricem meam, adulterii accuſare aut impuritatis; non adulterii, quia licet Joſephi exſtiterit ſponſa, nihilominus me unigenitum ſuum, non humani illius ſponſi operâ, ſed Spiritus ſancti, qui ſponſus ejus divinus erat, virtute parturiit. Neque etiam in matrem hanc meam aliqua poteſt impuritatis cadere ſuſpicio; ſicut enim ejus partus eſt idem ille filius, qui ab æterno generatus fuit à Patre, ita & ipſa poſt partum pura remanſit & Virgo, quemadmodum purus & virgo perſtitit ipſe æternus pater. Aſt ſi Maria poſt partum, virginitatem conſervavit; utram coram divinis oculis dicemus puritatem eſſe admirabiliorem, an illam divinarum Perſonarum, an hanc Mariæ? hunc nodum in parte prima ſolvere conabimur, in ſecunda deinde exploraturi, quæ ſodalitas ſeu confraternitas Mariæ & ſacratæ Triadi gratior exiſtat, præ illa ſanctiſſimi Roſarii? admirabilia, juxta Ariſtotelem, non verbis ſed ſilentio venerari oportet: me igitur hodie admirabilem Mariæ puritatem contemplante, vos profundo eam revereamini ſilentio, cujus ecce primordia tento.

4. Reg. 6. v. 6. — Ioa. 8. v. 6. — v. 7. — In ejus vita. — Pſ. 84. v. 2. — Ioa. 8. v. 9. — Ex Evang. puritas eruitur M. V.

IV. Quis autem meliori jure atque accommodatiori modo, præſentem meum de Mariæ puritate diſcurſum exordietur, quàm trium divinarum Perſonarum Concilium, ſollicitè nimis ac providi ſequentem hanc inter ſe agitantium quæſtionem: *Quid faciemus ſorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?* Quoad præſens intentum in illo ſacræ ſcripturæ textu hæc ſolummodò verba annotanda occurrunt: *ſorori noſtræ.* Quis hæc protulit verba? ſanctiſſima Trinitas in ordine ad quem? ad Mariam. O Deum! igiturne Maria divinarum Perſonarum ſoror nuncupari poteſt? Adeſte, adeſte ô Theologi & reſolvite mihi; inter ſacras Perſonas vigetne fraternitas? Nunquid realiter diſtinguuntur? utique: *Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alias Spiritus ſancti:* atque ita quidem inter ſe diſtinctæ ſunt,

Cant. 8. v. 8. — M. ſoror Trinit.

ut differentem sortiantur descendentiam; Pater non procedit ab aliis, Filius solus procedit à Patre per viam intellectus, Spiritus Sanctus à Patre procedit & Filio per voluntatem: *Pater à nullo, Filius à patre solo, Spiritus Sanctus à Patre & Filio.* Si igitur divinæ Personæ differenti gaudeant descendentiâ, consequenter fratres non sunt. Verum est, respondet S. Athanasius, Personis divinis differentem competere descendentiam & distinctionem realem; ast & verissimum est, quod *Patris & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* Divinæ personæ fratres appellari possunt, utpote ejusdem matris filii; cujus matris? divinitatis, omnibus tribus communis.

V. Admittamus igitur, divinas Personas fratres esse; ast nunquid hi tres fratres sororem habent? habent; quænam autem illa erit increatarum personarum soror? Maria. Sed contra militat ratio; quia Maria est creatura, & consequenter cùm non sit Divinitatis filia, nec soror dici potest divinarum Personarum. Advertite, inquit S. Petrus Chrysologus, quod, licet Maria non sit filia Divinitatis, filia nihilominus sit virginitatis, quæ divinitatis soror est *in primo gradu: semper est Deo cognata Virginitas.* Et S. Gregorius Nazianzenus apertius inquit: *Prima Virgo Trias est.* Virginitas Trinitatis est consanguinea in primo gradu; atque ita asserere possumus, Mariam divinarum Personarum esse sororem, non quasi Filia sit Divinitatis, sed quia Filia est Virginitatis, quæ Divinitatis est soror.

S. Petrus Chrysol.

S. Greg. Naz.

VI. Concedamus igitur etiam, Mariam propter Virginitatem, Trinitatis esse sororem, ast ex eo ipso indissolubile oriri video dubium. Si enim Maria, ratione Virginitatis, soror est divinarum Personarum, quomodo igitur cum Spiritu sancto sponsalitium contrahere potuit? quomodo mater esse Verbi incarnati? fuit igitur Maria unius fratris sui Mater, & alterius sponsa? *Inter consanguineos, præsertim in primo gradu, matrimonium esse non potest.* Non potest frater suam sibi desponsare sororem, & multo minus mulier, quæ soror est, sui potest esse fratris uxor. Non intelligitis mysterium, inquit sanctus Bernardinus Senensis; an nescitis, quòd stante matrimonii impedimento, inter duas personas, papalis obtineatur dispensatio? quid est dispensatio pontificia? est habilitas à summo Pontifice iis collata, qui impedimentum habent, *ad contrahendum matrimonium.* Cum igitur Maria propter Virginitatem, soror esset divinarum personarum, & consequenter nec Spiritui sancto desponsari, nec mater Verbi esse posset; quid fecit æternus Pater? tanquam summus Pontifex *de plenitudine potestatis*, habilitatem impertiit Mariæ, quandam veluti dispensationem; quid igitur ei contulit? audite Sanctum Bernardinum Senensem: *Beata Virgo fontanalem fœcunditatem accepit à Patre, ad generandum Deum.* Quid rei importat ly *fontanalem fœcunditatem*? id est quòd Maria, utpote divinarum consanguinea personarum, non potuerit solâ mediâ, virginitate matrimonium contrahere cum sancto Spiritu, & multò minus mater esse Verbi; ideoque necessum fuerit, ut Pater æternns cum illa dispensaret, habilitatem ei concedens *ad generandum Deum.*

Quomodo igitur mater & sponsa?

S. Bern. Sen. t. 2. Ser. 11.

VII. Pa-

VII. Pater, quidquid hodie dictum est, totum subsistit; ast si Maria per virginitatem soror est Trinitatis in primo gradu, quantanam hæc esse potest Mariæ puritas? quendam in præsenti, Oseæ Prophetæ textum, inprimis difficilem, auscultare non gravemini. Loquens Propheta de temporali Christi resolutione, inquit: *Egressus ejus sicut à diebus æternitatis.* (Mich. 5. v. 2.) Natus est Christus in tempore ex Maria eodem prorsus modo, quo Verbum divinum ab æterno natnm est ex Patre. Vos ô Docti, quale de hac Oseæ propositione formatis judicium? Scio equidem, quòd, sicut in generatione æterna Pater generat Flium per verbum seu dictionem, ut Scotus sustinet (*eructavit cor meum verbum bonum*) (Ps. 44. v. 2) ita & in generatione temporali per verbum Maria generarit Christum: *Intacta nesciens virum, verbo concepit filium.* Neque me latet, quòd, sicut in generatione æterna Pater divinus generet Verbum *sine affectu*, quia scilicet filium generat per actum intellectus, & non voluntatis; ita & Maria in generatione temporali Christum generarit sine affectu; quia teste S. Damasceno: *Maria ab omni concupiscentia mentem sequestravit, ut decebat eam, quæ susceptura erat Deum.* (S. Dam. l. 4. de fide c. 15.) (S. Bern. sen. t. 2. Ser. 11.) Ast non capio, qualiter astrui possit, Christum ita in tempore ex Maria natum fuisse, sicuti Verbum ab æterno natum est ex Patre; in generatione namque æterna Verbum ex divinitate nascitur Patris & Dei; id est, non modò Verbum à Patre productum, Deus est; sed etiam Pater, à quo Verbum, Deus est: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* (Symbol.) In temporali autem generatione Christus fortè ex divinitate natus est, existente in Maria? nequaquam, absit: licet enim Christus, ex Maria natus, sit Deus; Maria tamen, generans Christum, non est Dea; quomodo igitur asserit Oseas: *Egressus ejus sicut à diebus æternitatis?*

VIII. Quandoquidem de secunda filii Dei generatione verba fecimus, intelligere desidero, quare Verbum divinum, æternus Patris partus, in tempore nasci voluerit ex Maria? respondebit doctus quispiam, Verbum divinum debuisse in mundum venire, ut humanum redimeret genus; ut igitur Redemptorem ageret, carne indigebat & sanguine, nec non essentiâ humanâ, ideoque ipsum voluisse nasci ex Maria, ut scilicet ab ea cum esse hominis, vitam acciperet cum sanguine. Sed contra obiicio: nunquid poterat sanctissima Trinitas eo, quo Adamum modo formavit, quoddam pariter ex purissima terra corpus fabricare, quale in tempore Verbum divinum, ab æterno natum à Patre, assumeret, cumque eo hypostaticè sibi unito humanam exequeretur Redemptionem? utique, dicit Rupertus Abbas: (Rup. Ab. l. 3. Comm. in Ioan.) *Poterat quidem de terra plasmare novum hominem, & esset quidem caro & sanguis; sed non esset nostra caro, nec noster sanguis esset quidem homo, sed non filius hominis, id est, virginis.* Poterat utique sanctissima Trinitas efficere, ut Verbum divinum limpidissimo sese univisset corpori, de purissima terra formato; quo casu verus fuisset Deus & verus homo, ex carne constans & sanguine; non tamen filius fuisset Mariæ; ast in eo ipso meum consistit dubium; quare enim, inquiro ego, filius Dei filius voluit esse Mariæ?

S. Cypr. de laud. Virg. IX. Docet sanctus Cyprianus, sanctissimam Triadem tanto Mariæ illectam fuisse amore, ut eam Pater æternus sibi delegerit in filiam, filius in matrem, Spiritus sanctus in Sponsam: *Ave filia æterni patris, ave mater æterni filii, ave sponsa Spiritus sancti.* Sed quomodo? ergone Pater ille æternus, qui filium habet divinum Verbum, adæquatum fœcundæ mentis suæ partum, Mariam vult suam esse filiam, quæ pura est creatura? quomodo Verbum illud divinum, cui pater persona divina est, æterna, omnipotens, increata; in matrem sibi deputat Mariam, mulierem creatam & temporalem? Si Spiritus sanctus in sponsam habet divinitatem propriam, quomodo sponsalitium ambit cum virgine Maria? Quid possidebat Maria, quod adeo sanctissimam illiceret Triadem? quid? nonne virginitate eminebat Maria, inquit sanctus Ambrosius? utique: quid autem esse arbitramini virginitatem? nonne virginitas adeo exaltavit Mariam, ut soror evaderet Trinitatis? idipsum jamjam abundè probavimus: tantundem igitur valoris & pretii in Maria est virginitas, quanti in Patre æterno divinitas. *Sinus Christi*, inquit *S. Amb. ser. 28.* sanctus Ambrosius, *est in Deo patre divinitas; in Maria matre virginitas, cujus sic tenebatur amore, sic irretiebatur pulchritudine, ut, ni sibi inferret vim, ab illa exire nequiret.* Propter summam puritatem suam Maria à Patre æterno in filiam, à Verbo in Matrem, à Spiritu sancto in sponsam electa fuit; illæ namque sacratæ Personæ, tanta in æstimatione ac pretio virginitatem habuêre Mariæ, quantâ propriam suspexêre divinitatem.

X. Ecce vobis facilitatam Osææ Prophetiam; optimè namque asserit: *Egressus ejus sicut à diebus æternitatis*: temporalis *Mich. 5. v. 2.* Christi nativitas ex Maria, omnino assimilatur æternæ Verbi divini generationi; si enim Verbum divinum natum est, filiusque fuit divinitatis Patris; Christus pariter natus fuit atque generatus à virginitate Mariæ, quæ tanti est valoris, quanti divinitas Patris.

XI. Ast hîc mihi interrogari videor, utra puritas coram oculis creatis sit admirabilior; an hæc divinarum Personarum, an verò illa Mariæ? In præsenti vos attentos velim, pauca quidem, ast supra modum altissima in medium prolaturus. Puritas Mariæ juxta creatum ac rudem intelligendi modum, admirabilior est ipsâ divinarum Personarum puritate. Paternâ eam prodigiosiorem vultis? exhibeat ipsam talem ardentissimum Augustini pectus, Mariam sequenti compellantis Apostrophe: *O Virga si formam Dei te appellem, digna existis.* Alibi hanc vobis aliter *S. Aug. ser. 2. de Annunc.* explicavi authoritatem; pro nunc verò *M. forma Dei.* vos ego interrogo ô docti. Formæ quid sunt in Deo, nunquid ideæ? utique: quomodo igitur S. Augustinus Mariam nuncupat Dei formam? ergone Mariam divinæ mentis asseremus esse idæam, ad creandas omnes creaturas?

XII. Recurramus ad eam, quâ nullo non die omnes quasi Mariæ devoti, magnam matrem honorare assolent invocatione: *Mater Creatoris*, inquit Ecclesia, *ora pro nobis.* Genetrix Dei Creatoris, orato pro nobis. Ne mihi dixeritis ô Docti, Mariam in præsenti matrem dici *M. Mater Creatoris ut talis.* Creatoris, *non reduplicativè*, sed *specificativè tantum*: id est, quòd Maria sit mater illius personæ, quæ simul Deus est & homo, videtur enim Ecclesia insinuare velle;

le; Mariam esse Matrem Creatoris, etiam reduplicativè spectati. Modum observate, quo ipsamet Virgo utitur in Proverbiis, inquiens: *Quando præparabat cœlos, aderam; quando æthera firmabat sursum, cum eo eram cuncta componens.* Deo fundamenta exordiente creationis cœli & terræ, ego in divina degebam mente, omnia componens & rectè ordinans; quod si verum est, prout verissimum esse sancta asserit Ecclesia, ecce gravissimum vobis dubium. Nunquid vox illa *Creator* primum est omnium creaturarum principium? ita: nonne Maria creatura est? indubiè: repugnat igitur Mariam matrem esse Creatoris, ut talis; si enim Maria est creatura, consequenter & filia est Creatoris; si autem est filia, quomodo igitur mater; repugnat namque filiam patris sui esse genetricem: ecce vobis, difficultatem inenodabilem.

Prob. 8. v. 27.

Quomodo igitur filia.

XIII. Quam non nisi medio exemplo me resoluturum confido. Demus V. G. Principem, qui sumptuosi meditetur exstructionem palatii; hic igitur Architectum vocat, ast hic nunquam operi applicat manum, nisi præhabitâ totius ædificii idæâ; ita ut ne vel minimum exstruat locum aut fenestellam, nisi suæ correspondentem idææ seu prototypo: ita pariter ad propositum. Determinârat æternus Pater (cui attribuitur creatio) proposito irrevocabili, Mundum exstruere in regalem filii sui domum, qui in tempore nasciturus erat Redemptor. Ego, dicebat summus Pater, ego mundum fabricare intendo; fiat igitur idæa & solemnis ædificii prototypon; & sicut idæa in mente artificis est prima omnium rerum artefactarũ causa (*non solum in genere causæ formalis, sed etiam efficientis*) ita & in me idæa primum sit principium & præcipua omnium creaturarum causa; elegit itaque Pater æternus machinæ hujus mundialis idæam, ast quam creditis in mente paterna formam exstitisse creandorum? nisi nodum solvisset Doctor Angelicus, nequaquam ego eum attingere præsumpsissem. *Hanc*, inquit S. Doctor, loquens de Maria, *hanc fecit DEUS infinitam imaginem bonitatis suæ.* Inter omnes res ad extra sola Maria fuit idæa in mente paterna; sicque cum DEUS pater vellet puros creare Angelos & puros fabricare cœlos, puritatem prius intuebatur Mariæ, & postea dicebat: *Fiant luminaria magna in cœlo*; ast totum opus majori illi correspondeat luminari, quod purum nimis in mea resplendet æternitate. Post hæc matrem volens producere fœcundam, quid fecit? suos conjecit oculos in magnam illam matrem, quæ de seipsa dicebat: *Ego mater pulchræ dilectionis*; moxque ad suam iterum conversus creationem, agedum, inquiebat: *Producat terra herbam virentem & facientem fructum juxta genus suum.* At circumspectè, ne vel in minimo recedatur ab idæa. Ut plurima paucis perstringam: sive mare, sive terra, sive homo suam miretur fœcunditatem, gloriari possunt singula sese assimilari Mariæ, quæ forma fuit. Suam cœli munditiem, suam Angeli puritatem Mariæ, tanquam idææ suæ, adscribant oportet.

M. Mater Creatoris ut talis.

S. Th. op. de charit.

M. idæa Patris æterni.

Gen. 1. v. 14.

Eccl. 24. v. 24.

Gen. 1. v. 11.

XIV. Meritò igitur ò Virgo gloriosa, te Ecclesia matrem nuncupat Creatoris, quà Creatoris; tu enim creationis causa fuisti idæalis & exemplaris, summusque DEUS Pater Creator, omnes à Principio creaturas integerrimo, nimis in te resplendescentium perfectionum & puritatis prototypo adaptavit.

XV. Quo-

XV. Quo supposito, inquit S. Augustinus, optimè concludo ego, Mariam esse Dei formam: *O Virgo, si formam Dei te appellem, digna existis.* Tu ô Domina, idæa es & exemplar, prototypon & forma ipsiusmet DEI Creatoris, quà Creatoris.

XVI. Aures præbete, attentas argumento, quod ex dictis formandum duxi. Nunquid, Domini mei, Pater æternus in Universi creatione infinitè purus erat? utique, citra ullum dubium, quare igitur Mundum creaturus, non suam sed puritatem Mariæ sibi præfixit in idæam? Videtur mihi respondere Pater æternus: equidem quid arbitramini puritatem esse Mariæ? est penitus incomporabilis, dicique potest, eam coram oculis creatis longè prodigiosiorem esse ipsâ puritate divinâ.

XVII. Atque in effectu quidem, quid mirum, Patrem æternum, cum purus sit, generare Verbum, filium suum? Non est hoc ipsum miraculosum, sed continuum æternitatis negotium, actusque naturalis Personæ divinæ, infinitè perfectæ: ast Mariam, puram creaturam, ex Virgine evasisse matrem, simulque cum maternitate purissimam conservasse virginitatem, negotium est prodigiosum nimis adeo etiam ut ad illud concurrere debuerit fortissimum SS. Trinitatis brachium.

XVIII. Si modò pariter puritatem Mariæ intueri placuerit, ipsâ puritate Verbi admirabiliorem coram oculis humanis; Permittite, ut ante curiosam doctis proponam quæstionem. Dicite ô Docti: Verbum divinum estne purum? utique, respondebitis, imò purissimum. veluti & Pater, in eadem penitus perfectione. Bene res habet; ast iterum vos interrogo: Verbum divinum, quod est purissimum sicut Pater, nunquid etiam fœcundum est, qnemadmodum Pater? non, quia non generat sicuti Pater; quando antem cum Patre sanctum producit Spiritum, veluti *ex vi hujus processionis non producitur similitudo in natura formaliter*; sicuti facit generans respectu geniti; ideo Verbum divinum licet purissimum sit, non tamen est fœcundum, quia non generat sicuti Pater. Punctum hoc in thesauro recludite memoriæ vestræ.

XIX. Angelo Gabriele Virgini mysterium annunciante incarnationis, turbata Virgo ad Angelum ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* q. d. Angele sancte, si concipere & parere debeam filium cum jactura virginitatis, gratiam hanc Deus in aliam transferat fœminam; malo enim puritatem ego sine maternitate possidere, quàm maternitatem sine virginea castimonia. Cui Angelus: ne dubites ô Domina, quia *tu vocabis nomen ejus Iesum.* Angele Dei responde ad propositum; non quærit Maria filii nomen, sed modum complendi mysterii; ne suæ dispendium incurrat puritatis. Respondet Angelus: Maria de modò sollicita est consummandi mysterii, ad hujus autem notitiam sufficit, quòd sciat, se Filio imposituram esse nomen, & non qualecunque quidem, sed nomen JESU.

XX. Ut reconditum in præsenti pandatur mysterium, vobis in mentem veniat ô sacræ Scripturæ Professores, celebris illa populi Hebraici consuetudo, quâ receptum erat, ut stante conjugio, non mater sed solus pater nomen imponeret Filiò; unde & nato Joanne Baptistâ, quantumvis Zacharias linguæ teneretur impedi-

Luc. 1. v. 62.

v. 63.

Cur M. turbata. Luc. 1. v. 34.

Matt. 1. v. 21.

pedimento, nunquam aut Elisabeth, aut quisquam alius nomen imponere præsumpsit infanti, sed paternam exspectarunt resolutionem; cum autem Zacharias loqui
Luc. 1. v. 62. minimè posset, *innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum*; Zacharias igitur usu linguæ destitutus, chartam, calamum & atra-
v. 63. mentarium petiit: *Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen ejus.* Sicque dum mulier virum & filius habebat patrem, non matris sed patris officium erat, filio imponere nomen.

XXI. Dicebat itaq; ad Mariam Angelus: *Tu vocabis nomen ejus Iesum.* q.d. O augusta Domina, quandoquidem ex ordinatione cœlesti, tibi competet tuo nomen imponere filio; hoc ipsum signum erit, filium tuum non habiturũ in terris patrem, teq; solam illius filii futuram matrem; si enim illi pater foret humanus in terris, non tibi licentia daretur imponendi ei nomen: tu igitur sola, & pater & mater ipsius eris in terra, quemadmodum solus Deus, illius & pater & mater est in cœlo: *Tu vocabis nomen ejus.*

XXII. Quo autem nomine suum Maria insignivit Filium? quo? *Vocabis nomen ejus Iesum.* Mysterium in præsenti discite admirabile. Nomen illud ineffabile Dei *Iehovah*, juxta computũ Hebræorũ, numeros efficit 26. Nomen autem Maria (quod est *Mariam*) summam constituit numerorum 290. Et utrumq; simul sumptum, tot facit numeros, quot nomen Jesu solum, summam scilicet 316. quasi cœlum ad Virginem dicere voluisset: Domina augustissima, quod tuo nomen dabis filio, Jesus erit; ex cujus numero dignoscere poteris, quis ejus futurus sit pater & mater: solus Jesus tuum & Dei complectitur nomen, ut scias, hunc filium tuum, qui Jesus nuncupabitur, te solam in terris habiturum matrem, sicut solum in cœlis possidet Deum patrem; & sicuti in cœlis solus Deus & pater & mater est Verbi, ita in terris te solam futuram, & matrem & patrem Jesu; te matrem futuram, ast & puram simul permansuram Virginem: *Post partum Virgo inviolata permansisti.*

XXIII. Quod singulare privilegium Patriarchæ Jacob exhibitum fuit, quando cum Angelo per noctem integram decertans, tandem effectus est claudus; *Emarcuit femur ejus.* Gen. 32. v. 25. Ubi si quod mirabile placet contemplari mysterium, non vobis displiceat, si ante vobis illa benedictionis verba, quibus idemmet Jacob Judæ benedixit, explanaro; ait enim: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus.* Gen. 49. v. 10. Juda non destituetur sceptro, neq; duce carebit Capitaneo, descendente ex latere suo. Quis est iste loquendi modus? Auscultate: femur figura semper & symbolum fuit progeniei ac posteritatis; unde alibi dicitur: *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, fuerunt septuaginta.* Gen. 46. v. 26. Ex quo aliud elicietur pulcherrimum Scripturæ secretum. Volens Patriarcha Joseph à Jacob Patre, suos benedici filios, Ephraim & Manassem, eos ad Jacob adduxit ante ejus obitum, quos ut cæcutiens sensit præsentes senecio, ait: *Qui sunt isti?* Cui Joseph: *Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco*: Gen. 48. v. 9. bene habet, respondebat senex: *Adduc eos ad me, ut benedicam illos,* ibid. Quid autem fecit senex? eos exosculatus, eos amplexatus est, eos super Mod⁹ vetus adoptandi filios. coxendices reclinavit gremii sui, quos ab inde, Scripturâ teste, transtulit postmodum Joseph: *Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris sui, adoravit pronus in terram.* v. 12. Porro secretum consistebat in eo, quia nimirum illi non erant filii Jacob, sed Joseph; sicque Jacob non poterat benedicere iis utpote nepotibus suis; unde per so-

lemnem illam cæremoniam, prout Joseph Hebræus animadvertit, ipsos primò in proprios voluit adoptare filios.

Etiam penes Hispanos.

XXIV. Imò si historiis credimus, mos ferebat olim apud Hispanos, ut mulier, alienæ matris filium volens in proprium adoptare, longâ & secundùm manicas largì indueretur tunicâ, cujus forma inter Zingaros in usu est; puer itaque per tuam deductus manicam, postea per rugas seu strias tunicæ exterioris egrediebatur; vi cujus cæremoniæ filius habebatur adoptatus. Unde in sequens abiit proverbium illud hominum genus, qui plus accipiunt, quàm ipsis offeratur: *Entrò por la manga, y saltò por el cabezon*: id est, si ei digitum porrexeris, totam apprehendit manum. Unde Hebræi filium quempiam adoptaturi, eum super femur reclinare consueverant; ideoque Jacob eâdem circa nepotes suos usus est cæremoniâ, quos cùm adoptasset, dictam eis impertiit benedictionem, manibus in formam crucis dispositis. Femur itaque symbolum fuit posteritatis, adeoque dicendo Jacob. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus*, astruere volebat, Ducem & Capitaneum ex posteritate & progenie Juda descensurum.

XXV. Hoc supposito, ad luctam regrediamur Jacob; decertabat hic & contendebat cum Angelo, executionem urgens sibi promissæ benedictionis, quòd scilicet CHRISTUS ex stirpe ejus descensurus esset: Angelus igitur in signum infallibilis promissi, quid egit? femur Jacob emarcescere fecit: *Emarcuit femur ejus*: q. d. Scias ô Jacob, Deum suam adimpleturum promissionem, exque posteris tuis nasciturum esse Christum; ast non medio semine humano & *per seminalem propagationem*; nequaquam: sed *secundùm corpulentam* tantummodo *substantiam*. Ideoque tuum exsiccavi femur, ut noveris, Christum, qui ex tua descendet stirpe, non concipiendum fore opere humano, sed per virtutem Spiritus sancti: matrem quidem habebit in terris, ast hæc ipsa & concipiens & pariens virgo remanebit & pura.

XXVI. Resumamus modò, quem paulo ante suspendimus punctum. Verbum divinum purissimum est, citra ullum dubium, non tamen est Pater, quia non generat sicuti Pater; neque puritati ejus paternitas conjungi potest aut potentia ad generandum filium. Ast augustissima Virgo Maria, & pura est & mater est; virgo existens, mater efficitur, materque effecta, permanet virgo. Ex hac igitur parte, puritas Mariæ puritate Verbi admirabilior dici potest.

Isa. 64. v. 1.

Quomodo montes dabunt lac.

XXVII. Quid superest? placetne tandem Mariæ intueri munditiam, ipsâ, coram oculis humanis, longè admirabiliorem puritate Spiritus sancti? Dicite mihi ô Docti: *Bonum non est sui ipsius communicativum?* utique, ita nos sancto edocente Areopagitâ. Iterum quæro: nunquid Spiritus sanctus est summum bonum? sine dubio: *Qualis pater, talis filius, talis Spiritus sanctus.* Si ita est, cur igitur Spiritus sanctus se non communicat activè, ita ut aliam divinam producat Personam? Respondebitis, & bene quidem, hoc ipsum mysterio repugnare Trinitatis, quia si Spiritus sanctus aliam produceret Personam divinam, Trinitas tolleretur Personarum. Spiritus sanctus itaque, dico ego, purissimus quidem est, non tamen fæcundus *notionaliter*; quia nec generat ut Pater, neque aliam producit Personam divinam, quem-

Apoc. 12. v. 1.

quemadmodum facit cum filio pater. Nunquid hanc admittitis consequentiam? ita: memoriæ mandate discursum, jamjam nostro deserviturum proposito.

XXVIII. Interea quendam Joëlis textum discutiamus. Ingentibus nimium peccatorum suorum miseriis tribulatus atque afflictus Dei populus, ad Dominum suspirans, tandem unanimiter exclamare cœpit: *Vtinam disrumperes cœlos & descenderes; Domine, quando respicies?* (Isa. 64. v. 1.) Domine, quando venies à tantis nos liberaturus malis; DEUS itaque pietate & compassione motus, Prophetam accersiit Joëlem, dixitque illi: vade ad populum istum afflictum, eique annuncia; Messiam brevi affuturum, qui consolabitur ipsum; hoc autem dabis populo signum: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel.* Veniet Messias, universo solatium allaturus mundo, in illo autem adventus tempore è montibus emanabit dulcedo, collesque montium lac proferent & mel. (Quomodo montes dabunt lac.) Quis hanc non obstupescet Prophetiam? quî fieri potest, ut è montibus lactis profluat fertilitas & mellis? quod mel concernit, transeat; ex floribus namque montium vel scaturire potest, per apum industriam procuratum; ast quod à montibus lac exspectari potest? hoc ipsum nimis mihi videtur paradoxum.

XXIX. Nequaquam Auditores mei, nequaquam hoc paradoxum est, sed mysterium ingens: nonne sancto Joanne teste, Maria sole visa fuit vestita, lunamque sub pedibus habens? utique *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* (Apoc. 12. v. 1.) Ast si Sol diei præses est, & per noctem non comparet; quemadmodum luna per noctem resplendet, per diem occulta; quomodo Mariam uno eodemque tempore Sol circumdare potuit & suffulcire Luna? An igitur nescitis, quòd, sicuti Sol puritatis est symbolum, ita Luna fæcunditatem repræsentet? (M. fœcunditatem habet Lunæ & purit. solis.) In omnibus aliis mulieribus, quotquot sole videris amictas puritatis, Luna deficit fœcunditatis; quia mulier si virgo est, maternitate caret; si mater est, virginitatem amisit. In Maria autem simul Sol resplenduit puritatis & Luna fœcunditatis; quia scilicet Maria Virgo permanens; mater effecta est divinæ fœcunda Personæ; Christumque generans DEUM, pura mansit & virgo. Audite aptissima sancti Chrysostomi verba: *In qua alia videri potuit Sol simul & Luna, nisi in sola genitrice Maria; quæ & Lunæ fœcunditatem habuit, & puritatis pulchritudinem non amisit?* (S. Chrys.)

XXX. Ecce vobis planam Prophetiæ Joëlis notitiam. Quis est mons iste, cujus collis lac & mel subministrabit in abundantia? Mons altissimus est Maria: *Mons in quo beneplacitum est DEO, habitare in eo:* (Psal. 67. v. 17.) Imò Maria tantæ mons est celsitudinis, ut infima ejus pars omnium superet aliorum montium cacumen: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* (Psal. 86. v. 1.) Id quod clarius Propheta expressit Oséas, dum ait: *In novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium & sublimis super omnes colles.* Hi ipsi colles montis altissimi Mariæ lac producent & mel, sicuti enim in Maria Solem videbitis puritatis, lunæ conjunctum fœcunditatis; (M. mons altiss.) ita & fertilitas matris (per lac significata) unita videbitur cum puritate Virginis, in melle figurata. Hocque adventus Messiæ indicium erit; quando fœminã videbitis concepisse, quæ mater effecta cum lacte fœcunditatis,

pura nihilominus persistit cum melle virginitatis. Ecce vobis S. Bernardini Senensis doctrinam: *O virgo mons altissime, omni monte superior, tu sola stillasti dulcedinem lactis & mellis; quia sic fœcunditatis habuisti donum, quòd puritatis non amisisti suffragium.*

S. Ber. Sen. ser. 6. de Assu. Virg.

XXXI. Vos modò inferte, quàm præterii consequentiam, ut concludamus discursum. Spiritus sanctus licet sit summum bonum, sicut & purissimus, quemadmodum Pater & Filius; non tamen est fœcundus *notialiter*, quia in eo nō conjunguntur, puritas & fœcunditas, spirit⁹ ille divin⁹ purissimus est, at nō generat, neq; aliā producit personā divinā. Quid autem Maria? ipsa & purissima est & fœcunda; virgo existens, vera est mater Dei; materque effecta, permanet virgo. Mariæ itaque puritas, propter assignatas rationes, admirabilior est puritate Patris, prodigiosior puritate Verbi, & miraculosior virginitate Spiritus sancti. Nequeo scandere sublimius.

XXXII. Id duntaxat supperaddam: si Maria vi puritatis suæ, consanguinea, imò soror evasit sanctissimæ Trinitatis; tantumq; in ea beneplacitum habuêre cœli, ut Pater æternus eam voluerit atque elegerit in filiam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in sponsam; quis tandem peccator, si in necessitatibus suis ad Mariam recurrerit, ab eadem augustissima Domina suam non recipiet satisfactionem, gratiam & indulgentiam? Demus infelicem quempiam, qui nimiis ad collum usque peccatorum suorum miseriis immersus, *secundum præsentem justitiam* præscitus sit & reprobus; si talis Mariæ se recommendarit, minimè dubitet de sua ad gloriam prædestinatione. Assertum stabilivit dudum Spiritus sanctus, qui in Canticis Mariam alloquens, ait: *Pasce hædos tuos.* O nobilis sponsa, cibum & pastum præbe hædis. *Pasce hædos tuos*? quomodo? nunquid hædi intelliguntur præsciti, qui in die judicii, ad sinistram consistent summi judicis? utique; *Statuet oves à dextris, hædos autem à sinistris.* Quomodo itaque Maria hædos cibat? igitur ne præsciti atque illi, qui in judicio ad sinistram stabunt summi judicis, salvabuntur? ita, respondet Guilielmus Parisiensis: *Dictum est Mariæ; pasce hædos tuos; quia eos, qui à sinistris propter sua peccata essent in judicio collocandi, suâ intercessione efficiet, ut collocentur à dextris.*

M. cliens non perit.

Cant. I. v. 7.

Matth. 25. v. 33.

Guil. Par.

XXXIII. Quid ad hæc ô Christiane? in peccatorum luto insorduisti, præsertim autem immunditiæ? ne animum despondeas, sed Mariæ devotus esto, quotidie huic te magnæ matri recommenda; & maximè quidem Sabbathum cave peccato aliquo inquinare, in honorem puritatis Mariæ: certamque consequêris, quam tibi hoc facienti sanctus Gregorius Nyssenus pollicetur salutem. Commemorat enim sanctus hic, publicam quandam fuisse meretricem, quæ per dies singulos ex devotione recitare consueverat unum *Salve Regina*, atque omni Sabbatho abstinere à peccato carnali. Quodam igitur die in memoriam revocans commissorum enormitatem scelerum, pœnitentiæ causâ Monasterium ingredi statuit, atque in effectu quidem religiosa facta est: dæmon hanc advertens fœminæ mutationem, pavidus ne animæ hujus jacturam pateretur, millenis eam incessanter exagitare cæpit tentationibus & suggestionibus lascivis, modò generosi equitis, modò pulcherrimi juvenis visibilem induens figuram; ita ut misera religiosa, undique se afflictam videns, suas alteri religiosæ patefecerit angustias, quæ solers inprimis, tanquam ex Dei instinctu, ei sequens dedit consilium: audi soror, ut p[illegible] [illegible]rius tibi ap-

Exemp.

ap-

paruerit, mox genuflexa, animoque prostrata, has ad Mariam effunde præcatiunculas: *Post partum Virgo inviolata permansisti, Dei genetrix intercede pro nobis.* Quodam igitur die diabolus se iterum fœminæ stitit, ut aliàs, at hæc indilatè prostrata, altâ voce sequentem mox exorditur supplicam: *Post partum virgo* &c. quâ atterritus voce dæmon, subitò disparuit, nunquam amplius dictam ausus infestare religiosam, quæ residuum vitæ tempus in continua transegit pudicitia, atque deinceps erga augustam matrem devotissima semper, obiit beata. *O virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac & castos.*

SECUNDA PARS.

XXXIV. INvitat vos Ecclesia sancta ad degustandos die crastinâ triplicis sortis panes, scilicet providentiæ, Eucharistiæ & gloriosi sancti Nicolai Tolentinatis; discutiemus igitur, in quo ex hisce tribus majora reluceant mirabilia.

XXXV. Huic porrò discursui coronidem imposituri, investigemus breviter, quæ inter omnes Ecclesiæ sanctæ confraternitates sit hæres Paradisi certior præ confraternitate sanctissimi Rosarii? Cujus difficultatis solutionem dum exordiri gestio, ad illa Cantici verba mihi transeundum esse cognosco, quæ sicuti optatum hodierno discursui dedêre principium, ita felicissimo eundem termino concludent. Consultantes inter se Personæ divinæ, ponderatâ maturè objecti gravitate, *quid faciemus*, dicebant, *sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Quandoquidem nostri est officii dotare Mariam, quam puritas nimia nostram fecit esse sororem, quæ ei conveniens & justa poterit dos deferri? sapientem audite, quam divinæ Personæ fecêre resolutionem, per S. nobis Epiphanium in hæc verba manifestatã: *Maria donorum antenuptialium nomine, Spiritum S. accepit; dotis verò gratiâ, cœlum unà cum Paradiso.* Ditissimum amplissimumq; possessionis suæ thesaurum increatæ Personæ dederunt Mariæ Paradisum, totumque cœlum, inque vi hujus donationis, justum obtinuit titulum Dominæ & Reginæ cœlorum; ex quo sequitur, nullum penitus cœlos intrare posse aut suum iis pedem inferre absque Maria; & quotquot hucusque eo ingressi sunt, hodie inibi dimorantes & postea adhuc ingressuri, omnes incomparabile hoc beneficium Marianæ adscribere debere benevolentiæ; unde S. Germanus ait: *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te ô Virgo sanctissima.*

XXXVI. Si Paradisus totumque cœlum est Mariæ, tanquam dos illius, quis absque Maria ipsum intrare præsumet? nemo penitus.

XXXVII. Cujus asserti specialiorem si probationem vultis, auscultate cum attentione. Certissima & sanctorum Patrum opinio, extremo judicio præsentem affuturam magnã matrem, de qua illud Christi dictum intelligitur: *Regina Austri surget in judicio.* Ast quomodo? igiturne publico isti tribunali, rigorosissimo illi examini præsens assistet benignissima mater, cui semper clementia & pietas dominata fuit?

XXXVIII. Prætereamus modò vallem Josaphat, ad spectaculum nos convertentes montes Calvarii. Nunquid & inibi præsens astitit Virgo? ita nos sanctus Joannes docet, dum ait: *Stabat juxta crucem mater Jesu, Maria.* Quomodo? ô moriens Salvator, qualiter in agone tuo, matris tuæ potes sufferre præsentiam? Nullo ipsa te potest sublevare solatio, quin potius aspectus ejus extremos tibi multiplicabit dolores.

Marginalia: Cant. 8. v. 8. Mariæ dos. — S. Epip. ser. de laud. Virg. — S. Germ. — Matth. 12. v. 42. — Cur M. præsens in judicio. — Cur & in Calvar. — Joan. 19. v. 25.

lores; verum id totum esse non diffiteor, inquit Christus, nihilominus Mariæ in Calvario requiritur præsentia; cùm enim regnum cœleste bono sit conferendum latroni, nimiâ ab eo instantiâ desideratum; hocque Regnum totum sit Mariæ, ideo sine consensu ipsius bonus nequit remunerari latro. Qua de causa D. asserit Petrus Damianus, quòd Paradisum felici patefecerit latroni. *Maria, inter crucem filij & boni latronis posita.*

XXXIX. Ecce vobis rationem, ob quam eadem virgo in universali comparebit judicio; in formidabili namque die illo, sicuti supplicia impios, ita & sua bonos excipient præmia: *Venite benedicti, percipite regnum.* (Matth. 25. v. 34.) Itane? Paradisus in præmium dandus est? Consensus ante habeatur Mariæ, quæ *dotis nomine Paradisum accepit.* Maria itaque etiam compareat in judicio, sine Maria enim non confertur Paradisus.

XL. (Qualiter Christus à M. accepit gloriá.) Placetne assertum audire, quod omnes vos in admirationem rapiat & stuporem? Ipsemet Christus à matre sua gloriam se recepisse, & ut taliter acceptam recognoscere videtur. Ne subducatis supercilium, jamjam enim meum declaro sensum. Suppono cum Doctis, Salvatori ut homini debitam fuisse beatitudinem, vi unionis hypostaticæ; supposito namque, ipsum Deum esse, per necessariam consequentiam infertur, ipsum infinitè esse beatum; imò amplius dico, scilicet Christum in tempore, causalitate & gradu, primam fuisse animam beatam, altissimamque idæam, cui postea omnes alii se conformarunt beati, juxta illam Apostoli sententiam: *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* (Rom. 8. v. 29.) Nihilominus etiam certissimum est, hanc Christum gloriam in matris sinu possedisse, ubi primò omnium sacra ejus humanitas, prædivite gloriæ chlamyde circumamicta fuit. Quamvis igitur beatitudinis gradus, quos in sinu materno Christus possedit, à Patre æterno habuerit; eos tamen nunquam obtinuisset à Patre, nisi virgo mater humanam ei donasset carnem; unde sicut humanitatis Christi causa fuit, concurrendo effectivè ad delicatissimi illius corporis formationem; ita & causa fuit, ut anima ipsius fieret beata.

XLI. Imò novam audite prærogativum, mirabilem valde. Quidquid est in verbo, ut Persona procedente, totum à Patre profluit, tanquam à fonte: at sicuti *in divinis* Filius non potest dici dependens à Patre, quia Pater non est causa, sed principium duntaxat Filii; ideoque in Symbolo Nycæno dicitur: *Genitum, non factum.* Ita nihil eorum, quæ Verbum possidet (maximè autem id valet de gloria essentiali) dici potest à Patre dependere, tanquam à causa; & licet gloria Verbi procedat à patre, non tamen dependet ab eo.

LXII. Ast quid? idem Verbum incarnatum, esse suum adeo habere voluit à Maria, ut ex ea tanquam ex principio & ex causa nasci voluerit; sicuti enim in prima generatione dicitur: *Genitum, non factum*, ita in secunda astruitur: *Factum ex muliere.* (Gal. 4. v. 4.) Atque ita Christus à Maria dependet, tanquam effectus à sua causa; & gloria, quàm Christus in sinu habuit virginali, tantam habet à Maria dependentiam, ut virgo Mater omni cum libertate ad suum possit dicere filium: nisi ego humanâ te carne induissem, tua non foret gloriosa & beata anima. Ex quibus concluditur, paradisum ita dotem esse puritatis Mariæ, ut nullus omnino ad eum præten-

(Hu. Card. inc. 24. Eccli.)

tensionem habeat, *nisi filius Virginis Mariæ.*

XLIII. Si autem me interrogaveritis: qui sunt isti filii & certi magnæ dotis Mariæ hæredes? ego vobis sine ulteriori ulla remora respondeo, fratres esse & sorores sanctissimi rosarii, quia nimirum illi ipsi veri sunt & legitimi tantæ Reginæ filii, prout jam jam vobis declarabo.

XLIV. Ast ecce subitò aliam video mihi propositam quæstionem, unde scilicet nobilissimus Rosarii titulus originem trahat? quandoquidem Maria tot tamque excelsa possidet nomina, nimirum de succursu, de monte Carmelo, de gratiis, de misericordia, de consolatione, de providentia; ut innumera prætercam alia; quorsum & hunc alium sibi elegit rosarii titulum?

XLV. Ut meum ego eloquar judicium, arbitror, quòd sicuti rosa *est florum regina, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans, terræque risus & ornamentum*: ita Maria Regina est Angelorum, ornamentum cœli, decus hominum, oculus justorum, purpura martyrum, venustas universi & gaudium Paradisi. Atque ita illud Rosarii nomen, est quædam veluti omnium aliorum nominum, Virgini attributorum, quinta essentia; ita ut, si quis Mariam astruat de Rosario, compendium exprimat omnium sublimium nominum atque excellentiarum, quæ Virgini attribui possunt. Gal. 4. v. 4.

XLVI. Et forsitan proportionatæ deficient Rosam inter & magnam matrem comparationes? Cur Maria ab Ecclesia nuncupatur *Rosa mystica?* scitisne causam? quia nimirum, inquit Hugo Cardinalis, sicuti rosa *est rubea in colore, & candida in natura*; ita & Maria rubicunda est per nimiam charitatem, & candidissima per puritatem. Sicuti Rosa circumquaq; suavissimum spirat odorem, *beata* pariter *virgo famæ suæ odore totam pigmentat Ecclesiam*; idem inquit Hugo. Quemadmodum rosa nascitur inter spinas, at ipsa spinis caret, sic *Maria nascitur de Iudæis incredulis, sed non incredula.* Si rosa præ omnibus aliis floribus virtute pollet, ut fragrantiâ odoris sui venenatas perimat bestias, dicente Majolo: *Rosa affert scarabæis suo odore interitum.* Maria præ omnibus aliis, solo virtutum suarum odore atterit infernum: *Audito solo nomine Mariæ, dæmones ipsi fugantur.*

Hu. Card. in c. 24. Eccli.

Compar. inter Rosam & Mar.

Majol.

XLVII. Nihilominus advertatis oportet, Mariam non cuilibet assimilari rosæ, sed soli Jerichontinæ, ita namque ipsa attestatur, dicens: *Sicut plantatio rosæ in Iericho.* Quare? notate: Quemadmodum in stipite rosaceo tria videre est specialiora; scilicet folia, spinas atque ipsam rosam, ita tria sunt sacrati Rosarii mysteria; scilicet gaudiosa, significata per viridantia folia; dolorosa, designata in spinis; & gloriosa, per ipsam figurata rosam. Observandum est insuper, rosam Jerichontinam, teste Richardo à S. Laurentio, 150. constare foliis, quæ justissimè 150. constituunt salutationes angelicas, contentas in Rosario. Ecce vobis ipsamet citati Authoris verba: *Maria dicitur Rosa, non non qualibet, sed Ierichontina, quia in Iericho crescunt rosæ speciosissimæ, habentes 150. folia.*

M. similis rosæ Jerichontinæ.

Rich. à S. Laur.

XLVIII. Ast si Maria est pulcherrima Ecclesiæ sanctæ rosa, in quo tandem Rosario venustissimæ illæ vagient rosæ? Hîc vos attentos optabam; quid esse creditis coro-

coronam illam, quæ in honorem M. Virginis, cum 150. angelicis salutationibus & 15. orationibus dominicis recitatur? Hæc est ipsummet Rosarium, in quo formosissimæ florent rosæ Virginis & mysteria perhibentur fidei nostræ. Quid aliud est salutatio angelica, nisi sacratum Rosarium? Primum verbũ est *ave*, quid autem significat *ave*? *A* denotat *sine*, *ve* peccatum significat seu spurcitiem coinquinantem. *Ave* igitur idem est, quod *sine macula*. Ecce vobis venustissimam puritatis Mariæ rosam. Mox sequitur: *Maria*. Quid significat *Maria*? *Domina mundi*. Ecce *aliam* vobis magnæ rosam potestatis & dominii, quod Maria possidet in Paradiso. Progrediamur ulterius. *Gratia plena*. O electissimam rosam, quæ Mariam omni publicat plenam perfectione & bonitate! Quid subditur immediatè? *Dominus tecum*. Dicite; ubi Deus degit? numquid in Paradiso? utique: quando igitur Deum astruitis esse in Maria, eo ipso ex ore vestro, tanquam ex sancto Rosario, egreditur tanti decoris rosa, quantum ipse possidet Paradisus. Atq; ita indesinenter unumquodque salutationis angelicæ verbum, rosa est pulcherrima, vestro procedens ab ore, tanquam à sancto Rosario.

Luc. 1. v. 28.

XLIX. Insuper dum oratio recitatur dominicalis, omnia exprimuntur fidei nostræ catholicæ mysteria. Qualiter incipit oratio dominica? *Pater noster*: ô pulcherrimam rosam! ô divinam rosam! Qui hæc profert verba, Patrem publicè confitetur æternum, confitendo autem Patrem, confitetur pariter & Filium; non enim in cœlis est sine Filio Pater, quas inter divinas Personas nexus viget indissolubilis, Spiritus sanctus. Dicens igitur *Pater noster*, mysterium confitetur Trinitatis; dum autem Trinitatis elicit professionem, omnia cõfitetur Christianę fidei nostrę mysteria.

Matth. 6. v. 9.

L. Quid amplius? quoties pronuncias *Pater noster*, te filium denominas Dei, demonstrando autem te filium DEI, te pariter filium perhibes Mariæ; filius namque Dei, filius est Mariæ. Itane? tu filius Dei, tu filius es Mariæ? certissimus igitur es Paradisi hæres. O quàm me hodie felicem, quàmque beatum reputarem, si omnes sigillatim scirem & possem sacræ confraternitatis sanctissimi Rosarii excellentias & privilegia explicare: ast nec scio, neque possum ulterius. Frater es aut soror sanctissimi Rosarii? Ita pater. Igitur in Paradiso moraris; vade in pace.

F I N I S.

Quidquid in prima hac parte asserui, censuræ totum submitto sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.



Sacro-

PATRIS BONHERBA

Sacrorum Problematatum

in

EVANGELIA QUADRAGESIMÆ

Pars Secunda.

Accedunt in fine Sermones Problematici de Feſto S. Joſephi & SS. Anuntiationis V. M. & quinque de Paſſione Domini, pro feriis ſextis menſis Martij.

PROOEMIUM.
AD CURIOSOS AC BENEVOLOS
LECTORES.

Ante omnia ingenuè profiteor, benigni Lectores, hasce lucubrationes meas, nil nisi nugas esse & fabulas, in comparatione illorum, quæ hodie aut vivâ voce resonant, aut apud auctores egregios reperiuntur monumenta. Statui nihilominus & hasce meas in lucem edere fabellas, scriptisq; consignare ea, quæ mente conceperam, stylo licet impolito & extraordinariè humili, ut heroicas aliorum lucubrationes tantò majori illustrarem splendore, conformiter receptissimæ illi Philosophicæ regulæ: *Opposita juxta se posita magis elucescunt*. Quomodo namq; tot celebrium Scriptorum libri lumen sibi & auctoritatem conciliare poterint, nisi & juxta eos libri compareant ordinarii, exili præpollentes valore? Ex industria equidem cavi, ne paginas aut folia inutilibus replerem dicteriis, quæve solos possent inaniter pascere sensus, terminum hunc unicè præfixum habens, scilicet animarum profectum atque emolumentum. An non videtis, an non palpatis, quàm iniquè Christianam exstinguant pietatem mediæ, ut ita dicam, animæ prædicatores? illi scilicet, quotquot discursibus & politis verbis suis solam pascunt memoriam, aut exaggerationibus & moralitatibus continuis solum cibant affectũ, aut deniq; subtilitatibus & dogmatibus scholasticis nil recreant præter intellectum: abominabilis est jure meretissimo quicunque hujusmodi aut similis scopus nulli non Prædicatori Apostolico; quapropter & ego debitos inter me limites continui, tantum elargitus, quantum divinâ aspirante gratiâ mei indulsit virtus ingenii. Si aliquo in loco conceptum quempiam repereritis, in aliis pariter auctoribus annotatum, mementote, ipsosmet illos auctores in quorum voluminibus similem conceptum observastis, eundem ex fodina illa eruisse, quæ similes parit thesauros, quos meis subinde peridoneos consecravi speculationibus, ast sine scrupulo & absque restitutionis faciendæ onere; quia *extrema necessitate unusquisque habet jus justitiæ ad omnia bona*. Si vitam mihi Dominus indulserit longiorem, octavarium ego vobis donabo, sive sermones problematicos pro solemnitate & octava sanctissimi sacramenti, sanctissimæ Crucis atq; immaculatæ Conceptionis; neonon in omnia V. Mariæ Dominæ nostræ festa, in servitium Novenæ; quibus tandem alias subnectam conciones, pro solemniorum Augustinianæ Religionis sanctorum natalitiis. Porrò mihi ad intentum revertenti historia occurrit, magno sacra Eliæ Prophetæ, qui, dum ad altissimarum rerum contemplationem invitaretur, ab Angelo sollicitatur ad epulas: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi; surge & comede*. Pôstea verò dum ad communium rerum speculationem applicandus erat ministros nactus est, non Angelos sed corvos, necessarium illi victum suppeditantes: *Corvi quoq; deferebant ei panem & carnes mane, similiter & panem & carnes vesperi*. Cùm igitur & vos ad sublimium rerum contemplationem vocitari animadverteritis Angelos habebitis & Auctores, angelicâ eminentes præstantiâ, delicatis vos dapibus oblectare potentes: ubi verò in humilium atque ordinariarum vos rerum lectionem incidere contigerit, ministerium ne recusate corvorũ, id est, Augustinianorũ, quorum miserabilissimus ego sum; de reliquo vestris Deus benignissimè aspiret desideriis.

PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
PRO DOMINICA QUARTA Quadragesimæ.

DISCURSUS

De majestate panis providentiæ divinæ, qui figura fuit panis Eucharistici, & de mirabilibus benedicti panis, Gloriosi Sancti Nicolai Tolentinatis.

Satiavit Dominus de quinque panibus & duobus piscibus, quinque millia hominum. Ioan. 6. *vers.* 9. 10.

PROBLEMA

Utrùm in pane providentiæ divinæ (figurâ pânis eucharistici) an verò in pane benedicto Gloriosi Sancti Nicolai Tolentinatis, major conspiciatur excellentia, & magis mirabilia contineantur?

INTRODUCTIO.

I.

NUnquam animo meo dubium occurrit sublimius eo, quod mihi hodiernum subministrat evangelium: consistente siquidem Christo Domino Salvatore nostro cum Apostolis suis, supra quendam altum montem, supervenit ingens hominum famelicorum multitudo; cujus misertus Christus, ad Philippum se
Ioa. 6. v. 5. convertit, inquiens: *unde ememus panes, ut manducent hi?* Cui Philippus: Domine,
v. 7. *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis?* quis tantam poterit satiare turbam, nunquid ducentorum scutorum panes suffecerint illis? quid ergò faciemus, subsumit Dominus? & tuam mihi dic Andrea sententiam; respondet Andreas: *Est puer* v. 9.
unus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces: itane? quinque panes præsto sunt? sufficit, abundamus: *Facite illos* v. 10.
discumbere: curiosâ placet indagine, horum famelicorum numerum investigare; S. Marcus quinque millia fuisse testatur, exceptis mulieribus & pueris: *Fuerunt, qui manducaverant, quinque millia, præter pueros & mulieres*: imaginor mihi, omnes viros istos conjugatos fuisse; quo posito, si virorum fuere quinque millia, conse-

quen-

quenter inferendum est, mulieres totidem fuisse numero; igitur jam decem millia personarum recensemus. Ast quid de filiis? concedamus, singulas, familias unicum habuisse filium; & ecce alia quinque millia filiorum: igitur tota hæc multitudo conflabatur ex quindecim millibus; num quisquam poterit quinque eam saturare panibus? Christus nihilominus omnibus residere jussis, unum distribuit panem, quo tria millia hominum satiavit; exinde secundo pane diviso, alia tria millia refecit; tandem verò saturatâ multitudine illâ universâ, præcipit Apostolis, inquiens: *Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Quid hoc? forsanne belligerarunt & victoriam retulerunt panes? crediderim ego, famelicos hosce unanimi ausu divinam in certamen provocasse potentiã, ita ut ex una parte consisteret Christus cum quinq; panibus, ex alia verò, famelicorum turba: clamabant igitur viri: panem, ô Domine! & porrigebat Christus. Vociferabantur mulieres: Domine, panem! & providebat Christus; panem, ô Domine, dicebant filii, & abundanter dispertiebatur Christus; neque tantum poterant panis sollicitare famelici, quin finaliter non superesset panis. Vicerunt igitur panes; unde S. Gregorius Nyssenus inquit: *Manducant homines, crescunt panes, vincunt panes, superantur homines.* Quinque panibus, quindecim millia hominum satiavit Christus, repletis insuper duodecim cophinis ex iis, quæ superabundarant fragmenta: *Collegerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Nonne ingens hocce fuit miraculum? considerate obsecro, quia non modò magnum, sed etiam maximum & nimis quam stupendum exstitit: at subsistite parumper, longè aliud contemplaturi portentum. In sancta Ecclesia Christus est, non nisi unicum habens panem: *Ego sum panis vivus*; hoc uno solo pane, non quinque aut quindecim hominum millia duntaxat, sed universum pascit Christianum, nulli partem, sed unicuique integrum distribuens panem: *A sumente, non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.* Saturatâ autem totâ Christianitate, vos ego interrogo, si quidquam residui maneat in sancta Ecclesia panis? & respondetis: omninò; semper idemmet superest panis: *Sumit* namq; *unus, sumunt mille; tantum isti, quantum ille, nec sumptus consumitur.* O stupendum portentum, omni prodigio prodigiosius! in hodierno Evangelio, Christus quinq; panibus quindecim hominum millia satiasse legitur, ita ut terminatâ refectione, duodecim superessent cophini fragmentorum; in sancta verò Ecclesia, cum unico tantum pane comparet Christus, quo totum saturat Christianum, & satiatis omnibus, idem semper & integer restat panis. Utri igitur horũ duorum sublimior inest magnificentia? Uter majora continet mirabilia? panis providentiæ vel eucharistiæ? hoc ipsum hodierni discursus problema erit; ita tamen, ut simul etiam exploraturi simus, an panis benedictus Gloriosi sancti Nicolai de Tolentino, secundùm mirabilia sua, pari cum duobus illis, providentię & eucharistiæ panibus, passu gradiatur. Porrò sicuti mensę, in qua panis divinus manducatur, summa cum veneratione & reverentiâ assistendũ est, ita pariter vos mihi, de panis divini magnificentia & mirabilibus hodie verba facienti, aures devoto cum silentio confido præbituros.

II. *Satavit Dominus de quinq; panibus, quinque millia hominũ.* Amplissima divinæ providentiæ panis magnificentia, memoriæ meæ quendã ingerit sacræ scripturæ textũ,

judi-

Famelici fuêre 15. millia.

v. 12.

Panes victoriosi.

S. Gregor. Nyss.

Ioan. 6. v. 41.

Problema.

judicio meo, notatu dignissimum, quo sanctus Archangelus Gabriel Zachariam accessisse, eiq; dixisse describitur: *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*: bono esto animo ô Zacharia, conjunx namq; tua Elisabeth, tibi filium gignet: exinde idemmet Archangel⁹ transeundo in Nazareth, ad annunciandum divinæ incarnationis mysterium, Virgini Mariæ: *Ecce*, inquit, *concipies & paries filium*: Tu domina augustissima filium concipies. Utriusq; hujus annunciationis differentiã, subtilissimâ indagine S. Petrus Chrysologus, more solito, perscrutans, interrogat: *Cur hic non dixit; filium tibi?* Dicito mihi legate cœlestis, cujusnam filius erit, partus ille Mariæ?

Luc. 1. v. 13.

§. 9.

v. 31.

III. Divi Chrysologi subtilitas incunctãter doctrinã urget theologicã, quapropter vos docti arrectis adeste aurib⁹ vosq; ô simplices tantillũ patientiç habete, ex profundissimo namq; principio, immensa panis providẽtiæ magnificẽtia mihi erit eruẽda.

IV. Nunquam homo adeo rudis, aut populus tam exstitit barbarus, qui Dei existẽtiã negarit; dogma hoc nõ Philosophiæ, nõ fidei, sed lumini naturç innititur, ipsisq; manibus palpatur; *Deus est*: & quemadmodum nemo uspiã Deum esse negavit, ita pariter multò minus quispiã exstitit ullibi, qui eidem Deo omnem perfectionem, tanquam primo rerũ omniũ principio & origini nõ attribuerit; nec obstat in contrariũ, Philosophos antiquos principio isti imperfectionem potius asscripsisse, id enim ex humili nimiũ & abjecto oriebatur, quem de primo principio formaverant conceptũ; pro cujus intelligentia sciendũ, duplex dari in natura principiũ; alterum Materiale, Efficiens alterũ: materiale imperfectissimũ est, nam materia prima, quatenus est primum principium, pura potentia est, privata & destituta omni decore, neq; aliud in se bonũ continet, præter appetitũ seu desideriũ

Evincitur providentia Dei.

perfectionis, mediâ naturali inclinatione, quam habet ad formas: *Materia prima semper appetit formam*. Principium verò efficiens omnimodè contrariatur materiæ, sicut enim hæc *tota, quanta, quanta est, est pura potentia*, nihilq; actũs possidet: *Quia non est quid, nec quale, nec quantum*; ita principium efficiens è converso *totũ, quantũ quantũ est*, act⁹ purissim⁹ est, nihilq; continet potẽtiç.

V. Sed perfectiori, si placet, obtutu primum illud principiũ contemplemur; nihil profectò creaturæ est, quæ non aliquem bonitatis & perfectionis gradũ in se contineat, teste Moyse, cum dicit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: Sed nulla creatura est causa suiipsius, nulla seipsam producit; dicendũ ergo, omnes perfectiones creaturarũ excellenti⁹ contineri in prima causa, quæ dat esse creaturis omnibus: *Quidquid enim naturaliter est in effectu, eminenter est in causa, producente talem effectum*. Quandoquidẽ igitur Deus est prima causa effectiva rerum omnium, consequens est, in eo reperiri omnes omnium creaturarũ perfectiones, *saltem eminenter*; ideoque S. Dionysius Areopagita dicebat: *Non quidem hoc est Deus, hoc verò non est, sed omnia est & omnium causa*.

Gen. 1. v. 31.

Omnes perfectiones in Deo, ut in causa prima.

VI. Progrediamur ulterius; omnium perfectionum, quæ creaturis attribuuntur, maxima & sublimissima, est cognitio seu intellectus, qui propterea in solo homine & Angelo reperitur; tanta utiq; perfectio in Deo, primo omnium principio, nequaquam deficere potest; Deus igitur cognoscit, sed quid cognoscit? auscultatis responsum, finatisque Averroem dicere, & cui voluerit; hæc veritas est catholica. DEus seipsum cognoscit, & adeo quidem perfectè, ut sese compræhendat, quia illud esse divinum tantum cognoscit, quantum est, tantumque est, quantum cognoscit; & inde sequitur,

Quarum prima est cognitio.

Deum cognoscere quascunque res alias, nullus enim potest cognoscere perfectè semetipsum, quin non cognoscat etiam omne illud, ad quod sese extendit ejus virtus; Deus igitur res omnes cognoscit.

VII. Interrogaverit forte quispiam, quomodo igitur se habet scientia illa, quâ Deus omnia attingit? advertite responsum, in eo namque puncto consistit negotium: non est scientia, nostræ similis, quæ objectum ante supponit esse, quàm cognoscat, juxta illud Aristotelis: *De non entibus non datur scientia*: Sed scientia Dei est causa rerum; unde S. Augustinus inquit: *Universas creaturas corporales & spirituales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia eas novit Deus.* Ecce vobis efficacissimum divinæ providentiæ argumentum; ad quem pertinet dare esse unicuique rei ad eundem quoq; pertinet rem illam manutenere in suo esse; sed sic est, quòd ad cognitionem seu scientiam divinam pertineat dare esse omnibus creaturis mundi, ergò etiam ad scientiam & cognitionem divinam pertinet illas conservare & providere iis. Ecce divinæ providentiæ infallibilitatem ex primis deductam principiis. Mundus est, totque jamtum per annos conservatus fuit in suo esse; quis eum conservat? Deus. Nascitur homo, & nascitur mutus, neque suas novit postulare necessitates, quis ei providet? Deus. Nascitur agnus, lac sugit maternum, sed tandem arescentibus herbis, lac deficit maternum, quis illi prospicit? dicet ille: natura. Interrogo ego, quænam est ista natura? vel enim est causa prima, vel secunda? si prima, ergo Deus est; si secunda, & virtutem habet providentiæ, igitur quomodocunque resolvatur, naturam providere, necessario concludendum est, penes Deum hanc residere providentiam. Ita, ita Domine; scriptum est etenim: *Omnia à te exspectant, ut des illis escam in tempore opportuno.*

Scientia Dei est causa rerum.

Quid natura?

Ps. 103. v. 27.

VIII. Ast ecce contra insurgit hæreticus & tota infidelitatis cohors, objiciens; quæ providentia in DEo? nunquid non *Deus super cardines cœli perambulat, nec nostra considerat?* si admittatur Dei providentia, interibit omnis in hoc mundo casus & fortuna; quia nulla res, quæ ante prævidetur, quàm contingat, potest dici evenire casu, & tamen in mundo datur casus & fortuna; an non casus fuit illa hodierna pueri, quinque panes habentis præsentia? Si ergò in mundo hoc casus admittitur, excludenda est providentia Dei; rem etenim prævisam repugnat esse casualem. Audistis argumentum hæretici, nunc quoque catholicum intelligite responsum: minimè repugnat, unam & eandem rem, prævisam simul & casualem esse; casualis erit respectu causæ secundæ, prævisa verò à causa prima; causa prima universalissima, Deus est; causæ secundæ reliquæ sunt creaturæ; nobis equidem causis secundis facilè quippiam evenire potest & accidere casualiter, quia nos scientiâ infinitâ destituti, res futuras intelligere neutiquam valemus: sed in ordine ad Deum, cujus scientia infinita est, quid poterit esse casuale? respectu Philippi & reliquæ turbæ, casualiter comparuit hodie puer ille cum quinque panibus; forsitan & respectu Christi, casus fuit? nequaquam: quia *ipse sciebat, quid esset facturus*: quantumvis ergo Deus provideat & videat omnia, non ideo tamen casus tollitur & fortuna; & licet casuales in mundo dentur effectus, neque propterea DEI neganda est providentia; universalis namque ipse est totius mundi provisor.

Argum. hæret.

Iob. 22. v. 14.

Casus compatitur providentia.

Ioa. 6. v. 6.

IX. Agedum, regressum faciamus ad

eam,

eam, à qua recessimus, S. Petri Chrysologi subtilitatem; quare Angelus ad Zachariam inquit: *Uxor tua pariet tibi filium?* quare nō idem ad virginem Mariam dixit? Cur hîc non dixit: *filium tibi?* tanta Joannem Baptistam inter & Christum differentia est, quanta inter Deum & creaturam versatur distantia: Joannes creatura erat, & ut talis nominari poterat, particularis Zachariæ futurus filius; Christus verò, Deus & universalis omnium creaturarum existens Dominus, quomodo particularis poterat dici filius Mariæ? nullo utique modo; unde S. Chrysologus inquit: *O Maria, non dixit; filium tibi; ne præsumas, hunc vocare filium tuum sed cum genueris, invoca Dominum omnium Salvatorem.*

Ps. 103. v. 27.

Argum. hæret.

Iob. 22. v. 14.

S. Chrys.

Casus compatitur providentia.

X. Verum enim verò quantum, quàmque magnum istum providentiæ panem, qui DEUS est, esse credetis? quantitatem ejus ex hocce puncto eruatis: si magnus est, atque indicibilem causat stuporem, quia paucas hodie turbas quinque pascit panibus; quantò infinities major erit, vi sui universalis gubernii, quo communem totius mundi dirigit ordinem? si infinities magnus est, quia universum conservat mundum, eique de cibis & pane providet; quantò igitur eum majorem esse convincitur, considerando, quòd idem ipse infinitos mundos sine cibis & pane manutenere possit?

XI. Porro de panis providentiæ excelcentia, ad sacrati eucharistici panis magnificentiam transeamus, à figura ad figuratū progrediamur; quantus est panis eucharisticus? quis nobis excellentiam ejus sufficienter poterit explicare? Magnus P. Augustin9, sacrati hujus panis magnificentiæ atq; eminentiæ quondā immersus ita discurrebat: *Cum sit Deus omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; & cum sit ditissimus, plus dare non habuit.* Nonne Deus omnipotens atque infinitæ est virtutis? imò verò; & tamen omnipotentiam suam, donum aliud, pane isto lucupletius & pretiosius dare nequiit: nonne ipse infinitâ pariter præditus est sapientiâ? ita profectò; & nihilominus tota ejus sapientia munus aliquod hocce pane excellentius magisque regale, adinvenire nescit: imò quantumvis locupletissimus sit infinitorum thesaurorum Dominus; tantas tamen inter divitias, quæ omnes inæstimabiles sunt, nulla est valoris & pretii tanti, quanti panis eucharisticus. Capite ad præsens intentū eam, quam vobis texam, diversis plenam divitemq; conceptibus, catenam, minimè votis vestris, ut spero, futuram ingratam, teste S. Mattheo, Christus vice quâdam discipulos suos interrogavit: *Quem dicunt homines esse filium hominis.* Apostoli mei, quid mundus de mea sentit persona? Domine, nulla est in sentiendo uniformitas: *multi multa dicunt.* Vos verò *quem me esse dicitis?* quem vos de me conceptū formatis? prudentissimè & clarissimè inter omnes, S. Petrus, elevatâ voce respondet: Domine, *tu es Christus, filius Dei vivi.* Adeò autē in hac S. Petri confessione sibi complacuit Christus, ut confestim eandem laude & præmio prosecut9 fuerit, inquiens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Beatus es Simon Bariona, tibi dabo claves regni cœlorum.* Nunquid Christus plus ei dicere aut dare poterat? nequaquam profectò, sed exspectate; aliâ quâdam vice similiter consistebant Apostoli coram Christo congregati, & nullo eorum interrogato, S. Petrus ultroneè atq; ex motu spontaneo Christum ita affatur: *Nos credidimus & cognovimus, quia tu es Christus, filius Dei.* Forsitan & huic secundæ Petri confessioni Chri-

Ioa. 6. v. 6.

S. Aug. tr. 84. in Ioa.

Deus nequit donū dare maj9 sacramento.

Matth. 16. v. 13.

v. 17.

Cur Christus non probet secundam Petri confess. v. §. 38.

Christus respondit quippiam? nihil omnino. *Non laudavit neq; approbavit*, inquit S. Chrysostomus, *quamvis in alio loco id fecisset*. Domine, silentium hocce tuum, gravis mihi videtur diffidentiæ & dissuasionis signum in Petro; ille ultrò citròq; te Deum esse profitetur, & tu nullo beneficentiæ signo affectum remuneras? quare prima Apostoli tui confessio tam tibi grata exstitit, cur eam tam prodigâ laude & præmio affecisti, hanc autem secundam in silentio evanescere finis, sine ulla approbatione?

§. 38.

XII. Pro difficultatis hujus enodatione, in longè dissitam terram mihi recedendum esse adverto. Propheta Isaias mirabili quandam visione fruitus (prout ipse in sexto Prophetiæ suæ capite refert) Deum conspexit, sublimi insidentem solio majestatis suæ: *Vidi Dominum, sedentem super solium excelsum & elevatum*: Non est in præsenti de sedente quæstio, ille siquidem De⁹ erat incarnatus, juxta testimonia S. Ambrosii *lib. 3. de Spiritu & litera*: S. Hilarii *lib. 5. adversùs Arrianos*: & aliorum plurimorum patrum; sola est circa thronum difficultas: alii namq; eum nativitatem, alii eum crucem fuisse arbitrantur; juxta communiorem nihilominus sententiam, thronus, cui incarnatus insedit, sacramentum erat Eucharistiæ; ut enim Propheta testatur, sedens Deus, in medio consistebat duorum alatorum Seraphim, qui duabus alis caput, id est, divinitatem Christi velabant: *Caput Christi Deus*: & duabus aliis tegebant pedes: *Duabus velabant pedes ejus*. Quòd obsecro mysterium illud, in quo divinitas simul & humanitas abscondita delitescit? Utiq; non incarnatio, quia licet in eo occultata fuerit divinitas, palam nihilomin⁹ visa fuit humanitas: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Neq; crucem fuisse dici potest, quantumvis enim in ea celata fuerit divinitas, dicente Propheta: *Ibi absc ondita est fortitudo ejus*, attamen humanitas sensibiliter passionibus & cruciatibus subjecta fuit; mysterium hoc solum fuit Eucharistiæ sacramentum, in quo divinitas simul cum humanitate occultatur; unde angelicus Doctor in Opusc. 58. Scriptũ nobis reliquit: *In nativitate & cruce latebat Deitas; ast in hoc sacramento latet simul & humanitas*. Hoc supposito, juxta testimoniũ Isaiæ, Christus in sacramento duos inter Seraphinos medius consistebat: *Seraphim stabant super illud*: quid Seraphinus significat? inflammatum, ardentem & amantem denominat; Christum igitur in medio duorũ Seraphinorũ morari; idem est, ac in medio duorũ amorũ; sed quinã illi duo fuêre amores? Eosdem sanè ego fuisse arbitror, quos S. Joannes comemorat, dum inquit: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Unus nativitatis, alter mortis exstitit amor; *cum dilexisset*: ecce primũ, scil: nativitatis; *in finem dilexit*: ecce secundũ. In medio duplicis hujus amoris constitutus Christus, ad contemplationem primi se convertit, perpendens, quid propter hominem homo fecisset, quo terminato, sic eum discurrisse opinor: ô quàm ingens homini beneficiũ contuli nativitate mea, ex immortali mortalis, de æterno temporalis, ex impassibili passionibus subditus factus millenis! ô grande beneficiũ! ô quàm admirabile donum? exinde ad secundum amorem, scilicet mortis suæ, discutiendũ conversus, pariter inquiebat: ô quàm stupenda & prodigiosa est hæc mortis meæ donatio! ingens sine dubio fuit nativitatis amor, nascendo namq; me hominis socium constitui; nihilominus excellentior mihi mortis videtur amor, quia verus ego Deus in cruce vitam propter hominem amittam; maximus fuit nativitatis amor, ast mortis major est: nihil-

Isa. 6. v. 1.

1. Cor. 11. v. 3.

Isa. 6. v. 2.

Tit. 3. v. 4.

Habac. 3. v. 4.

S. Th.

Joan. 13. v. 1.

Habac. 3. v. 4. nihilominus in meì erga hominem amoris testimonium, memetipsum nascentem, morientem devincere constituo; munus homini extradã, non modò à nativitate & morte mea derivatum, sed longè excellentius & sublimius utroque, Quid igitur fecit, quid singularis doni contulit Christus? S. Th. Sacramentũ instituit Eucharistiæ; id quod non compendium duntaxat, sed viva incarnationis & redemptionis est imago; ita tamen ut inter unum & aliud mysterium longè diversa sit excellentia.

XIII. Primò equidem loco Eucharistiam & incarnationem ad invicem comparando, quis duo hæc mysteria æquali passu gradi non diceret? omnes enim antiqui patres, modò hoc, modò illud mysterium contemplantes, liberè affirmare videntur, incarnationem hypostaticam fuisse Eucharistiæ unionem, eucharistiam verò quasi alteram esse incarnationem; an nõ S. Damascenus in epistola, quam ipse ad Zachariam Episcopum misit, ita infit: *Iacet panis in sacra mensa, ac si in utero Virginis?* Et S. Epiphanius quo Epitheto uterum Mariæ compellat? uterus Xirginis, inquit, *est clibanus, in quo panis vitæ est coctus*. S. quoque Vincentius Ferrerius in Serm. 2. de Assumptione ita discurrit: *In hoc Maria assimilamur, quòd sicut ipse venit in uterum virginalem, ita propriè venit in hostiam consecratam.* Ipsa deniq; Ecclesia duo hæc altissima mysteria sine differentia confundendo, eandem ordinat recitatq; præfationem in verbi incarnati & sacramentati nativitate, quasi incarnatio, quædam anticipata fuisset Eucharistia; ipsa verò Eucharistia, nova exstitisset incarnatio.

Comparatio inter Euchar. & Incarn.

Ioan. 1. v. 1.

XIV. Sed accuratius discutiamus eam, quæ inter duo hæc mysteria intercedit similitudo: in incarnatione Verbum humanâ se vestit carne, in sacramento purissimis sese occulit accidentibus; in incarnatione omnes tres divinæ concurrerunt personæ, solumque Verbum incarnatum fuit, in sacramento pariter sunt eædem tres personæ *per circuminsessionem*, sed solum Verbũ est id, quod se nobis communicat in cibũ; incarnationis mysterium simplicia illa Virginis verba operata fuêre: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* sacramentum quoque simplicia constituunt verba sacerdotis, dicentis: *Hoc est corpus meum:* in incarnatione Verbum fit caro: *Verbum caro factum est:* in sacramento autem, panis fit Caro: *Panem verum verbo carnem efficit:* in incarnatione, duæ naturę nodo inter se uniuntur substãtiali in una hypostasi; in sacramento, corp⁹ Christi & anima ej⁹, qui recipit illud, nexu conglutinantur substantiali & physico; in incarnatione, humana natura propriâ caret subsistentiâ, in sacramento corp⁹ Christi non naturalem sed sacramentalem præsentiã habet; in incarnatione est substantia sine subsistentia, in sacramento conservantur accidentia sine subjecto; in incarnatione Verbum, unum cum carne compositũ constituit; sed non est pars compositi; in sacramento Christs unà cum speciebus sacramentalibus integrũ facit sacramentũ, non tamen est pars sacramenti. In incarnatione, minimis restringitur membris Deus immensus, sine confusione duarum naturarum; in sacramento, in pane exiguo, imò in unico indivisibili puncto totus restringitur Christus, absq; eo tamen, quòd quantitatis ejus partes confusè inter se permisceantur. Concludendum est igitur, Verbi incarnationem, quasi sacramenti fuisse institutionem; & sacramentũ quandam esse incarnationis extensionem.

Luc. 1. v. 38.

XV. At quàm exile id, quod hucusq; diximus? parum profectò; Eucharistiam namq; incarnationi assimilantes punctualius

lius, infallibiliter majorem longè panis eucharistici, quàm Verbi incarnati reperietis excellentiã; per incarnationem enim De⁹ in hunc mundũ introivit, triginta tribus annis nobiscum permansurus, vi autẽ sacramenti nobiscum perpetuò moratur: *Vobiscum sum usq; ad consummationẽ sæculi.* In incarnatione unã solummodo sibi naturã univit, humanitatẽ scilicet à Verbo assumptam; in sacramento non unum duntaxat, sed omnes eos intimè sibi copulat, quotquot dignè illud recepturi advenerint: in incarnatione, cum ea se natura univit, quæ & ab omni peccati actu & peccandi potentia remotissima erat; in Eucharistia nõ solos sibi justos unit, sed & ab ipsis peccatoribus sæpius se manducari permittit. In incarnatione duæ se naturæ in unico conjunxêre supposito, absq; eo, quòd una converteretur in aliam: *Non commixtionem passus, neq; divisionem*: in Eucharistia verò non modò panis essentia in Christi corp⁹ convertitur, sed insuper natura ejus, qui dignè communicat, in veram Christi carnem transmutatur: *Non tu me mutabis in te ut cibum carnis tuæ* (quondam idemmet inquiebat Christus ad S. Augustinum) *sed tu mutaberis in me.*

Panis Euchar. major est incarn.

Matth. 28. v. 30.

Communicans deificatur.

XVI. Hæc reliquarum excellentiarũ, quæ huic divinissimo Sacramento attribui possunt, facilè prima est; eos scilicet, qui dignè illud recipiunt, non communem tantummodo atq; ordinariam ipsius participare similitudinem, neq; simplici insigniri charactere, sed totam omnino recipere divinitatem, dum sub sacramentalibus speciebus existens Deus, totũ iis profundit divinitatis suæ oceanum; ita ut tales denominari possint justissimè Divini, Deificati, Deiformes & Dii, juxta quod Christus, teste S. Joanne, patrem suum æternũ alloquens, dicebat: *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos sumus.* Quid nomine claritatis intelligendum esse censetis? divinitatem in ea accipiendam esse docet S. Cyrillus: quando autem hæc à Christo verba prolata fuêre? post sanctissimi sacramenti institutionem, quasi dicere voluisset: æterne pater, cum hocce sacramento, fidelibus meis eandem largitus sum divinitatem, quàm à te per æternam generationem accepi: *Claritatem divinitatis, quam mihi ab æterno dedisti, dedi in hoc sacramento.*

Joan. 17. v. 22.

XVII. Clarius idipsum S. Augustinus, in horum verborum glossa (*Qui manducat me, & ipse vivet propter me*) explanat, dum inquit, vitam Christi ab æterni patris vita neutiquam differentem fuisse, quia persona humanitatis Christi non alia, quàm persona Verbi erat, quod totum suum esse à patre habet; dicere igitur volebat Christus: æterne pater, quemadmodum ego nec aliâ fruor, nec vivo vitâ, quàm tuâ, quæ divina est; ita quoq;, qui hunc panem, in quo memetipsum totum situavi, manducarit, non aliâ potietur vitâ, quàm divinâ; vivet enim vitâ meâ, quæ pariter divina est.

Ioan. 6. v. 58. S. Aug.

XVIII. Eidem proposito nostro accommodè suffragatur Apostolus Paulus, dum in duobus capitibus de hoc altaris sacramento ad Colossenses scribens, ait: *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis, & estis in ipso repleti.* Notate, obsecro, hanc loquendi methodum, multâ plenam emphasi, & ingentibus redundantem mysteriis; plenitudinem præmittit Apostolus divinitatis Christi, quam abundanter à Patre in æterna generatione accepit: *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis*: postea verò immediatè subjungit: *Et estis in illo repleti*: vi nimirum sacramenti, quòd recipitis; quasi S. Paulus Colossensibus dice-

Colos. 2. v. 9.

dicere intendisset: Scitote charissimi mei, vos quoties animas vestras eucharistico cibo reficitis, non communi quâcunq; formâ insigniri, sed in explicabili divinitatis Christi plenitudine donari, ita ut animas vestras inundet *plenitudo divinitatis*: Vos totius esse divini, totiusque deitatis participes efficimini: *Estis in illo repleti.*

XIX. Theologus eximius, Dionysius Areopagita, in hierarchia ecclesiastica eundem format discursum, inquiens: *Dominus noster Iesus Christus nos, per cibum hunc sacratißimum, in sui traducit effigiem, Deiformesq; reddit.* q.d. communicantibus nobis, quasi forma quædam substantialis inseparabiliter imprimitur Deitas, quacum unum constituendo compositum, Deiformes evadimus; ab eadem S. Patre angelicus Doctor S. Thomas hausisse videtur id, quod in opusculo 50. eodem modo discurrens, adducit, dum ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, id est, Deiformes. & Deo secundum imaginem similes; aßimilatur autem homo Deo, virtute corporis Christi.*

Ioan. 6. v. 58. Aug. — S. Th. — Ioa. 1. v. 12.

XX. Ultra Rupertus, Abbas Tuitiensis, progreditur, neq; hac deiformi similitudine contentus, circa illa S. Matthæi verba (*Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo*) in persona Christi ita sermocinantur; *Quid enim ego, nisi Dei sapientia, nisi vera, & summa, & sempiterna Deitas? is ergo, in quo ego maneo, divinitatem in se transfusam habens, Deus factus est.* Idem pariter interpres in lib. 6. in Joannem, aliud quoddam, huic inprimis consonum, adducit dogma, super illa Psalmi verba: *Ego dixi; Dij estis*: dicit enim. *Perspicuè divinitatem pollicetur, carnem suam manducantibus, quid vobis Dei filius hoc dicto pollicitus est? nisi ac si apertè dicat: Dij eritis, & filij excelsi, omnes.*

Rup. Ab. in Matth. — Ioa. 6. v. 55. — Colos. 2. v. 9. — Ps. 81. v. 6.

XXI. Neutiquam in præsenti, silentio involvenda est singularis illa sollicitudo, quâ Christus, in cruce agonizans, animam suam Patri recommendavit, dicendo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quâ necessitate, ô docti, Christus spiritum suum Patri recommendavit? nonne anima Christi hypostaticè unita erat divino supposito? ita: quo igitur fine eam recommendat Patri? existimatisne, tunc Christum suam Patri animam recommendasse? nequaquam domini mei, nulla Christo talis recommendationis suberat necessitas; discite igitur, quid recommendarit: hominem recommendavit, qui virtute communionis in Deum transmutatur. *Dicendo Christus*, inquit Titelmanus, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; *Patri commendat hominem, qui virtute communionis, unus Spiritus fit cum eo. Sicut enim Christus, Deus & homo est; homo, naturâ homo est, & corpus Christi accipiens, Deus fit.*

Luc. 23. v. 46. — Communione transmutamur in Deum. — Titelm.

XXII. Omnia prædicta magnus Pater Augustinus subsignat, paucissimis verbis communicantem denominans, frustũ hostiæ consecratæ; sed quomodo? juxta Sancti Pauli, ad Corinthios scribentis testimonium, omnes nos Christiani, sacratum panem manducando, Christi membra efficimur, unumque cum eodem Christo corpus mysticum constituimus: *Vnum corpus multi sumus, qui ex eodem pane & eodem calice participamus.* Ex hisce igitur verbis (*unum corpus multi sumus*) consequentiam illam infert Augustinus suo dignam veraciter aut eo intellectu; *Ergo*, inquit, *si unus panis totum corpus Christi; ergo membra Christi frusta panis sunt*: Si totum CHRISTI corpus est unus integer panis; *ego sum panis vivus*: ergo membra CHRISTI, particulæ seu frusta sunt panis consecrati;

1. Cor. 10. v. 17. — Communicans fit frustum hostiæ.

nos per communionem, membra Christi efficimur, quia *unum corpus multi sumus, qui ex eodem pane participamus*; ergò per communionem frustra hostiæ consecratæ efficimur; ô ingens excellentia!

XXIII. Audistis hucusque similitudinem, imò & superexcellentiam, quam præ Verbo incarnato panis in se continet eucharisticus, nunc quoq; comparationem, quę inter Christum sacramentatũ & passũ, atq; in cruce mortuũ intercedit, percipere non displiceat. Accuratiori porro mutuæ hujus utrumq; inter mysterium existentis similitudinis contemplationi, plurimùm deserviet antiquissima illa, per sanctos Patres agitata quæstio; quare scilicet Christus sacramentũ Eucharistiæ ante mortem suã instituere voluerit? nonne reliqua sacramenta omnia *fluxerunt è latere Christi, quando exivit sanguis & aqua?* utique; ita enim concors omnium sanctorum Patrum tradit doctrina: cur igitur Christus solum hoc Eucharistiæ sacramentũ, uno die ante, quã moreretur instituere voluit? *Qui pridie, quã pateretur*; respondéri posset, id factũ esse, ut Christus crudelibus inimicorũ suorũ voluntatibus satisfaceret, qui dixerant: *Deglutiamus eum vivũ*: itane, inquit Christus, vivum me deglutire cupitis? ecce, priusquã moriar, me in cibũ converto, agedum, absumite vivũ juxta vota & desideria vestra. Vel etiam dicere possumus, quòd Christus Eucharistiam ante mortem suam instituerit, ad conferendum eidem morti præmiũ; pro quo sciendum, duplicem dari in Deo justitiam; alteram punitivam, distributivã alteram; justitiæ satisfactum est per mortẽ Christi, quæ, cum valoris esset infiniti, satisfacere poterat *ad æqualitatem*, pro peccato generis humani, pariter infinito; sed justitiæ distributivę quomodo, quâve viã fieret satis? Christus, cum nulli obnoxius esset peccato, neq; mortis sententiæ subjacere debebat, & nihilominus mortuus est; justitia distributiva præcipit, ut *reddatur unicuiq;, quod suum est*; quod igitur præmium pro tot tantisq; pœnis, imò & morte ipsa reportaret Christus? salutem forte tot animarum? neutiquam, finitæ enim sunt animæ omnes; fortasse gloriam corporis? minus, hæc siquidem accidentalis est; quid igitur præmii assequetur mors Christi? sacramentum Eucharistiæ ante mortem instituit Salvator, ut Christus sacramentatus præmium foret Christi crucifixi.

Cur instituta Euch. ante mortem Christi.

Ioan. 19. v. 34.

Prov. 1. v. 12.

Diversæ explic.

XXIV. S. Thomas opusculo 58. ad nostrum propositum inquit, sacramentũ hoc à Christo, ante mortem ejus, institutũ esse, ut illud viva esset passionis & mortis ejus repræsentatio: *Ante mortem instituit Christus sui sanctissimi corporis sacramentũ, ut, esset suæ passionis memoriale perenne*: atq; in effectu quidẽ quid super montẽ Calvarię, in morte Christi evenit, quod in sacra pariter Eucharistia non reperiatur? in morte Calvariæ Christus affigitur cruci, ecce sacrosanctam hostiã; primum sacerdotis exercitiũ consistit in eo, scilicet adigere in crucem. Quot sunt verba, quibus corpus Christi sub specie panis consecratur? quatuor: *Hoc est corpus meum*: quia particula *enim*, *non est de essentia sacramenti, sed solum de præcepto Ecclesiæ*. Cur Christi corpus quatuor tantùm, & non pluribus aut paucioribus verbis consecratur? ascendatis, inquit Rupertus Abbas, Calvariæ montem, mensuraturi, quid dicitur, crucis partes; quatuor utiq; reperietis, scilicet caput, pedes & duo brachia: triumphet Christus, exclamat Rupertus, quandoquidem ipse corpus suum, quatuor tantummodo verbis sub specie panis instituit, totidem namque sunt aliæ partes crucis: *Mensa est altare ligneum, id est, crucis, & substantiam panis accipiens in manibus*

S. Th.

Euch. est viva imago Pass.

Cur fiat consecratio 4. verbis.

Matt. 26. v. 26.

Rup. Abb.

bus suis, dixit: hoc est corpus meum. Ecce Christum in hostia, existentem in cruce.

XXV. Christus, vix ut cruci affixus erat, subitò in totius populi prospectu elevatus fuit; in eucharistia pariter statim ut hostia consecrata est, à Sacerdote oculis omnium exhibetur; ita ut proinde S. Damascen⁹ in libello de corpore Domini apposite dicat: *Elevatur in manib⁹ sacerdotis in crucē, & frangitur & distribuitur, & in nobis sepelitur.*

S. Damasc.

XXVI. in cruce Christus injuriam remisit crucifixoribus, inquiens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Ecce sacramentum altaris, in quo Christus nihil agit aliud, quàm flagitia condonare peccatoribus; quot enim sunt, qui ad sacrum altare accedunt indignè, agnumq; immaculatum Christum manducant sacrilegè, sine ullâ subsequenti vindicta? quæ hujus tantæ patientiæ causa? respondet nobis S. Paschasius c. 8. in hæc verba: *Certum sit, quòd Angeli nec semel indignè communicanti parcerent, nisi bonitas Christi gladiū suspenderet, & removeret momentaneam mortem; Christo totū debemus asscribere, qui suas etiam injurias, sicut in cruce fecerat, libenter remittit.*

S. Pasch.

XXVII. In cruce Christus Joannem Matri & Matrem suā recommendavit Joanni; in Eucharistia autem ille, qui communicat, nō modò filius Mariæ (quia alter efficitur Christus, qui filius fuit Mariē) sed ulterius etiā mater Christi evadit; id quod S. Gregorius hisce verbis insinuat: *Si verbū divinum in viscerib⁹ virginis, virginem agnovit ut matrem; quare Christi fideles, in visceribus Christū gestientes, matres Christi non erunt?*

S. Greg.

XXVIII. In cruce, crura Christi confracta non fuēre, dicente Evangelistâ: *Non fregerunt ejus crura*: in sacramento quoq; non frangitur, nō dividitur Christ⁹: *Non confractus, non divisus, integer, accipitur.* Et ut terminemus discursum, quid tandem in sacra occurrit passione, quod nō pariter in sacra hostia conspiciatur vivaciter? *Nihil defuit*, inquit, S. Paschasius, *in hoc sacramento, ad commemorationem dominicæ passionis.*

Ioan. 19. v. 33.

S. Pasch.

XXIX. Quodnam verò duorum horū mysteriorum excellentius esse dicetur? utrum nobis liberalius exstitit? plus nobis contulit Christus sacramentatus, an crucifixus? Liberalissimus citra omne dubium, fuit in nos Christus crucifixus, quid enim plus poterat dare nobis, quàm dum propriam effunderet vitā in cruce? nihilominus si Christum crucifixum inter & sacramentatum, comparationem instituere voluerimus, crediderim ego, Christum crucifixum ultro citroq; manus victas daturū Christo sacramentato; mors enim Christi in cruce sacrificium solummodo fuit pro peccatis mundi, non tamen sacramentum; Eucharistia autem sacrificiū simul & sacramentum est; amplius dico: mors Christo in cruce per Romanorū violentiā illata fuit; non dico, Christum obiisse involuntariè; sed dico, mortis Christi Romanos & Judæos fuisse ministros, nō verò ipsum Christū; in sacramento autē Christus, mysticè moritur, hucusq; mortis ipse minister est; propriis namq; manibus suis corp⁹ à sanguine, & sanguinem separat à corpore. Eminentius affirmo; quantumvis Christus in cruce totum suum pro homine sanguinem fuderit, non tamen totus in hominis beneficiū cessit, quem enim post mortē suam è latere misit, vel meritori⁹ nec satisfactorius fuit; at verò sanguis, quē mysticè in ultima cœna effudit, totus in usum & subsidium cessit humanum. Finaliter tandem, mors Christi in cruce etiamsi pro omnib⁹ sufficiens fuerit, non tamē pro omnibus exstitit efficax; siquidem non omnes illi, pro quib⁹ Christus mortem subiit, salvabuntur, propter quod Salvator in cruce pendulus, dolorosâ expostulatione Patrem sollicitabat, inquiens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Christus in sacramento major, quàm in cruce.

Matth. 27. v. 46.

me? cur putatis Christum tam lamentabiliter ingemuisse, atq; in præsenti conquestum fuisse, forte de sua apud Patrem desolatione? neutiquã; siquidem generosũ adeo paternũ pectus nullꝰ tepiditatis gradus invadere poterat: cur igitur lamentabatur Dominus? respondet S. Athanasius Christum dicere voluisse: *Vt quid dereliquisti me cum uno solo latrone?* q.d. quomodo æterne Pater in tanto sanguinis mei oceano, unicus duntaxat ille salvatur latro? credideram equidem ego, Calvariæ montem, velut augustũ salvandę infinitæ hominũ multitudinis theatrũ debuisse existere; fuit ergò mors Christi pro omnibus quidem sufficiens, sed nõ itidem efficax pro omnibus: Eucharistia autem nõ modò sufficiens, sed etiã efficax exstitit pro omnibus illis, ita ut, qui dignè sacratum panem recipiant, salventur infallibiliter, ipsomet Christo teste, dum ita apud S. Joannem loquitur: *Qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinẽ, habet vitam æternã*: Notate bene particulã illã: *Habet*: nunquid Domine, omnis communicans certæ mortis legi subjacet? ita; nunquid etiam post mortem resuscitandus erit? utique; satius igitur dixisses: *Habebit vitam æternam*; non, dicit Christus, sed, *habet*. Nec immeritò; in eodem namque instanti, quo quis devotè communicat, securitatem consequitur possessionis Paradisi; unde S. Prosper ait: *Qui corpus Christi sumit, escam salutis accipit, & æternitatis poculum bibit.*

S. Athan.

Joan 6. v. 55.

S. Prosp.

Comparatio inter Euch. & gloriam.

XXX. Quandoquidem igitur sacramentum hoc ad Paradisum perducit, pro animæ hujus termino, non abs re fuerit, discutere eam, quæ panem eucharisticum inter & Paradisi gloriam intercedit similitudo. Doctorum aquila, S. Augustinus hoc sacræ Eucharistiæ convivium, idem omninò esse constanter affirmat cum eo, quo in cœlestibus perfruuntur beati: *Ecce cibus sempiternus, quem manducant Angeli, & superna virtutes, atq; spiritus cœlestes*: id ipsum Rupertus affirmat in libr. de divinis officiis, dum inquit: *Ille idem panis in illa est nobis patria repositus, quem nunc in via gustamus*: pariter quoq; Angelicus Doctor in opusc. 50. discurrit, dicens: *Dulcedine corporis Domini, quá hîc pascimur in velamine & sacramento, eá fruuntur beati in manifesta visione in cœlo*: quæ veritas adeo infallibilis est, ut, si in mensa illa cœlesti non foret Eucharistia, deficeret quoq; gloria; & in hac mensa sacramentali si evanesceret gloria, tolleretur Eucharistia: est igitur gloria, splendor Eucharistiæ; Eucharistia autem, ipsâ formosior gloriâ; Eucharistia est quædam velata in terris gloria, at verò gloria est dilatata in cœlo Eucharistia; beatos gloria pascit, veluti discooperta Eucharistia; nos viatores panem manducamus eucharisticum, qui est gloria velata.

S. Aug.

Rup. Abb.

S. Th. op. 50.

Euch. desiderabilior quàm gloria.

XXXI. Si porro exactiorem, quæ inter Sacramentum altaris & gloriam Paradisi versatur, comparationem intelligere desideratis, ne pigeat adhucdum attentos esse tantisper. Gloria *est status, omnium bonorum aggregatione perfectus*: sacramentum epilogus est & origo omnium imaginabilium deliciarum; propter quod meritò Spiritus S. panem illum cœlestem nuncupavit: *Omne delectamentum in se habentem.* In gloria, non videtur essentia divina sine personis; in Eucharistia quoq; adest Pater, & filius & Spiritus S. *per circuminsessionem*: supra in cœlis, in quolibet gloriæ gradu tota videtur divinitas; hîc in terris, in sacramento quæcunq; minutissima hostiæ pars totum continet Christi corpus; quia *per modum substantiæ est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte hostiæ. Ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Quid rei animas beatificat in gloria? Deus gloriosus; idemmet plenus maje-

Matth. 26. v. 39.

§. 37.

Luc. 12. v. 50.

Luc. 24. v. 26.

majestatis Deus est in sacramento, abundè satians manducantem se; estq; idipsum prodigiorum & mirabilium facile primum, quod scilicet divina potentia in pane perpetravit eucharistico; non enim obstante, quòd unum corpus, unam solummodo habens quantitatem, repugnet *circumscriptivè* in pluribus simul reperiri locis; illa effecit, ut idem Christi corpus, per quod propriam quantitatem, gloriosum conspicitur *circumscriptivè* in cœlis, per quantitatem panis, gloriosum pariter videatur *circumscriptivè* in altari.

XXXII. Discurrentem curiositas subsistere jubet, donec inquisierim à vobis & intellexerim, utrùm panis Eucharisticus, an verò paradisi gloria sit desiderabilior, quandoquidem ambo pari adeo gradiantur passu? non hanc ego vobis thesin proposuissem, nisi ante Christus aliud quoddam mihi suggessisset dubium, usq; modo nō resolutum, id quod aliā secum importat difficultatem. Quid creditis petiis Christū in horto, verbis illis: *Pater, si passibile est, transeat à me calix iste?* ergone mori recusas Christe Salvator? Nunquid non tu ille es, qui tanta tempore mortē expetivit, ad eamq; anhelans, dixit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usq; dū perficiatur?* quomodò igitur nūc dicis: *transeat*? forsañe ignoras, statutū esse in cœlis, ut ante in cruce vitā amittas, quā in cœlo gloriā fruaris? *Oportet pati Christū, & ita intrare gloriā suā.*

Euch. desiderabilior quàm gloria.

Matth. 26. v. 39.

§. 37.

Luc. 12. v. 50.

Luc. 24. v. 26.

XXXIII. Relinquamus in horto Christum, montemq; Thabor conscendamus, ubi vultus ejus tantū diffudit circumquaq; splendorem, imò coruscantem adeo evibravit gloriæ solem, ut mons ille in paradisum conversus esse videretur; præsens aderat huic spectaculo S. Petrus Apostolus, qui ab æterna illa felicitate inebriatus, incunctanter exclamabat: *Domine, bonum est nos hîc esse:* discedat quicunq; alius; deserat, qui voluerit, montem istum; ego firmiter statuo, non alio imposterum frui sole, præter eum, qui in vertice montis hujus inclarescit. Vix Petrus suum finierat discursum, suum patescerat desiderium; & ecce subitò ingruens nubes omni eum clari illius luminis visione privavit, ipseq; in terram corruit, &, quod magis est, insuper ignorantiæ notâ afficitur: *Nesciebat, quid diceret:* miser Petrus quid erroris commisit? forte quòd pro obtinenda illius gloriæ abysso, omnia dominia, omnia sceptra, omnesq; imaginabiles mundi magnificentias non recusârit? Petrone ignorantiæ titulus tribuitur? meruisset potius nomen sapientis magni, siquidem rationabiliter gloriā expetit cœli empyrei, plures produbii hujus solutione adducuntur Doctorū resolutiones; pro nunc autē solummodo intelligere placet, quē Christ⁹ in monte Thabor discursū instituerit; dicit S. Lucas, quòd *loquebatur de excessu*; magnum commemorabat amoris amoris excessū. Studiosè indaganti mihi, quis iste, de quo Salvator egit, esse potuerit excessus, occurrit S. Bernardinus Senensis, qui in Serm. 54. *in Cœna Domini*, explicans illa S. Joannis verba: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos:* pro *in finem* ipse legit: *In excessum dilexit eos:* cujus excessus magnitudinē postquā sanctus pluribus exaggerasset, tandē concludit: *Ab excessu amoris, majus opus agere coactus est, scilicet dare nobis corpus in cibū, & sanguinē in potum.* Itane? ergo per excessum, Sacramentū intelligitur; de excessu itaq; in monte Thaborio egit Christus, quia inibi tractavit de mysterio corporis & sanguinis sui, hominibus in cibū & potum cessuri. Ecce vobis causam, cur Petrus in monte Thabor, ignorantiæ titulum acceperit; dicere namque illi volebat Christus: Petre, in monte hoc de excessu Eucharistiæ sermo est, & tu gloriam quæris? nescis profectò æquâ librâ ponderare excel-

Cur Petrus dicatur inscius.

Luc. 9. v. 31.

Ioa. 13. v. 1.

excellentiam & magnificentiam unius & alterius; certus esto ô Petre, sacramentum ipsâmet gloriâ sublimius esse; quandoquidem igitur tu, derelicto pane eucharistico, præsentis glorię solummodò affectas fruitionem, utiq; ignorans es.

XXXIV. Ex hisce inferre licet, quantâ cum ratione Patriarcha Jacob, postquã gloriam supernam, ipsumq; cœlum apertũ conspexisset (*non est hîc aliud, nisi domus & porta cœli*) cœlum dereliquerit: panemque postulaverit, dicens: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum:* quem in præsenti panem expetiit Jacob? Scitisne, inquit S. Hieronymus, qualem panem desiderarit? *panem eucharisticum.* Jacob vir erat sapientiæ excellentis, ideoq; factâ, gloriam inter & sacramentũ comparatione, facile intellexit, panem eucharisticum in magnificentia sua longè excellentiorẽ esse ipsâmet cœlesti gloriâ.

Gen. 28. v. 17.

v. 20.

XXXV: Nonne ipsimet Angeli, quibus perspicacissimus omnium est obtutus, eandem hanc, quam Eucharistia præ gloria cœlesti possidet, magnificentiã agnoscunt? ita profectò; audite, quid de iis S. Petrus affirmet: *Deus, in quem desiderant prospicere:* quid dicis ô Petre? Angeline habent desiderium videndi Deum? nunquid non de iis dicitur, quòd *semper vident faciem Patris?* quomodo ergò desiderarę possunt visionẽ divinam? respondet S. Joannes Chrysostomus: in duobus locis potest videri De⁹, in cœlo videlicet & in altari; in cœlo velut objectum gloriæ, in altari tanquam cibus, causativus gratiæ; in cœlo veluti animarũ, beatorumq; spirituum Glorificator, in altari ut cibus, qui manducantem se omni satiat repletq; dulcedine: Angeli igitur modò quidem Deum intuentur Glorificatorem, sed non gaudent Christo, ut existente in sacramento; & quantumcunq; Dei gloriosâ visione saturẽtur, insuper nihilomin⁹, si possent, gustare percuperent cibum illũ, adeo magnificum, ut vel ipsi cœlesti gloriæ addat dulcedinem. Unde Doctissimus Genebrardus in Psalmi 77. commentario, divinum hunc instituit discursum: *In quem desiderant Angeli prospicere; quasi quòd Angeli, nisi vacarent corporibus, eo essent libenter usuri.*

1. Pet 1. v. 12.

Matth. 18. v. 10.

S. Chrys.

Angeli affectant. Euch.

Genebr.

XXXVI. Amplius dico: an non desiderabilior erit Christi præsentia in hostia, quàm in cœlo? Unio beatorũ in cœlis cum Deo, accidentalis est & dissolubilis, unio autẽ illius, qui se per Eucharistiam Christo communicat, substantialis est *per modũ intimæ præsentiæ.* Superadditę quòd beatus in cœlis, non possit suum augere meritũ, utpote existens *in termino, & non in via;* ille autem, qui sacramentũ participat, in gratia proficere potest: quamobrẽ bene Matthæus Humarcensis inquit: *Si illa cœlestis Jerusalem possidet Deum jucundius, ista nostra possidet mirabilius.*

Matt. Humarc.

XXXVII. Hancq; propter causam Christ⁹ in horto precabatur, dicens: *Transeat calix iste:* quàm diu enim nõ instituerat sacramentum, cum desiderio mortem affectabat, inquiens: *Baptismo habeo baptizari &c.* Sed ut primùm gustavit hoc sacramentum; ô Pater, exclamabat, ex nunc ego neque mortem, neq; gloriam quæro, quia sacramentum degustavi, quod quinta essentia est gloriæ. *Oravit*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *ut calix transiret ab eo, ut cum discipulis suis sub venerabilissimo corpore, in terra se cibaret.*

Matth. 26. v. 39.

Chrys.

XXXVIII. Tempus nunc movet, ut ad primum illum locum, quem in principio deseruimus, revertamur; quare scilicet Christus secundam Petri confessionem nec laudarit, nec approbarit, non obstante, quòd primam tantâ laude & præmio affecisset: scitisne, quare? tempore primæ confessionis, à Petro factæ, Christus necdum instituerat Eucharistiæ sacramen-

§. 11.

men-

mentũ; & propterea, quia confessio illa in seipsa, omni erat laude dignissima, eã Christus approbavit, dicens: *Tu es Petrus, tu es Simon Bariona, tibi dabo claves regni cœlorum:* quando autem Petrus Christum alterâ vice confitebatur, Salvator jam sacramentũ instituerat. O Petre, inquit Christus, hæc secunda tua confessio nõ est mihi ingratior, quàm fuerit prima, vellemq; prout primæ feci, hanc remunerare secundam; sed quod modò tibi præmiũ exhibere potero, quandoquidem memetipsum totũ dedi? nonne tibi corpus meum donavi & consecravi? nunquid tibi sacramentum dispensavi? ita Domine. Scias igitur, in omnibus majestatis meę thesauris, non contineri donũ aliud, simile pani eucharistico; ut enim breviter absolvã: qui sacramentũ accipit, non modò incarnationis, redemptionis & gloriæ possidet compendiũ, sed donum assequitur, excellentius donis omnibus aliis. Si mihi non creditis, fidem adhibite S. Chrysostomi verbis, ita inquientis: *Non laudavit, neq; approbavit, quia majus donum dare non poterat, qui seipsum dederat manducandũ.*

Matth. 16. *v.* 17.

XXXIX. Veruntamen dum Christus propriam suã carnem vobis donat in cibũ, infinitorũ scaturiginem bonorũ, quomodo vos amore Christi, exiguam pauperibꝰ eleemosynam denegabitis? nonne auditis propositionem ejus? *Philippe, unde ememus panes, ut manducent hi?* In civitate hac multi sunt egeni, quibus ex amore Dei providete; siq; mirabilia benedicti panis, gloriosi S. Nicolai de Tolentino intelligere cupitis; indulgete, ut respirem.

PARS SECUNDA.

XL. HOdie excellentiam intellexistis panis eucharistici, cras magnificentiam percipietis sacerdotũ, panem illũ consecrantiũ; problema autem proponam sequens. Quando nimirum sacerdos potentior sit; an, dum vi consecrationis, corpus Christi de cœlo in terram descendere facit, an verò, dum missæ sacrificium applicando, animas de purgatorio transmittit in paradisum?

XLI. Ast quomodo ego benedicti panis, gloriosi S. Nicolai de Tolentino mirabilia vobis explicare potero, nisi priꝰ, quis quidve sanctus ille fuerit, didiceritis? multa equidem, eaq; omnia gravissima S. Nicolao de Tolentino encomia attribuerunt eximii doctores & magistri mei; quia verò vos ego hodie ad providentiæ panem, Eucharistiæ figuram, degustandum invitavi, non inconveniens arbitror futurum, si alterius insuper panis qualitatẽ, probandã, vobis exhibuero, qui an pane eucharistico mirabilior, an minus mirabilis dicendꝰ sit, vos ipsimet judicabitis. S. Nicolaus de Tolentino mysticè panis fuit eucharisticus, vi cujus Deus ad libitum suum sese communicavit hominibus; heus pater, excessivum nimis est hocce præconium. Ne subducatis superciliũ, sed patienter probationem auscultate. Suppono, quòd Deus suum in cœlis cibum possideat, qui est quodammodo abscondita à sensibus nostris Eucharistia; id quòd S. Petrus Cellensis hisce verbis insinuat: *Mensa illa Trinitatis, suos panes habet absconditos.* Sed æterno hoc & suavissimo gloriæ pane minimè contentus, alium sibi deputavit cibum, alium elegit selectissimũ panem, quem tanto cum gustu manducat, quanto ipsum eucharisticum cibũ aut alias quascunq; epulas sacramentales; verùm quis iste cibus est? scitisne, qualis? Anima justa. Audite, clarè id asserentem D. Ambrosium in Ser. 18. in Ps. 118. *Nos in ore suo constituit Deus, & meritorum nostrorũ epulatur dapes, ac nostri cibi suavitatibus delectatur; beatus, quem sapientia devoraverit.* Liceat mihi affirmare, inquit S. Præsul, nos fideles quasi Dei esse Eucharistiam; quia Deus animabus nostris, velut delicatissimo

S. Nicol. Tol. fuit panis Euch.

S. Pet. Cell. l. de pan.

S. Ambr.

mo pascitur convivio: *Meritorum nostrorum epulatur dapes.*

XLII. Quartumvis autdoctrina hæc, sanctis omnibus competat, nihilominus alium minimè sanctũ reperire fuerit, cui sacramenti denominatio tanto jure conveniat, quando cadit in Nicolaum de Tolentino. Edicite vos docti, quæ prima in sacramento Eucharistiæ illucescit conditio seu proprietas? utiq; negare non poteritis, primam & principalẽ esse, quòd panis in hostia videatur, absq; eo quòd existat in ea; quod tangatur & gustetur panis, & nihilominus non adsit talis: quò igitur, dicetis, devolvitur panis? vel annihilatur, vel resolvitur *in præjacentem materiam*? respondeo, neutrum fieri, non equidem annihilatur, quia ut S. Augustinus asserit: *Deus non est causa tendendi in nihilum*; & Angelicus Doctor, S. Thomas pariter inquit: *in hoc sacramento non est dare causam, unde talis annihilatio causetur.*

XLIII. At subtilissimam percipio replicam dicentium: post consecrationem vel panis est aliquid, vel nihil? si nihil, ergo annihilatur; si aliquid, ergo factâ consecratione, duæ inibi erunt substantiæ, scilicet panis & corporis Christi. Ingens equidem, ut fateor, hæc est difficultas; respondeo nihilominus, completâ consecratione, panem non esse nihil, sed aliquid: *Non est aliquid, quod sit panis, sed est aliquid, in quod conversus est panis.* Neq; id vobis mirum videatur, quia, ut, S. Ambrosius discurrit de sacram. li. 4. c. 4. *Si tanta vis est in Sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit, ut sint, quæ erant, & in aliud convertantur.* Concludo igitur, in Eucharistiæ sacramento, videri solummodo accidentia panis, residuum autem totum, esse corpus Christi.

Panis in consecr. non annihilatur.

S. Ambr.

XLVI. Videamus modò veniâ vestrâ, num conditio illa in S. Nicolao purificata fuerit, ita ut sanctus ille, testimonio Dei, sacramentum fuisse dicatur. Cum adolescens paucorũ esset annorũ, Deus illi Angelum misit, qui in spiritu animam Nicolai taliter est allocutus: *Ne te ignota terreat forma, ô grata cœlo, anima formosa; me de cœlestibus ad te impulit votis Dominus ille, cujus tu accepta es ancilla: & quia hora mortis tuæ adhuc remota est, vult, te peregrinum adire incolatum, ad quem ego te ducam, & ubi dignum postea meritis tuis conferetur præmium.* Quasi dicere voluisset Angelus: O Nicolae scias, te à Deo electum esse, in cibum sacrati oris sui; vult ille te quodammodo communionis suæ esse sacramentum: sed ut hanc eminentiam consequaris, mundũ relinquas oportet, & religionem adeas Divi Augustini, in qua taliter vives, ut sola creaturæ accidentia in te videantur, totus autem ipse in Deum transmutêris. Quid ad hęc Nicolae? audite sancti adolescentis responsum: *Ecce me, exequi paratum, ut disposuit Dominus. Mallem mortali hâc exutus veste, uniri Deo; at quia in medio horridæ tempestatis impij mundi, ulterius ut fluctuem, jubet, ecce obedio; ille me gubernet & regat, ut sola ejus voluntas, sit omnis mea lex & voluntas.* O Angele, dicere volebat Nicolaus, quid præcipit Deus? nunquid ut oris ejus fiam sacramentum? in que hunc finem jubet, ut mundo valedicã, quatenus ita solis remanentibus in me creaturæ accidentibus, substantia mea in Deum mutetur? Ecce obtempero; ille me gubernet atq; dirigat, ut sola ejus voluntas, tota sit voluntas & lex mea.

Angelus in spiritu alloquitur S. Nicol.

Responsum S. Nicol.

XLV. Atq; in effectu quidem, Domini mei, qui in tempore illo Nicolaum vidisset, hominem in apparentia, religiosum in accidentibus contemplatus fuisset, quiq; quoad internum statum totus in Deum conversus erat. Triginta annorum spatio, nunquam carnem, pisces aut lacticinia gustavit; quatuor diebus singularum septimana-

Miraculum S. Nicol. manarum, in pane jejunabat & aqua. Unâ solummodo vice, cum infirmus lecto affixus, per superioris jussum ex obedientia compelleretur edere carnes, duæ illi allatæ sunt perdices assatæ; accepit sanctus unam utriusq; aliâ, & facto sanctę crucis signo, vitam illis impertiit atq; avolare jussit. Aliâ vice dum manicas plenas panibus portaret, in pauperes distribuendis, superior illi obvius factus, quid portet, interrogat; cui sanctus, se flores ferre respondit; cumque Prælatus, rei veritatem exploraturus, accederet; ecce, panis in flores conversus apparuit. Deniq; in tantum Nicolaus Deo acceptus erat, ut missam celebrans, intercessionibus suis purgatorium exspoliaret. Si totum scire desideratis, plura dicam: Nicolaus in substantia velut panis erat sacramentalis, ita ut, veluti Christus est panis noster supersubstantialis, & conviviũ nostrum eucharisticum; sic quoq; anima Nicolai, quasi pretiosus cibus & panis fuerit eucharisticus, vi cujus sese Deus communicabat. Deus quidem per sacramentum sese communicat nobis, at Nicolaus per animam suam se communicabat Deo; vos consequentiam ipsi inferte & prudenter discutite, uter panis mirabilior dici debeat, scilicet eucharisticus, vi cujus se Deus communicat nobis; aut verò panis S. Nicolai, virtute cujꝰ se communicabat Deo.

Angelus a spiritu alloquitur S. Nicol.

Responsum S. Nicol.

XLVI. Ex ea autem S. Nicolai prærogativa, quâ dignus judicatur, ut in cibũ serviat communionis divinæ, aliud ejusdẽ sancti deduco encomium, illud scilicet, quòd Deipara illi contulit donum, Eucharistico, ut intelligetis, æquale. Sancto nostro, infirmo decumbenti Regina cœli, ut consolaretur eum, apparuit, simulq; panem ei donavit, qui & salutem ei corporalem & tantorum impertiit cumulum bonorum, quantum causare potuit cibus, eâ subactus manu, quæ etiam in pectore virginali verum Eucharistiæ panem concoquere novit.

Virg. M. fert panẽ S. Nic.

XLVII. Ab his porro sine mora & faciliter, ad benedicti panis, gloriosi Nicolai mirabilia progressum facio: quid de Altaris sacramento affirmatur, quòd non pariter de hocce pane verificari queat? Sacramentũ Eucaristiæ salutifera est adversus omnes infirmitates medicina; unde populus Israëliticus, quadraginta annorũ spatio, ne minimũ sensit capitis dolorem, quia scilicet pascebatur manna, quod Eucharistiæ erat figura. *Non erat in tribubꝰ eorũ infirmus*; *quia populus*, inquit Tertullianus, *manna cibatus*, *ad instar æternitatis redactus est*. An non pariter gloriosi Nicolai panis, contra omnes infirmitates efficacissimum est remedium? quæ unquam debilitas invasit aliquem, qui Gloriosi hujus sancti pane fruendo, ejusq; meritis confidendo, subitò ab ea non fuerit liberatus? *Psal. 104. v. 37.* *Tertull.*

XLVIII. Eucharistiæ sacramentum, antidotum est contra mortem. Cur putatis tempore passionis dominicæ factum fuisse, ut *multa corpora surrexerint*? quare non omnes in vitam revocati sunt mortui? Audite Lucæ Burgensis responsum: *Ea tantum corpora surrexerunt*, *quæ dominico sanguine aspersa fuêre.* Illa tantum sanctorum corpora, tempore passionis, resuscitata fuerunt, quæ pretiosus madefecit Christi sanguis, in terris relictus. O quantam benedictꝰ sancti nostri panis efficaciam habet adversus mortem, quæ civitatem hanc, malo contagioso infectam, depopulabatur? testentur id ipsum civitas Mediolanensis, Venetiana & aliæ plures. Quid amplius? Sacramentum contra visibiles & invisibiles inimicos nostros nobis in tutelam datum est, canente Ecclesiâ: *O salutaris hostiâ, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia.* Gloriosi Nicolai panis adversùm omnes adversarios efficax est; si enim *Matth. 27. v. 53.* *Luc. Burg.*

enim in mari navigans tempestatem pateris, panis hic benedictus mare placat; si incendium domum tuam & substantiam omnem invadit, panem S. Nicolai in flammas projice, & omnis subitò ignis exstinguetur.

Mirabilia panis S. Nicol. XLIX: Sed quomodò hæcce lingua mea, S. Nicolai panis mirabilia, gratiosos que effectus effari poterit; profectè sicut panis eucharisticus, mirabilium omnium summa appellatur: *Memoriam fecit mirabilium suorum:* (*Psal.* 110. v. 4.) ita pariter Deus in S. Nicolai pane, paradisum velut gratiarum reposuisse videtur.

L. Dicet forte quisquam: Pater, ego panem habeo benedictum sancti Nicolai, &, quod plus est, sæpe etiam sumpsi sacratum Eucharistiæ panem, & nihilominus ne vel ullam prædictarum in me experior gratiarum; imò nunquàm magis me indigum reperi, quàm hodie. Agedum dilectissimi, idem vobis miraculum, quòd Christus hodie turbis præstitit, fieri desideratis? totum id, quod vobis inefficax esse conquerimini, perutile animabus vestris fieri optatis? attendite, quid hodie fecerunt turbæ? se reclinarunt super fænum: *Facite illos discumbere, erat enim ibi fænum multum.* (*Ioan.* 6. v. 10.) Vos quoq; uno saltem die, insidete fæno, considerando, quòd esse vestrum, nihil sit aliud, præter fænum: *Omnis caro fænum:* (*Isa.* 40. v. 6.) sicque cognoscetis, totum id superabundanter vobis sufficere.

LI. Unusquisque maturo cum judicio, animoque devoto talem secum instituat considerationem: O miserum me & infelicem! quando sub hujus fossæ lapide recludar, quid mihi proderit, opimum, incrassatum aut locupletem fuisse? nunquid non vermium cibus ero? ita verè. Quorsum igitur tanta in deliciis vanitas, tanta in epulis raritas? Nunquid sepulturæ illi inclusus, vix terram septem palmarum possidebo? quo itaque fine tantæ mihi exstruuntur domus, tantæ comparantur vineæ & possessiones? Totum moriens deseram, omnia post me relinquam.

LII. Beatus esses ô vir, felix fores ô mulier; si vel per mediam diei horam, talem apud te discursum formares, subitò equidem omnem ex cordibus vestris proscriberetis mundanorum bonorum amorem. Si mihi non creditis, fidem detis alteri prædicatori veraci, qui de alio huc mundo adveniet: Agedum ô mors, hunc hodie conscende suggestum, omnesque præsentes ab errore libera. (*Hic Concionator craneum mortui apprahensum, populo exhibebat*) Dic mihi ô vir aut mulier; quis est iste? an non ille talis fuit, qualis tu es? nunquid non est, qualis tu eris? Interroga eum, quid rerum agatur in altero mundo? Loquere ô caput aridum, in vita tua aut vir aut mulier fuisti? si vir; ubi ergo fumi illi, ubi magnificentiæ & divitiæ tuæ? responde atque instrue viros istos. Si mulier exstitisti, dic mihi, quò abcessit pulchritudo, ornatusque tuus; quò evanuêre capilli isti, qui amantium corda illigare gestiebant? Loquere, loquere, & informa mulieres istas. Audi ô vir, intellige ô mulier, quid tibi veritatis magnus hic insinuet prædicator: *Nihil profuit divitiarum jactantia; omnia transierunt velut umbra.* (*Sap.* 5. v. 8.) Nihil mihi omnes profuêre divitiæ; totum velut umbra pertransiit, totum nihil est.

PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
PRO DIE LUNÆ DOMINICÆ QUARTÆ Quadragesimæ.

DISCURSUS

De zelo, quem Christus habet de templo materiali, quod est Ecclesia; & spirituali, quod est Sacerdos.

Zelus domus tuæ comedit me. Ioan. 2. v. 17.

PROBLEMA

Pro quo templo Deus magis æmuletur; an pro materiali; quod est Ecclesia; an pro spirituali, quod est Sacerdos? Et quando sacerdos sit, potentior; an quando in missa panem transsubstantiando, corpus Christi de cœlo facit descendere in terram; aut verò quando applicando sacrificium, ex sancto purgatorio animas transmittit in Paradisum?

INTRODUCTIO.

I.

MAgnam nimis, ô Auditores, in meo vestroq; Christo inter heri & hodie dignoscetis mutationem & contrarietatem; heri namq; totum se exhibebat benevolum, & principaliter quidem secundùm oculos omnimodè amorosum, quando cum effe-

Ioa. 6. v. 5. ctu magno intuitus est turbas: *Cum sublevasset oculos Iesus & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum.* Hodie autem in ocu-

Ioa. 2 v. 14. lis totus ignis est: *Intravit Iesus in templum*; cumq; vidisset negotiatores; *Omnes ejecit de templo.* Heri in verbis totus erat benignus, in tantum etiam, ut ad Philippum conver-

Ioa. 6. v. 5. sus, diceret: *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Hodie totus indignatus, cum rigore

Ioan. 2. v. 16. præcipit; *Auferte ista hinc & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Heri manibus propriis in famelicos distribuit panem; *Satiavit Dominus de quinq; panibus & duobus piscibus quinq; millia hominum.* Hodie flagellum portans manibus, omnes ementes & vendentes verberibus cædit: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Heri totus amor, hodie totus rigor; estq; hoc ipsum grave dubium meũ, quare scilicet ille Dominus, qui per omne vitæ suę tempus, semper placidus & benignus exstitit, hodie adeo severus sit & ferox? Considerate per amorem Dei, quia triginta annorum spatio, quibus Salvator in terris vixit, nunquam ille aliis, prætérquam pietatis exercitiis sese implicavit, lumen impertiendo cæcis, sanitatem in-

 firmis

firmis, defunctis vitam, reis indulgentiam nonne adulteræ dicit: *Ubi sunt, qui te accusant? nemo Domine; nec ego te condemnabo.* An non Magdalenæ affatur, inquiens: *Vade in pace, remittuntur tibi peccata tua?* Nunquid paralytico salutem contulit corporalem & spiritualem, cum diceret: *Iam sanus factus es, noli amplius peccare?* Nativitas ejus gaudium creavit universo mundo, dicente Angelo: *Annuntio vobis gaudium magnum, &c.* postea quoque cum annorum profectu, augmentum sumpsit humanitas; nuptias adit & aquam miraculosè commutat in vinum. Aliâ vice stans in loco sublimi & plano, vidensque multos afflictos & tribulatos, omnes invitavit ad refrigerium hisce verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Montes conscendens, modò splendorem communicare gloriæ suæ, modò lautam satagit præparare mensam, ut satiet famelicos; imò tandem, cum non haberet amplius, quod donaret, vitam suam obtulit & perdidit pro mortalibus. Quid amplius? tot hodie tantosque in mundo excessus & sine numero delinquentes oculis propriis contemplatur; alios sensualitatibus absorptos, alios blasphemiis contaminatos; alios odio excæcatos, vindictæ deditos alios aut facultatum alienarum raptores; ut plurima paucis: omnes intuetur, quâcunque demum peccatorum sorditie putrescentes, & nunquam in vindictam manus suas extendit, sed semper dissimulando, suspendit suppliciũ. Hodie solummodo, in præsenti duntaxat die, totus irâ atque indignatione succensus apparet, flagellum tenens in manibus, quo citra respectum, cædit ementes & vendentes; quid obsecro, Deum illum, semper adeo benignum, placidum & mansuetum, ad tantum hodie

Ioan. 8. v. 10.

Luc. 7. v. 47.

Ioan. 5. v. 14.

Matth. 11. v. 28.

rigorem atque asperitatem commovit? Perlegite hodiernum evangelium, & notate Sancti Joannis verba inquientis: *Intravit Iesus in templum, & invenit ementes & vendentes oves & boves.* Hinc Christus commotus, Patrem affatur æternum: inquiens: *Zelus domus tuæ comedit me*: Zelus domus tuæ, qui cor meum depopulatur, me meâ exuit naturâ, ita ut, qui naturâ sum pietas & clementia, totus compellar mutari in severitatem. Plurium equidem templorum meminit scriptura sacra, at nos de duobus solummodo sermocinabimur; primò quidem de templo materiali, in quali degimus de facto, & cujus meminit Psalmista, cum dicit: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam*; deinde verò de templo spirituali, quod sacerdos est, id quod nobis in illis sancti Pauli verbis exhibetur, dum inquit: *Templum DEI estis vos; & spiritus sanctus habitat in vobis.* De hoc utroque templo hodie verba facturus, sequentia duo vobis proponere gestio problemata: primum, pro quo templo Christus magis æmuletur, an pro materiali, quod est Ecclesia; an verò spirituali, quod est Sacerdos? secundum, quando Sacerdos sit potentior, an, dum transubstantiando in missa panem, corpus Christi de cœlo in terram descendere facit; aut verò dum sacrificium applicando, animas purgatorii ignis in Paradisum ablegat? Amans zelotypus dolet respectum interire objecti, à se dilecti; quandoquidem igitur ego hodie de zelo acturus sum, quem Christus habet erga unum & aliud templum, assistatis vos pariter in templo hoc, cum reverentia & auscultetis cum silentio, ecce incipio.

Ps. 28. v. 9.

1. Cor. 3. v. 6.

Problema.

II. Incipiendo autem à templo materiali, subito vos interrogo & quæro, quantus possit esse zelus, quo Christus Ecclesiam

siam prosequitur? Idemmet Christus, hodie patrem suum alloquens, id ipsum nos docere videtur, per os sancti Joannis, dum inquit: *Zelus domus tuæ comedit me.* O pater æterne, zelus, quem habeo pro domo tua, devoravit & consumpsit mihi præcordia mea! Priusquam verò progrediar ultra, duas insignes præmittam sententias, velut bases & fundamenta dicendorum. Primam mihi subministrat S. Germanus in lib. rerum ecclesiasticarum, dicens: *Ecclesia est terrenum cœlum, in quo super cœlestis Deus inhabitat.* Secundam mihi suggessit S. Bernardinus Senensis, quando Ecclesiam nomine parvi paradisi intitulat, in hæcce verba: *Ecclesia est parvulus Paradisus* Itane? Ecclesia parvulus Paradisus est? *Magis & minus*, juxta Philosophos, *parvum & magnum non variant speciem*; ergo Ecclesia Paradisus est. Educite ex his, (ut Deus vos salvet) quanta sit impietas, in Ecclesia quid indecens admittere, loci sacri destruere respectum; adeo profectò abominabile est hocce flagitium, ut inter omnes, quos humana fragilitas admittere potest, excessus, nullus omnino in die judicii, bellum nobis moturus sit horribilius illo. Regius Propheta David, dum vice quâdam conscientiam suam discutiens, sese ante supremi judicis tribunal, pro instituendo culparum suarum examine, aliquando compariturum esse consideraret, totus turbatus, imò & tremebundus, ad suos se convertit aulicos, magis planctu quàm voce eos taliter allocutus: *Cur timebo in die mala?* Omnes equidem hujus miseræ vitæ dies mali sunt; ast *per Antonomasiam*, illum ego diem malum appello, qui ultimus est tremendi judicii, in quo Deus offensus, ira, indignatione & vindictâ replebitur. Igitur *in die mala*, in illa scilicet ultima fatali die, *cur timebo*? nihilominus toto me animo turbatum adverto; vos forte aliquem in me defectum agnoscitis, necdum à me emendatum, propter quem conscientiam ego meam examinare debeam? sacra Majestas, respondent aulici, vos novistis, quia solus Deus scrutator est cordium, & proprius cogitationum Dominus; necessum est, ut Majestas sua ipsamet sedulò discutiat & penetret recessus intimos conscientiæ propriæ, nemo namque alius hunc tibi scrupulum potest eximere infallibilius. Ita profectò est, inquit David; nunc equidem memoriæ meæ occurrit grave peccatum illud, quod in die judicii me præcipitabit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Peccatum calcanei mei, in die illo actionem movebit & processum formabit adversùs me: Quomodo, crimen calcanei? nunquid ô Rex more equino, calces impegisti in quempiam & occidisti?

S. Germ.

S. Bern. t. 1. fer. 3. D. 2. Quad Ser. 20. c. 7.

Psalm. 48. v. 6.

III. Peccatum calcanei, existimant aliqui, illud fuisse traditionis à Rege perpetratæ adversùs Uriam; quia juxta usitatam sacræ scripturæ phrasin, *levare calcaneum* idem est, quod tradere, dicente Salvatore: *Qui manducat meum panem, levabit contra me, calcaneum suum.*

Quid sit peccatum calcan.

Ioan. 13. v. 18.

IV. Alii docent, per peccatum calcanei à Davide intellectum fuisse flagitium, quod ipse cum Betsabæa perpetravit; quia juxta traditionem medicorum, sub planta pedum ortum habet vena illa, quæ ad libidinem incitat.

V. Alii per peccatum calcanei, obstinationem intelligendam esse sustinent, quia nimirum ultima pars animalis est pes, & ultima pars pedis, calcaneus est, in horum igitur sententia, Rex dicere volebat; ultimum vitæ meæ peccatum, quod est obstinatio oppugnabit me in die illo judicii: omnes equidem bonæ sunt expositiones.

VI. Satius tamen & proposito nostro accommodatius arbitror ego, Davidem per peccatum calcanei intellexisse illud, quod nihili unquam facere consueverat; pro cujus intelligentia memorandũ, nos, dum cuipiam indignamur, dicere solere: nihili te facio, habeo te sub pedibus meis. Dicendo igitur David; *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*; affirmare voluit: Peccatum illud, quod ego sub pedibus tenui, in die judicii terribile mihi bellum ciebit. Sed, quodnam hocce fuit peccatum, cujus rationem facere neglexerat? scitisne quale? neglectus oculorum Dei. In proverbio designabant Gentiles eum, qui Deum parvi pendebat, dicentes: *Oculum habet in solea*, q. d. ille Deum sub calceamentis gerit; pro nihilo habet, omnia videntis, Dei oculum. Dicebat igitur David: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, Id est: peccatum istud, quod admisi nihili æstimando præsentiam divinam, in die judicii me contorquebit; eò quòd divinorum oculorum rationem non habuerim, cruciabor, mortisque æternæ reus condemnabor; unde hujus excessus memor, cum lachrymis profi-
Ps. 50. v. 6. tebatur, dicens: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. O Domine, tui solius rationẽ non habui, te unum non observavi; studui equidem occultare peccatum meum, ne innotesceret hominibus; conatus sum illud abscondere, ne ejus justitiam caperet Urias; sed divinos tantummodo obtutus tuos, qui omnia contemplantur, non reformidavi; majorem eorum curam non habui, quàm si sub pedibus eos calcassem: hæc ipsa nulla divinorum oculorum tuorum æstimatio, in judicii die, summam mihi pœnam infliget. Hisce præmissis ita libet discurrere: in quo loco peccavit rex David? in suo palatio; quam in regiis ædibus Deus præsentiam habet? utique communem, qualem habet etiam in aliis locis quibuscunque profanis. O DEus immortalis! In tantum ingemuit David propter solum, quod in palatio suo admisit peccatum, ubi communis duntaxat exstat præsentia Dei; quos ululatus non edidisset, si coram Sanctuario, si intra tabernaculum, aut in alio loco deliquisset, ubi specialis viget veri & summi Dei præsentia? (Ezech. v. 10.)

VII. Necdum tamen hocce punctum sufficienter explicatum esse existimo. Quid est homo, qui intra Ecclesiam irreverens est & peccatum admittit? profectò non alius, quàm vivus damnatus; intentos vos esse volo probationi. Quis, dicite sodes, primus est reprobationis effectus? Sanctus Thomas & concors omnium scolasticorum sententia, sine ulla exceptione, docet, unum ex principalioribus reprobationis effectibus esse, (Reprobationis effectus.) non consentire, aut exiguam cœlestium auxiliorum habere rationem; propter quod populus Hebraicus perpetuæ reprobationis sententiam incurrit, quia scilicet divinis illis gratiis consentire renuit, quæ pro totius mundi salute sufficiebant; dicente Sancto Anselmo: *Tanta fuit in hac gente gratia, quæ sublata ab ea, mundum universum DEO reconciliare sufficeret*. (S. Anselm.) Heus, subsistite parumper mecum: quod est inter auxilia divina efficacius ad convertendum peccatorem? respondete intrepidè: stare in Ecclesia & contemplari mortuum in cruce DEUM, aut oculos conjicere in aliquod sepulchrũ, remedium est sufficientissimum, ad ipsum etiam convertendum diabolum, si hic conversionis capax est. Ampliora dicite: stare in Ecclesia & præsentem in sacrario considerare authorem vitæ, in sede confessionali, pretium admirari redemptionis humanæ, in fonte baptismali, obstupescere eam, quæ in illo confertur (S. Chrys. ho. 36.)

prima

prima vita spiritualis; nunquid non istæ efficaces sunt gratiæ, ad qualemcunque gravissimum etiam, salvandum peccatorem? utique: propter quod DEUS, vice quâdam populum idololatram convertere volens, Prophetæ suo Ezechieli ita præcipiebat: *Tu autem ostende: eis templum, & confundantur ab iniquitatibus suis.* Infallibile ex dictis coadunate argumentum, ex quo facilem exinde fuerit deducere consequentiam: resistere aut non consentire gratiis illis, quæ ad quemcunque etiam peccatorum salvandum sufficiunt, manifestus est reprobationis effectus, sed stare Christianum in Ecclesia sancta, est gratia quædam sufficientissima, ad salvandum integrum mundum; ergo quando quis in Ecclesia existens, non modò sese emendat, sed etiam plus Deum offendit, omni sine effugio atque indubitatè, damnatus est.

Ezech. 43. v. 10.

Reprobationis effectus.

VIII. Si porro necdum vobis satisfactum est, dicite mihi, quare peccatum Luciferi irremissibile fuerit? scitisne quare? quia scilicet in Paradiso deliquit; in cœlo Empyreo creatus est, in eodemque loco, id quod notissimum est, prævaricatus fuit. Agedum Auditores, quid sodes est templum hocce materiale; teste S. Bernardino, quamadmodum audistis: *Est parvulus Paradisus*, Ergo (inferte liberè, concludite intrepidè) qui in Ecclesia irreverens est, culpam admittit mortalem, & alter efficitur Lucifer, remissionis incapax.

Anselm.

IX. O quantis cum lacrymis irreverentiam hanc prosequitur S. Chrysostomus! utinam verba ejus, debito lacrymarum atramento efformaretis in cordibus vestris. *Apud antiquos Christianos, ipsæ domus Ecclesiæ erant; nunc autem Ecclesia domus fit, & domo quâlibet profana magis; nam in domo quidam ordo servari solet: Patrona primum locum obtinet, famulæ tacitè texunt: sed in Ecclesiâ magna confusio, magnus tumultus; tantus risus, quantus in foro; & hoc tolerabile esset, si major non committeretur iniquitas: si quis corrumpere vult matronam, ad Ecclesiam vadit; si quis mercari vult, hunc locum aptum reputat; si quis furari vult, Ecclesiam spoliat: O impii, ad quid Ecclesiam Dei contemnitis? Cur non advertitis, quod Ecclesia non taberna est, sed locus Angelorum & sedes Dei.* Explicate vos & discutite verba ista, cum lacrymis tamen cordis; mihi saltem præ horrore deficit animus.

S. Chrys. ho. 36.

X. Transitum nihilominus instituens ad aliud templum, spiritum viresque resumo, ad fortissimum formandum argumentum sequens? tanto DEUS zelo suam prosequitur domum, tanto cum rigore despectum ulciscitur, illatum templo suo materiali; quâ igitur vindictâ non puniet eos, qui templum ipsius spirituale aspernantur; quod autem illud templum spirituale? sacerdos; id quod S. Paulus attestatur, dum ait: *Templum DEI estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis.* Quâ DEUS pœnâ plectit eum, qui sacerdotem offendit? quod ei supplicium infert? Qui sacerdotem non reveretur, infernum non meruit; quid ergo? subsistite mecum. Datan & Abiron vitam adeo vivebant sceleratam, ut necessum fuerit, Moysen particulatem iis instituere exhortationem; illi autem impii, in vicem emendationis, millenas in Moysen rejectarunt injurias, ita ut DEUS gravi commotus indignatione, terræ mandarit, ut sese panderet, vivosque deglutiret Datan & Abiron: *Aperiens terra, devoravit eos, descenderuntque vivi in infernum.* Verbum illud *vivi*, tantum mihi facessit

1. Cor. 3. v. 16.

Non honorans sacerdotem quâ pœnâ dignus.

Num. 16. v. 33.

negotium, ut usque modò nesciam, quid resolvam; quomodo *vivi*? forsitanne, qui in infernum descendunt, illuc mortui abripiuntur? Non, inquit S. Ignatius Martyr, sed omnes in barathrum infernale corruunt vivi; Datan nihilominus & Abiron extra ordinario & singulari modo in illud descenderunt. Quis ille extraordinarius modus? percipite Doctrinam: *Datan & Abiron, vivi depositi sunt in inferno.* Infelices isti in inferno, tanquam in loco *depositi* collocati fuere; quid hoc? majorem hic loquendi modus mihi creat difficultatem. Locum depositi nos nuncupare solemus eum, in cujus sequestrati certa parte cadaver reponitur, cum intentione transferendi illud postea in alium locum; quomodo? ergone Datan & Abiron depositi sunt in inferno, cum intentione transferendi in locum alium? nequaquam, nulli enim, in abyssum eam descendenti, patet retrogressus, in cujus portis titulus hic affixus legitur: *Spem tumulate, quotquot intratis.*

S. Ign. M

XI. Ratio jubet in præsenti, quale sit peccatum offensa sacerdotis, explanare; cui proposito deservit S. Paulus, quando agens de injuriis, quas ipse cum aliis Apostolis, Evangelium prædicando, patiebatur, inquit: *Blasphemamur & obsecramus:* nos miseri prædicatores, omnium injuriarum meta sumus: *Blasphemamur.* Submissis ô Paule: *Blasphemamur? quid est Blasphemia?* S. Thomas 2. 2. qu. 13. ar. 1. dicit, quòd Blasphemia *est contumeliam conferre in injuriam Creatoris.* Blasphemare est injuria, quæ DEO infertur; quomodo ergo tu de sacerdotibus affirmas, quod *Blasphemantur?*

1. Cor. 4. v. 13.

S. Th.

§. 32.

XII. Veritatem hanc ut demonstrem; necessum est, ut vestra mihi gratia, & locum & tempus indulgeat, ad demonstrandum succinctè sacerdotalis potentiæ & dignitatis magnitudinem; ne autem ordinaria sacerdotum encomia, communiumque laudum enarrationes vobis tædium creent, silentio involvam eam sacerdotalis dignitatis prærogativam, per quã regali major deprædicatur, cujus meminit S. Chrysostomus in Homil 5. de verbis Isaiæ, dum inquit: *Nec mihi narres purpuram aut diadema; nam umbræ sunt hæc omnia, vernisque flosculis leviora.* Ne gloriemini ô reges in potestate vestra regali, in comparatione namque dignitatis sacerdotalis, vestra aut omnimodò disparet, aut certe vix comparet; vos quidem in terra hac amplum possidetis statum, at regnum sacerdotale incipit in terris & finitur cum cœlo: vos corporibus tantummodo providetis populorum, at sacerdotes animabus fidelium. Thesauri vestri in infimis consistunt metallis, sacerdotum autem in divinis gratiis & indulgentiis; vos arma vestra in Barbaros, Sacerdotes sua in dæmones acuunt atque convertunt; propter quod verissima est illa S. Epiphanii sententia, dicentis: *Majus est procul dubio & mirabilius ipso regno, Sacerdotum dignitas & principatus.*

Sacerdotum præconia.

D. Chrys. h. 5.

D. Epip.

XIII. Ast quantò adhuc, omni regiâ atque imperiali potestate excellentior esse potest, dignitas sacerdotalis? nostis quantò? Omnes regum tituli & coronæ, sacerdotalibus pedibus substerni debent: mysterio forsitan vacasse existimabitis, quòd sacerdotum primus, S. Petrus, in verso à Christo situ, cruci affixus fuerit; aut inconveniens judicabitis fuisse, quòd eo in loco Petrus reposuerit pedes, quo Christus reclinaverat caput? nequaquam, respondet D. Chrysostomus; attendite, quid Christi capiti superpositum erat: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Itane? affixis itaque super Christi caput, titulis regiis, coronisque regalibus, sacerdos

Cur S. Petrus inverso situ crucifi.

Ioan. 19. v. 19.

S. Chrys.

S. Pe-

S. Petrus, ibidem pedes suos affigi desiderat, ut doceat nos omnes & singulos, quòd regii tituli regalesque coronæ substerni debeant pedibus sacerdotum, unde S. Chrysostomus infit: *Vicè versa crucifixus est Petrus, ut inde pedes haberet, ubi regalis titulus & corona.*

XIV. Nunquid non ipsi imperatores Romani, duplici coronantur diademate; altero ferreo (quod recipiunt Mediolani) aureo altero quod ipsis summus Pontifex porrigit pedibus? propter quod S. Thomas, agens de Reg. Princip. inquit: *Hæc secunda* (scilicet corona) *quæ est aurea, à Pontifice pedibus porrigitur in signum subjectionis potestati pontificiæ.* Sub pedibus igitur sacerdotis stratam relinquamus, dignitatem regalem.

S. Th. de reg. princ. l. 3. c. 20.

Sacerdotes sunt Angeli.

XV. Sacerdotem Angelo comparaturi, quid dicemus? quid resolvemus? forte sacerdotes, Angelos esse negabim⁹? nequaquam; hunc namq; titulum jam olim iis impertiit Regius Vates, dicens: *Panem Angelorum manducavit homo.* Sed quomodo: *panem Angelorum?* fortassisne Angeli manducant aut consecrant panem Eucharisticum? minimè, dicit S. Bonaventura, sed: *Panem Angelorum, id est, sacerdotum.* Et meritò quidem, Angelus enim velut semper throno assistit divino, ita sacerdos omni die, assistit Domino in altari; Angelus carnem nescit, quâ gravetur; sacerdos quoq; licet in carne degat, per votum tamen continentiæ sine carne vivit: Angelus, juxta Archangeli Raphaelis testimonium, cibo pascitur invisibili: *Ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Sacerdos pariter eo se pane reficit, qui solis fidei oculis videri potest. Quā creditis causam esse, quòd sacerdos, dum missam dicturus, se vestit, stolam induat in modum crucis, extremitatibus ex uno & altero latere, hinc inde propen-

Ps. 77. v. 25.

S. Bern. in c. 16. sap.

Tob. 12. v. 19.

dentibus? non ab alium finem, quàm ut sciamus, quod, sicut Angeli alati sunt, ita pariter Sacerdotes, dum pennis seu alis destituūtur, similitudinem induant alatorum; discursus hic est conformis illi, quem S. nobis Germanus expressit in hæc verba? *Præsbyteri ad imitationem Seraphinorum, stolis, vice alarum contenti sunt.*

S. Germ.

XVI. Sed quâ Sacerdotes gloriâ insignio, dum eos Angelis assimilo? iis namq; omne citra dubium, longè sunt excellentiores, conformiter illi S. Pauli de Christo loquentis testimonio: *Tantò melior Angelis effectus est quantò differentius præ illis nomen hæreditavit:* Superior itaque est Christus Angelis? forsitan quia filius est Dei? ita quidem; sed in quo insuper eos superat? nomine: *quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Sed quod istud nomen? An nescitis? *Christus assumptus est Pontifex futurorum bonorum.* Christus sacerdos est, inq. virtute nominis sacerdotalis, major effectus est Angelis. q. d. nunquidne in omnibus Angelorum choris, reperire fuerit Angelum unicum, qui dicere possit: *Ego te absolvo?* neutiquam. Forsitan Angelorum quispiam panem in Christi corpus transubstantiare poterit? minus; inter homines nihilominus reperire est Sacerdotem, qui faciliter prius perpetret ac posterius: Sacerdos itaq; super Angelos excellit; sed quantum superexcellere dicemus? Quanta est Pastores inter & Christianitatis florem differentia, tanta inter Angelos & Sacerdotes mediat discrepantia; illi namq; missi sunt ad prædicandū pastorib⁹? *Angelus ad Pastores ait:* Sacerdos autē ad universum ablegatur orbem Christianum: *Prædicate evangeliū omni creaturæ.* Ulterius, qualiter degunt in cœlis Angeli? Stant erecti pedibus: *Seraphim stabant super illud:* Sacerdotibus autem sessio promissa est ab eo, qui dixit: *Sedebitis & vos:* Ange-

Angelis majores.

Heb. 1. v. 4.

Heb. 9. v. 11.

Luc. 2. v. 10.

Marc. 16. v. 15.

Isa. 6. v. 2.

Matt. 19. v. 28.

lis igitur excellentiores sunt sacerdotes; tantòque magis, quantò certius Angelos obedire DEO, Sacerdotes autem imperare Deo; quantò min' indubitatum, Angelos divino duntaxat adstare throno, sacerdotem verò illi assidere, deque sacrata illa mensa manducare. Angeli igitur inferiores sunt sacerdotibus; sed & hanc pariter eminentiam seponamus, ad altiora progressum facturi.

Similes Mariæ. XVII. Nunquid dignitatem sacerdotalem inter & Maternitatem Virginis Mariæ comparatio institui poterit? imò verò, dicit Magnus Augustinus concl. 2. in Ps. 36. *S. Aug.* Sicut enim in utero Virginali Mariæ formata fuit humanitas Christi, ita quoq; in altari format & consecrat carnem Filii Dei sacerdos. *O veneranda sacerdotum dignitas* (exclamat Magnus ille Pater) *in quorum manibus, velut in utero virginis, filius Dei incarnatur!*

Mariâ majores. XVIII. Ignosce mihi, ô Augustissima Dei genitrix, si quid excellentius dixerim; quantum namq; intelligo & dicere valeo: gloria dignitasque tua ab altissimo tuo originatur Filio. Gloria major est sacerdotum, quàm eminentia Virginis Mariæ; hæc etenim solummodo effecit, ut de carne & sanguine ejus, sanguis fieret ac caro Christi: *Et in habentibus Symbolum, facilis est transitus.* Sacerdos autem panem in carnem & vinum transmutat in sanguinem Christi: *Et in habentibus dissymbolum difficilis est transitus.* Ulterius; Virgo sacratissima semel duntaxat Verbum de cœlo in terram descendere fecit, passibili & mortali in forma; sacerdos autem idem Verbum, toties, quoties ei libuerit, de cœlo traducit in terram, omnino inpassibile & immortale: subjungo deniq; Virginis verba, vi quorũ in utero ejus Verbum incarnatum est, non fuisse physicam, efficientem neque realem causam adventus Dei; nequaquam, sed ad summum causa fuêre moralis, id est, meritoria; si enim incarnationem mereri possibile fuisset, sola Mariæ puritas & humilitas eam, saltem *de congruo* meruisset: at verba sacerdotis consecrantis sunt causa physica, efficiens & realis transsubstantiationis panis & vini, in corpus & sanguinem Christi. Virgo per octo verba in terram detraxit divinum Verbum, quando dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; *Luc. 1. v. 38.* sacerdos verò non octo sed quatuor verbis (quæ est medietas) consecrat, dicens: *Hoc est corpus meum.* *Matt. 26. v. 26.*

Similes Christo. XIX. Nequaquam temerarium me futurum existimaverim, si dignitatem sacerdotalem divinæ assimilare voluero; quid enim pertimescerem? forte quòd sacerdos non sit similis Christo? minimè equidem: nam Theophanes Nicænus in Epist. 3. sacerdotis potestatem considerans, talem à communi hominum conditione absolvit; dum ait: *O virum cœlestem & divinum, qui filiorum hominum conditionem longè prætervehatur*, q. d. quòd sacerdos, panem eucharisticum consecrans, tam sublimis sit conditionis, ut, licet homo videatur, non tamen simplex sit homo, sed quasi homo Deus; & ut perfectius excellentiam hanc intelligatis, dicendum, quòd ipsa quodammodo sit persona Verbi incarnati; quia in consecratione non dicit: *Hoc est corpus Christi*; *Lo. cit.* sed quasi ipsemet Christus esset, inquit: *Hoc est corpus meum.* Quid ais ô sacerdos? *Corpus meum?* potius dicito: Corpus Christi, & non: *Corpus meum*: quia scilicet Christum inter & sacerdotem non est differentia.

XX. Quam veritatem S. Joannes in capite primo suæ Apocalypseos hisce verbis confirmat: *Vidi similem Filio hominis, vestitum podere.* *Apoc. 1. v. 13.* Etenim poder vestis erat sacerdotalis, quam Moyses jussu Dei, fieri constituit, nullus autem præter summum sacerdo-

cerdote, eâ indui permittebatur: per hanc igitur vestem ille filio hominis assimilabatur; quis autem filius est hominis? Christus; Sacerdos itaque similis est Christo. Quare putatis factum fuisse, ut summi pontifices, usque ad Simplicium Papam, in solis quatuor temporibus Decembris ordines contulerint, juxta quod Breviarium Romanum in lectionibus de summis Pontificibus, sæpius in hæc verba attestatur: *Habuit ordinationes mense Decembri?* Quare non in aliis etiam temporibus ordinationes instituebant? Durandus veritatem ipsam, factique hujus rationem attigisse videtur, dum ait: *Vt ordinandos coaptarent generationi Christi.* q. d. Scientes summi Pontifices, quòd totidem efformarent simulacra Christi, quot ad dignitatem sacerdotalem promoverent homines, convenientissimum esse judicarunt ordinationes habere in mense Decembri, quando natus est Christus.

Dura de div. of. li. 6. c. 234.

Cur pp. ordinarint in Dec.

XXI. Abundè mihi dixisse videor, dum sacerdotem Christo similem esse demonstravi; ast quid? fortassisne in hoc encomio, velut laudum sacerdotalium termino, subsistam? nequaquam: ulterius progredior & dico, sacerdotem Christo majorem esse; nimium quidem dixisse credar, nihilominus ipsamet hæc veritas est, primò fundata in illis S. Pauli verbis: *Sine ulla contradictione, quod minus est, à meliori benedicitur:* benedicens semper major est eo, qui benedicitur. Si ita, videamus ergo, quot sacerdos in missa benedictiones faciat supra sacram consecratam hostiam: Hostiam puram. † Hostiam sanctam. † Hostiam immaculatam. † Panem sanctum vitæ æternæ. † Et calicem salutis perpetuæ. † Ecce tibi, quot benedictiones. Equidem non ignoro dogma S. Thomæ 3. p. q. 83. ar. 5. affirmantis, eas non benedictones, sed signa esse; nihilominus Concilium Tridentium sess. 22. ca. 5. ipsas vocat *mysticas benedictiones*: itaque in hostia consecrata, dupliciter Christus considerari potest, primò tanquam summus Sacerdos, sicque est benedicens, in cujus tamen locum substituitur sacerdos; secundò spectari potest velut sacrificium & hostia, quæ Patri æterno pro peccatis mundi offertur; & in hac acceptione Sacerdos personam repræsentat Christi, habetque certam superioritatem super ipsum Christum, ut sacrificium seu hostiam: quia *sine ulla contradictione, quod minus est, à meliori benedicitur.*

Christo majores.

Hebr. 7. v. 7.

S. Th.

Con. Trid.

XXII. Ipsa quoque Theologia proposito meo apprimè favet, dum fautores ejus sustinent, in omnibus rebus creatis certam quandam reperiri potentiam obedientialem, vi cujus omnes creaturæ imperiò & dominio Dei subiiciuntur, potentis in & circa eas operari *omne, quod nō implicat contradictionem.* Ita V. G. potest corpori meo imperare: caro desine esse caro, obedi & esto saxum; id quod contigisse novimus in conjuge Loth. Novam ex hisce desumo doctrinæ meæ confirmationem, novumque laudis sacerdotalis thema; sacerdos etenim dicens: *Hoc est corpus meum; Hic est calix sanguinis mei:* quid aliud dicere intendit quàm: O panis, ex nunc desine esse panis, esto corpus & caro Christi; vinum, desine esse vinum, & convertere in sanguinem Domini mei. Igitur tam in pane quàm in corpore Christi, tam in vino quā in sanguine Redeptoris reperitur potentia obedientialis, vi cujus omnia illa subsunt imperio Sacerdotis.

Mat. 26. vv. 26. 28.

XXII. O Deus immortalis! quorsum abripior? dignitatem regiam sacerdotali longè cedere probavi, iterum hanc angelicæ assimilavi & prætuli, eandem mater-

maternitati Virginis Mariæ æquavi, majoremque esse demonstravi; probavi denique, sacerdotem non modò alium esse Christum, sed tantò majorem, quantò major est præcipiens eo, cui præcipitur. Nunquid altiora commemorare potero? utique, parum equidem hucusque diximus. Sacerdos per potestatem Ordinis & jurisdictionis, Patri, Filio & Spiritui sancto similis efficitur.

Similes æterno Patri.

XXIV. Patri æterno quidem similis est Sacerdos, sicut enim Pater æternus Verbum, filium suum producit verbo; seu ut Scotus sustinet, per *Dicere*; conformiter illi: *Eructavit cor meum verbum bonum.* (Ps. 44. v. 2) Ita quoque Sacerdos verbis efficit Sacramentum: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

Et Filio

XXV. Similiter Filio æquiparatur Sacerdos; de quo enim alio quàm de solis sacerdotibus verba illa Dei, per psalmistam loquentis, intelligi possunt, dum mandat: *Nolite tangere Christos meos?* (Ps. 104. v. 15.) Forsitanne alius est Sacerdos, quàm vivus Christus?

Et Spiritui S.

XXVI. Neque dubitari potest, quin etiam Spiritui sancto assimiletur Sacerdos; in Eucharistia namque ipse est, qui eandē producit Christi humanitatem, quæ in incarnatione concepta fuit de Spiritu sancto in visceribus Virginis Mariæ: ita ut, quemadmodum in incarnatione de Christo dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*: Sic quoque sacerdotibus, dum consecrantur, dicat Episcopus: *Accipite spiritum sanctum.* (Ioa. 20. v. 22.)

Sac. compendium Trinitatis

XXVII. Ad evidentiorem porro probam & demonstrationem hujus, quod est, sacerdotem velut compendium existere Trinitatis, lustrate Theologiam sacram in 4. sententiarum dist. 11. ubi omnes scholastici resolvunt & docent, tantam requiri in transubstantiatione virtutem, quanta necessaria est ad creationem, sed ad creationem exigitur virtus infinita, ergo eadem hæc virtus infinita requiretur ad transubstantiationem: at penes quem residet virtus infinita, nunquid non solùm penes personas divinàs? ergo Sacerdos, habens virtutem, transubstantiandi panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem redemptoris, dici poterit compendium Trinitatis.

XXVIII. Usque modò juxta animi mei votum, sufficienter necdum probavi magnam nimis sacerdotum prærogativam; quare gratiosè mihi annuite, ut primam hanc partem sublimi quadam speculatione aliâ, quæ dictorum ultimata erit approbatio, concludam. Christus Dominus noster, sacerdotum divinitatem approbaturus, simulque universo mundo declaraturus, quòd eos Patri suo compares æstimaret, tanquam paternæ consubstantiales Deitati, audite, qualiter, teste S. Lucâ, discurrat: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* (Luc. 23. v. 46.) Tibi recommendo ô Pater æterne spirantem animam, tuæ curæ committo desolatum spiritum meum. Domine mi crucifixe, cur nam corpus tuum commendas? ergone curam mortalis istius chlamydis abjecisti, tot horrendis dilaceratæ ferris, totque cruentatæ spinis? igiturne residuum hocce corpusculum tuum, quod innumera ignominiosè adeo sustinuit flagella, irrecommendatum destitues? cur non pariter corpus illud, indivisibile animæ comes Patri commendasti? Quid urges, respondet Christus, quid sollicitas? corpus meum jam tum recommendavi; recommendasti? quibus? sacerdotibus. Ubi & quando? in cæna, quando dixi: *Hoc est corpus meum, hoc facite* (Mat. 26. v. 26.) in

Christus cur solam Patri animam cōmendarit.

in meam commemorationem. Meo equidem judicio ô Docti, hæc commendatio non parum corpori præjudiosa fuit, quantumvis enim anima per naturam sit nobilior, nihilominus purissimum Salvatoris corpus, adeo lacerum & sanguinolentum, neque magis neque minus hypostaticè unitum erat divinitati, quàm ipsa anima, ideoque justæ bilanci anima & corpus Christi impositum, æquale pondus habebat utrumque; tam anima quam corpus divinum erat & pretiosum: divina erat anima, utpote unita Deo, & corpus quoque unitum erat divinitati. Quomodo ergo Christus animam suam Patri, Personæ divinæ, corpus autem recommendat sacerdotibus mortalibus? magna nimium, ô Domine, hæc mihi videtur esse inæqualitas; imò dixerim: ingens partialitas. Neutiquam, respondet Christus, sese res ita habet; erratis longè, nullum corpori meo præjudicum intuli; quia inter Patrem meum & sacerdotem nulla est differentia; Persona divina est Pater, quasi persona divina sacerdos est; Pater generat Verbum, quod Deus est; sacerdos pariter in hostia panem traducit in corpus Christi, qui Deus est. Si igitur anima mea sublimiter collocata fuit in manibus Patris, sublimissimè profectò corpus commendatum fuit in manus sacerdotum. O altissimam speculationem!

Luc. 23. v. 46.

Christus cur solam Patri animam cómendarit.

XXIX. Vultisne modò, sacerdotem æquali ferri passu cum Filio Dei, illique assimilari? sufficere equidem vobis deberet id, quod diximus, quantumcunque exile: nihilominus pro majori mea & vestra satisfactione, hanc aliam intelligite & obstupescite speculationem. Ad transubstantiationem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, prout modò diximus, virtus requiritur infinita; quomodo ergo mortalis homo, qualis est Sacerdos, mirabilem adeo poterit operari conversionem? Forsitanne præsumitis, sacerdotem, dum consecrat, simplicem esse hominem? minimè; quando enim dicit, *Hoc est corpus meum*: est veluti homo Deus atque ipsa persona verbi incarnati; quomodo enim veraciter verba hæc effari posset: *Corpus meum*: si non esset ipsemet Christus? id quod inde provenit, quia nimirum eo ipso tempore, quo admiranda peragitur panis in corpus & vini in sanguinem transubstantiatio, eodem inquam tempore, alia fit conversio, nimirum sacerdotis in personam ipsius Christi; ita ut in eo temporis puncto, duplex fiat mirabilis transubstantiatio, altera panis in vivam carnem, altera Sacerdotis in verum Christum; & sicut pane transubstantiato, solæ supersunt panis species, præsens verò adest substantia corporis Christi; ita quoque sacerdos, dum consecrat, solam habet hominis speciem, & quo ad externam apparentiam Sacerdos est, at in substantia ipsemet est Christus; homo apparet, sed non est homo: quid igitur est? est sacerdos sacramentatus, id est, sacerdos transmutatus in Christum.

Sac. comparatur Filio.

Mat. 26. v. 26.

XXX. Super est adhuc, ut vobis sacerdotem, sancto pariter Spiritui similem esse demonstrem; existimabitis forsitã, difficile id probatu fore, sed neutiquam; attentas enim mihi præbituri aures, cognoscetis, sacerdotem etiam in Spiritus sancti similitudinem transiisse. S. Damascenus, de consecratione & transubstantiatione, quæ fit in altari, discurrens, sequentia adducit, notatu dignissima verba, ex Sancto Angelico Doctore Thomâ de sumpta: *Si quis me interroget, quomodo panis fit corpus Christi? Respondeo, quòd Spiritus sanctus supervenit, & ipse operatur hac, quæ supra natu-*

Sac. comparatur Spiritus Sanctus.

S. Th. op. 58

naturam sunt & supra intelligentiam. q. d. exilis nimium est cognitio humana, quam ut comprehendere possit; *Quomodo panis fit corpus Christi?* ita ut, si ex omnibus possibilibus etiam intellectibus unus quidam conflaretur acutissimus, ille idem nihilominus & quicunque alius, quantumvis purgatissimus & subtilissimus, lumine naturali attingere nequiret aut cognoscere, qualiter manus Omnipotentis substantiam pani, subjectum accidentibus, corpori locum, extensionem quantitati auferre possit. *Quomodo ergo panis fit corpus Christi? Respondeo*, inquit Sanctus, *Spiritus sanctus supervenit & hæc operatur.* Totum hoc fortissima est illius divini Spiritus operatio, qui in eo tempore superveniens, transsubstantiat efficitque Eucharistiam. Hoc ego loco tantisper subsisto, vosque interrogo ô Docti Magistri; nunquid duæ sunt causæ efficientes, quæ ad hoc altissimum Sacramentum concurrunt? utique; una principalis, quæ est Christus summus Sacerdos; instrumentalis altera, estque sacerdos, qui eadem indivisâ actione immediatè offert, & cum Christo consecrat. Primæ causæ meminit S. Cyprianus, dum inquit: *Omnipotentiâ Verbi, transit panis in corpus Christi*: secundam quoque in hisce verbis expressit S. Chrysostomus: *Christus omnifariam potestatem tradidit sacerdotibus.* Utramque nobis repræsentat S. quoque Paschasius, agens de corpore & sanguine Christi, dum inquit: *Sacerdos invocat, sed Deus ipse benedicit ac frangit*: ita ut sola manus omnipotens Dei & sacerdotis operentur peragantque divinissimum hoc Sacramentum; quomodo igitur Spiritus sanctus ad hoc ineffabile mysterium concurrit, si non est causa ejus principalis, & multò minus instrumentalis? Si solus cum Sacerdote consecrat Christus, quomodo igitur illud S. Damasceni subsistet dictum? *Spiritus sanctus hæc operatur.*

S. Cypr.

S. Chrys.

S. Damasc.

XXXI. Suspendamus tantisper hanc loquendi methodum, aliam, notabilem sanè auscultaturi sententiã Petri Blesensis, dum serm. 40. de sacerdote celebrante agens, ita discurrit: *Spiritus sanctus loquitur ad sacerdotem celebrantem, tanquam pater ad Filium.* Sicut Pater æternus loquendo, communicat Filio totum suum esse divinum, eumque seipso generat coæternum & consubstantialem, velut pulcherrimam imaginem, omnimodè sibi similem & coæqualem; ita Spiritus sanctus, impotens sese communicare *ad intra* ob eam, quam docti norunt, repugnantiam, se communicat *ad extra*, generatque partum, qui bonitatem ejus & esse ipsius divinum participando, est veluti filius illius. Sed quisnam erit iste? scitis, quis? Petrus Blesensis partum illum, sacerdotem esse docet, dum ait: *Spiritus sanctus loquitur ad sacerdotem celebrantem, tanquam Pater ad Filium.* Sacerdote celebrante, Spiritus sanctus supervenit, eique infinitam quasi virtutem communicans, efficit, ut sacerdos evadat velut Spiritus sanctus creatus, generatus ab eodem Spiritu sancto, qui Deus est. O excellentiam! ô altissimam sacerdotis dignitatem, plus dicere nequeo, ulterius gradi nescio.

Pet. Bles.

XXXII. Ex hisce facilis habetur utriusque, quem deseruimus, loci notitiã; inprimis namque convenientissimè ait S. Paulus: *blasphemamur*; quia ubi eadem viget dignitas, ejusdem infertur qualitatis injuria; sed sacerdos, ut diximus dignitatem habet divinam; ergo injuria, facta sacerdoti, est blasphemia.

Injuria sacerd. illata, est blasphemia

XXXIII. Itane? blasphemia est, illata sacer-

S. Ignat. sacerdoti offensa? optimè igitur ego cum S. Ignatio asserui, quod non mereatur infernum, quisquis offendit sacerdotem; & quantumvis in infernum præcipitetur, nihilominus in eo, tanquam in loco deposito collocatur, quasi Deus pro tali hominum genere novum vellet fabricare infernum; & exigua nimiùm præsentis inferni pœna foret vel pro unico, qui despectui habet sacerdotem.

Resol. problem. XXXIV. Ex omnibus huc usque dictis formare placet enthymema, in cujus consequentia adæquatum fundabitur primi nostri problematis responsum. Christus pro materiali templo (quod est Ecclesia) zelum habet absque mensura; Ecclesia enim parvus Paradisus est, cui speciali cum præsentia assistit, præsensque adest supremus Deus: ecce antecedens: ergo idem Christus multò majori feretur zelo, in templum spirituale, quod sacerdos est; hic namque non modò est Paradisus, sed totus & in toto similis est Deo, existenti in Paradiso.

XXXV. Cum igitur Deus tanto zelo tantâque æstimatione, prosequatur sacerdotem, cur tu ô sæculum, adeo exilem ejus rationem habes? Scio, quid responsi accipiã scilicet: Pater ille de familia rustica, humiliq; loco prognat⁹ est; nõ est conveniens, ut ego nobilis rusticũ honorem aut æstimem. Audi, quisquis hæc improperas; concesserim tibi, sacerdotis illius humilem esse progeniem; quid inde? certus esto, eundem, dum habitu clericali ipsum indutum vides, novo modo regeneratum esse, tamque excelso, ut pedibus suis imperiales & regias, substratas habeat dignitates. Objecerit forte alius: Sacerdos ille totus vitiosus est & scandalosus, vix adduci queo, ut reverear eum. Heus ô fratelle, quid importat, hunc sibi malum esse sacerdotem, quandoquidem tibi adeo bonus est? forte Caiphas sacerdos, Pontifex bonus erat? minimè, sed pessimus erat & inferni carbo; & nihilominus tantam erga eum fuisse novimus reverentiam Christi, ut exprobratione & opprobrio mulctandum esse censuerit illum, qui exilem Pontificis habebat respectum. Verùm enim verò ab ipso nos diabolo, quanta sacerdotibus deferenda sit reverentia, discamus ad unum omnes. Legitur in vita S. Remigii, quòd hic sanctus, infirmo cuidam Sanctissimum delaturus, diabolum viderit, in medio plateæ sese prosternentem, reclinatâ in terram facie; redux postea sanctus per eandem viam, sed sine sacramento, offendit diabolum, in eodem loco genuflexum, inclinato usque ad terram capite; accedit sanctus, dicitque: dic mihi testis infernalis, cur antea te prostravisti, affixâ terræ facie; & modò genuflexus duntaxat te humilias? respondit sancto diabolus; in primo actu illud ipsum feci, quod summum Deum decebat, quem tu portabas in manibus tuis; hâc autem secundâ vice, reverentiam exhibui tibi sacerdoti, velut ejusdem Dei ministro. O Deum immortalem! diabolus, creatura maledicta, sacerdotis dignitatem, æstimationem, pretiumque agnoscit & reveretur; & tu homo fidelis non modò nullam ejus rationem habes, ut reverearis, sed in id collimas, ut in publicis potius plateis illum diffames? diabolus, qui nullum à sacerdotibus beneficium, imò damnum recipit, videns sacerdotem, genuflexus in terram procumbit; tu verò, qui tot indies à sacerdote beneficia recipis, non modò eum revereris, sed visum etiam illudis. Audi, audi; quid per Prophetam loquitur Dominus: *Populus sine fide, sacerdos sine honore*; detis mihi quempiam, qui nullum

sacerdotis habeat respectum, hic ipse sine fide est atque infidelis; idipsum abundè suffecerit vestræ contemplationi. Respiremus.

SECUNDA PARS.

XXXVI. CRas medium vobis proponetur unicum & singulare, notitiam assequendi divinarum scientiarum & penetrandi arcana cœlestia. Intellexistis modo, quanto Christus zelo prosequatur sacerdotem, quòdque æmulatio ista multò sit major illâ, quâ in suam fertur Ecclesiam; videamus nunc quoque, si tanta cum satisfactione vestra, secundo problemati fieri possit satis; resolvendo scilicet, quando Sacerdos magis sit potens; an, dum consecrando, Christum de cœlo descendere facit in terram; aut verò, dum sacrificium applicando, animas purgatorii transmittit in paradisum? ut autem omnes vos extimulem atque permoveam ad benefaciendum mortuis, primam meam percipite solutionem. Citra dubium potentior est sacerdos, quando ex purgatorio liberat animas, easque in cœlum ablegat, quàm dum consecrando, corpus Christi de Paradiso descendere facit in terram. Considerando etenim primò potestatem Ordinis, vi cujus sacerdos consecrat, & panem vinumque in corpus ac sanguinem Christi transubstantiat; exinde verò eidem comparando potentiam, illam quam habet liberandi animas ex Purgatorio; utram vos nobiliorem magisque excellentem esse judicabitis? scilicet efficere, ut de cœlo empyreo corpus Christi descendat vi consecrationis, aut verò ut per celebrationem anima liberetur ex purgatorio? diversas equidem vobis rationes adducere possem, quibus probarem, excellere operationem istam pro redemptione mortuorum, præ illa, quæ consistit in consecratione corporis Christi; ast suffecerint illæ, quæ meæ modò occurrunt memoriæ.

Potentia Sacerd.

XXXVII. Quo fine sacerdos sacrificium perficit altaris, si non ad speciale mortuorum adjutorium? ergo liberatio animarum ex purgatorio, quæ est intentus sacrificii finis, actio erit nobilior, quàm peragere sacrificium, id quod est medium ordinatum ad talem finem.

Charitas in mortuos, nobilissimum sacrificiū.

XXXVIII. Adjungite insuper, quòd, dum Christus de cœlo descendit super altare, inter exilia constringatur Panis accidentia; at quando anima liberatur de purgatorio, tunc à constrictione compedum carcerisque exempta, transvolet libera in cœlum.

XXXIX. Ultimam denique vobis rationem adduco, sufficientem præ multis. Consecratio, quam peragit sacerdos, est velut mystica incarnatio; ita ut à D. Chrysostomo nuncupetur *Extentio incarnationis*; quid autem aliud est incarnatio, quàm unio Verbi divini cum carne mortali? ast, dum anima eximitur è purgatorio, forsitanne peragitur incarnatio? minimè; sed quædam consummatur certa deificatio, in eo namque tempore anima unitur Deo, ita ut tota transformata in eum, quandam constituat deificationem; operatio ergo nobilior est, magisque excellens liberare animas ex purgatorio. Quantæ igitur eminentiæ non est, sacrificium altaris? Ex quibus planum est deducere, vos, dum pro mortuis missas celebrari curatis, mediisque sacrificiis, parentum vestrorum animas ex purgatorio liberatis, vos, inquam, tunc celebriori magisque dignæ actioni vacare, quàm ipsos Sacerdotes, dum consecrant; licet enim

S. Chrys.

enim sacerdotes consecrando, evadant personæ divinæ, vos nihilominus liberando animas ex purgatorio, altissimas consequemini dignitates & divinas prærogativas.

XL. Sed alteram, gratiâ vestrâ, contemplari placebit sacerdotum potestatem, eam scilicet, quæ est jurisdictionis, ut clarius deducamus ex illa, quantum liberatio dicta mortuorum excellat super quamcunque actionem aliam. Quid Sacerdos operatur per potestatem jurisdictionis? absolvit in foro pœnitentiæ animas à culpa, & quando per potestatem Ordinis, missam celebrat pro mortuis, animas liberat à pœna: utrum majus est, liberare animam à culpa, aut verò à pœna? respondebitis mihi, thesin esse difficilem nimis; nihilominus liberè dico, excellentius esse, animam eripi à pœna quàm à culpa; neque pro hujus rei probatione, diversæ mihi deficiunt rationes. Prima autem hæc esse poterit, quia ad liberandum à culpa peccatorem, solus non concurrit sacerdos, sed necessarius insuper est dolor pœnitentis; ita ut confessarius absolvat & pœnitens confiteatur; confessarius formam, pœnitens subministret materiam: ast quando pro mortuis offertur sacrificium, totam hanc actionem solus operatur sacerdos, nec anima purgatorii ullam in ea operatione partem habet; majus igitur est, animam liberare à pœna, quàm absolvere à culpa.

Plus liberate animam à pœna, quã à culpa.

XLI. Neque hæc potissima est meæ conclusionis ratio, alia enim restat efficacior, scilicet: quando sacerdos absolvit animam à peccato, gratiam ei impertit, iterum amissibilem, quæque duntaxat sit initium gloriæ; ast quando animam liberat ex purgatorio, sacerdos, minister efficitur gloriæ sempiternæ & gratiæ consummatæ; adeoque sacerdos, absolvendo animam à culpa, eam justificat, sed liberando è purgatorio, eam beatam efficit. O excellentem, imò divinam operationem, suppetias ferre mortuis beatis! quid igitur hæsitatis dilectissimi? ad sacerdotes properanter accelerate, ut suffragia impetretis mortuis vestris; ecce nubes de cœlo manna depluunt super miserabiles purgatorii incolas; ecce possunt à gravi illa servitute eripi animæ parentũ vestrorum; cur ergo adeo vobis grave est, unicam sacerdotibus impertiri eleemosynã, ut missam celebrent pro defunctis vestris aut pro animabus desolatis; liberales estote in sacerdotes quia ad liberandas ex purgatorio animas potestatem habent velut divinam; liberalitatem exercete & scitote, quia faciendo hæcce pia pro defunctis opera, meritum vobis & altissimam acquiretis dignitatem fastigii cœlestis.



PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE MARTIS POST DOMINICAM QUARTAM Quadragesimæ.

DISCURSUS

De observantia legis divinæ & fructu auditus verbi divini.

Doctrina mea non est mea; sed ejus qui misit me: Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hic cognoscet de doctrina. Ioan. 7. v. 16. 17.

PROBLEMA

Qui majorem habeant divinarum scientiarum notitiam, mysteriorumque cœlestium intelligentiam; vel Angeli in puris naturalibus, vel Christianus libenter observans legem divinam, & cum attentione auscultans verbum divinum?

INTRODUCTIO.

I.

INgenium quoddam nobile, millenis dignum honoribus, intendens acutè pungere aliquem, qui de multa gloriabatur nobilitate, neque tamen ullam tanti sui stemmatis assignare poterat originem aut radicem; pro corpore emblematis, quatuor eos depinxit labyrinthos, quorum meminit Plinius lib. 36. c. 13. ipsumque nobile emblematis corpus, hac ad propositum suum accommodâ, animavit epigraphe: *Investigabiles viæ:* volens significare, quòd, sicut in dictis labyrinthis, propter partium portarumque multitudinem, nunquam via attingi poterat, quâ exiretur; & quantumcunque infinitæ conspicerentur portæ exitusque aperti, nihilominus intranti clausa semper offerebatur via: ita pariter, quamvis alter jactitaret, omnes quatuor se possidere nobilitatis partes, omnes nihilominus istæ partes, non nisi portæ erant labyrinthi, utpote ubi nunquam reperibilis esset aut investigabilis tantæ nobilitatis origo: *Investigabiles viæ*: hæc juxta dicti autoris sensum.

II. Ast gratiam mihi concedatis, obsecro, quatenus ego vobis hodie eminentioris intelligentiæ problema exhibere possim, cujus epigraphe ex S. Pauli ad Romanos scribentis trutina desumpta est, dum exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Ecce vobis: *investigabiles viæ.* Quatuor porro labyrinthos, Christi appellate scientias, quæ juxta Sacrorum Theologorum calculum, adæquatè numerum constituunt quaternarium, quales sunt divina, beata, infusa & acquisita; de his igitur discurrens Apostolus, ait: O al-

Plin.

Rom. 11. v. 33.

O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabile viæ ejus. O quàm inaccessibiles labyrinthi, quàm impenetrabiles & impracticabiles viæ sunt divinæ scientiæ! Intelligere avetis, quamlibet earum verú esse labyrinthum? audite verba Evangelii: *Ascendit Iesus in templum & docebat:* ecce labyrinthum; intrantes obstupuêre Judæi: *Mirabantur Iudæi*; portam investigant ut exeant: *Quomodo hic literas novit?* sed nullam inveniunt: *Cum non didicerit?* unam iis portam Christus patefecisse videbatur, cum diceret: *Doctrina mea*: exitum subitò moliuntur Judæi, sed magis implicantur, audientes: *Non est mea.* O DEUM, inquiunt Judæi, *si doctrina est tua, quomodo non tua? si non tua, quomodo tua?* ò quàm ignari estis; doctrina mea, scientia mea, labyrinthus est. Intrarunt pariter & turbæ in labyrinthum, facilisque iis videatur expeditio, dicentibus: *Nunquid verè cognoverunt Principes, quia hic est Christus?* sed ecce incunctanter mirum intricatas: *sed hunc scimus, unde sit; Christum autem nemo scit, unde sit.* O quæ involucra, qui laquei & retia! an non istæ *investigabiles viæ?* sed quodnam hodie remedium adhiberi poterit, ut ex hisce labyrinthis expediamur, divinarumque scientiarum & supernorum mysteriorum notitiam consequamur? quod nobis auditorium subserviet? profectò non aliud, quàm id, quod ipse nos Christus docet, dum inquit: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hic cognoscet de doctrina*: adimpletio divinæ legis, divinorumque præceptorum observantia, ad consequendam divinarum scientiarum, cœlestiumque mysteriorum notitiam, via est certissima. Ast hîc subsistens, interrogo; uter majorem divinarum scientiarum & cœlestium mysteriorum cognitionem habeat, scilicet Angelus, qui DEO vicinior est *in puris naturalibus*; an vero Christianus, qui divinam libenter observat legem, & cum attentione verbum divinum auscultat? id quod meum hodie problema erit, vobis proponendum; quandoquidem verò præsens divinum verbum, tanquam medium vobis proponam, ad intelligendam doctrinam cœlestem, assistite attenti; incipio.

Ioa. 7. v. 17. | *ibid. v. 15.* | *v. 26.* | *v. 27.*

III. *Doctrina mea non est mea:* ecce subitò in Principio in labyrinthum incidimus, cum periculo grandi, ne forte nos extricare non possimus. *Doctrina mea, non est mea?* ô Domine, justam sanè causam habuêre Judæi hunc tuum admirandi sermonem, atque ego meritò cum S. P. Augustino dixerim: *Si doctrina est tua, quomodo non tua? & si non tua, quomodo tua?* *S. Aug.*

V. Vos ô Theologi quadruplicem in Christo admittitis scientiam, divinam, beatam, infusam & acquisitam; divina actus est purissimus, indistinctus ab essentia Dei; beata est visualis, infusa intellectualis, & acquisita experimentalis. Divina est infinita, comprehensiva omnium: *Omnia nuda & aperta sunt in oculis ejus.* Per beatam, manifestè divinam contemplatur essentiam; infusa est discursiva: *Non quantum ad acquisitionem, sed quantum ad usum:* & vi usus intellectualis obtinuit acquisitam. Scientia divina, imperiosa erat: *Omnia enim quæcunque Dominus voluit, Dominus fecit; & scientia est causa rerum.* Scientia beata gloriosa erat, infusa gratiosa, & acquisita naturalis: scientia divina est ipsamet divina substantia: beata est cum lumine gloriæ, infusa cum speciebus immissis, acqui-

Scientia Christi quadruplex. | *Heb. 4. v. 13.* | *D. Th. p. 1. q. 14. ar. 8.*

acquisita habetur mediis sensibus. Divina immutabilis erat sicuti ipsemet Deus: *Ego Deus,& non mutor*; beata augmentum non sumpsit infusa ab initio perfecta extitit, acquisita crevit per praxim. Secundum scientiam divinam Christus, Patri & Spiritui sancto æqualis erat: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; in beata superabat Angelos, per infusam eminebat super Prophetas, per acquisitā omnes anteibat Philosophos. Scientia divina luci solis, beata lumini lunæ, infusa splendori stellarum, acquisita fulgori assimilabatur auroræ: Scientia divina ad instar maris erat, fundo carentis: beata ad instar fluminis, infusa quasi aqua in rivo, quæ seipsa devolvitur, acquisita velut aqua putei, quæ manibus hauritur. In virtute scientiæ acquisitæ, veluti naturalis, Christus rerum experientiam habebat, per infusam mysteria gratiæ attingebat: per beatam Deum clarè videbat, & omne illud, quod statum illum concernebat, per divinam autem (quæ est ipsa essentia divina) omnia comprehendebat objecta intelligibilia, primarium & secundarium, attributa, necessaria, contingentia & conditionata atque omnia demum cætera, quæ eminenter continentur in divina essentia; unde scientia variis nuncupatur nominibus, dicitur enim necessaria, simplex, intellectiva, libera, præsciētia, practica & speculativa: libera quidem, in quantum supponit actum voluntatis terminatum ad creaturas; necessaria verò, quatenus ex simplici procedit intelligentia, ante omnem actum voluntatis; dicitur scientia visionis respectu creaturarum existentium; nominatur simpliciter scientia, in ordine ad res præteritas & præsentes; iterum

Mal. 3. v. 6.

Phil. 2. v. 6.

præscientia intitulatur, respectu futurorum; est pariter scientia practica, quatenus conjungitur voluntati, speculativa verò, in quantum à voluntate extrahitur. Vocitatur scientia illimitata, infinita in se omni ex parte, scilicet in objecto, modo, duratione, simplicitate & perfectione; in objecto quidem, quia complectitur omnia; in modo, quia est comprehensiva; in duratione, quia est æterna; in simplicitate & perfectione, quia est ipsamet deitas.

V. Christus scientiam divinam etiam ut Deus, non habet de se, sed à patre; non habet de se, ita enim eam possidet solus pater, qui non procedit ab aliis; sed eam à Patre habet, quia procedit ab eo; procedendo autem ab illo per actum intellectus, dicitur Verbum & sapientia ipsius Patris. Audite, quàm profundum, circa mysterii hujus sublimitatem, discursum efformet magnum Augustini ingenium, dum in tract. 29. in Ioannem ita inquit: *Quænam est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? ipse enim Christus doctrina Patris est, cum sit Verbum Patris; sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicujus; ideo & suam doctrinam dixit seipsum & suam, quia Patris est Verbum.* Melius profectò dici non poterat. Doctrina, de qua hodie agit Christus, est ipsemet Christus, qui à Patre per intellectum procedendo, appellatur scientia Patris; hæc igitur sapientia est CHRISTI, & non est CHRISTI, sed Patris; est CHRISTI, quia ipse vera est sapientia Patris, non est CHRISTI, quia dum CHRISTUS non à se, sed a Patre procedit, à Patre illi communicatur doctrina.

D. Aug.

VI. Veruntamen ut ad propositum nostrum

Angeli etiam summi non noscunt mysteria supern.

nostrum revertamur, quis majorem harum divinarum scientiarum, cœlestiumque arcanorum notitiam consequi poterit? forsitanne quantumcunque supremus Angelus, Deoque vicinior, insistendo puris naturalibus? minimè, respondet S. Thomas p. 2. q. 3. & ratio est, quia divina sapientia & mysteria illa cœlestia superioris sunt ordinis, quàm ut à naturali intellectus angelici capacitate attingi queant, neque enim lumen Angeli ita excellens est, ut ad objecta supernaturalia pertingere possit; cæteroquin ipsi diaboli infusos in anima habitus videre possent, cujus oppositum S. Augustinus lib. 12. de Gen. ad liter. c. 17. dum inquit; *dæmonem non tentaturum hominem, si in illo videret internam speciem virtutum,* Si autem mysterium Trinitatis vel incarnationis, divina scientia, gratia & habitus infusi nullam habent cum effectibus naturalibus connexionem, quomodo poterunt Angeli, quantumcunque excellentes, Deoque vicini, absque revelatione divina & speciali adjutorio attingere mysteria illa supernaturalia?

S. Th.

S. Aug.

VII. Quomodo percipere poterunt in mysterio, Trinitatis, unum esse Deum in essentia, & trinum in personis? quod essentia sit idem cum persona, & quòd nihilominus essentia sit communicabilis, persona autem incommunicabilis? quòd ibi perfectiones sint absolutæ, sed conjunctæ cum proprietate relativæ? quòd essentia divina sit simplicissima, sed terminata à tribus suppositis realiter distinctis? quòd inibi infinita sint attributa, & quod nihilominus omnia sint unica simplicissima entitas? Principium sine Principiato? quomodo attingent, quòd in Patre divina sit essentia, velut medium formale ad generandum filium? & quòd eadẽ essentia in filio sit affectus sterilis ad generandum alium filium? quòd in Patre & filio divina essentia sit principium spirativum, in Spiritu sancto autem quòd eadem essentia sit affectus infœcundus? quòd natura divina, quatenus est in Patre & Filio, sit communicabilis, quòdque eadem natura sit incommunicabilis, quatenus reperitur in Spiritu sancto? quòd natura in seipsa sit una, & tamen eadem sit in tribus personis, realiter distinctis? quòd tres sint personæ distinctæ, sed omnes tres sint unica simplicissima essentia? quòd una persona distinguatur ab alia, & nihilominus tam sit perfecta, quàm aliæ?

VIII. Quis Angelorum quantumcunque elevatus, stando in pura natura, attingere poterit incarnationis mysterium, vi cujus immensa majestas, rex supremus in virgunculæ unius utero requiescit? ubi invisibilis Deus in intemeratis matris viscerib⁹, sine carnis sensu, veritatẽ induat carnis? omnẽ naturæ virtutem excedit, duas esse naturas, in una persona conjunctas, quomodo assequetur, Verbũ, quod Spiritus est, factum esse carnem, quæ corpus est? Verbum, quòd Deus est, factum esse carnẽ, quæ homo est, verbum imutabile factũ esse carnem, sine mutatione? Verbum, quod est æternũ, factũ esse carnẽ, quæ temporalis est; Verbum, quod est immensum, factum esse carnem & infantem; Verbum, quod est idem cum Patre & Spiritu sancto, factum esse carnem, absque eo tamen, quòd Pater aut Spiritus sanctus incarnaretur? Verbum, quod est persona divina, factum esse carnem & terminum naturæ humanæ; Verbum, quod est una sola Persona, factum esse carnem & duas habere naturas; Verbum, quod est simplicissimum,

mum, factum esse carnem & compositum? & ita discurrendo de omnibus aliis mysteriis supernaturalibus, liberè denunciate, impossibile esse, ut Angelus, etiam omnium supremus & quantumcunq; excellens, ad cognitionem illorum pertingat, stando in puris naturalibus.

IX. Ast quid? totum hoc, quod Angelus cognoscere nequit *in puris naturalibus*; totum, inquam illud, penetrare poterit quicunque fidelis Christianus, divinæ legis observator. Suscipite probationem. Juxta historiam libri Exodi, Moyses, faciem Dei videre cupidus, sollicitabat, dicens: *Domine, ostende mihi faciem tuam, & salvus ero*; at subitò responsum accepit: *Non videbit me homo, & vivet.* Non est possibile ô Moyses, ut homo mortalis clarè videat faciem meam & vivat? quia verò tu singularis meus es amicus: *Ostendam tibi omne bonum*: sed quomodo? *Posteriora mea videbis.* Intuendo humeros meos, omne bonum intueberis. Quis similem unquam audivit connexionem? dorsum è diametro opponitur vultui, & consequenter, dum quis videt primum, non poterit videre secundum.

Excellentia veri Christiani.

Exod. 33. v. 13.

v. 20.

v. 23.

§. 12.

X. Pro scripturæ hujus intelligentia vos interrogo ô Philosophi; nunquid ad sublunarium effectuū productionē, requiritur & necessaria est cœlorū influētia? *Influit cœlum in hæc inferiora lumen & motum*, inquit Aristoteles, ita ut *cessante motu cœli, cessaret omnis motus hic inferior*, Si ita; audiamus igitur, quid in sacra Genesi enarret Spiritus sanctus; scilicet quòd in prima mundi creatione, in tertio die pulchra apparuerit terræ superficies, floribus, herbis, plantisque vestita; post quam productionem in quarto die sese insinuarunt luminaria cœlestia: quid sibi vult istud? quomodo, vos ego interrogo ô Philosophi, quomodo terra herbas & plantas germinare poterat, si ante non participabat influxus cœlestes?

Gen. 1. v. 12.

XI. Advocemus in medium duos illos discipulos, qui, teste Evangelio, profecti sunt in Emaus; gradiebantur hi vel ut desperabundi, eò quòd non viderent Magistrum suum resuscitatum; & ecce tibi, consortio illorum sese immiscuit Christus, cæpitque proponere illis scripturam & principaliora mysteria: *Incipiens à Moyse, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.* Ad quidquid iis, cum majori etiam Paradisi splendore divinus prædicaret Magister nihilo minus, ut S. Lucas ait, *Oculi eorum tenebantur, ne ipsum agnoscerent.* Cognosci Christus non potest, nisi oculi mentis sese aperiant mysteriis ejus. Exinde procedentes appropinquarunt castello, cumque Christus *fingeret, se longius ire*; institêre duo illi viatores, dicentes: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit*: subsiste nobiscum, quia jam hora sera est; acquievit divinus Peregrinus, diversorium intrârunt simul, & subitò, ut mensæ accubuerunt: *Aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum in fractione panis.* Circa hunc rerum processum curiosus ego, scire desidero, quare Christus, singulari cum claritate scripturam explanans, agnitus non fuerit, accumbens autem mensæ, discipulorum intellectibus fuerit manifestatus? placito meo abundè satisfecit S. Gregorii responsio, dum circa hunc textum ita discurrit: *Qui vult audita intelligere, festinet, ea, quæ jam audivit, opere adimplere, ecce Dominus non est cognitus, dum loqueretur; dignatus est tamen cognosci, dum pascitur.* Tunc in Dei notitiam quis venit, quando in praxin deducit obser-

Luc. 24. v. 27.

v. 16.

v. 28.

v. 29.

v. 31.

S. Greg.

van-

vantiam legis divinæ; & propterea prius jubetur terra germinare herbas & plantas, deinde verò cœlestia in firmamento con-
S. Isid. spiciuntur luminaria. Unde S. Isidorus inquit: *Post opera bona, venit illuminatio lucis.* Opera præcedunt lucem; primò statuenda est Christianæ legis observantia, & postea cœlestium mysteriorum obtinetur notitia.

XII. Ecce igitur vobis causam, cur
§.9. Deus Moysi, ut faciem videre posset divinam, exhibuerit dorsum; q. d. Deus: ô Moyses, tu faciem meam videre cupis; sed prius respice *posteriora mea*, insiste vestigiis meis, & in praxin redige observantiam legis; tuncque videbis om-
S. Gregor. Nyss. ne bonum: id quod S. Gregorius Nyssenus hisce paucis verbis stabilivit, dum ait: *Is, qui videre Deum cupit, desiderii compos fit, semper sequendo.* Qui igitur divinarum scientiarum notitiam haurire cupit, qui recondita Paradisi arcana penetrare gestit, quid aget, quid molietur? *Festinet, ea, quæ jam audivit, opera adimplere.* Divina observet præcepta, quia *post opera bona, venit illuminatio lucis, &, qui videre Deum cupit, desiderii compos fit, semper sequendo*: Nonne idipsum est, quod hodie nobis Evangelista accinit: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hic cognoscet de doctrina.*

XIII. At subsistite & discite, quia
Lex observanda sine tristitia. non qualiscunque legis observantia, vos ad Dei cognitionem elevabit; requiritur ergo, ad legis observantiam promptitudo animi, quâ adimpleatur, absque eo, quod causa investigetur, cur ita Deus præceperit? necessum est, ut fiat sine tristitia, cum lætitia; nunquamne dici audistis, quia populum hilarem adjuvat DEUS? deserviat proposito vestro quidam sacræ scripturæ textus, judicio meo inprimis excellens. Vocavit vice quâdam DEUS Gen. 22. v. 2.
Abrahamum, dicitque ei: *Tolle Filium tuum, quem diligis Isaac & offer mihi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Ascende ô Abraham in montem Moriæ, & propriis manibus tuis sacrifica dilectum Filium tuum Isaac. Sine mora bonus senecio & absque alia quacunque reflexione, fasciculum componit lignorum, eum Filii humeris imponit, ipseque dextrâ gladium apprehendit: Heus Isaac gradiamur in montem; ad quid ô bone senecio? ad occidendum Isaac. Ad occidendum Isaac? quid jocaris? quare te pupillâ oculorum tuorum privabis? forsitan inobediens tibi fuit? non; imò semper obedientissimus exstitit. Ad quid ergo mactabitur? quia ita mihi præcepit DEUS; & tu quid respondisti DEO? nihil; nihil? defuisti sanè officio tuo, debuisses ad minus requirere causam mortis, ut satisfacere posses miseræ vetulæ, conjugi tuæ; quid dicet, quid faciet illa, quando te cum ferro sanguinolento reducem excipiet, quando videbit brachium tuum innocuo tam dilecti Filii aspersum sanguine? credo ego firmiter, quod viscera ejus disrumpet cordis tui durities; fac ad minus, ut causam intelligas, cur DEUS Isaac occidi velit, per hanc enim sufficienter apud conjugem tuam te purificare poteris & excusare. Nihil horum, inquit Abraham; nolo scire aliud, sufficit mihi, quia DEUS ita præcepit. Advertite ô Auditores, quia nihil magis molitur diabolus, quando homini observantia alicujus præcepti adimplenda occurrit, quàm ut animo ejus maledictam suggerat curiositatem, ut secum disceptet, quare V. G. DEUS præcepit observantiam festorum & jejunii? cur amorem inimi-

corum mandavit? cur delectationes carnales, usuras & similia alia prohibuit? vultisne curiositatis hujus principium scire? prohibuerat DEUS protoparentibus nostris, ne comederent de pomo; post hæc se insinuavit in Paradiso inimicus infernalis, inque primo contra parentes nostros assultu, sciscitatur: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis?* Insipiens magistra Eva, divini præcepti rationem datura, effectum assignavit transgressionis, dicens: *Ne forte moriamur.* Ah inquit S. Augustinus: *Dominus quidam cur jusserit, viderit; faciendum eo à serviente, quod jusserit, & tunc forte videndum est:* notate: *tunc videndum est à promerente, cur jusserit?* duo hîc mirabilia dicit S. Augustinus, primum est: videat DEUS, quare mihi taliter imperet, non ego causam inquirere, sed obedire debeo, sine ulteriori discussione; *Quod iusserit, à serviente faciendum est.* Unde & Tertullianus lib. 4. de pœnit. bene affirmat, magnum esse temeritatem, velle disceptare, si bene aut malè imperaverit DEUS: *Audaciam existimo, de bono divini præcepti disputare; neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcipit.* Homini sufficere debet hoc unicum, scilicet quòd cogitet; DEUS hoc præcepit; ex eo solo incunctanter ad obedientiam procedat, oportet.

Gen. 3. v. 1.

S. Aug. l. 8. in Gen. ad lit. c. 13.

Tertull.

XIV. Secundum sancti Augustini dogma est: *Et hunc videndum est à promerente, cur jusserit.* Scire vis ô homo, cur tibi DEUS unum præcipiat & alterum inhibeat? tu plenam divinæ voluntatis scientiam desideras? obtempera imperanti, & subitò cognosces.

S. Aug.

XV. Sed prosequamur cæptam de Abrahamo historiam, Contemplando Isaac struem lignorum, sine apparentia victimæ, curiosè sciscitatur: Domine pater, quid fiet de lignis istis? intendis fortasse DEO offerre sacrificium? ubi ergo est victima? *Ecce ignis & ligna; ubi est victima holocausti?* Ad hæc Abraham: non deficiet victima, ô fili; DEUS, quem nulla mundi latet necessitas, per suam providentiam disponet de victima: *Dominus providebit sibi de victima holocausti.* Quomodo mi Abraham, nonne DEUS tibi dixit, victimam fore ipsum Isaac? ita, si DEUS autem dixit tibi de victima, tu quare dubitas? non dubito. Quare igitur voluntatem DEI coram filio interrogante, occultas? cur non liberè veritatem edicis, quia ipse esset victima futurus? difficultatem hujus mysterii ingeniosè enodat S. quidam pater, dicitque, quòd si S. Patriarcha filio manifestasset, ipsummet victimam futurum, facile accidere potuisset, ut filius contristaretur, sicque corde afflictione occupato, montem ascenderet; quia ergo Abraham practicus erat aulicus, optimè sciebat, Principem cœlestem læta & hilaria à suis requirere servitia, ideo filio significare noluit, quòd ipse esset sacrificandus. *Non revelavit mysterium*, inquit sanctus ille in oratione de Jona, *Abraham filio, ne illo tristitiâ affecto, ipsius donum inquinaretur.* Animadvertite porro eum, qui subjungitur textus? mox ut Abraham, divino præcepto obediens, sine omni tristitia, Isaacum offerre cæpit in sacrificium, dicit illi DEUS: *Nunc cognovi, quòd timeas Dominum:* Sanctus Augustinus legit: *Nunc cognoscere te feci, quòd timens Dominum.* Catholica veritas est, ô docti, quòd *nemo potest esse certus, se esse in gratia.* p. 2. q. 112. a. 8. non igitur

Gen. 22. v. 7.

v. 8.

Gen. 22. v. 12.

S. Aug.

igitur Abraham scire poterat, se veraciter amicum & servum DEI esse; atque ideo ipsi DEUS præcipit, dicens: heus Abraham, fac hoc, quod tibi commendo, si enim hilariter præceptis meis obedieris, de eo ipso certus eris, quantum desiderare poteris: *Nunc cognoscere te feci, quòd timeas Dominum*; quia juxta sanctum Augustinum. *tunc videndum est à promerente, cur jusserit.*

Effectus legis ex timore custoditæ.

XVI. Neque etiam divina à nobis mysteria cognosci possunt, si ex timore legem Dei observemus. Filius Dei quondam, post ingentem maris sedatam tempestatem, cum discipulis suis in regionem Genezareth abnavigavit, exinde cum pedestris per terram graderetur, hominem obvium habuit dæmoniacũ, cui vires nullæ prævalere poterant; modo ululabat ut lupus, modo se volutabat in sordib⁹, modo saxa jaciebat in alios; ut autem Filium Dei vidit, subitò se contulit ad eum; cumque appropinquasset, Marc. 5. v. 7. sese pedibus ejus advolvit, adoravit, eumque Dei Filium hisce verbis nuncupavit: *Quid mihi & tibi Iesu, Fili Dei altissimi?* in quibus, tantum abfuit, ut sibi complaceret Christus, quin potius duris ipsum verbis perstringeret, v. 8. eique præciperet, ut protinus è corpore isto sese proriperet: *Exi Spiritus immunde ab homine isto.* Domine mi, non te incivilitatis reum arguam, id enim nec possum nec debeo, sed hoc tantummodo dico: tu semper mansuetissimus fuisti cum omnibus iis, qui te verbis aut factis malè exceperunt; diabolum verò, qui cum tantæ submissionis actibus, tibi occurrit, tam durè excipis, vocando eum immundum & ab incolatu suo ejiciendo illum? nunquid non in majorem gloriam tuam cedit, quòd hujusmodi juratus inimicus tuus, pedibus tuis sanctis advolutus, te talem profiteatur qualis revera es? memoriæ mandate hanc tragœdiam.

XVII. Neque vobis importunus videar, si alium sacræ scripturæ locum discutere attentarim. Postquam Verbum incarnatum in partes Cæsareæ vice quâdam advenisset, discipulos suos interrogavit, quid de persona ejus mundus sentiret: *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Matt. 16. v. 13. Domine, respondent discipuli, unus hoc, alter aliud dicit; quē ergo vos de me conceptum formatis? Ad hoc omnibus generosior S. Petrus, intrepidè: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* v. 16. Adeo autem hæc S. Petri responsio perplacuit Christo, ut multis ipsũ encomiis celebrare, ut supra reliquos omnes efferre non dubitarit, inquiens: *Beatus es Simon Bariona, qui caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.* v. 17. Profectò Excellentiores in eum titulos conferre non poterat, agedum conferam⁹ nunc textum hunc cum eo, quē paulo ante deseruimus. Petrus Christum confitetur esse verum Dei Filium: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*; idem fecit & diabolus: *Iesu, fili Dei vivi; scio, quia sis sanctus & Filius Dei.* Nihilominus Petri confessionem approbat Christus, contemnitq; diabolicam, undenam hæcce oriri potuit disparitas? cur Petrum nuncupavit beatum, dæmoniũ verò immundum? ne admiremini, inquit S. P. Augustinus hom. 17. in Quad. Dæmoniũ confessionem elicuit ex timore, unde dicit: *Adjuro te per Deum vivum, ne me torqueas.* Mar. 5. v. 7. At quo motivo S. Petrum ad Christi laudem & confessionem inductum fuisse existimabitis? magni impulsu amoris?

Joā. 21. v. 15. *Tu scis Domine, quia amo te.* O Domine, sollicitat S. Augustinus, *hoc tibi dixerunt dæmones, quod & Petrus, quare illi non sunt beati? quia dæmones hoc dixerunt timore, Petrus autem amore.* Quot autem sunt eorum, qui legem Dei ex timore potius, quàm ex amore observent? unus sese defatigat in servitio Dei, sed quare? quia divinum timet supplicium; alius ullo unquam peccato Deum offendere detrectat, quia metuit disgratiam; qui, si non esset hujusmodi timor, quis scit, quid esset. Non ego reverentialem, utpote laudabilem valde, sed timorem improbo servilem, & dico, quòd legem adimplere, Deoque servire debeamus, velut filii, non sicuti servi.

Non observanda lex ob interesse. XVIII. Multò minus Christiana lex propter interesse, maximè autem bonorum temporalium intuitu, observanda est; in tali enim casu, ob sinistrum similem finem lex illa custodita, non modò scientiam Paradisi non subministrabit, sed etjam ipsam potius vitam auferet; id quod nobis exhibet insignis quidam sacræ scripturæ locus. Adamaverat Princeps Sichimitarum filiam Jacob, & postquam illam juxta votum suum cognovisset, ante desponsationem, patrem & fratres puellæ convenit à quibus eam sibi in sponsam dari poposcit, cui responderunt fratres: Gen. 34. v. 14. *Non possumus dare sororem nostram, homini incircumciso, quod nefarium est apud nos.* Gravissimum nobis scelus imputaretur, si sororem nostram incircumciso in sponsam concederemus, nihilominus acquiescemus petitioni vestræ: v. 15. *Si circumcidatur in vobis omne masculini sexus.* Consultat cum Rege totoque regno Princeps, dumque appareret negotium, eorum fautorum utilitati, ita demum concluserunt: v. 23. *Substantia eorum & pecora, & culpa, & cuncta quæ possident, nostra erunt:* opulenti sunt homines isti, & mulieres nationis illius pulchræ sunt, agedum, unusquisque circumcidatur: *Nec distulit adolescens, statim quod petebatur explere; amabat enim puellam valde:* v. 19. taliter decore Divinæ abreptus erat Princeps, ut ne ad momentum quidem, circumcisionem differret; ast observate exitum. Postquam omnes illius regni incolæ circumcisi essent, tertio à circumcisione die, quando vulnerum dolor erat intensior, civitatem intrarunt Simon & Levi, filii Jacob & fratres Dinæ, occideruntque ad unum omnes: *Ingressi confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichē pariter necaverunt.* v. 25. Quis hoc non obstupescet? quomodo possibile fuit, quòd duo duntaxat omnes illos mactarint, incipiendo à rege & principe usque ad infimum subditum? dicendum est, quòd ipsa circumcisio eos vitâ & viribus privârit, quòd illa eadem causa, quæ ipsos circumcidi, legemque populi Dei amplexari fecit, quòd, inquam, eadem illa circumcisionis lex omnes prostraverit; neque id cuiquam mirum videatur, quid enim textus, de Principis circumcisione agens, testatur? *Nec distulit adolescens:* Princeps ne momento circumcisionem omisit, Quare tanta cum acceleratione Princeps circumcisionem maturavit? forsitan ex amore Dei? non: fortassis ob legis veritatem? minus; cur igitur? audite textum: *Amabat enim puellam valde:* Dinam extraordinario prosequebatur amore; itane? Homo, qui ad catholicam fidem transit, non ex Dei, sed alicujus mulieris amore, experietur, Mat. 17. v. 2. quòd eadem illa lex catholica, vitam ei auferet, morique faciet inter manus inimicorum. Quod ut satis superque demonstrem, vos ego interrogo, dicite mihi; quo fine

fine rex omnibus suis subditis circumcisionem persuasit? forsitan ex intentione mutandi vitam aut idololatriam deserendi? nequaquam; cur ergo? causa nobis in textu exprimitur: *Pecora eorum & cuncta, quæ possident nostra erunt, & filias eorum accipiemus in uxores.* plurimas eorum obtinebimus divitias, nobisque filias eorum desponsabimus; quid igitur mirum, quòd ipsa circumcisionis lex vitâ eos exuerit, inque tali statu locarit, ut vel duo soli sufficientes fuerint ad stragem omnium? esse Christianum non aliud sonat, quàm observare legem Christi; quomodo autem observanda est lex Christi? jejunando, mortificationis, religionis & pœnitentiæ actus exercendo; nequaquam propter interesse mundanum aut ob alium sinistrum finem, legis observantiæ incumbendum est; cavete ô dilectissimi, ne propter interesse Deo serviatis, ita enim fiet, ut eadem illa lex, ob dictos fines observata, non modò vobis non impertiat cognitionem cœli, sed insuper vitâ privet, inque infernum præcipitet.

XIX. Hunc inter discursum, menti meæ quædam sese ingerit curiosa quæstio, scilicet uter amor sit laudabilior; amor purus aut interessatus? amare Deum, quia ita meretur, & quia bonus est in seipso; aut verò diligere ipsum, ex intentione consequendi amoris mercedem? S. Petrum adeamus, ipse enim dubium nobis resolvet. Stabat hic S. Apostolus ex adverso magnifici illius spectaculi, quod Redemptor exhibuit gloriæ suæ; adeo autem coruscus in eo monte apparuit Christus, ut *resplenduerit facies ejus sicut sol.* O Petre, quid dicis ad augustam adeo visionem, quis tuus sensus est? an non luminaria ista cor tuum purâ succendunt charitatis flammâ? ita sanè, respondet S. Petrus, me velut beatum esse existimo in virtute visionis istius, hic ego subsistam, neque de monte hoc descendam; itote vos descendite vos Jacobe & Joannes, ego certè aliud non dicam imposterum, quàm: *Bonum est nos hic esse*: relinquamus igitur in monte Petrum, & in ædibus Pilati exinde eundem investigemus ubi famosam magistri sui admisit negationem; graviter Christum abnegaverat, at subitò in semetipsum conversus, magnumque casum suum conspiciens, copiosè plangere cæpit: *Egressus foras, flevit amarè.* Petrum itaque duobus in locis contemplamur, in monte Thabor & in domo Pilati; super montem, vehementer adeo gloriâ indulcoratus fuit, ut quasi beatus esset; in ædibus Pilati, totus conspicitur plangens & lachrymosus: utro in loco, vos interrogo, Petrus majori exarsit in Deum dilectione & charitate? an, quando in virtute abyssalis lucis, superexcelluit omnes, momentaneus quasi comprehensor; aut, dum acutissimo transfixus dolore, lacrymatus est? ego statuere volebam, quòd ejus in Deum amor excellentior fuisset, super verticem montium; sed ne unum reperio sanctum, qui hac in parte mihi astipuletur; imò S. Evangelistæ, qui Sancti Petri eventus accuratè assignant inscitiæ maculam ei inurere videntur, dicentes: *Nesciebat, quid diceret*: Ubi hic ulla amoris mentio? at verò quando agitur de Sancto Petro flente in prætorio, quot modis non extollitur & commendatur amor ejus à plurimis? Sanctus Augustinus ait: *Tunc cæpit amare, quando flevit amarè.* Similiter S. Ambrosius in sermone, quem scripsit de charitate, inquit: *Assedit autem Petrus, vinculis charitatis irretitus.* Ecce vobis Petrum beatum & Petrum plangentem, æmulos in mate-

Mat. 17. v. 2. *Mat. 26. v. 75.* *S. Aug.* *S. Ambr.*

materia amoris; at Petrum plangentem, victorem beati; dum plus amat lacrymosus, quàm gloriosus: cujus ratio est, quia dum moraretur in Thabor, Deum amavit, qui eum lætificabat in gloria; exile autem est amare benefacientem sibi, hic enim est velut interessatus amor; id quod non tam est amare Deum, sed potius bonum, quod provenit à Deo; at diligere inter lacrymas & suspiria, & sine intentione alicujus interesse, verum arguit amorem, qui ad cœli cognitionem elevare potest amantem.

Legis observ. sit volunt.

XX. Super hæc omnia, lex Christiana voluntariè & sine coactione ad implenda est; idem namque est, eam observare involuntariè, & omnino negligere; quo fine sequentem, consideratu dignissimam, percipite speculationem. Quando Ecclesia celebrat festum martyris, adhibet colorem rubeum, quando festum virginis, colore utitur albo, puritatis indicio; pro defunctis color niger induitur, & tempore passionis, adhibetur violaceus, symbolum mæroris: nunquid non ita est, ô patres ecclesiastici? auscultate modò speculationem meam. Celebratur inter alia festum innocentium; & Ecclesia, nullâ habitâ ratione, quòd infra octavam nativitatis occurrat, colorem induit violaceum, deserit *alleluia*, omittit *Gloria* in missa, & *Te Deum laudamus* in officio; & ut plurima paucis complectar, festivitas illa nil nisi mærorem sapere videtur, omni exulante lætitiâ. O sancta mater, cur rubrum pariter hodie non adhibes colorem, sicut in sanctis aliorum martyrum festivitatibus facere consuevisti, quare lætitiæ nulla signa edis in festo Innocentium? forsitanne infantium horum tibi displicuit martyrium?

§. 24.

S. Th.

XXI. Pro dubii hujus solutione, quandã lubet præsentibus ingerere quæstioné, quam Sanctus Thomas 3. p. q.44. a.4. instituit investigans, si conveniens fuerit, nec ne; Deum in creaturis operari miracula? & resolvit, quòd sic; ita enim suum Deus manifestat dominium, quod habet in creaturas; ideoque Deum in mari, vento aliisque diversis rebus obstupenda novimus perpetrasse. Superaddit idem sanctus, inconveniens fuisse, Christum in brutis animantibus miracula operari: *Quia Christus miracula fecerat supra corpora hominum, non oportebat ut miracula faceret supra corpora brutorum.* Rationi insisto sancti Doctoris, at novum ex eadem elicio dubium; quare non fuit conveniens, Christum facere mirabilia in corporibus brutorum? forte quia divinam omnipotentiam sufficienter manifestare non poterat?

XXII. Ipsemet Angelicus doctor sese explicabit; sed priusquam ad enodationem difficultatis procedatur, ante intelligere cupio, quare Ecclesia Latina consecret in solo pane triticeo? cur non in pane fabarum aut hordeaceo? respondet S. Thomas 3. p. q. 74. art. 4. *Inter alios panes communiter homines utuntur pane triticeo; nam alij panes videntur introducti in hujus panis defectu; & ideo creditur in hujus panis specie, Christum instituisse hoc sacramentum.* Panis qui ordinariè manducatur, panis est fermentatus; reliqui panes subserviunt in casu defectus, adhibenturque solummodo, quando non restat. O inquit Christus, panem, qui ex necessitate manducatur, nolo esse materiam corporis mei.

S. Th.

XXIII. Nunc igitur accedat ipsemet Angelicus doctor, & nos informet, quare *non oportebat*, *quòd Christus miracula*

cula faceret, supra corpora brutorum? Animalia bruta, ut scitis; quidquid faciunt, coactè faciunt; asinus pondus portat, sed propter verbera, quæ ipsi inferuntur: equum ad diurna itinera impellit stimulus calcarium; si avis quoque dulciter canere assuescat, quid mirum? caveæ inclusa detinetur. Itane? inquit Christus, omnia animalia irrationabilia totum hoc quod faciunt coactè operantur? nullum ergo in iis perpetrabo miraculum, quia creaturæ involuntariæ, quæ non operantur libenter, & ex motivo amoris, mihi non placent, hujusmodi opera fastidio.

XXIV. Ex hisce planum fiet, quare in die Innocentium, sancta Ecclesia luctum induat, lætitiamque seponat, quia scilicet sancti illi Innocentes non effuderunt sanguinem suum per voluntatem propriam; martyrium Innocentium nec voluntarium exstitit, nec involuntarium; quatenus igitur non fuit involuntarium, Ecclesia officium & festum illorum sanctorum peragit; quatenus autem non fuit voluntarium, eadem Ecclesia luctum repræsentat, eò quòd opera, quæ non procedunt à voluntate, & ex amore, tantum valent, quantum nulla. §.20.

Th.

XXV. Nescio, si ullam unquam in scriptura sacra, Evangelistas inter, notastis contrapositionem? Sancti Matthæus, Marcus & Lucas, agendo de Christi passione, & præcipuè quidem de ascensu ejus in montem Calvariæ, tradunt, non Christum, sed alium certum quendam hominem, dictum Simonem Cyrenæum, portasse crucem in humeris suis; nam ut Sanctus Matthæus dicit: *Angariaverunt quendam Simonem Cyrenæum, ut tolleret crucem ejus.* Sanctus Lucas ait: *Et imposuerunt illi crucem portare post Iesum*; at Sanctus Joannes apertè protestatur, quòd Christus crucem portârit: *Et bajulans sibi crucem, ducitur ad eum, qui dicitur Calvariæ locus.* Evangelia immediatè à Spiritu Sancto dictata sunt; quomodo igitur juxta Sanctum Joannem Christus, juxta alios autem Evangelistas Cyrenæus crucem portavit? ergone Evangelistæ sibi invicem contradicunt? non, dicit Sanctus Augustinus de concordia Evangelistarum cap. 28. Cyrenæus crucem tulit, sed quomodo? coactè; id quod insinuat ly: *angariaverunt*: ferre crucem invitè, & omnino non ferre, unum idemque est; solus Christus portavit crucem, quia voluntariè omnino crucem amplexatus est; propter quod dicitur: *Bajulans sibi crucem.*

Contrapositio script. sac. — Mat. 27. v. 32. — Luc. 23. v. 26. — Marc. 15. v. 21. — Ioa. 19. v. 17. — S. Aug.

XXVI. Ut autem plenius compræhendatis, quantum Deo displiceat operatio coactè consummata, quàmque ei placeat actio voluntaria, advertite tragœdiam, quam nobis liber Numerorum in c. 22. exhibet. Præceperat Deus Moysi, ut abiret in Ægyptum; abiit ille, secumque assumpsit uxorem & filios suos: *Et cum esset in itinere, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Subsiste, quid agis ô Domine? volo occidere traditorem illum; quomodo, occidere illum? quid ergo peccavit? nonne tu præcepisti ei, ut in Ægyptum transiret? ita; nunquid tu eum ad hoc iter ablegasti? sic est; quare igitur vis eum occidere?

Exod. 4. n. 25.

XXVII. Simile contigisse lego in cap. 14. S. Matthæi, ubi narratur, Christum discipulis suis præcepisse, ut abnavigarent in Bethsaida; vix autem navim conscenderant, & ecce: *navis agitabatur*

Matth. 14. v. 24. *tur fluctibus, & Iesus solus erat in terra.* O Domine, tu, *qui dominaris potestati maris,* Ps. 88. v. 10. *& motum fluctuum ejus tu mitigas*; tu miseros discipulos tuos tempestate vides conquassari, & non adjuvas? quomodo? nunquid tu Apostolis tuis imperasti navigationem illam? ita; & ecce paupercu li obediunt, tu verò ipsos tempestatibus conquassas? existimo ego, quòd citra culpam puniantur, quòd obedientia castigetur, dum discipuli mandatis tuis obtemperantes, affliguntur. Ad hæc doctus quidam pater respondet: si historiam perlustraveritis, reperiatis, quòd à Marc. 6. v. 45. Christo navim conscendere coacti fuerint: *Coegit discipulos suos*: obedientia coacta, involuntaria legis observantia tantundem valet coram DEO, ac si nulla foret; atque ideo DEUS Moysen occidere volebat: quid non fecit, quid non dixit, quas excusationes non adinvenit, ut se à profectione illa eximeret? *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem? quid dicam eis? non credent mihi, nec audient, vocem meam.* Itane? dicit Dominus, tantis opus est excusationibus, totque repulsis? *Meritò iratus est Dominus in Moysen*, inquit Autor ille, *quia pertulit ægrè mandatum.* Ecce, quantum DEO displiceat opus involuntarium seu coactum.

Obedientia coacta, nulla est.

XXVIII. Contemplemur nunc tandem etiam, quantum sibi complaceat DEUS in operationibus nostris voluntariis, videamus, quàm illæ bonæ sint & efficaces ad comparandum divinarum scientiarum notitiam. Teste S. Lucâ, Christus communem atque universalem discipulis, aliisque turbis habens exhortationem vice quâdam, ita inter cætera discurrit. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me*: quisquis voluerit de meis esse sequacibus & electis, *abneget semetipsum.* Advertite inquit Nazianzenus orat. 8. ly, *Qui vult*: quomodo? hic agitur de negotio, adeò nobis utili & commodo, scilicet de assequendo æternæ salutis tramite; quomodò de reproborum colluvie, in electorum numerum, cum certissimo æternæ gloriæ pignore, transferendi simus: & ecce totum bonum hoc nostræ committitur voluntati nostro relinquitur in arbitrio: *Qui vult*: nunquid non satius egisses ô Domine, si nos ad palmam, ad triumphos & gloriam vocando & fortiter nos attraxisses, neque tanti momenti negotium in libertate nostra reliquisses? non; exiguam in domo Dei praxin obtinuistis, ait magnus ille Theologus Nazianzenus: *Neminem vi duci vult lex nostra; coactèque ac non sponte gubernari: volentium, non coactorum pietatis sacramentum est*: animo vili & abjecto proprium est, sua facere coactè; sicuti econtra spiritui heroico & verè magnanimo innatum est operari spontaneè. Populum, coactum, dicit Deus, populum qui continuis verberibus impelli debet, nolo ego; sed populum volo, qui ex toto corde, voluntariè & liberè servit mihi.

Nazian.

Naz.

XXIX. Hæcq; causa esse poterit, quare cum tanto divinitatis suæ & absoluti dominii præjudicio Deus hominem reliquerit *in manu consilii sui*: potuisset ille sine dubio, nostram sibi subiicere voluntatem, eamque mancipare servitio suo, sed intactam relinquere voluit, adhoc ut sponte & non coactè serviremus ei. Nihili facio, inquit Deus, etiamsi aliquale imperio atque excellentiæ meæ præjudicium fiat, modò bona cum voluntate serviatur mihi. Hoc ipsum, scilicet voluntariè & ultroneè Deo famulari, unicum & divinas scientias & arcana cœlestia consequendi

quendi atque penetrandi medium; conformiter illi, quod Christus hodie protestatur, dicens: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, hic cognoscet de doctrina.* Ut porro intelligatis, quomodo liberè & voluntariè lex observari queat, tantisper respiremus.

SECUNDA PARS.

XXX. Cras de cæco nato agemus, oculos habente sordidatos luto; curiosum autē discutiemus problema, scilicet: quando homo in præsentia Dei magis compareat decorus; an, dum omnimodè cæcus videt sine oculis, aut verò, quando oculos habet luto coinquinatos?

XXXI. Denique ut præsentem discursum terminemus, ad intentum regredior. Audistis, quodnam divinas scientias obtinendi, legemque Christianam observandi unicum sit medium, nimirum voluntaria divinæ voluntatis adimpletio; sed quid insuper ad perfectam Christi legis observantiam stabiliendam requiretur? dici posset, necessariam esse, propriæ gloriæ fugam: *Ego gloriam meam non quæro*: aut declinandam esse in investigandis aliorum factis curiositatem: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit*? vel etiam, declinanda esse temeraria judicia, conformiter præcepto illi: *Nolite secundùm faciem judicare.* Nihilominus judicio meo, proxima omnium ad divinam voluntatem adimplendam dispositio, est attenta, prædicatori præstita auscultatio; ita ut, qui hac in parte defecerit, pro perdito reputandus sit; talis enim certum dat indicium, se nullatenus divinæ legis observatorem esse. Concionabatur quondam in templo Christus, tantusque multitudinis factus est concursus, ut Maria & cæteri Christi commilitones januam ingredi nequiverint; Christo igitur denunciatur, matrem cum aliis extra Ecclesiam subsistere, cum magno eum videndi desiderio: *Mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre*; ad hæc Christus; *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei*? quinam sunt illi, qui me videre affectant? Domine, non cognoscis Mariam matrem tuam? non cognosco eam; quomodo? tu genitricem illam ignoras, quæ lac tibi subministravit? tu illam nescis, qua excellentiorem creaturam aliam nunquam vidit cœlum? tu illam non nosti, quæ omnes inter creaturas tibi dilectissima est? non novi eam; quia quisquis tempore concionis, extra ecclesiam moratur, etiamsi altera Maria esset, non novi eum: *Vide magnum mysterium* (inquit S. Ambrosius) *Mariam matrem sibi Dominus abjurat, cum esset extra verbi Dei audientiam constituta, eo præsertim tempore, quo verbum prædicaretur à Verbo.* Ecce, Maria, omnium sanctorum, quos unquam mundus vidit, sanctissima, dum verbo Dei non interesset, à Christo agnita non fuit; ad nostrā scilicet doctrinam, quòd optima ad divinæ legis observantiam dispositio, sit divini verbi auscultatio.

XXXII. Ideoque ad audiendam concionem ita nos promptos esse oportet, ut omnia alia seponamus, quæ non cadunt sub præcepto; cujus exemplum habemus in Martha & Magdalena, dum enim Christus harum sororum ædes, vice quâdam intrasset, illa subitò cibos sollicitè Christo præparare cœpit; cum autem solam se sine adjutorio defatigari conspiceret, Christo causam suam dijudicandam proposuit: *Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic*

Margin notes: *Ioa. 7. v. 15.* — *v. 14.* — *Matt. 12. v. 47.* — *v. 48.* — Christus cur matrē nescierit. — *S. Ambr.*

ergo illi, ut me adjuvet. Esto quieta, ô Martha, respondet Christus: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Plus mihi complaceo in operatione Magdalenæ, quàm in tua: quomodo? ô Domine, Martha tota occupata est in exercitio charitatis, erga divinum tuum corpus, & tu Magdalenæ occupationem præfers maximè; quia Magdalena occupata est in accipiendis sermonibus meis, dum Martha insudat præparandis mihi cibis; gratius mihi est, Christianum divini verbi prædicationi assistere, quàm cuicunque alteri negotio vocare: quia nullum omnino opus, servitio meo promovendo taliter deservit, qualiter prædicationis auscultatio. *Erat Maria intenta dulcedini verbi Dei* (inquit S. Augustinus serm. 27. *de septem verbis Domini*) *intenta erat Martha, ut pasceret Dominum; intenta erat Maria, ut pasceretur à Domino.* Quid aliud est prædicatio, quàm cibus spiritualis, pascens animam, ut ad divinæ legis observantiam inflammetur.

S. Aug.

XXXIII. Hæcque causa est, quare prædicatio verbi divini ab omnibus semper laudata, & quibuscunque aliis rebus semper antepositа fuerit. Quam esse rationem existimabitis, quod Hebræi Judæ traditori nec plus nec minus obtulerint, quam 30. argenteos? respondebitis utique cum Sancto Paschasio, vitam Christi annorum 30. tam parva à Judæis æstimatam fuisse, ut singulos annos non pluris fecerint, quàm unum argenteum: *Tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in hoc mundo usque ad baptismum*; at pro ultimis tribus annis quid pretii obtulerunt? advertite, inquit idem Sanctus, quia tres ultimi anni, quibus vixit Christus à baptismate usque ad mortem, anni fuêre prædicationis; anni prædicationis? illis pretium non assignatur? quia origo sunt vitæ christianæ.

Mat. 26. v. 15.

S. Pasch.

XXXIV. Ideoque Sanctus P. Augustinus tantâ docet prædicationem audiendam esse cum attentione & veneratione, cum quanta sacratissimum recipitur corpus Christi. Imo in 2. p. decret. p. p. idem S. Doctor curiosum quoddam movet dubium, & quærit; utrum majorem saluti animæ efficaciam conferat corpus Christi, aut verò prædicatio verbi divini? *Interrogo vos fratres & sorores, quod est magis, verbum Christi, an corpus Christi?* ipseque sibi respondet in hæc verba: *Si verum respondere vultis, hoc dicere debetis; non est minus verbum Christi, quàm corpus Christi.* Rei veritas est, minoris non esse efficaciæ verbum divinum, quàm corpus Christi. Quomodo, ô sancte Pater, ergone prædicatio pari currit passu, cum Eucharista? ita, dicit Sanctus Augustinus, quia quantum ad effectus, tantundem promovere potest salutem Christianorum vox Prædicatoris, quantum ipsummet Christi corpus; unde Sanctus Pater progreditur, dicens: *Quantâ sollicitudine observamus, ne corpus Christi in terram cadat, tantâ sollicitudine obversare debemus, ne verbum Domini de corde puro exeat; quia non est minor reus, qui verbum Domini negligenter audierit, quàm qui sua negligentia corpus Domini in terram cadere permiserit.*

Quàm reverenter audienda concio.

S. Aug.

XXXV. Agedum itaque si hæc omnia vera sunt, quæ certè verissima sunt, utpote à tanto Doctore sancto prolata; quid restat, ut ultra dicam vobis? aliud nihil, quàm: si divinarum scientiarum, cœlestiumque arcanorum notitiam assequi desideratis, observate legem divinam,

nam, non cum animi triſtitia, aut ex timore, ſed cum hilaritate cordis; non propter intereſſe, ſed ex amore; ſuper omnia autem non ex coactione, ſed ſponte & bona cum voluntate: & ad diſponendos animos veſtros pro expedito ſervitio divino, prompti, parati eſtote & diligentes in auſcultando divino verbo: ſi taliter egeritis, in vita præſenti, omnium gratiarum, in altera verò faſtigium conſcendetis gloriæ. Quam mihi & omnibus vobis impertiatur &c.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE MERCURII, POST DOMINICAM IV. Quadrageſimæ.

DISCURSUS

De cæco vidente, & mortuo vivente.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à nativitate, & cùm feciſſet lutum ex ſputo; linivit oculos cœci nati. Ioan. 9. v. 1. & 6.

PROBLEMA

Quando homo coram Deo compareat venuſtior; an, dum in mundo eſt cæcus, ſeque ipſum ſine oculis intuetur; an verò dum oculos habet, luto conſperſos.

INTRODUCTIO.

I.

IN ſpacioſo hocce mundo primum dominium & ſupremum principatum obtinet homo; homo veluti parvus mundus eſt, cujus venuſtiora membra magiſque dignæ partes ſunt oculi, unde quidam elegantem hunc inſtituit diſcurſum: *Quid enim inter membra noſtra præſtantius eſt oculis, qui nobis omnium operum magiſtri ſunt & duces?* Et ita quidem eſſe diſcimus in effectu, inter omnes enim corporis humani partes nobiliſſimus ac cariſſimus eſt oculus; omnimodè corruit capitanei fortitudo & vigor, niſi ducatum præſtent oculi; hoc corpus noſtrum velut obſcurus carcer eſt, niſi oculorum luce illuſtretur; quod in cœlo præſtat cum ſole Luna, hoc ipſum in hacce humani corporis machina adimplent oculi; & ſicut nec cœlum ſervit, nec placere poteſt ſine ſole & Luna; ita pariter difformes ſunt ſine oculis facies humanæ: nonne oculus manũ admovet operi, pedes dirigit in viã & palato præparat cibos? quis toties corporis præcavet pericula? nonne oculi? in oculo omnes conſpiciuntur affectus humani; idq; ipſum, quod in corde deliteſcit occultum, ad vivum cernitur

nitur depictum esse in oculo: unde Scriptura sacra oculo desiderium & spem, favorem & vindictam, odium tribuit & compassionem; & ut multa paucis concludam; oculus est, qui animam manifestat in facie: ideoque Sanctus Augustinus, insigni & proportionata cum similitudine, oculos nuncupavit animæ fenestras, simul ingeniosè docens; magnam eorum esse stultitiam, qui oculum habentes impudicum, de animo gloriantur casto & continente; si enim oculus, cordis est nuncius, quomodo pudicus erit animus, impudico & licentioso divagante oculo? *Nec dicatis*, inquit sanctus, *vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius*: loquendo igitur de oculo, optimè asserere possum cum Sancto Bonaventura, quòd *amisso visu, amittitur omne bonum*: & pariter cum Christo concludere valeo: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* At si ita est, quare igitur pauper ille evangelicus sine oculis natus est? & quare CHRISTUS gratiosè ei visum collaturus, oculos luto illiniri voluit? ingens hoc dubium mihi ansam dedit, ut sequens gratiosum hodie vobis proponerem problema. Quando scilicet homo ante Deum compareat formosior; an, dum se videt cæc⁹, omnimodè destitut⁹ oculis; aut verò, dum comparet, oculos habens luto contaminatos? oculi intimam habent cum auribus consanguinitatem; hodie igitur mihi de oculis discurrenti, vos attentas præbete aures, auscultantes cum silentio: incipio.

S. Aug. in reg.

S. Bonav.

Problema.

II. *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ita interrogarunt Christum Apostoli, videntes cæcum hunc. q. d. Domine, quæ fuit causa, quòd ille Cœlidonius in mundum natus fuerit cæcus? forsitan peccatum ejus aut aliqua parentum illius culpa defectum istum causavit? non; respondet CHRISTUS, neque unum neque aliud: *Sed ut manifestentur opera Dei in illo*: quænam in cæco hoc sese insinuarunt operationes? omnium profectò maximè stupendæ, quotquot de omnipotentis DEI manu processerunt. Pro cujus asserti notitia sciendum, quòd tripliciter possit alicui evenire cæcitas; aut à nativitate, aut in vitæ decursu per infirmitatem, aut per voluntatem: in cæco à nativitate manifestatur creatio; in cæco per infirmitatem divina probatur prædestinatio, in cæco voluntario glorificatio. Homo cæcus *à nativitate* satis pulcher est, quia creatura DEI apparet; formosior est illo, cæcus per infirmitatem, quia ille talis est prædestinatus, & quamvis secundùm corpus cæcus sit, attamen totus in anima oculus est: pulcherrimus omnium cæcus est voluntarius, talis enim velut filius Dei apparet; qui licet quoad nomen cæcus sit, quia videre recusat, nihilominus in re ipsa visionem adeo possidet excellentem, ut, dum videre mundum renuit, videat omnia.

III. Principium sit cæcus *à nativitate*, in quo manifestantur opera creationis; quàm formosus est cæcus natus? creatura DEI est; cujus ut pulchritudinem demonstrem, ad factum transeo Poëticum, ab eo postea progressum facturus ad Christum. Scripserat Virgilius in laudem Cæsaris Augusti ingeniosissimum distichon sequens.

In cæco manifestantur opera creationis.

Sap. 11. v. 21.

Nocte pluit totâ: redeunt spectacula mane; *Virgil.*
Divisum imperiũ cum Iove Cæsar habet.

Compositum, regiæ aulæ affixit; mane facto Cæsar, ut versiculos illos legit, sum-

summè sibi in iis complacuit; in tantum etiam, ut requisiverit authorem, cui præmium dignum conferret; at, sicut pro eo tempore innotescere nolebat Virgilius, ita quoque non erat, qui compareret. Ingessit sese itaque quidam doctorellus, dictus Battillus, qui se authorem esse jactitavit, unde & præmium à Rege ut talis reportavit. Indignatus Virgilius, alios in virtute sudorum suorum exaltatos esse, præmioque affectos, quatuor alios composuit versiculos, in hunc modum:

Sic vos non vobis.
Sic vos non vobis.

Duobus aliis repetivit idipsum, inque priori dicto palatii loco eosdem versus affixit, quasi insinuaturus: qui se jactitavit auctorem versuum priorum, statuat & horum, si potest, perfectionem. Exiit rex, & mutilatis hisce lectis versiculis, subitò accersivit Battillum; comparuit at subitò hic, in quem sese angulum præ pudore reciperet, vix invenit; tunc igitur sese insinuavit Virgilius, dictosque versus ita finivit:

Hos ego versiculos feci, tulit alter honorem.
Sic vos non vobis mellificatis apes.

Hâc methodo Cæsar in veri authoris notitiam devenit, repudiato Battillo; tanquam arrogante idiotâ.

In cæco manifestantur opera creationis.

IV. Ab hisce ad Christum progrediamur. Creaverat summus divinus fabricator machinam hanc universalem mundi, tanta cum sapientia & arte, ut perfectum quasi distichon appareret, in pondere, numero & mensura: *Omnia Dominus fecit in pondere, numero & mensura.* Sap. 11. v. 21. Investigabant antiqui Philosophi, tam eximii authorem distichi, ut debitas ei gratias & laudes contribuerent; sed nolebat pro tunc temporis manifestari DEUS, quin potius dicebatur; *Deus absconditus; ignoto DEo.* Isa. 45. v. 15. Accessit itaque in medium diabolus, sese mundi jactitans authorem, velut alter idiota Batillus; crediderunt itaque ei quasi omnes, honorarunt ipsum erectis statuis, oblatisque sacrificiis. Quid subitò practicavit DEUS? ut eum manifestaret mundo, in quem corrruerat errorem; certos composuit, sed imperfectos versiculos (cœcos dico, surdos & claudos) eosque exhibuit palatio Universi hujus; quasi dicturus: quandoquidem diabolus se jactitat creatorem mundi, & fabricatorem esse primorum versuum, vindicando sibi honores, mihi debitos; terminet igitur modò hosce alios versiculos, etiam hisque perfectionem suam tribuat; impertiatur, quod deest cœcis & claudis. Ast dæmon, velut ignorans Batillus, debitam nunquam potuit operibus hisce communicare perfectionem, dicente Baruch: *Hominem cæcum ad visum non restituunt, & de necessitate hominem non liberant, unde ergo vocantur Dij?* Bar. 6. v. 36. Sed ecce, ut primum sese manifestavit Deus, per suum in mundum adventum, versiculos finiit, cęcis lumen, mutis vocem, vitã impertiendo mortuis: *Bene omnia fecit; & surdos fecit audire & mutos loqui.* Mar. 7. v. 37. Et per hoc ipse pro universi hujus authore & creatore agnitus fuit. Nonne ex hisce evidenter deducitur, in cæco *à nativitate* opera manifestari creationis? quàm igitur decorum esse dicemus cæcum natũ? utpote creaturam, immediatè procedentem à manu Dei? vos decorem ejus, juxta exigentiam discutiatis.

Dæmon se jactavit mundi factorem.

Cur Deus crearit cæcos &c.

Cæcus per infirmitatem est prædestinatus.

V. A cæco nato transeamns ad eum, qui cæcus est per infirmitatem: quis porro ille? fidelis est, in corpore patiens infirmitatem, cœlitus immissam, sed ab ipso infirmo libenter acceptatam.

Hiccine cæcus videt? videt abundè; quantumvis enim corpore sit cæcus, attamen secundùm animam totus est visio: quàm autem decorus est iste? videamus primò, quæ divina opera in hujusmodi cæco manifestentur? scitisne, quæ? prædestinatio divina; tunc enim potest quis dici prædestinatus, quando à DEO per infirmitatem percutitur, affligitur, tribulatur. Testis mihi sit sanctus Job, qui cum tepidis amicis suis, à quibus afflictus illudebatur, discurrens, verba quædam protulit, ita ut non videam, quomodo postea de illo dici potuerit: *In omnibus his*
Iob 2. v. 10. *non peccavit Iob labiis suis. Saltem nunc,* dicebat ille, *Saltem nunc intelligite, quòd DEVS non æquo judicio afflixerit me.* Modò ad minus scitote, quod DEUS sine justo judicio cruciet me. Cajetanus, hæc verba
Iob. 19. v. 6. Jobi explanaturus, legit: *Saltem nunc intelligite, quòd Deus fecit tortum mihi.* Quid dicis ô Jobe? quis ille discursus tuus? DEUS tibi tortum facit? quomodo? §. 9.
nunquid DEUS vitæ & mortis est Dominus?

IV. Doctus quidem pater in sequentis textus explanatione: *Sicut distat cœ-*
Isa. 55. v. 9. *lum à terra; sic distant cogitationes meæ à cogitationibus vestris:* ostendit, magnam esse disparitatem, inter ea, quæ DEUS servis suis impertit bona, & ea, quæ mundus dat amatoribus suis; tota autem differentia consistit in modo & ordine, quo utræque epulæ mensis inferuntur. Mundus enim in principio convivii, dapes apponit meliores, ad finem reservatis pejoribus; at DEUS è converso, pro antipasto seu primo ferculo, cibos apponit amarissimos, absinthium & fel; bolum autem delicatiorem, reservat in finem. Desumpta est doctrina præsens, ex historiæ evangelicæ sancti Joannis trutina, qui hocce negotio maximè practicus, ait: *Omnis homo primum vinum bonum ponit; deinde, quod deterius est.* Ecce vobis consuetudinem & impræteribilem mundi legem: *Omnis homo:* agens autem de Deo, subjungit: *Tu autem servasti* Ioa. 2. v. 10.
vinum bonum usque adhuc.

Disparitas inter dona Dei & mundi.

VII. Centum hujus rei & mille, tam in humanis, quàm divinis historiis dantur exempla; ast unum suffecerit nobis ex omnibus. Ordinariæ mundi praxi conformiter; considerate, si placet, so- Ioa. 12. v. 13.
lemnem illum Christi introitum in civitatem sanctam Jerusalem, magnificum perpendite triumphum illum, qui ei obtigit ante passionem; scitis, omnes tunc cives occupatos fuisse in debita tanti Domini exceptione; alii insudabant conscindendis ramis, alii adornandis viis, per quas erat transiturus triumphans, alii proprias vestes sternendo pro tapetibus; posse duntaxat manibus suis ornatum contingere mansueti jumenti, cui Christus insidebat, maximam quilibet æstimabat fortunam: quid poterat exspectari magnificentius? sed immediatè sequentem contemplamini diem Veneris; ecce occisum, ecce crucifixum, eundem met Christum, qui tanto ante cum applausu fuerat receptus. O DEUS! quid à Dominica Palmarum usque ad diem Veneris admisit Salvator, tantæ causam metamorphoseos? quid? ne admiremini; ultimum suum ferculum apposuit mundus, solitus in conviviis suis primò adducere lætitiam & exultationem, pro fine autem reservate, absinthium & fel, tribulationes & mille cruciatus.

VIII. Forsitan & DEUS eundem ordinem tenet? nequaquam, omnimodè ipse contrario modo agit; in principio offerens servis suis fastidia & amaritudi-

Deus primo dat amara.

tudines, in finem autem reservans dulce gloriæ nectar. Nonne vobis in mentem venit illud, quod in sacris canticis refertur de sponsæ anhelantis desiderio? Expetebat illa hanc sibi fieri gratiam ut semel ad minus ab ipso Dei ore instrueretur, inde, inde taliter anxia gradiens, obsecrabat:
Can. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* QuousqueDomine, aliorum intendam dogmatibus? vel semel saltẽ me doce per temetipsum. Exaudiit Deus suspiria dilectæ sponsæ suæ, ipse personaliter eam erudivit, in hæc verba: *Beati pauperes Spiritu. Beati qui lugent: beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* O quàm amara, quàm insipida sunt verba ista, dilecte sponse. Non, dicit sponsus, non subsistas in primo ferculo Electa mea, progredere & gusta quoque dapes meas ultimas: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* O quanta hæc est dulcedo, care sponse; verè *mel & lac sub lingua tua, guttur tuum suavissimum.* Verè *tu servasti vinum bonum usque adhuc.* Ecce vobis modum, quem servat Deus.

Matt. 5. v. 3. etc.

Cant. 4. v. 11.

Cant. 5. v. 16.

IX. Redeamus modò ad S. Jobum: *Deus fecit tortum mihi.* Non impia hæc fuêre verba, sed suæ m̃ potius fastigium pietatis; S. Thomas respondens pro Jobo, eum termino defendit Scholastico, & dicit, Jobum *ex suppositione* locutum fuisse; quasi dicere voluisset: si Deus solumodo flagella immittit, ad peccatorum vindictam, veraciter affirmare possem, quòd injuriam mihi faciat; cum enim ipsemet innocentem me declararit, & modo me veluti peccatorem puniret, injuriam utique mihi inferret; at quandoquidem ego scio, Deum non procedere mecum ut judicem, neque mihi cruciatus & infirmitates immittere, ut peccatori; acquiesco, certus, quòd potius mecum agat ut dilectus pater; tribulat me, sed, hoc ipsum facit, quia prædestinavit me & ad cæleste convivium invitavit, in quo primum ferculum apponitur amarulentum, tribulationibus plenum; ultimum verò dulce, paradisiacâ repletũ suavitate.] Ecce idipsum, quod vobis insinuavi: illi ipsi prædestinati sunt, qui tribulati sunt; qui per infirmitatem cœci & angustiati sunt in hoc mundo: Si autem prædestinati sunt, nunquid non supra modum formosi sunt?

Iob. 19. v. 6.

S. Th.

Infirmitas est signum prædest.

X. Ulteriusne probari vultis, corporales hosce cæcos, perspicacissimâ secundum animam visione pollere? agedum, probam attentemus. Illi, qui oculis pollent, & perfectam habent, sine pœnis & tribulationibus sanitatem, forsitanne norunt, ubi sit Ecclesia? non; Deumne cognoscunt? minus. Infirmentur autem alii, qui oculis privati, omnimodè afflicti sunt & desolati, quid, creditis, facient? quid attentabunt? sine mora, corde in Deum directo, confessarium vocant, communioenm sollicitant & assequuntur. Itane? ergo quantumvis tales secundum corpus cæci sint, quo ad animam nihilominus adeo sunt perspicaces, ut cœlum contingant, Deumque intueantur.

XI. Porro priusqam cœci nati & cæci per infirmitatẽ effecti, decorem contemplemur, ante discutiamus tantillum, quàm venustus, quamque perspicax sit cæcus voluntarius? quis ille cæcus voluntarius? iste est, qui videt quidem, sed videre renuit; iste est, qui quantum videt oculis, tantum calcat pedibus; ille est qui flocci æstimat, quidquid videt: ast si cæc⁹ ille est, quo-

Venustas cæci voluntarii.

quomodo videt? &, si videt, quomodo cæcus est? an non jam dixi vobis? quia cæcus est duntaxat secundum nomen, in re autem totus est visio: hunc autem quàm esse decorum arbitramini? omnium certè est pulcherrimus, ipsaque venustas, utpote à Deo dilectus & electus ut filius; ad cujus probationem insignis mihi favet contemplatio sequens. Proficiscebatur quondam Patriarcha Jacob de Aram, cumque euntem obscura nox invaderet, conclusit subsistere in monte Moria; pro cervicali itaque aliquot congregavit lapides, & exinde lassa super terram membra reclinans, sese composuit ad quietem. In somnis vidit illam, toties in pulpitis commemoratam, scalam, cujus verticem possidebat ipse
Gen. 28. v. 8. DEUS: *Et Dominum innixum scalæ.* Mane evigilans, dum visionem suam enarraturus esset, non alia, quàm sequentia protulit verba: *O quàm terribilis est locus*
v. 17. *iste*: postea suum est prosecutus iter. In reditu autem, lætus admodum in eodem priori loco iterum quievit; sed quo eventu? per noctem integram luctatus fuit cum Angelo: hanc autem visionem
Gen. 32. v. 39. enarraturus, *Vidi*, inquit, *Dominum facie ad faciem.* Heus Patriarcha sancte, errorem mihi commisisse videris; nunquid
De visione Jacob. tu primâ vice conspexisti cœlum apertum, & scalam per quam gradiebantur angeli,
§ 14. in vertice cujus requiescebat DEUS? ita; quid in vice hac secunda vidisti? non aliud præter Angelum, qui te provocavit ad luctam. Siccine? quare ergo dicis, te vidisse DEUM in secunda vice, non autem in prima? in prima enim vice Deum vidisti & non secunda.

XII. Dubium hoc pro solutione sui mandat, ut sacra cantica adeamus, & lustremus textum illum, qui cœlestem sponsum, animæ sanctæ loquentem ita introducit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* quàm decori sunt, ô sponsa nobilis, gressus tui? Cant. 7. v. 1. incessus tuus docet me, te magni Principis Dei filium esse. Quis erat ille gradiendi decor in sponsa, vi cujus dignoscebatur esse filia Dei? S. Joannes in Apocalypsi sua, difficultatem hanc enodavit, ubi de eadem sponsa tractans, dicit: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* Apoc. 12. v. 1. Notate bene, non dici; mulierem fuisse indutam lunâ; non, sed mulierem ambulasse supra lunam. Luna, secundum Astrologos, corpus est sphæricum; pedis autem pars inferior corpus planum est: hoc supposito, memorandam cum Philosophis; quòd *corpus perfectè sphæricum, positum supra corpus perfectè planum, & è contra, se tangunt in puncto.* Sponsum itaque gradi super rotunditatem lunæ, idem erat, ac dicere; eam vix bona attingere sublunaria. Sponsa, bona quidem hæc videbat, sed eadem aspernando, sub pedibus calcabat. Itane? subinfert sponsus; meritò igitur dixerim: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* Quandoquidem tu bona hæc mundana vides, & nihilominus sub pedibus calcas, floccique æstimas, inde concludo, te magni Principis Dei filiam esse.

XIII. At quare soli isti, filii sunt Dei, qui oculos non conjiciunt in bona terrena? pro hujus dubii enodatione, Theologiam requiramus oportet. Quærunt Intelligentes in materia de Trinitate: *An Verbum procedat ex cognitione creaturarum?* Quæstio Theol. & quantumvis Angelicus Doctor affirmet, quia scilicet Verbum Filius procedit à Deo per cognitionem comprehensivam, quæ simul includit creaturas; nihilomi-

lominus subtilissimus Scotus sustinet, quòd Pater æternus, generans Verbum suum filium, non consideret creaturas; inque sui favorem, authoritatem citat S. Anselmi, dicentis: *Verbum divinum non est verbum creaturarum.* Quem loquendi modum clarius, & juxta sensum, S. Thomæ minimè contrarium explanaturi, dicere possumus liberè, quòd Pater æternus per cognitionem comprehensivam, videat se & omnia attributa sua, insuper & creaturas; non tamen ideo generat verbum *ex vi cognitionis creaturarum*; id est, non generat Verbum, quia videt creaturas, sed tantum, quia divinam videt essentiam: & si per impossibile non videret divinam essentiam, sed solas creaturas, in hoc casu non produceret Verbum divinum, ita ut Verbum divinum, Filius Patris non desinat esse ideo, quia scilicet Pater non videret creaturas. Bene itaque affirmat sponsus cœlestis, eos esse Filios Dei, qui oculum non defigunt in hæc bona temporalia; aut qui videntes ea oculo corporis, oculum iis subtrahunt affectus; tales vident se & oculos habent, sed in ordine ad bona mundana, voluntarii sunt cæci.

S. Ansel.

XIV. Nunc ad Jacob gressum relegamus. Cur putatis, primâ vice ab eo visum non fuisse Deum, licet hic sese in vertice scalæ videndum exhiberet? scitisne, quare? quia pro tunc jacebat prostratus in terra; qui autem super terram prostratus hæret, toto corpore is occupat & complectitur terram; qui terræ unitus est, terramque videt, talis à Dei visione arcetur. Redux porro Deum vidisse dicitur, quia tunc colluctans cum Angelo in solo pedum puncto attigerat terram. Quisquis à terra semotus est neque eam videt, talis Deum videt.

Extensus in terra, non videt Deum.

§. II.

XV. Si itaque ille, qui terram non tangit, adeo est perspicax, quid de cæco voluntario affirmabimus? qui corporis oculo bona quidem terrena videt, sed per animum ab iis longè est remotissimus? talis nomine cæcus est, sed in rei veritate tantæ est perspicacitatis, ut, quia mundum videre abnuit, eo ipso omnia videat: adeoque primum hoc punctum accommodè ita concluserim; cæcum natum esse satis superque venustum, quia creatura DEI est; magis decorum esse illum, cui cæcitas obtigit per infirmitatem, utpote prædestinatum & dilectum à DEO; omnium autem pulcherrimum esse cæcum voluntarium, utpote Dei filium.

Cæcus voluntarius perspicacissimus.

XI. Si autem adeo venustus est & perspicax cæcus, oculis orbus, quid statuendum de illo, qui oculos habet conspersus luto? homo cum lutosis oculis? excellentius profectò dici non potest; nimis quàm decorus & venustus est ille præ omnibus aliis, totoque eo tempore, quo lutum super oculos gerit, thesaurum possidet adeo pretiosum, ut, si ipse Deus vendibilis esset, certissimè compararet eum; pro cujus asserti fundamento, vos ego interrogo ô Theologi, quot sunt causæ, à quibus, dependet homo? vos quatuor esse respondetis: quarum prima sit causa efficiens, scilicet Deus: *Fecit Deus hominem*: Secunda, finalis? scilicet gloria Dei: *Creavit Deus hominem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidendo frueretur.* Tertia est causa formalis, nimirum anima rationalis, flatus divinus: *Inspiravit Deus in faciem hominis, spiraculum vitæ.* Ultima est causa materialis, nempe lutum: *Formavit Deus homi-*

Lutum in oculis venustas summa.

Homo à 4. causis dependet.

Gen. 1. v. 24.

Gen. 2. §. 7.

ibid.

hominem de limo terræ: hoc quaternario numero præmisso, est, cur indagem curiosius, quæ harum quatuor causarum pretiosior sit & venustior? Scitisne, quæ? lutum: Sed quomodo? ergone lutum nobilius est animâ? pretiosius gloriâ? ipso venustius Deo? notate, quòd dupliciter homo possit lutum superimponere oculis suis: primò, recordando mortis sibi imminentis, suique à morte in lutum conversionis; quam mortis memoriam pro secunda hujus discursus parte reservabimus. Secundò potest homo oculis suis superimponere lutum, considerando suam ex luto compactionem, suamque actualem, quæ nil nisi terra est, perpendendo substantiam; quæ est cognitio suiipsius. Hæc ipsa cognitio thesaurus est incomparabilis, vi cujus homo animam suam omnibus potest locupletare bonis, gaudium obtinere gloriæ, & viva denique imago evadere Dei trini & unius. Ne à dictis sensum abstrahatis ô Auditores.

Lutum 2. potest imponi oculis.

XVII. Equidem quid optatis? quandam fortasse consequi paradisi scientiam, aut gaudium adipisci gloriæ cœlestis? lutum oculis, vel oculos applicate luto; & erit, quod desideratis. Nunquam satis obstupescere potui, quoties actionem consideravi hodiernam. Volens Christus visum restituere cæco, apposuit lutum oculis ejus, dicente Evangelistâ: *Fecit lutum ex sputo, & linivit oculos cæci nati.* O Deus! quid luto ad oculos cæci? lutum applicatum oculis cujuscunque videntis, inducit noctem ei & tenebras, quantò magis respectu excæcati?

XVIII. Speculantur aliqui, Christum in hoc facto imitatum fuisse artem sartoris cujuscunque; qui sericam restauraturus vestem, non pannum adhibet aut aliam de canabe materiam; neque è converso pro resarcienda veste laneâ, pannum impendit subtilem aut sericum; sed particulis utitur ejusdem cum veste materiæ. Nunc igitur de quo panno formata est natura humana? de luto: *Formavit Deus hominem de limo terræ*; fracta erat cæci hujus vestis, utpote deficiente oculorum lumine; volens itaque, Christus defectum istum redintegrare, detur, inquit, aliquid ejusdem panni, lutum applicetur oculis cæci, ipseque visum recipiet; ideoque *fecit lutum ex sputo, & linivit oculos cæci nati.* Insignis verè speculatio.

Christus imitatus sartorem.

Gen. 2. v. 7.

Ioa. 9. v. 6.

XIX. Alii subtiliori explanationi insistentes, cum S. Ambrosio, dicunt, Christum non alio fine illuminationi cæci lutum adhibuisse, quàm ut doceret, totum hunc mundũ, quantus quantus est, totum lutum esse & terram; nostis utique, perspicilia dari rubra & viridia; quidquid autem per illa videtur, viride apparet aut rubrum: ut igitur cæcus totum hanc mundi machinam, omnesque in eo res contentas videre posset, Christus duo ei impertiit perspicilia, non ex alia quam ex lutosa materia fabricata; ut, quidquid imposterum cæcus visurus esset, istud non aliter quàm terram æstimaret ac lutum. Et in rei veritate, quid sunt omnes mundi magnificentiæ, pompæ & thesauri, præter lutum? respondeat nobis Jeremias, quid hisce cum perspiciliis mundum vice quâdam contemplans, viderit: *Aspexi terram*, inquit, *& ecce omnia vacua & nihil.* Docta valde est expositio ista.

Totus mundus lutum est.

Ier. 4. v. 23.

XX. Sed omnes superat magni P. Augustini glossa, dicentis; CHRISTUM mediante luto visum voluisse restituere cæco, ut doceret nos, quòd sicut lutum, oculis cæci nati applicatum, unicum fuit recuperandæ corporalis visio-

visionis remedium; ita quoque idem lutum, oculis mentalibus peccatoris, per peccatum cæci, admotum, futurum sit efficacissimum spiritualem visionem & Paradisi scientiam obtinendi remedium. Probemus intentum. Sapiens in Ecclesiastico, *sapientis oculi*, inquit, *in capite ejus.* Verus ille est sapiens, qui oculos habet in capite; quomodo in capite? nunquid vidit quispiam ullum, oculos habentem in pedibus? non; pro explicatione hujus sciendum est, in scriptura sacra *caput* quandoque idem dici, quod *principium*: prout in Ps. 39. ubi vulgata legit: *In capite libri scriptum est de me*: Titelmannus & alii vertunt: *In principio libri psalmorum*: dum igitur Salomon dicit: *Sapientis oculi in capite ejus*: idem est, ac si diceret: *Sapientis oculi in principio ejus.* Ille veraciter scientiæ paradisiacæ possessor dici potest, qui oculos suos indesinenter habet in principio suo: quodnam est principium istud? nonne jam intellexistis? lutum: *Formavit Deus hominem de limo terræ*; quisquis igitur oculos habuerit luto infixos, verè sapiens erit; talis indubitanter Paradisi consequetur scientiam, & consequenter gaudia cœlestia.

Eccle. 2. v. 14.

Ps. 39. v. 8.

Gen. 2. v. 7.

XXI. Eminentius dico: quisquis oculos suos habuerit infixos luto, aut lutum affixum oculis, vivum evadet, Dei repræsentativum Speculum: suffragemini probationi meæ vos ô patres Spirituales. Postquam Deus ingentem hanc mundi machinam creasset; tandem hominem quoque creaturus, manum admovit operi, &, ut textus docet, creavit illum de luto: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* O sancte DEUS! homo formatus de terra? homo, cujus anima Angelis cognata? *Minuisti eum paulominus ab Angelis*: illene corpus habebit, ex luto compositum? difficultas hujus textus versatur principaliter in eo; DEUS hominem creaturus, concluserat eum ad sui similitudinem efformare; & in effectu ita præstitit; dicente scriprurâ; *Formavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*; rationem exposco supreme Deus, an igitur nescis, ad similitudinem tuam efformatum? scio; quare ergo tu illum de terra plasmasti? quæ comparatio inter DEUM & terram?

Lutum in oculis speculum Dei.

Gen. 2. v. 7.

Ps. 8. v. 6.

Gen 1. v. 27.

§. 24.

XXII. Elucidemus dubium hocce per aliud. In libro sapientiæ, DEO incarnato titulus tribuitur tam proportionatus, quàm extraordinarius, in sequentibus verbis: *Candor est lucis æternæ, & speculum Dei majestatis?* Deus incarnatus, æternæ lucis candor est, & supreme majestatis speculum: prima verba intelligo, sed ultima non capio. Christus speculum majestatis paternæ? quot sunt in Christo naturæ? duæ; forsitan natura divina Christi dici poterit speculum esse majestatis patris? minimè; semper enim natura speculi differt à natura objecti, quod repræsentat; Christus autem secundum naturam divinam, non discrepat in natnra à patre. Forsan humana Christi natura speculum patris nuncupabitur? minus; quia juxta notissimum universalis scholæ principium: *Res inferioris ordinis non potest repræsentare id, quod est ordinis superioris*: natura verò humana Christi est finita, & natura divina est infinita; *Finiti ad infinitum nulla est proportio*: ideoque sanctus Thomas docet, quòd *neque de facto, neque de potentia*

Sap. 7. v. 26.

Non datur species repræsentativa Dei.

Dei potest dari species creata, quæ repræsentet Deum. Si se res ita habet quomodo ergo verificatur dictum Sapientis, dum ait; quòd Christus speculum sit majestatis paternæ?

XXIII. Circa materiam speculorum facile nos instruent mulieres: dicite vos mihi dilectæ matres, virtute cujus, crystallus speculi subit officium? quid collocatur retro crystallum? respondebitis esse certum quendam pulverem ex stanno; ita ut crystallus sine pulvere quidem fulgeat, sed speculi non impleat officium; quando autem retro crystallum applicatur dictus ex stagno pulvis, non modò perfectam induit lucem, sed in speculum evadit, quod vivaciter repræsentet imagines objectorum. Advertitis modò, quare Christus, supremæ majestatis speculum fuerit nuncupatus? *Speculum Dei majestatis*: considerando in Christo naturam divinam; in virtute hujus dicitur crystallus lucidissima, utpote qui *lucem inhabitat inaccessibilem*; sed speculi munus non subibit: si verò perpendatur, ut pulverem naturæ humanæ, uniens cum natura divina, velut crystallo; lucidissimum denominari poterit speculum, vivaciter repræsentativum majestatis divinæ. Si difficilem mihi fidem adhibetis, audite Franconium, lib. 2. de gratia Dei ita discurrentem: *Divinitas in luto, tanquam imago in speculo refulget*: profectò nec clarius dici potuisset.

1. Tim. 6. v. 16.

Cur Deus homini animā dederit & corpus de terra.

XXIV. Ex dictis facile deducitur, quare Deus hominem ad imaginem suam efformans, animam ei rationalem & corpus terrenum tribuerit; volebat Deus, ut homo vivum evaderet majestatis creatricis speculum: *Ad imaginem & similitudinem suam*; anima crystallus erat, sine pulvere impotens repræsentare Deum; uniatur itaque, ait fabricator divinus, uniatur crystallo scilicet animæ rationali, corpus terrenum, quod vices suppleat pulveris; sicque homo citra omne dubium, viva evadet similitudo Dei; unde S. Leo inquit: *Homo carnis substantiam accepit à terra, & rationali spiritu, per insufflationem creantis animatus est; ut formam Dei in splendore animæ, & carnis humilitate, tanquam in speculi nitore servaret.*

Gen. 1. v. 27.

§. 21.

S. Leo ser. 4 de Nativ.

XXV. Homo, lutum gerens oculis affixum, non modò vivum evadit divinæ essentiæ speculum, sed insuper viva constituitur Trinitatis imago. Redeamus ad Genesin, reperturi, quòd Deus in creatione aliarum creaturarum, solummodo meminerit essentiæ; ita namque in primo die ait: *Dixit Deus; fiat lux, & facta est.* Gen. 1. v. 6.
In secundo die: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & factum est ita.* Idem in omnibus aliis diebus observare erit; at in creatione hominis, omnes tres locutæ sunt personæ, dicentes: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* v. 26.
Præter dictas, in citatis paucis verbis, aliæ sese insinuant animo meo difficultates. Prima est; quare in omnium creaturarum, imò & angelorum productione, author nobis proponatur solus Deus, ut unus in essentia; in creatione autem hominis, exhibeatur ut trinus: *Faciamus*: difficilior est secunda objectio, scilicet: quandoquidem ad sanctissimæ Trinitatis imaginem & similitudinem formatus est homo (*faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*) in quo assimilabitur sanctissimæ Trinitati? in quo? nonne homo de luto formatus est? ita nihilominus dico: in virtute luti potest homo, Patri, Filio & spiritui sancto assimilari.

Homo per lutosos oculos imago fit Trinitatis

Patri

Patris XXVI. Patri æqualem vultis? vos veritatem hanc evincite ò docti. Quot & quales sunt operationes Dei ad intra? vos duas esse respondetis; scilicet cognoscere & amare: non quidem illud cognoscere essentiale, quod omnibus tribus divinis personis commune est; sed cognoscere notionale, quod soli competit patri æterno: quid est rei, cognoscere illud notionale? consistit in eo, quòd Pater æternus cognoscendo semetipsum, generet Verbum Filium suum: *Pater cognoscendo se, generat Verbum*: ita ut, si vos me interrogaveritis, quæ sit propria æterni Patris operatio; respondeam ego esse cognitionem, quâ seipsum & abyssales suas perfectiones contemplatur. Quoties igitur homo suum esse, quod omnino lutum est, cognoverit, æterno Patri similis erit. Audite eximiam propositionis meæ expressivam, à Sancto Cyrillo traditam, doctrinam: *Qui seipsum novit, Deum novit; quòd si Deum novit, ei assimilabitur.* S. Cyril.

Filii XXVII. Vultisne, dicam etiam, hominem mediante terrâ, Filio constitui æqualem? in memoriam revocate eum, qui ad flumen Jordanis, quondam contigit apparatus gloriæ: stabat Christus ad pedes S. Joannis ut baptizaretur, moxque in eodem temporis puncto sese panderunt cœli, dicente scripturâ: *Cœli aperti sunt super eum*: voxque insonuit Patris, eundem Christum, suum filium declarantis: *Paterna vox audita est; hic est filius meus dilectus.* Spiritus sanctus in columbina specie descendit supra verticem Dei incarnati, ejus testificans divinitatem: *Spiritus sanctus in specie columbæ visus est.* Ipsemet Baptista eum sine mora digitis propriis designavit, verumque incarnatum Messiam esse protestatus est, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioa. I. v. 16 Quid rerum egit Christus in Jordane? ut unigenitus Dei filius, duarum divinarum personarum testimonio, publicari meruerit?

Mat. 3. v. 16. v. 17. v. 16.

XXVIII. Placitumne fuerit aliam subiungere speculationem? retro gradū feramus, ita tamen ut à Jordane non recedamus. Baptistæ pedibus Christus advolutus: *Petiit ab eo baptizari.* Quomodo? subsumit Joannes; egone creaturarum vilissima te baptizare debeo Deum? *Ego potius à te debeo baptizari*; non; replicat Christus: *Sic nos decet adimplere omnem justitiam*: quem commisit justitiæ actum Christus per suum baptismum? cui satisfecit justitiæ? ex quo formatus est homo? sæpius jam diximus, ex luto & terra: quis terræ locus? aqua. Advertite; miserabilis homo de terra plasmatus, suo in loco, id est, sub aquis subsistere debebat; sed sphæram suam supergrediens, centrum suum deseruit, supraque omnes Angelorum choros ambitiosus, Dei æqualitatem affectavit: *Eritis sicut Dii*: indignabundum ad hæc cœlum; quis, inquit, disordo iste? necessum est, in mundum transeat Dei filius, seque loco hominis submittat aquis, ut ita satisfiat divinæ justitiæ; abit igitur Christus ad Jordanem, seque humiliter aquis immergens, vultum suum reclinavit super terram. Itane? inquit Pater æternus; Christus rex cœli sese cum terra univit? ipse verè ideo meus est filius: *Hic est Filius meus dilectus.*

Matt. 3. v. 13. v. 14. v. 15. Gen. 3. v. 4

XXIX. Præstolamini indubiè, ut nunc etiam demonstrem, quòd Christianus mediante terrâ, viva evadat Spiritus sancti imago. Adeste ò docti & discutite mecum, quæ sit propria Spiritus sancti operatio? Patri æterno propria est cognitio Et Spiritus sancti.

cio notionalis, vi cujus persona illa divina producitur, quæ est Verbum; Filio & Patri propria operatio competit, consistens in mutuo amore, vi cujus producitur infinitus amor, qui est Spiritus sanctus; Spiritus autem sanctus nullam habet ad intra operationem propriam, sed ad extra eandem sibi operationem appropriat, per quam una producitur persona divina; quæ porro hæc est operatio? incarnatio; propter quod in symbolo dicitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto.* Ita ut, æterno Patre, pro operatione propriâ, sui ipsius habente cognitionem, per quam producit Verbum, filium suum; & Filio cum Patre pro operatione sua habente amorem, per quam producunt Spiritum sanctum, Spiritus S. pro operatione propria habeat incarnationẽ, qua producitur una persona divina, quę est Christus. In quo cõsistit incarnatio? discite hodie lectionẽ quandam Theologicam, ut autem, quid rei sit incarnatio, intelligatur, cæci hodierni sanationem contemplemur oportet. Quis credidisset unquam, in hujus evangelici cæci illuminatione designatam fuisse incarnationem? quid fecit Christus, cæco visum imperiturus? Sancto Joanne teste: *Exspuit in terram, fecit lutum ex sputo, & linivit oculos cæci nati:* Spuit in terram, exque sputo, & terra lutum fecit, quo oculis cæci imposito, visum ei contulit. Homo per peccatum suum originale cœcus erat; ideoque unus pro omnibus dicebat: *Illuminare Domine his, qui in tenebris & umbra mortis sedent.* Deus pietate victus, spuit in terram, lutumque formavit, per quod lucem impertiit universo generi humano. Sputum in latino sermone, dicitur alio nomine *saliva saliva*; *saliva derivatur à sale*; Sal sapientiam denotat æterni Patris, id est, Verbum æternum; sicut enim sputum formatur in cerebro, & exit per os; ita Verbum in mente Patris generatum, exiit per os ejus, juxta quod ipsummet hisce verbis attestatur: *Ego ex ore Altissimi prodivi*: pulvis verò est natura humana, cui dicitur: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Et iterum: *Recordatus est, quoniam pulvis sumus.* Tunc sputum cecidit in pulverem, quando *Verbum caro factum est.* Et sicuti ex sputo & pulvere consurgit lutum, ita ex Verbo divino & naturâ humanâ Christus, qui de seipso dicit: *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me.* In virtute istius luti lux obtigit universis, unde Christus hodie attestatur, dicens: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Incarnatio itaque non est aliud, quàm unio divinæ personæ cum terra naturæ humanæ; cùm autem incarnatio, sit propria Spiritus sancti operatio, necessum est dicere, propriam esse Spiritus sancti operationem, unire res supremas & cœlestes cum pulvere naturæ humanæ: quotiescunque igitur Christianus actiones mentis suæ cum terra unierit, toties sese Spiritui sancto assimilabit. O immensum terræ pretium!

Spiritus S. ad intra non habet propriam operationem.

Ioa 9. v. 6.

Luc. 1. v. 79.

Ecli 24. v. 5.

Gen. 3. v. 19.

Ps. 102. v. 14.

Ioa. 1. v. 14

Iob. 10. v. 9

Ioa. 9. v. 5.

XXX. Ex omnibus huc usque dictis eruamus argumentum, ad statuendam denique conclusionem, quæ ad problematis nostri responsum deserviet. Cæcus à nativitate satis superque venustus est, quia creatura Dei est; formosior est cæcus, per infirmitatem talis, quia prædestinatus est; omnium autem formosissimus, est cæcus voluntarius, quia Dei filius est: ecce majorem. Cæcus, qui oculos habet luto contaminatos, adeo pulcher est, ut viva sit Dei trini & unius imago: ecce minorem. Vos consequen-

Resolu. probl.

ſequentiam modò inferatis, & conformiter judicio veſtro reſolvatis; quando ſit homo coram Deo venuſtior; an, dum ſe videt ſine oculis cæcus, aut verò quando oculos habet luto conſpurcatos: mei nunc muneris erit poſt diſcurſum de cæco vidente, obiter tranſire ad mortuum viventem. Interea clementiſſimos vos exhibete per charitatem aliquam, pauperculis iſtis, mihique indulgete, ut reſpirem.

PARS SECUNDA.

XXXI. CRas nobis Eccleſia exhibebit mortuum quendam, unicum viduæ matris filium. Defunctus ille, Auguſtinus eſt, ſectæ Manichæorum immortuus, vi autem lacrymarum viduæ matris Sanctæ Monicæ, ad vitam revocatus. Difficile vobis exhibebo problema, ſcilicet: quodnam prodigium ſit mirabilius; aut quòd virguncula Sancta Maria, in virtute Spiritus ſancti generârit Chriſtum Deum; aut quòd una vidua Sancta Monica, vi lacrymarum ſuarum S. generarit Auguſtinum.

XXXII. Poſtquam cæcum vidimus videntem, dignoſcamus modò parumper, quiſnam ſit mortuus ille vivens. Dixi vobis, lutum duplici modo poſſe applicari oculis; primum modum jam didiciſtis, proinde lubet tranſire ad ſecundum. Fidelis, lutum apponens oculis, conſiderando infallibilitatem mortis ſuæ, & à morte, ſui in terram converſionem, vivit, quantumvis mortuus ſit; hæcque mortis memoria non modò præſervativum ei confert contra mortem antidotum; ſed etiam, ſi talis forte in anima per peccatum mortuus foret, primò illi vitam gratiæ, deinde gloriæ, imò vitam largitur divinam; quiſquis autem ſtante mortis memoriâ, non vivit nec emendatur; perditum talem ac damnatum eſſe judicate. Semper ego interitum ſtupui traditoris Judæ; equidem verum eſt, grave ab eo commiſſum fuiſſe ſcelus & ſacrilegium in traditione ſui magiſtri; nihilominus etiam veriſſimum eſt, *Mat.27.*
ipſum poſtea erroris pœnituiſſe: *Pœnitentiâ ductus*; flagitium ſuum agnoviſſe: *v.3.*
Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. imò & *v.4.*
reſtitutionem ablatæ pecuniæ feciſſe: *Retulit 30. argenteos*: Nihilominus deſperans, damnatus fuit: *Suſpenſus crepuit medius*. Cur non vixit, ſed ſuſpenſus crepuit medius Judas & periit? Cur Iudas damnatus *v.§.42.* *v.3.* *v.5.* *§.42.*

XXXIII. Pro hujus dubii conſequenda ſolutione, ne vobis moleſtus videar, ſi breviter demonſtraverim; quanta ſit memoriæ mortis efficacia, ad conſervandum hominem in vita & præſervandum à peccatis.

XXXIV. S. Propheta Job in c. 17. de *Iob.17.v.2*
ſe proteſtatur, dicens: *Non peccavi; & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Quomodo aliquis ſanctus, aut quiſquis demum fuerit, ſaltem ſine umbra mendacii *1. Ioa.1.*
aſſerere poterit? *Non peccavi.* Nonne *v.8.*
S. Joannes teſtificatur? *Si dixerimus, peccatum nos non habere, mendacem facimus eum.* Imò ipſemet Job nonne alibi dicit? *Nemo* *Iob.17.v.1*
mundus à ſorde: quomodo ergò modò dicit? *Non peccavi.* Attendite, quid præmiſerat: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & ſolum mihi supereſt ſepulchrum.* Itane? ergo Job oculis ſuis lutum applicavit? oculos ſuos morti & ſepulchro intentos habet, quid igitur mirum, ſi peccata ſe habere neget; audite ſanctum Gregorium: Meditans mortem nequit peccare.

Quia

S. Greg. *Quia prius dixerat sibi superesse sepulchrum, ideo qui peccata commiserat, se dicit non peccasse.*

XXXV. Equidem quis mori posset, pôpis, intent' mundanis, si meminerit mortis? observastisne aliquando illud, q; de Magdalena traditur investigante mortuũ Salvatoris corpus? venit ad monumentum, ubi à duobus Angelis, in sepulchro residentibus sollicitatur illicò: *Quem quæris mulier?* respondit illa: *Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum:* quo dicto, respiciens retro, hortulanum vidit, ad quem protinus illa: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Imperfectioris mihi videris esse judicii ô Magdalena; nunquid non corpus Christi inquiris? ita; quare igitur hortulanum sollicitas, foris & procul à monumento existentem, Angelos autem in silentio præteris, in ipso sepulchro repertos? Ne me mulierem exigui judicii reputaveritis, (respondet Magdalena) Angeli in monumento egregiè erant vestiti: *In vestibus albis:* qui pomposè splendidèque vestiti sunt, corpus mortuum minimè possident; impossibile est, ut memoriæ mortis cogitationes associentur de fovenda vanitate; ideoque, quia hortulanum vidi miserè vestitum, adducta fui ut crederem, apud eum reservari corpus mortuum magistri mei; ideoque S. Chrysostomus ait: *Non petiit ab Angelis corpus dominicum, quia in illis præclarum habitum viderat.*

Nec pompis trahitur mundi.

Ioa. 20. v. 13.

v. 15.

v. 12.

S. Chrys.

XXXVI. Impossibile est, ut is, qui mortis memoriam habet, cum desiderio feratur in vanitates mundanas. Moriebatur Rex David præ nimio desiderio bibendi aquam de lacu bethlemitico; quibus evisceratus suspiriis, exclamabat: *O si quis mihi daret aquam de cisterna, quæ est in Bethlehem?* & ecce subitò tres fortissimi heroes *perrexerunt per media castra Philisthinorum,* procuraturi optatam adeo à Rege aquam; aquam hauserunt, eâdemque viâ, quâ venerant, reduces, per medium inimicorum exercitum perrumpentes, aquam regi attulerunt; David autem *noluit bibere.* O sancte rex, cur adeo à te expetitam & tanto mortis periculo obtentam aquam aspernaris? non erat possibile, inquit S. Ambrosius, ut David aquam illam gustaret; eo enim ipso, quo eam cum mortis periculo allecutus est, gustare illam recusavit: *Suavitatem bibendi habere non poterat, quæ proposita mortis horrore constabat.*

2. Reg. 23. v. 15.

v. 16.

S. Ambr.

XXXVII. Ex quibus facile deduxeritis nimiæ causam contrarietatis: quæ fuit inter populum Dei, de Ægypto exeuntem, & Moysen, ejusdem antesignanum: Moysis enim animus semper erat in divino servitio constans; Hebræi autem, vix de Ægypto exierant, quin ecce subitò, in mille corruerunt errores. *Vnde tanti discriminis ratio?* Exclamat doctus quidam Pater, scitisne, unde proveniat? pervolvite cap. 13. lib. Exodi, & reperietis, quòd Hebræi *exierunt cum auro & argento,* De Moyse autem dicitur: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum.* Itane? dicit Lippomanus, Moyses lutum oculis suis applicavit, tulit secum ossa mortui, quomodo igitur possibile erat, eum mori aut in peccatum corruere? impossibile erat. *Vbi Iudæi* inquit Lippomanus, *infantibus similes, aurum atque argentum detulerunt, Moyses intemerati animi vir, ossa Ioseph deportavit.*

Exod. 12. v. 36.

Exod. 13. v. 19.

Lippom.

XXXVIII. Memoria mortis, non modò est præservativa contra mortem medicina, sed etiam efficacissimum omnium remedium, ut Christianus in peccato mortuus reviviscat, nempe si oculis applicet lutum, perpendendo debitum mortis

mortis suæ. Revocate hîc in memoriam, mysteriosam illam, quam S. Joannes in cap. 6. Apocalypseos suæ, habuit visionem quatuor equitum, quatuor insidentium equis, quorum primus erat albus: *Ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum.* Secundus erat rubeus: *Ecce equus rufus, & qui sedebat super eum, habebat gladium:* tertius erat niger. *Ecce equus niger, & qui sedebat super eum, habebat stateram.* Ultimus erat pallidus: *Et qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Albertus magnus hunc textum explanans, dicit in serm. 47. per hos equos intelligi peccatores, in ipsis autem equitibus varietatem designari mediorum, quæ Deus ad convertendos illos adhibet. Ex hisce grave sequens elicio dubium: insidens equo albo nitidissimam significat Christi humanitatem; per insessorem rubri, sanguis eius pretiosissimus; per insessorem nigri amarissima ejus passio denotatur, per insessorem denique pallidi equi, insinuatur mors, prout ex proprio ejus nomine constat. Vos modò interrogo ego: quodnam remediū serviet efficacissimè ad resuscitandum peccatorem, vitamque ei gratiarum conferendam? pretiosus Christi sanguis, acerbissima ejus passio, vel mors? Contemplemini quatuor equos peccatorum figuram; quis inter eos reliquis mortificatior? observate accuratè: nunquid solus pallidus? ita; ast quare solus ille, adeo est exhaustus macieque contabescens? ratio in promptu est; quis insidebat illi? mors. Liberè itaque concludere possumus, quòd mediorum omnium efficacissimum sit mors; omnium dico mediorum, quæ Deus conferre potest ad vivificandum in gratia peccatorem, in peccatis mortuum. *Equus*, dicit Albertus Magnus, *Super quem est mors, pallidus, quia sola mors pallidos facit peccatores.*

Apoc. 6. v. 2.

Ambr.

Alb. M.

XXX. Quid porro ego de peccatoribus statuam? ipsemet diabolus cruciatur, se solum inter mortuos reperiendo. Christo venienti in Genezareth, teste sancto Matthæo; *occurrerunt ei duo dæmonia habentes.* Duæ mihi hoc in loco sese ingerunt difficultates; prima fundatur in verbo illo: *Occurrerunt:* ergone diaboli Christo obviam procedunt? & tamen unus in deserto dæmon nonne à Christo in deserto adorari prætendit? ita sanè: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Quomodo igitur modò tanta cum submissione & mansuetudine, dæmones duo Christo obviam vadunt? altera difficultas sese tenet penes sequentia verba: *Duo dæmonia habentes.* Dum diabolus corpus intrat humanum, quis est obsessus, quis tyrannus? citra omne dubium miser homo torquetur, & dæmon est, qui torquet ac cruciat; quomodo igitur nunc verificatur? *Duo dæmonia habentes.* Dixisset potius Evangelista: *Dæmonia duos homines habentia.* Non enim homines dæmoniis, sed dæmonia dominabantur hominibus. Non, ait Sanctus Matthæus, dæmonia torquebantur, homines autem torquebant. Si ita, replicate utramque à me propositam difficultatem: quare diaboli obviam ierunt Christo? cur iidem, qui antea homines cruciabant, modò dicuntur ab hominibus torqueri, attendite, unde venerint, ex quo loco processerint dæmonia ista: *De monumentis exeuntes*: itane? *de monumentis*? diaboli ergo isti ex sepulturis veniebant? minimè itaque admiranda est hæc diabolorum, Christo obviam procedentium submissio, neque subitanea metamorphosis illa, quâ captivi evasere dæmones,

Matt. 8. v. 28.

Matt. 4. v. 9.

Sepulchri præsentia ipsum cruciat dæmonē.

Mat. 8. v. 28.

mones, qui captivos invaserant homines. Conceptus hic est excellens, sancti Patris Chrysologi, dignus subtilitate, inquientis: *Dæmoniaci exierunt de monumentis, & versa vice ferunt captivos, à quibus fuerant captivati.* Agedum Auditores, si mors, imò solus monumentorum intuitus, tantos produxit in dæmoniis effectus, quantam non causabit vitæ spiritualis perfectionem in hominibus; per peccatum mortuis?

XL. Non modò spiritualem, sed & vitam gloriosam impertit memoria mortis; imò facilius hæc, quàm ipsa Dei visio, hominem reddet gloriosum. Authenticos asserti mei testes, ipsosmet sisto angelicos spiritus. Seraphini, Deo in supernis famulantes, teste Isaiâ, stantes sunt: *Seraphim stabant super illud*; Magdalena verò, dum Christi corpus inquireret mortuum, teste S. Joanne: *Vidit duos Angelos sedentes.* Mirabilis rerum ordo; illi in sepulchro sedent Angeli, stant autem in cœlis Seraphini: an forte illi in sepulchro divinam visionem amiserant, quâ omnes fruuntur in cœlis? non; sed potius: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Cur igitur stant in cœlo angeli in præsentia Dei, & in monumento sedent? *latet mysterium*, dicit S. Thomas, *cur Angeli in monumento Deum videntes, non assurgunt, sicut cæteri, qui Deum vident in cœlis.* Non abs re fuerit, mysterium hoc exemplo aliquo declarare. Stant V.G. multi coram rege aulici, sed omnes discooperti capite, solis exceptis magnatibus Hispaniæ, qui in virtute specialis privilegii, in præsentia regali subsistunt, capitibus coopertis. Ita quoque omnes in cœlo Seraphini & Angeli, corā Deo stantes sunt in cœlo; at illi, qui in sepulchris degunt, quantacunque gaudeant Dei præsentiâ, nihilominus per monumenti incolatum speciale sibi acquirunt sedendi privilegium; tam enim est præstans vel sola mortis visio, ut nescio quam, omni ei impertiat gloriam, quisquis eam frequentat & continuat in mente sua.

Mem. mortis dat vitam gloriosam

Isa. 6. v. 2.

Ioa. 20. v. 12.

S. Tho.

XLI. Tandem pro coronide, ultimò attingamus gradum vitæ illorum, qui in sese mortis memoriam fovent; quæ vita eorum? profectò non alia, quàm divina. Ne subduxeritis supercilia, præsto est, quæ sententiam meam stabiliat, scriptura sacra. Adam prævaricatorem, ut primùm Deus sibi obvium intuitus est, *ecce Adam*, inquit, *quasi unus ex nobis factus est.* O quàm decorus & gratiosus modò est Adam, videtur mihi omnino velut unus esse ex nobis. Quid loqueris ô Domine? Adam per peccatum brutis assimilatus est: *Comparatus jumentis insipientibus*; tu verò illum velut Deum reputas? ita. Attendite Auditores quo vestium genere induebatur Adam? pellibus animalium mortuorum: *Habebat tunicam pelliceam, id est, de pellibus mortuorum*; dicit Moyses Barcessa. Adamus mortem portabat & circumferebat secum; itane? dicebat Deus, Adam se morte circumdedit? *Ecce quasi unus ex nobis factus est.* Adam vitâ amplius non vivit ordinariâ, sed, dum mortem sibi associavit, Dei vitam inchoavit.

Et divinā.

Gen. 3. v. 22.

Ps. 48. v. 13.

Gen. 3. v. 21.

XLII. Satis superque modò intelligitis, cur perierit Judas; stante ad Christi pedes Magdalenâ cum vasculo unguentario, murmurare cœpit Judas, dicens: *Vt quid perditio hæc? poterat unguentum istud venundari multo, & dari pauperibus*; respondit ei Christus, acquiesce Juda: *Bonum opus operata est in me*; Magdalenæ actio bona est, quia *hoc ad sepeliendum me fecit.* Mihi moriendum est, & post mortem sepulturæ tradar; Magdalena unguentum in diem mortis meæ comparavit. Vix Chri-

§. 32.

Mat. 26. v. 8.

v. 10.

v. 12.

Christus mentionem ingesserat mortis; v.14. & ecce: *Tunc abiit, Iudas*: notate, *Tunc*. Quando? quando Christus egerat de morte. In eo momento Judas non modò non emendatus fuit, sed potius *tunc abiit* Act.1.v.18 & traditionem moliri cœpit; ideoque periit & damnatus est: *Suspensus crepuit medius.* Quis non admiretur & obstupescat? O Deum immortalem! si tanta est memoriæ mortis efficacia, tu Christiane cur eam negligis? Adam, portando animalium mortuorum pellem, reputatus est quasi Deus quidam terrestris: tu autem ô homo quis es? nonne terra? ita; unde igitur tanta tibi superbia? ubi pater, ubi mater tua? descende mentaliter in sepulchrum istud, vide, discute, pondera sollicitè; quid videbis? nisi omnes majores tuos in pugnum evanuisse exilis terræ? & tu post breve tempus quid eris? nonne idem, quod illi? ita; cur tanta itaque flagitia? Agedum ô Christiane, lutum applica oculis tuis, aut animæ oculum conjice in terram, & agnosce, quia terra es, & subitò in terram transmutaberis: consideratio ista vitam tibi gratiæ in mundo præsenti, & gloriæ impertiet in futuro; *quam mihi & vobis omnibus &c.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE JOVIS, POST DOMINICAM QUARTAM Quadragesimæ.

DISCURSUS

De gloriosa vidua S. Monica, spiritualem Augustini in Manichæorum secta, mortem deplorante; item de prærogativis eorum, qui se cingulis sacris præcinxerunt.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat; quam cum vidisset Dominus, dixit illi: noli flere. Luc. 7. v. 12. 13.

PROBLEMA

Utrum sit prodigium magis stupendum; scilicet quòd Virgo S. Maria, obumbrante Spiritu sancto, pepererit Christum Deum: vel quòd vidua Monica, vi lacrymarum suarum, generaverit Augustinum sanctum?

INTRODUCTIO.

I.

INdubitatum est, ut heri intellexistis, inter omnes humani corporis partes, pre reliquis in dignitate & venustate excellere oculos; modo subjungo & dico, prin-

cipaliorem oculorum effectum, & inter omnes alios laude dignissimum, esse planctum; de oculis autem ipsis plangentibus quid statuemus, quosnam eorum digniores & prætiosiores esse concludemus? Tres ego hodie contemplor viduas matres, omnesque tres plangentes; primam in Naim, secundam in Tagaste, tertiam in Christianismo; matrem in Naim, antonomasticè nuncupatam, viduam; in Tagaste gloriosam matrem meam, sanctam Monicam; in Christianismo, Catholicam matrem sanctam Ecclesiam: viduam in Naim, unicum suum plangentem filium; in Tagaste sanctam Monicam, deplorantem Augustinum; in Christianismo sanctam Ecclesiam, deflentem peccatores. Viduam in Naim, unicum suum plangentem filium, mortuum corporaliter; in Tagaste sanctam Monicam, deplorantem Augustinum, mortuum in fide; in Christianismo sanctam Ecclesiam, suspiriis prosequentem & gemitibus peccatorem, vitâ privatum spirituali. Ex hisce tribus matribus, hodie ego objectum eruam præsentis discursus; veruntamen & ego meæ pariter ingemiscerem ignorantiæ, nisi magnus P. Augustinus vires mihi animosque subministrasset, ut discursum duntaxat aggredi molirer, de Monica sancta, quam ipse nobis in lib. 6. Confessionum, Deo loquens, sub hac figura & forma repræsentat: *Mater mea me tanquam mortuum flebat, & ferebat, & feretro cogitationis efferebat; ut diceres, ô Deus, filio viduæ: adolescens, tibi dico, surge; & reviviſceret, & inciperet loqui; & illum matri suæ redderes.* Grates tibi ô S. Pater, qui omnem mihi difficultatem sustulisti, quam experiebar in eo, ut hodiernum evangelium matri tuæ mysticè applicarem, dum

D. Aug. l. 6. conf.

tu illud ei ad literam applicasti. Vultisne ô Auditores viduam Monicam, Augustinum deplorantem? *mater mea me tanquam mortuum flebat.* Vultis Augustinum, in feretro portatum? *Feretro cogitationis efferebat.* Eundem videre quæritis Augustinum, unicum viduæ matris filium? *Vt diceres filio viduæ.* Ecce eundem, sensibus & annis juvenem, resuscitatum & loquentem? *Adolescens, tibi dico; surge: & reviviſceret & inciperet loqui.* Quid amplius? vultis denique filium, matri suæ restitutum? *Et redderes illum matri suæ.* Quid autem hodie de Monica sancta dicemus, mortem plangente Augustini? quandoquidem illa in virtute planctus sui, Augustinum ad vitæ gratiam resuscitavit, date veniam, ut quoddam vobis problema exhibeam, nunquam propositum alias. Utrum fuit prodigium majus, quòd Virgo Maria in virtute Spiritus sancti genuerit Christum Deum, aut quòd vidua Monica per efficaciam lacrymarum suarum, sanctum generaverit Augustinũ? deinde ad aliud punctum progediemur, exploraturi, cur sancta Monica Augustinũ, post baptismum, cingulo pelliceo amiciri voluerit? *Veste nigrâ hic indutus, præcinctus corrigia*; quâ eâdem occasione, dum cinctorum prærogativas explicabimus, simul etiam, obiter tamen, omnium mendicantium encomia attingemus: vos interim mementote, quod, *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*: dum itaque ego discursum meum in tantarum lacrymarum solo dissaminaverim, vos fructum feratis multiplicatæ lætitiæ; interim me plangente, & de lacrymis discurrente, consolemini vos silentio. Incipiamus.

Probl.

Ps. 125. v. 5

II. A planctu exordia facturus, dico, nove annos continuos à Monica deploratam fuisse Augustini mortẽ, tot etenim annis Augustin⁹ mortu⁹ fuit in Manichæorũ secta;

9 annis Monica mortem planxit Aug.

Conc. Trid.

Ioa. 2. 12.

S. Aug. 10.

secta; sed de die in diē copiosè multiplicati materni planctus, tandem emollierunt viscera misericordiæ Christi; ita ut idemmet Jesus, *misericordiâ motus super eam*, illi submiserit Aurelianum Archiepiscopum Carthaginensem, cum hocce solatio: *Monica noli flere, fieri non potest, ut filius tantarum lacrymarum pereat.* Lacrymarum satis est ô Monica, esto bono animo; impossibile namque est, filium tuum Augustinum, tantorum filium gemituum, damnari. Difficilis sanè, ô patres Theologi, hæc est sententia; nonne verissimum, quòd, etiamsi peccator per totum vitæ suæ tempus plangeret, nunquam tamen de salutē sua securus esse possit? nemo de hac veritate Catholicus dubitat, utpote principio Theologico, à sanctis Patribus & sacris consiliis confirmato; ita Tridentinum ait: *Nemo potest esse certus, se esse in gratia.* Et Joel Propheta: *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus?* quomodo itaq; Monicæ intimatur? *Fieri non potest* &c.

Probl. Conc. Trid.

Ioa. 2. v. 12.

III. S. Pater Augustinus, in tom. 10. suorum librorum, vitam explanans matris suæ, scribit S. Monicæ planctus originem traxisse ex sancta cruce, intimè impressa cordi ejus: *Tantam copiam lacrymarum, torculari sanctæ crucis expressam; nam Dominus in corde ejus, crucem infixit & passionem*: privilegium hoc est singulare, nulli unquam concessum creaturæ; Seraphicus quidem pater S. Franciscus stigmatibus dotatus fuit, sed extrinsecè solummodo in corpore; at nunquam de alio, quam de S. Monica legitur, sacram Christi crucem & passionem, cordi ejus intrinsecè fuisse impressam. Undenam gloriosa mater rarum adeo privilegium potuit demereri?

S. Aug. to. 10.

Ps. 125. v. 5

9 annis Monica mortem planxit Aug.

IV. Hocce dubium me impellit, ut vitam S. Monicæ obiter commemorem; attamen omnis possibilis brevitatis gratiâ, nec statum ejus virginalem nec maritalem attingam, contentus hodie illud duntaxat insinuare, quod in statu egit viduali, Mortuo Patritio, marito suo vidua permansit Monica; à quo tempore, in tantum plagarum Christi cæpit exardescere amorē, ut quoties pauperes videret saucios aut vulneratos, non solum quomodo libet eis charitatem exhiberet, sed etiam plagas elueret & sanaret, contēplando in iis vulnera Redemptoris, teste S. Augustino, dum inquit: *Vt non solum eleemosinas largiter tribueret; sed & cicatrices liniret, propter quod Dominus centuplum ei reddens, crucem in corde ejus infixit & passionem.* Itane? cordi S. Monicæ crux & passio Christi impressa est? lacrymæ igitur & fletus S. Monicæ ortum traxerunt ex corde crucifixo, ex corde, quod Christi crux insignierat.

De statu viduo S. Monicæ.

V. Dicit itaque Aurelianus: agedum ô Monica, bono sis animo; mortem desine timere filii tui, quia *fieri non potest ut filius tantarum lacrymarum pereat.* Augustinum ergo virtus regeneravit lacrymarum, quæ ex crucifixo Monicæ corde promanarunt, prout ipse S. Pater in hæc verba attestatur: *De sanguine cordis matris meæ, per lacrymas ejus, diebus ac noctibus sacrificabar tibi; & egisti mecum miris ac occultis modis.* Redeundo nunc ad propositum problema; utrum, quæro, prodigium est mirabilius? Virginem Mariam, in virtute Spiritus sancti, genuisse Christum Deum; vel Monicam viduam, efficaciâ lacrymarum suarum peperisse Augustinum sanctum?

VI. Difficile nihilominus remanet allatum dubium sine ulteriori explanatione. at si quendam Apocalypseos textum speculari voluerimus, facilis ad dubium erit responsio. Videns aquila generosa

Apoc. 12. v. 1. S. Joannes prodigium in cœlis, ait: *Signum magnum apparuit in cœlo.* O quàm stupenda res sese insinuavit in cœlo! Quid rei vidisti ô Joannes? mulierem vidi, quæ licet ex una parte, esset induta sole, calceata lunâ, coronata stellis (*Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & corona stellarum duodecim super caput ejus*) nihilominus ex alia parte, multiplicatus erat cruciata doloribus, velut cruciatuum scopus, insuperabilib⁹ undique circumdantibus pressuris: *Clamabat* v. 2. *& cruciabatur; quia habebat in utero, & erat pariens.* Misella mulier, inquit S. Joannes, quot & quantis se non reperit immersam angustiis? sed mirum hocce non sit, hi enim sunt ordinarii parturientium fœminarum dolores, & facile evanescunt superveniente novi partus lætitiâ; quia; *Cum* Ioa. 16. v. 21. *peperit mulier, non recordatur amplius dolorum ejus.* Eodem quoque tempore, ut S. Johannes subdit, sese ex opposito mulieris parturientis stitit draco quidam, septem habens capita, qui ore hiante præstolaba- Apocal. 12. v. 4. tur partum, ut devoraret eum. *Et draco magnus stetit ante mulierem, habens capita septem, ut, cum peperisset mulier, devoraret filium ejus.* Peperit tandem mulier filium masculum, futurum infinitæ gentis guberna- v. 5. torem. *Et peperit filium masculum qui recturus erat omnes gentes:* Vix filiolus natus erat, & ecce subitò usque ad Dei thronum delatus fuit: *Et raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus, mulier autem fugit in solitudinem ubi habebat locum paratum à Deo.* Scriptura ista, secundum judicium meum, excellentior est, quàm ut præstantiæ ejus æquivalere possit æqualis ponderis aurum.

Quæ sit dicta mulier. Quam æstimatis vos, eam fuisse mulierem, sole circumdatam, lunâ coruscantem pedibus, & coronatam stellis? quasi in An B. V. M. omnium sanctorum patrum sententia, per fœminam illam beatissima Virgo designatur; quæ unicum suum peperit filium, universi dominatorem mundi; ita in particulari docent S. P. meus Augustin⁹, SS. Bernardus, Chrysostom⁹, aliiq; multi. Ego nec debeo, nec possum dogmatibus contraire sanctorum; sed dico duntaxat, quòd licet sanctissima Virgo fuerit amicta sole, pedibus induta lunâ, inq; capite coronata stellis, in Christi attamen partu, nec cruciatum sensit nec dolorem; neque ei parturienti draco affuit infernalis, quia Christus, veluti non descendebat de Adamo *secundum seminalem propagationem*, & multò minus secum traxit peccatū originale; ideoq; neutiquam subject⁹ erat dæmonio infernali. Comparatio inter B. V. & S. Monicam.

VII. S. Andreas Cæsariensis & Eusebius Gallicanus per mulierem istam, sanctam An Ecclesia. intelligunt, Ecclesiam, continuò parturientem fideles infantes quidem mediante aquâ baptismali, adultos autem, inq; peccatū actuale prolapsos, medio sacramento pœnitentiæ: sicut enim dicunt patres illi ista mulier apocalyptica pariebat filium cum dolore, ita sancta quoq; Ecclesia parturit filios *in doloribus Christi*, & passionibus ejus, mediis quibus sacramenta instituta sunt, & à quibus totam suam virtutem habent: draco figura est luciferi, qui indesinenter attentus invigilat, ut Christianum devoret. Vera est expositio ista, & ad literā accomodatior, quàm prima; nihilominus adhuc restat difficultas, quia Christianus à S. Ecclesia, in virtute sacramenti generatus, non constituitur gubernator infiniti populi, qualis erat filius mulieris illius, quā S. Joannes vidit: Et peperit filium *masculum, qui recturus erat omnes gentes.*

VIII. Soli magnæ & gloriosæ matri meæ S. Monicæ applicari potest scriptura An S. Monica. ista ex integro, qui illa semper, circumamicta sanctitatis suæ splendoribus, velut gravida utero ferebat Augustinum, innu-

innumerasque sentiebat pressuras, præcipuè autem, dum videret, sectæ Manichæorum draconem inhiare ad devorandum eum; sed vi tot à se profusarum lacrymarum, tandum peperit filium, qui postea magnæ reipublicæ eremiticæ exstitit gubernator; qui etiam, mox ut in lucem editus fuit, subitò à Deo raptus, in throno locatus est Ecclesiæ sanctæ.

Comparatio inter B.V. & S. Monicam.

IX. Hâc admissa applicatione, neutiquam nobis deficiet materia pro publicandis gloriosæ Monicæ excellentiis, nec non pro instituenda comparatione, Mariam Virginem inter, generantē Christum, & ipsam Monicam, parientē Augustinum.

X. Quid encomii attribuitur V. Mariæ? quòd *nec primam similem visa est, nec habere sequentem*; quia scilicet nunquam fuit aut erit mulier alia præter Mariam, quæ permanēs Virgo, evadat mater, & facta mater sine virili congressu generet hominem Deum; ecce vobis Monicam, de qua similiter dici potest, quòd *nec primam similem visa est, nec habere sequentem*; quis enim unquam vidit, aut videbit imposterum, quòd fœmina ulla præter Monicam, viduam unam mulierculam, in virtute lacrymarum conceperit & generarit hominem sanctum? Maria, degens in terra, insuper beata fuit, quia in puncto conceptionis Verbi, divinam transeunter vidit essentiam; ecce Monicam, quæ, dum in terris ageret, per contemplationē quoque in cœlo versata fuit, beataque exstitit; postquam enim peperisset Augustinum, divinam cum ipso Augustino vidit essentiam, ideoque de utrisque dicitur: *Attigimus illam modicè toto ictu cordis.* Progrediamur ulterius: Maria generando Christum, divina potius quàm humana reputata est, unde & à sanctis Patribus cœlum meruit nuncupari animatum: *Ave splendidum cœlum*; qui scilicet Deum, quem non capiebat cœlum, comprehendit Maria; ecce Monicam, quæ non minus propriè cælestis potius quàm divina potest nominari, quia dum Augustinum generavit in virtute lacrymarum suarum, se dignam reddit, cujus corpus sole, caput stellis & pedes exornarentur Lunâ: *Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & corona stellarum duodecim super caput ejus.* Apoc. 12. v. 1.

S. Monica vestita, &c.

XI. Dum Monicam contemplamur sole vestitam, inconveniens fuerit eam ita subitò præterire, subsistamus itaque tantisper, amictum curiosius inspecturi adeo magnificum. Quare monica sole circumdatur, habens sub pedibus lunam & coronam de stellis in capite? dici posset, ideo illam ita vestitam fuisse, ratione nobilitatis suæ; Hebræorum namque illustriores, totidem portabant stellas, in Achaia medias sub calceis circumferebant lunas, & tandem nobiliores inter Romanos, præsertim autem illi, qui ad majorem aspirabant dignitatem, togâ induebantur albâ, ad instar radiorum solis. Aut etiam, Monica sole amicta fuit, quia tota igne inflammata erat amoris Dei & proximi: *In amore Dei trini, arsit ut seraphica*; aut verò eam sole vestitā fuisse dici potest, quia renunciantem vestibus, sibi à mundo oblatis, quibus reliquæ æquales ejus, mulieres induebantur (*ipsa verò contristata respuebat*) iis, dico, renunciantem Christus insignire voluit sole.

Lunam calcat. v. 1.

XII. Habuit etiam lunam sub pedibus Monica (*Luna sub pedibus ejus*) vel quia Deus illam locare voluit supra lunam, in præmium humilitatis, utpote quæ erubescens cōsistere in Ecclesiæ publico, fuit *diu in Angulo permanens.* Vel, quia aspernando bona sublunaria, *spretis omnibus hujus mundi pompis*, meruit dominari æternis; vel

vel denique luna Ecclesiam significat (*quasi luna plena in diebus suis lucet*) Monica igitur lunam sanctæ Ecclesiæ sub pedibus detinet, quia tota Ecclesia Catholica singulariter ei obligata est, dum Augustinum generavit, Ecclesiæ Catholicæ defensorem; juxta quod Pontifex Martinus V. in sermone de Translatione D. Monicæ dicit: *Nulli pene sanctorum majora merita debemus, quàm Augustino.*

Eccl. 50. v. 6.

XIII. Tandem & S. Monica 12. fuit coronata stellis (*& corona stellarum duodecim super caput ejus*) quia 12. virtutes Christianæ, in reliquis sanctis dispersæ, unitam fecêre in S. Monicæ capite coronam. Coronam accepit Martyrii tantum, sibi à Patritio, marito suo illatarum pressurarum, quia *à Patricio viro, etsi ardente amore diligeretur; non rarò tamen afficiebatur injuriis.* Coronam possedit & raræ patientiæ, in tolerandis malis ejusdem Patricii moribus, quia *difficiles viri mores ita prudenter tolerabat, ut non modò facto, sed nec verbo quidem, ei unquam adversaretur.* Coronâ effulsit virtutis continentiæ, non modò post Patricii mortem (*Patritio viro, vitâ functo, castissimam semper vitam gessit*) sed etiam in ipsa cum marito societate, quia *vitatis molestiis matrimonii & cœlibatus, quidquid in utroque pulcherrimum erat, elegit.* Coronâ eminuit continuæ pœnitentiæ & effusionis sanguinis; quia *tantæ lacrymæ manarunt ab inflexis oculis; ut ventrem, pectus irrigarent ex profusis rivulis.* Coronam habuit perpetuæ à vino abstinentiæ & parsimoniæ in edendo; quia *à teneris annis, ita piè sanctèque educata fuit, ut etiam sobrietatis & abstinentiæ fuerit exemplum.* Coronata quoque fuit paupertate Spiritus; quia *Monicæ vilescebat mundus iste cum delectationibus suis:* corona excelluit in ea ignis charitatis in Deum (quia *mater sancta Monica in amore Dei trini arsit ut seraphica*) & charitatis seu actuum pietatis in proximum, quia *in operibus misericordiæ & charitatis, exercitam viduitatem agebat.* Angelicæ pariter virtutis cessit ei corona ad reconciliandos discordes; quia discordiam omnem ita oderat, ut omnibus diffidentib⁹ *pacificatricem se præberet*: inter alias & lauream tulit coronæ virtutis humilitas; quia *respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ, cujus filium suscepit & implevit bonis.* Coronâ quoq; sibi comparavit assiduarum precũ ad Deum, quæ *in assiduis ad Deum orationibus sedulas lacrymas effundebat.* Denique coronam ei Dominus contulit certæ ejusdam dotis beatorum, in terra; quia post sacram cōmunionem, sublevabatur à terra ultra altitudinem brachii; sicque ecstatica clamabat: *volemus in cœlum ô fratres, volemus in cœlum.* O quàm insignis est ista S. Monicæ corona.

12. habet stellas Apocal.

Angelus portat S. Sigisberto cor S. Aug.

XIV. Dixerit forte quispiam, quomodo Monica tunc temporis poterat esse coronata stellis, quo ipsa sole vestita erat? in die, splendente sole, nec luna nec stellæ comparent; & in nocte, dum luna videtur cum stellis, sol nequit videri; quomodo igitur pro eodem tempore, Monica sole fuit amicta, lunam habens sub pedibus suis & coronam stellarum in capite? Textus Græcus pro ly, *amicta sole*; legit: *mulier vestita admiratione.* q.d. quod omnia S. Monicæ opera, fuerint stupore plena, specialiter, quando regeneravit Augustinum in virtute lacrymarum, tunc enim opus peregit inexplicabilis stuporis. At si hinc ex una parte locaretur vidua Monica, vi, fletus sui generans Augustinum sanctum; ex alia verò statueretur Virgo Maria, quæ in virtute Spiritus sancti peperit Christum Deum: quodnam horum mirabilium magis sit

S. Aug. vidit Deum in ripa maris.

Apoc. 12. v. 1.

Quomodo cor S. Aug. reliquiarium SS. Trin.

sit obstupescendum? Ad obtinendam magni hujus dubii enodationem, videamus ante, quis fuerit Christus, filius Mariæ, & quis quidve fuerit Augustinus, generatus vi lacrymarum S. Monicæ? Christum, filium Mariæ, nemo nescit, verum fuisse & esse Deum.

XV. Date veniam, ut, quid Augustinus fuerit à Monica regeneratus, dignoscamus. Teste Ambrosio Corano, Episcopus Sigisbertus S. Augustino devotissimus erat, ita ut ex nimia, quâ in sanctum ferebatur pietate, unam de ejus reliquiis sibi enixè desideraret, misit ei itaque Deus die quodam Angelum, qui ipsi cor traderet S. Augustini, cum sequentibus verbis; *Accipe ô Sigisberte thesaurum Ecclesiæ, & reliquiarium sanctissimæ Trinitatis, in quo pignoratus est Dominus.* Tria hîc dicuntur de S. Augustino, adeo excellentia; ut quodlibet eorum integram mereretur concionem; primum est, ipsum Ecclesiæ esse thesaurum; *accipe ô Sigisberte thesaurum Ecclesiæ*; quod encomium facile est, intellectu; quia sicut thesaurus dicitur ille, qui in urgentibus necessitatibus exponitur; ita quoque S. Augustinus totum se impendit in urgentissimis Ecclesiæ necessitatibus & persecutionibus.

Angelus portat S. Sigisberto cor S. Aug.

XVI. At quomodo, verificabitur, cor S. Augustini reliquiarium esse sanctissimæ Trinitatis? an non recordamini pueri illius, ad maris ripam degentis (Deus hic erat in tali figura) quid egit puerulus iste? totam maris aquam volebat uni parvulæ includere fossæ; advenit eodem tempore magnus P. Augustinus, totusque admirabundus ait: ô gratiose puerule quid agis? nonne vides, impossibile esse, ut fossula adeo exilis universum capiat maris aquam? ad hæc puer: citius ego omnem hanc aquam marinã isti includam scrobi, quàm tu mysterium capere possis Trinitatis; quomodo? si Trinitas ab intellectu Augustini est inperceptibilis, qualiter cor ejus dici potest reliquiariũ fuisse Trinitatis? notate, quòd inter omnia sanctissimæ fidei nostræ mysteria, nullum S. Augustino ita cordi fuerit, sicut illud de sanctissima Ttinitate; unde & die festo SS. Trinitatis, quando cantatur *Te Deum laudamus*, ad verba illa: *sanctus, sanctus, sanctus*, cor S. Augustini totaliter movetur & festivè quodammodo exultat seu jubilat; quid agis ô cor sanctum? an ignoratis ô Auditores amantem, vel solo audito objecti amati nomine, totaliter inflam̃ari & commoveri? cum itaque cor S. Augustini totum SS. esset Trinitatis, includatur, ait Deus, Trinitas, in corde Augustini, & cor Augustini sit velut reliquiarium Trinitatis. Sed admittamus & istud, concedamus cor Augustini, opulentum fuisse S. Ecclesiæ thesaurum & SS. Trinitatis reliquiarium; quomodo autem verificabitur id, quod sequitur: *In quo pignoratus est Dominus*? ergone Deus oppignoratus est Augustino? ergo Augustinus creditor est Dei? ô grande mysterium!

S. Aug. vidit Deum in ripa maris.

Quomodò cor S. Aug. reliquiarium SS. Trin.

XVII. Pro hujus notitia supponendum est, Deum non modò externam, seu eam, quæ ad extra est, præmiare actionem sed etiam affectum & animum internum; unde enim Abraham, Pater effici meruit tot posterorum? *eris pater multarum gentium*: quid fecit Abraham amore Dei? forte per externam oblationem filii, prærogativam illam sibi vendicavit? minimè; obtulit enim filium animo prompto & voluntate plenâ, & corpus externè consummatum non fuit; nihilominus vel solus internus Abrahami affectus ita Deo placuit, ut indilatè præmium ei appromiserit, dicens: *Quia non pepercisti filio tuo* propter

Deus solam præmiat etiam voluntatem. *Gen. 17. v. 4.*

propter me, propterea eris pater multarum gentium.

XVIII. Supponendum ulterius, Deum in præmiando, non unum nobis pro uno, sed centum retribuere pro uno: *Centuplum accipietis,*

Sermo de amore inter Christũ & August.

XIX. Hoc supposito, dulcissimum ad invicem miscuêre colloquium Christus & Augustinus, in materia de amore; dicebat Christus: *Augustine amas me?* respondit hic: *Tu scis Domine, quia amo te*; bene, sed *quantum amas me Augustine?* Domine, ait Augustinus: *Si lampades essent ossa mea, & sanguis oleum; totus exardescerem ob tui amorem.* Si lampades forent ossa mea, oleumque sanguis, totum me consummerem ex amore tui. Excellenter amas, dicebat Deus; *sed quid amplius pro me faceres, Augustine?* quid superadares iis, quæ dixisti? audite & tenerescite singuli: *Si Deus essem ego, ut sum Augustinus, tecum dignitatem commutarem; ut tu esses Deus, sicut es, & ego Augustinus, ut sum.* Si ego Deus forem, sicuti sum Augustinus, & tu fores Augustinus, sicuti Deus es, tibi ego darem deitatem, ut tu Deus esses, sicuti es, & ego acquiescerem esse me Augustinum, prout sum. An non videtis hîc ô Auditores quia Augustinus semel duntaxat animo affectuq; toto, Deo impertiit divinitatem: Dei itaq; erat divinitatem conferre Augustino centies; at quia Deus nec centies nec semel quidem, suam poterat in Augustinum transferre divinitatem, utpote cum id repugnaret, non tamen omnino defuit, quin retribueret, dicens: Augustine, tuo à te mihi oblato muneri nequeo reddere æquale, interim ipsã accipe Trinitatem in pignus, Trinitatem reclude in corde tuo, eamque serva in pignus debiti mei.

Deus debitor S. A.

XX. Exinde porro evenit, Augustinum fuisse in mundo, veluti vivam Trinitatis imaginem; quem ei titulum tribuit Ambrosius Coranus, in Apologia Ordinis nostri in hæc verba: *Fuit Augustinus imago Trinitatis.* Nonne magno illi luminum patri proprium est, oculos latere humanos? ita; *Deus absconditus*; *Ignoto Deo*; ideoque non Pater, sed filius carnem assumpsit: *Incarnatus est filius*, inquit S. Irenæus li. 4. c. 37. *ut Patris invisibilitatem custodiret.*: quod fecit Augustinus, mortuâ matre suâ Monicâ? audite Ecclesiam augustinianam: *Relictis & venditis propriis bonis, eisque pauperibus erogatis eremum in solitudinem sibi elegit.* Ad summi Patris solitarii exemplum, pater ipse evasit eremi.

Aug. imago Trinit. Isa. 45. v. 15. S. Iren.

XXI. Fuit insuper viva imago Filii. An non Filio Dei proprium est, sapientiam esse Patris? ita, scitisne, quid dicat S. Prosper in horum explicatione verborum? *Sapientia ædificavit sibi domum. Quænam est*, inquit, *illa domus, quam sibi ædificavit sapientia, nisi Augustinus, cujus fundamenta construxerat suis lacrymis Monica?* Si itaque Augustinus, domus fuit sapientiæ, per consequens similis fuit filio Dei, quia *locus est æqualis locato.*

S. Prosp. l. de ingr. Prov. 9. v. 1.

Resolv. Probl.

XXII. Vultis denique Augustinum videre, imaginem Spiritus sancti? notate: Spiritus S. suam à nullo accipit perfectionem, sed singuli suam ab eo; ita quoque S. Augustinus suam à nullo hausit Sapientiam, sed ipse eam aliis infudit omnibus: *Quidquid est in scientiis, nullo tradente concipit.* Si Spiritus sanctus partus dicitur amoris & charitatis, quia solus ipse per actum procedit voluntatis; ecce & Augustinum, charitatis S. Monicæ filium, de qua canitur: *Charitatis visceribus postmodum genuit Christo.* Quidquid est in Ecclesia scriptum, totum id à Spiritu S. dictatum est; & quot pariter mundus habet libros, tot ordinavit volumina Augustinus. Quid enim ipse non

In hym. A.

non scripsit? pro virginibus librum, *de vera virginitate*; pro viduis; *De viduitate*: pro conjugatis, *de bono conjugali*; pro innuptis, *de honestate mulierum*; pro religiosis, *de opere Monachorum*: pro clericis, *regulam Canonicorum*; pro melancholicis *soliloquia*; pro hilaribus, *de nuptiis & concupiscentia*: pro sanctis, *de natura & gratia*. Pro impiis, *de peccatorum remissione*; pro doctis, *de mirabilibus sacræ scripturæ*: pro rudibus, *de doctrina Christiana*; pro militibus, *de agone Christiano*; pro principibus, *de pastoribus*, pro subditis *de ovibus*: pro curiosis, *octoginta tres quæstiones*; pro Exorcistis, *de divinatione dæmonum*. Pro Musicis, *de cantico novo*; pro infirmis, *de visitatione infirmorum*. Viribus ego deficerem hodie, si immensum evacuare vellem gloriæ Augustini oceanum; suffecerit vobis, dixisse; Augustinum non modò vivam evasisse sanctissimæ Trinitatis imaginem, sed etiam creditorem ipsius Dei,

Aug. imago Trinit. Isa. 45. v. 15. S. Iren. S. Prosp. l. de ingr. Prov. 9. v. 1.

Resolv. Probl. XXIII. Tempus modò urget, resolvendi emblematis; quid fuit Christus de Maria natus? Deus fuit, veruntamen & debitor Augustini. Quid fuit Augustinus, Monicæ filius? creatura quidem fuit; at nihilominus creditor evasit ipsius Dei: & per consequens, mihi concludendum esse videtur, majus fuisse prodigium, quòd vidua Monica, vi lacrymarum suarum, generârit Augustinum sanctum, creditorem Dei; quàm quòd Virgo Maria, in virtute Spiritus sancti, genuerit Christum Deum, sed debitorem Augustini; modò tempus est excellentias contemplandi cinctorum, sed ante respiremus.

In hym. A.

PARS SECUNDA.

XXIV. Cras, dum memoria occurrit Lazari mortui, figurantis animam in purgatorio existentem, elucidare conabimur, quænam pœnæ sint acerbiores, scilicet inferni, vel purgatorii ignis? subitò ut Augustinus ad vitam spiritualem, vi planct' S. Monicæ, resuscitat' fuit, veste indutus est nigrâ & cingulo accinctus pelliceo: *Veste nigrâ hic indutus, præcinctus corrigiâ, ut Joannes redimitus est zonâ pelliceâ*: cur Augustino cingulũ potius obtigit, quã funiculus aut habitus sacri scapularis? difficultas consistit in eo, quia scilicet omnes principaliores sancti in cœlis, dũ degerent in terris, (imò & ipsum omniũ sanctorum caput, Christus) zonâ fuêre præcincti; de magno Propheta Elia scribitur: *Fuit Elias zona pellicea accinctus renibus*, item Johannes Baptista *habebat vestimentum de pilis camelorũ, & zonam pelliceam super lumbos suos*. At prætereamus sanctos illos, ad ipsam Dei matrem transitum facturi, an non hæc similiter pelliceum cingulum gestavit? in hac forma, cernitur esse depicta in æde Lauretana, quam figuram cum efformarit S. Lucas, credibile est, quod ipse eam ita perfecerit, qualiter vidit degentem in vita Virginem; cùm igitur eam cũ cingulo depinxerit, demonstrativũ veluti exinde deducitur argumentum, Mariam, in vita sua zonâ gestasse pelliceam. Ipse deniq; Christus an non, conformiter Apocalypsi, à S. Joanne visus fuit cum cingulo super renes? *Vidi similẽ Filio hominis, præcinctũ ad mammillas zonis aureis*. Quare omnes præcipui sancti, imò omniũ sanctorũ caput, zonâ muniri voluêre? cur nõ potius sese præcinxêre funiculo, aut collum habitu exornarunt scapularis sacri, aut manus rosario?

S. August. cur cinctus cingulo pelliceo. 4. Reg. 1. v. 8. Mar. 1. v. 8. Omnes SS. usi cingulis. Apoc. 1. v. 13.

XXV. Responso accommodum servire poterit exemplum. Diversi sunt in mundo equites, velut S. Joannis, S. Jacobi, S. Stephani, aliique plures: undenam dignoscitur, hos S. Jacobi, illos verò Exemplũ.

equites esse S. Joannis? ex cruce, quam portant? illi, qui crucem albam gerunt, equites sunt sancti Joannis; illi autem, qui rubram, Sancti Jacobi; alii, qui viridem, S. Stephani. Advertite; inter tot hominum milliones, alii sunt fideles Christiani, alii Trucæ, alii Hebræi, Lutherani alii; unde agnoscere poterimus differentiam fidelium à reliquis, ex signis extrinsecis, quæ inter zona pellicea præ reliquis signum est manifestativum fidei, conformiter ili textui Prophetæ Isaiæ: *Fides cinctorium renum ejus*; cingulum manifestè secernit fideles; ideoque meritò dixerim, voluisse primarios cœli incolas amiciri cingulo, ut signis externis mediantibus demonstrarent se veros esse fideles, magnosque Christi equites. Dicere itaque poterimus, ex eodem pariter motivo voluisse Monicam, ut Augustinus post baptismum sese præcingeret zona; quia scilicet Augustinus fuerat infidelis, sectator Manichæorum perfidiæ; posteà autem vi lacrymarum ejus, ad fidem & gratiæ vitam resuscitatus fuit; agedum, inquit Monica, postquam fidelis factus es fili mi, cingulo circumda te pelliceo; fidelium, Christique equitum indicio, ad imitationem sanctorum.

Isa. 11. v. 5.

XXVI. Sed ad quid Christus indiget cingulis nostris? si judicium meum exposcitis, respondebo. Funiculus, Rosarium & sacrum scapulare inexhaustos gratiarum & indulgentiarum continent thesauros; ad diversis particulariter suffragantur confraternitatibus; zona verò universalis est pro tòta Christianitate thesaurus: si omnes enim in unum cumulum coadunaveritis gratias, indulgentia & privilegia, sanctissimo Rosario, sacro Carmelitarum scapulari & Franciscanorum funiculo concessa, si, inquam, ex omnibus illis unum gratiarum omnium efformaveritis compendium, experiemini, omnia bona illa cingulo includi Magni Patris Augustini. Magnificus hic equidem sermo est, sed unde veritas ejus eruetur?

Cingulũ, thesaurus est universalis.

XXVII. Audite: Dux de Arenas curiosè quâdam vice sollicitavit, in quonam Mendicantium Religiones figurarentur? responsum tulit, quòd in Christi vulneribus; unde in plagis manuum seraphica figuratur religio S. P. Francisci, unde & pro armis gentilitiis duo circumfert brachia, manus habentia vulneratas. Pedum vulnera augustissimam figurant religionem patrum Prædicatorum, qui pulcherrimorum pedum nomenclaturam obtinuêre in scriptura sacra: *Quam pulchri sunt pedes Evangelizantium bona, evangelizantium pacem*? in lateris vulnere immaculata candidissimaque figuratur Carmelitarum religio; quia Carmelita idem sonare videtur, quod *cor merita*, id est, cor meretur. Si ita, in quonam igitur fuerit figurata S. Augustini religio? ubi? in omnibus Redemptoris nostri plagis; nam ut dicit S. Prosper: *Fit Deus illi omnia*; ita ut, sicut Augustinus totus factus est Dei; ita & Deus totum se fecerit esse Augustini; adeoque asserere licet, Augustinianam religionem in omnibus figuratam esse Christi plagis; quanta porro augustissimæ hujus religionis laus est & dignitas, in omnibus figurari Crucifixi vulneribus?

Religiones Mendic. figuratæ in plagis Christi. Rom. 10. v. 15.

XXVIII. Date veniam Auditores ut breviter, sed rudi linguâ & moderato calamo, aliquas vobis pandam mendicantium excellentias; à Seraphica quidem religione initium facturus. In qua plaga, S. Francisci ordo figuratus fuit? in vulnere manuum; quid autem continetur in mani-

manibus Christi? quæ divitiæ, quis thesaurus? in iis omnes cœli & terræ sunt congregatæ excellentiæ, ipso Christo teste, dum ait: *Omnia dedit mihi Pater in manus.* Adeoque concludere possumus, seraphicam S. P. Francisci religionem, omnem in se continere desiderabilem bonitatem & decorem; quid etenim vultis? dignitatem supremam & eminentem? religio ista 4. produxit pontifices & Cardinales 42. Si nobilitatem præponitis sanguinis, illa 22. habuit reges, præter alios religiosos, ex sanguine regio oriundos; si eminentiam eligitis scientiæ & sanctitatis, in religione illa supra 400. reperietis Episcopos, & innumerabilem tum martyrum, tum aliorum insigniorum virorum numerum: ut plurima paucis perstringam; sicut in Christi manibus, tota est omnis perfectionis plenitudo, ita *omnia Deus dedit in hac religione.*

Ioan. 13. v. 3.

Laus Relig. Francisc.

Religiones Mendic. figuratæ in plagis Christi. *Rom. 10. v. 15.*

XXIX. De angelica S. Dominici religione quid dicemus quandoquidem hæc in pedibus figurata fuit, sufficeret equidem encomium, quod ipse ei Christus contulit, dicens: *Quàm pulchri sunt pedes Evangelizantium bona, evangelizantium pacem?* ô quàm decori sunt patres Prædicatores! præter hoc nihilominus laudis præconium, aliam ego ejusdem religionis contemplor venustatem, & dico, ordinem istum quasi ad reparandos collegii apostolici defectus institutum esse; in hoc enim S. Petrus Apostolus tribus vicibus suum negavit Magistrum Christum; in isto autem alius invenitur S. Petrus Martyr, qui pro Christianæ veritatis confessione, suam sponte profudit cum sanguine vitam. In collegio Apostolico Judas vendidit Christum, in religione hac tot reperiuntur inquisitores, qui hæreticos & inquisitos Christo lucrantur & Ecclesiæ sanctæ: in collegio apostolico unicus Thomas articulo discredidit Resurrectionis; in Religione autem S. Dominici, eminet angelicus doctor S. Thomas de Aquino, qui non modò omnibus credidit Christianæ fidei ariculis, sed ipsis fidei articulis, tot superaddidit quæstiones, ut Urbanus quartus de eo dixerit: *Tot miracula fecit, quot articulos determinavit.* Dicendum igitur, ordinem S. Dominici extremam induisse pulchritudinem, dum in Christi pedum vulneribus figurata fuit.

XXX. Eminentissima porro Carmelitarum religio, quantâ, putatis, sublimatur in gloria, dum eam in Christi cor figuratam esse dicimus? advertite, cordis Christi vulnus inter reliqua Christi vulnera ultimum non fuit; quin potius ante omnia alia inflictum est per manum amoris, postea verò renovatum post cætera per Longinum; ita Religio Carmelitana, prima exstitit ante omnes alias, per magnum Prophetam Eliam instituta, licet post reliquas fuerit confirmata. Ad conversionem Thomæ Apostoli, non requirebatur aliud præter attactum plagæ cordis Christi, dicentis: *mitte manum tuam in latus meum*; ad lucrandas Deo animas & convertendos populos una devotissima sufficit Carmelitarum religio. Denique ex vulnere lateris, aqua exiit & sanguis; aqua symbolum sapientiæ: *aqua sapientiæ*; & sanguis, significativus martyrii; ex Carmelitarum quoque religione, aqua profluxit & sanguis; aqua tot famosissimorum Doctorum, & sanguis tot innumerabilium sanctissimorum martyrum.

Et Carmel.

Ioa. 20. v. 27.

XXXI. Si tot tantæque sunt Mendicantium excellentiæ & prærogativæ,

quia scilicet unaquæque earum in uno solo vulnere figuratur, quid statuetur de augustissima Republica Augustiniana, figuratam in plagis omnibus? *Laus in ore proprio sordescit*: inconveniens igitur foret, si ego Augustinianus singulas hasce glorias texere attentarem; vos omnes mendicantium glorias & gratias redigite in unam summam, plenè transfundendam in Rempublicam nostram eremiticam.

Ex Aug.

XXXII. Ita pariter omnes indulgentiæ & privilegia, quæ sancto Rosario, funiculo S. Francisci & sacro Carmelitarum scapulari competunt, omnes, dico, gratiæ istæ iis quoque communicantur, qui S. Monicæ & D. Augustini cingulum portant.

XXXIII. Ita ut, qui in hoc Siciliæ regno, acceptâ sanctissimæ Cruciatæ bullâ; hocce defert cinctorium, omnes eas lucretur indulgentias plenarias, quas lucraretur quis, omnes intra & extra Romam visitans Ecclesias; imò omnes indulgentias, quas quicunque lucraretur, per visitationem omnium sacrorum locorum, incipiendo à primo loco nativitatis Christi, usque ad ultimum mortis ejusdem. Qui hoc portat cingulum, omnium fit particeps sacrificiorum, orationum, bonorum operum & pœnitentiarum, quæ fiunt non modò in mea religione, sed etiam in omnibus aliis, sub regula Magni Patris Augustini militantibus. Qui istud defert cinctorium, simulque quinque *Ave Maria*, totidemque *Pater noster* recitat, addendo in fine *Gloria Patri*: toties plenariam lucratur indulgentiam & remissionem omnium suorum peccatorum. Quid amplius? qui dictum portans cingulum, magni patris Augustini visitat Ecclesiam, omni anni die, unam liberat ex purgatorio animam, in die autem Mercurii, duas. Quid restat ulterius? minus mihi conveniens existimo, excellentias prosequi religionis meæ, principaliter, quia *Magnorum non est laus, sed admiratio*: majores eorum prærogativas admiratione potius, quàm verbis extollere oportet; quia verò *admiratio non est vocis, sed silentii*; ego religionis meæ laudes & præconia, quæ voce assequi nec possum, nec debeo, suspendo, ut quilibet vestrum devoto cum silentio eadem admiretur.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE VENERIS, POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De pœnis, quas patiuntur animæ sancti purgatorii; deque suffragiis, in ipsarum refrigerium præstandis.

Lazarus amicus noster mortuus est; sed eamus & suscitemus eum; & accedens ad monumentum, ait: tollite lapidem. Ioan. 11. v. 14. 15. 39.

PROBLEMA

Quæ pænæ majores sint & pœnaliores, scilicet ignis purgatorii vel inferni? & utrum suffragium sit animabus dictis fructuosius; scilicet sacrificium crucis, aut verò illud Altaris?

INTRODUCTIO.

I.

UTinam hodie lingua mea trasformaretur in penicillum, verba in colores, vox in lucem, flatus in vivum spiritum, aër nos circumdans, in chartam aut telam; ita ut verba mea non tam loquendi quàm pingendi artificium exprimerent, & vester quoque auditus potius in visione consisteret, quàm auscultatione; ita ut ego, vobis spectatoribus, pictorem agerem, paucissimis lineis illud omne adumbraturus, quod si verbis elucidandum foret, integrum exigeret profluvium conceptuum. Sit itaque pictura nostra mortuus Lazarus ex una parte, ex altera verò, ex opposito, anima patiens in purgatorio; in Lazaro equidem nihil videbitur, quod non appareat etiam in anima Purgatorii. Si Lazarus exstitit languens; *Quidam languens Lazarus*: quis magis languet, quàm anima, quæ in istis flammis purificatur? Si Lazarus duas habuit sorores, Mariam Magdalenam & Martham; anima quoque purgatorii, gratiam habet ac spem, veluti sorores duas: Lazarus, magnus erat amicus Dei: *Lazarus amicus noster*: anima quoque illa, dum in gratia existit, amica Dei perseverat; Lazarus vultum habuit sudario coopertum: *Et facies ejus erat sudario cooperta*: anima purgatorii oculos obductos habet velo privationis divinæ. Lazarus manus habuit & pedes ligatos: *Ligatis manibus & pedibus*: anima quoque purgatorii patitur compedes suorum pedum, dum incedere nequit per viam Paradisi; item vinculis constringitur manuũ, quæ nullum potest exercere opus meritorium. Mors Lazari fuit suavis qui-

Compar. Lazari cũ anima Purgat.

Ioa. 11. v. 44.

quidam somnus: *Lazarus, amicus noster dormit*; de animabus pariter istis, in gratia existentibus, dicitur: *Dormiunt in somno pacis.* Majoremne dicere vultis similitudinem, quæ Lazarum mortuum inter & animam purgatorii versatur? oculos coniicite in hodiernum Evangelium. Mortuus erat Lazarus, tantus Dei amicus; unde ad Apostolos suos Christus: *Eamus & suscitemus eum*; monumento Christus appropiat, appropians turbatur, turbatus plangit: *Turbavit semetipsum, & lacrymatus est.* O pientissime Deus, cur plangis? cor ad conferendas hominibus gratias & beneficia adeo proclive, jam suspirat, jam gemit, jam plangit? tantam cor illud modò reluctantiam prodit, in unius hominis resuscitatione, quem tu proprio ore tuo. charum tibi amicum esse denunciasti? ego, inquit Christus, plango, & meritò plango; quia Lazarum esse mortuum considero: Lazarus mortuus non potest esse in Paradiso, utpote adhuc recluso nec potest descendisse ad infernum, utpote amicus meus: *Lazarus, amicus noster*; per consequens est in purgatorio? quis non lacrymabitur? Heus Martha & Magdalena, ubi sepultus est frater vester? *ecce locus*, respondent illæ, *ecce locus, ubi posuerunt eum.* Agedum ô circumstantes: *Tollite lapidem*; sublato lapide, altâ voce inclamare cæpit Christus: *Lazare veni foras. Et exijt, qui erat mortuus, ligatis manibus & pedibus*; vos Apostoli mei etiam applicate manus vestras: *Solvite eum, & sinite abire.* Observastisne multitudinem circumstantiarum, quæ in hac Lazari resurrectione sese insinuarunt? Ingemuit tenerè CHRISTUS: *Lacrymatus est*: recogitate, quàm horrendæ sint purgatorii pœnæ, utpote quæ

Ioa. 11, v. 33.

ex ipsis etiam oculis divinis lacrymas eliciunt: Sed sollicitari mihi videor, ut edicam, num majores sint purgatorii, aut verò inferni pœnæ. Hocce problema discutiemus primo loco; deinde ad exemplum, in resurrectione Lazari, concurrentium consanguineorum, amicorum & Apostolorum, resoluturi, quantam quisque nostrum obligationem habeat subveniendi afflictis purgatorii animabus? ultimo denique aliud statuemus problema, scilicet, quodnam sit animabus Purgatorii suffragium magis proficuum; an sacrificium crucis, an verò altaris? totus hodiernus de mortuuis discursus instituetur? me interim de subjecto adeo miserabili tractantem, devoto vos silentio consolemini, & incipiamus. Probl.

II. Non me detinebo, in probandò existentiam Purgatorii, quia populum alloquor catholicum, unde id de fide esse suppono; si nihilominus unam vobis authoritatem percipere placeat, eam accipite Magni P. Augustini, quæ pro millenis suffecerit aliis, dum ait: *Non omnibus prosunt Ecclesiæ suffragia; est enim locus vivendi tam bonus, ut non requirat ista post mortem* (ecce vobis Paradisum, cui minimè necessaria sunt Ecclesiæ sanctæ suffragia) *est enim locus vivendi tam malus, ut illi non prosint ista post mortem* (ecce vobis infernum, cui eadem neutiquam suffragantur opera bona) *& rursus est vivendi locus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem; neque tam malus, ut illi non prosint ista, cum ex hac vita transibit.* Ecce purgatorium.

D. Aug. in Enchi.

Probatur existentia Purgat.

III. Pater, purgatorium credimus nos, sed quæ illius sunt pœnæ? quid me interrogatis? ad satisfaciendum propositioni vestræ non sufficit homo, & homo quidem tam rudis, ut ego sum; necessum

esse,

esset, ut vel Angelus, descendens de cœlo, vel ad minus una miserabilium animarum istarum in medium prosiliens, horrorem pœnarum Purgatorii vobis explanaret; nihilominus quod in hunc finem potui, ex sanctis Patribus & scriptura sacra deprompsi, ante omnia in principio denuncians cum sancto Anselmo, quòd *minimum Purgatorii majus est; quàm quodcunque maximum, quod in hac vita excogitari potest.* Imaginemini vobis, inquit sanctus, animoque vestro obiicite omnium gravissimum, maximum, dolorissimum & summè excessivum cruciatum vitæ præsentis, illumque minimo comparate tormentuto purgatorii; minimum hocce, maximum erit & majus quibuscunque vitæ hujus torturis; maxima autem & crudelissima vitæ hujus tortura minima, imò nulla reputabitur in comparatione minimæ pœnæ purgatorii.

D. *Ansel.*

Quantæ pœnæ ignis Purgat.

IV. Admirabiliora, magisque stupenda propalaturus, dicam cum S. Cyrillo Alexandrino, quòd si omnes pœnæ, à tot hominum millionibus, ab Adamo prætetitis usq; nunc, hodie existentibus, & usq; ad mundi finem futuris, toleratæ, coadunarentur in unum, exque omnibus unitis unica fieret congeries; mallet quicunque mortalis omnes hasce potius sustinere, ne unicâ quidem exceptâ; quàm vel unico die esse in purgatorio. *Mallet*, inquit sanctus, *quilibet viventium, usque in finem mundi, omnibus simul excruciari pœnis, quas homines ab Adam hucusque tulerunt, quàm uno solo die in purgatorio commorari.*

S. *Cyr. Alex.*

V. Existimabitis forsitan, hasce artificiosas omnino esse exaggerationes, ad concutiendos atque exanimandos sensus vestros; certi nihilominus estote, dicta hæc in bona fundari Theologia; ita namque docet Angelicus S. Thomas in 4. sententiarum, dist. 21. q. 1. à. 5. ubi agens de pœna damni, consistente in summi boni privatione, dicit, cruciatus & tristitiæ magnitudinem, conformiter boni amissi, aut non possessi excellentiæ mensurandam esse; sed gloria, quâ animæ Purgatorii privantur, seipsâ tanta est, tamque excellens, ut, vel per unicum duntaxat diem possessa, longè superet ingentem qualiumcunque vitæ huius bonorum cumulum; ipsa namque *objectivè* infinita est; *finiti* autem *ad infinitum nulla est proportio.* E converso itaque summi illius boni privatio vel ad unicum diem, imò ad momentum solum, cruciatus erit quasi infinities major omnibus malis, unitim sumptis, quæ ulli unquam homines sustinuere, & usque ad mundi finem sustinebunt aut sustinere poterunt. Huic pœnæ damni aliam nunc copulemus, quæ dicitur sensus, consistens in tortura flammarum; putatisne vos tantum cruciatuum horrorem excogitari posse, ut assimiletur illi pœnæ sensus? minimè verò; audite quendam desuper magni P. Augustini discursum. Quantumcunque leve peccatum mortale, *est altioris rationis* quibuscunque malis, in hac vita occurrere possibilibus; ergo pœna, cuicunque simili etiam levissimæ culpæ inflicta, erit quoque *altioris rationis & crudelitatis* majoris *intensivè*, quàm omnia vitæ hujus mala & supplicia. *Ergo*, dicit Augustinus, *ille purgatorius ignis durior est, quàm quidquid in hoc sæculo pœnarum potest videri, aut cogitari, aut sentiri.* Admisâ hâc Augustini illatione, quam negare nefas esset, plana fit doctrina allata S. Anselmi asserentis, minimum purgatorii cruciatum, majorem & horribiliorem esse quibuscunque vitæ

Quantitas pœnæ damni.

S. *Aug. ser. 1. de SS q. 4. de purg.*

hujus torturis; ita ut proinde etiam cum sancto Cyrillo concludere valeamus, electurum potius, quemcunque demum, hominem pati omnia præterita, præsentia & usque ad mundi finem futura, vitæ præsentis mala, quàm vel unico die torqueri in Purgatorio.

VI. At si adeo ingens est, atque omni, quantumlibet atroci & horrendo martyrio crudelior, pœna Purgatorii; quid de ea statuemus, in comparatione ad infernalem? utram sæviorem & acerbiorem esse dicemus? an Purgatorii, an inferni? non præsumerem ego dubium adeo grave contingere linguâ meâ, nisi viam mihi aperuisset, patrum latinorum doctissimus, sanctus Augustinus; quam putatis circa hoc esse magni illius Patris resolutionem? pœna Purgatorii citra dubium gravior est infernali.

VII. Mirabile profectò atque extraordinarium hocce mihi apparet, Augustini assertum, consurgente ex variis capitibus difficultate. Cui vicinior Paradisus? Purgatorio. An non in Purgatorio spes florida virescit semper? ita; in inferno autem quid apparet? perpetua desperatio. Ulterius, dicite vos mihi; animas in inferno quis cruciat? diaboli; & animas in Purgatorio quis plectit? manus amica. Hisce tribus difficultatibus ultimam adjungamus; pœnæ Purgatorii quantumcunque acerbæ, an non quandoque finientur? utique; aliæ autem infernales quid? mensura & terminus earum sola est æternitas. Quomodo igitur asseruit Sanctus Augustinus, crudelius esse Purgatorium inferno? propter easdem rationes, ob quas vos supplicia Purgatorii minora esse arbitramini, Sanctus Augustinus majora asseret esse; ideo nimirum dicet animas Purgatorii extorqueri crudelius, præ animabus inferni, quia illæ Paradiso sunt viciniores, quia illæ vivâ spe lactantur, quia illæ non à dæmonibus sed ab amicis cruciantur, & pœnam denique temporalem, non æternam sustinent. Pœna Purgat. est gravior infernali.

VIII. Exordiamur à primo motivo. Nunquid Purgatorium Paradiso propinquius est, quàm infernus? ita; concludite igitur intrepidè, graviores & acerbiores esse pœnas Purgatorii, quàm inferni; ad cujus probationem, vocemus in medium, si placet, unam ex animabus damnatis; & ex omnibus quidem divitem Epulonem unicum, qui post tantam byssi purpuræque pompam, post lautas adeo epulas, in abyssum illam infernalem præcipitatus corruit; in obscuro isto profundoque carcere detentus, millium milliumque, quas patiebatur, velut immemor pœnarum, oculos sublevavit in cœlum, vidensque Lazarum in sinu Abrahæ, ait: *Pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret liguam meam.* Luc. 16. v. 24. Aspice ô Pater, quantis ego implicer torturis; vix labra mea præ nimia siti movere possum; si quid valent aut efficere quiverint apud te preces meæ, mitte mihi misericors Lazarum, ut vel sola madefacti digiti ejus extremitas refrigeret hanc aridam linguam meam. Ingerit sese huic supplicæ sanctus Petrus Chrysologus, dubiumque movet, dicens: ô miser & infelix, an igitur possibile est, non alteri te pœnæ in inferno subjacere, quàm siti? An non privatio visionis Dei, supplicium majus est? ergone flammæ, fætores, clamores & horrendi dæmonum aspe-

Cur Epulo conqueratur de siti. §. 12. S. Chrys.

ctus

ctus minus doloroſi ſunt, quàm ſitis? deſeramus & relinquamus infelicem hunc in inferno.

IX. Progrediamur ad Eccleſiam ſanctam, in quadam oratione ſecreta Fer. V. poſt Dominicam III. Quadrageſimæ, ita precantem: *ſacrificium tibi Domine illud offerimus, de quo principium ſumpſit omne martyrium.* Offerimus ô ſumme DEUS, ſacrificium iſtud, omnis martyrii principium. Quomodo? nonne in miſſæ ſacrificio DEUS eſt, animarum conſolator? utique, ita enim dicitur: *Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ;* Si ita, quomodo ergò omnis martyrii nuncupatur origo?

X. Ex Eccleſia tranſitum faciamus ad ædes Eliſabethæ. Utero ferens Chriſtum, magna cœlorum Regina, domum inviſit Eliſabethæ, ſubitòque ut intravit, Joannes Baptiſta, adhucdum in ventre matris recluſus, quid fecit? teſte Evan-
Luc. 1. v. 41. geliſtâ: *Exultavit infans in utero ejus.* Omnes ſancti Patres cauſam inveſtigant horum motuum, à S. Joanne Baptiſta, in materno utero excitatorum; reliquos autem inter ita reſpondet diſcur-
S. Chryſ. ritq; Sanctus Chryſoſtomus: *Tanquã injuſtam cuſtodiam, concutiebat matricem, talia matri dicens: inique facis ô mater, quæ tardas in utero præcurſorem Domini, quæ martyrem ſtringis.* Ignoſce mihi ô gratioſe Joannes, ad inſtar pueri mihi loqui videris; quomodo enim? dum mater te tua conſervat inque ſinu ſuo tutatur, tu tibi martyrium inferri conquereris? ſanè martyrio te afficeret, ſi te in mundi lucem ederet; ſed in utero ſuo, quod tibi martyrium cauſat? quid martyrii? Martyrio excrucior (reſpondet ille) tanto, ut eo nequeat apprehendi gravius; an non in ædibus meis Deus ipſe moratur præſens? ita; ideò ergò quia domi meæ eſt Maria, in utero cujus eſt Chriſtus exiſtens, cur me ô mater mea detines incarceratum? igiturne bono vicinus ero, & non intuebor illud? Hæc tyrannis eſt & truculentia; tu martyrium mihi infers: *Martyrem ſtringis.*

XI. Nunc planum vobis & apertum fuerit, quare Eccleſia ſacramentum hoc nuncupet omnis martyrii principium; in ſacra namque hoſtia DEUS glorioſus adeſt, ſed accidentium panis amictu coopertus; ità ut Chriſtianus, quantumvis ſit DEO vicinus, ipſum tamen non videat propter accidentium interpoſitionem: vicinum autem eſſe bono, & non gaudere illo, ingens eſt martyrium.

XII. Ecce pariter rationem, cur dives Epulo flammas aliaque tormenta minus ſenſerit, quàm ſitim. Quid S. 8.
rei, inquit Sanctus Petrus Chryſologus, quid rei popoſcit Epulo? non petiit, ut Lazarus aquam portaret de cœlo ad ſe; non: *Non petit, ut Lazarus deferat aquam;* ſed rogabat duntaxat, ut Lazarus deſcenderet de cœlo; quo fine? ut in infernum deſcendens, digitum ſuum intingeret aquæ, & linguam ejus refrigeraret. Itanè? inquit Chryſologus, ergo aqua tibi vicina eſt, ô infelix: *Ergo juxta te eſt aqua; & ſi* D.Chryſ.
juxta te eſt aqua, cur de proximo non ſumis? quia vinctæ ſunt manus ejus. Verè, ſer. 122.
inquit ſanctus, miſer erat Epulo ad inſtar illius Tantali, qui in medio aquarum conſiſtens, moriebatur præ ſiti.

XIII. Nunc vos ego interrogo, edicite mihi; forſitanne damnatorum a-

nimæ Paradiso vicinæ sunt? minimè; imò remotissimæ sunt ab eo: propterea igitur præcisè illo speciali non excruciantur tormento; animæ verò ignis Purgatorii adeo vicinæ sunt Paradiso, ut portas attingant gloriæ; at miseræ eas offendunt occlusas, neque intrare permittuntur. Quomodo nunquid non animæ istæ gratiâ vestitæ sunt? utique; quia culpæ expertes, amicæ Dei sunt; ergo dignæ sunt gloriâ, quia sicut gratia est semen gloriæ; ita gloria non est aliud, quàm gratia consummata: at quia pro pœna satisfacere debent, necdū possunt gaudiis potiri gloriæ; obque hanc causam, torturas patiuntur atrociores, quàm animæ damnatæ.

XIV. Sed obiicietis mihi, dicentes: Licet animæ in Purgatorio non gaudeant gloria cœlesti, nihilominus certâ ejus spe lactantur, quâ omnino destitutæ sunt animæ in inferno. Ecce vobis secundam rationem, propter quam S. Augustinus, pœnam desperantis inferni leviorem esse docet pœnâ Purgatorii spe pleni; equidem quid rei spem esse arbitramini? loquatur Sapiens: *Spes, quæ differtur, affligit animam.* spes, cordis est infirmitas, infirmitas autem cordis est insupportabilis; &, si vultis, dicam: brevior & facilior est ipsa mortis tolerantia, quàm spei sufferentia an non audistis sæpius italicum illud suspirium? *ô che duro tormento è l' aspettare!* ô quàm durum est in exspectatione tormentum! veruntamen ipsa nobis scriptura sacra pœnæ hujus acerbitatem gravitatemque exponat. Constituatis ex una parte aliquem, ultimo mortis jam jam afficiendum supplicio; ex alia verò quempiam, spe longa afflictum; reperietis utique majus in exspectando, quàm moriendo tormentum: testimonium hujus veritatis dabit ille, qui nimiam inter spem quondam insenuit homo; at quis iste? Simeon hicce fuit, de quo S. Lucas ita discurrit: *Homo iste justus & timoratus, exspectabat consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo.* Notate verba: Simeon plenus erat Spiritu sancto, & consolationem præstolabatur. Nunquid sancti Spiritus proprietas est, consolationem & tranquilitatem afferre animabus? ita profectò, ideoque consolator nuncupatur: *Consolator optime, dulcis hospes animæ*: quomodo igitur Simeon *exspectabat consolationem?* Si fontem ille possidebat consolationis, largissimumque torrentem, cor exultatione inundantem, cur solatium non experiebatur, sed *exspectabat consolationem*? nonne vel unica influentis Spiritus sancti stilla inebriat totum mare dulcedine? cur igitur Simeoni est insufficiens? dic mihi ô venerande senex, quis tantus ille tuus luctus est & dolor? imò tanta fuit Simeonis tristitia, ut, Eusebio Emysseno teste, bonus ille senecio, tanto mærori & fastidio sustinendo impar, mori desiderarit: *Mori cupiens, non poterat mori*: moriar, inquit, sola namque mors meos poterit mitigare cruciatus neque enim ipse Spiritus sanctus meo abundè potest mederi malo. O Deum! quodnam est illud tantum malum tuū ô sancte Senecio? relinquamus hic Simeonem; certus sum, eum responsionem exspectaturum, siquidem consolationem præstolatur.

XV. Juxta Sanctum Joannem, loquens CHRISTUS Apostolis, postquam eos ad Evangelii prædicationem ablegasset, ait: *Ego misi vos metere, quod non laborastis; alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Venistis vos Apostoli, maturas flavasque spicas messuri in

campo

Marginalia: Spes tormentum maximū. — Prov. 13. v. 12. — Luc. 2. v. 25. — Ioa. 4. v. 38.

campo, in quo nunquam laborastis; alii laborem & sudorem impenderunt, vos autem sollicitudinis cur æque illorum fructu fruimini. Adeste vos rogo Auditores auribus animisque præsentes: sæpiusne ingentem nimis patrum antiquorum felicitatem perpendistis? Illi rerum abundantiâ locupletati, multis filiis fortunati, dominiis illustres, infinitis clarissimi erant victoriis; cœlum sursum & terra deorsum copiosam identidem iis suppeditabat felicitatem; terra promissionis quid aliud ipsis, præter lac, nectar & mel subministrabat? denique cui omne bonum obtigit in donum, præterquam Patribus illis? è converso autem quis labores, sudores & afflictiones incomparabiles ennarrare poterit Apostolorum? de quibus Psalmista inquit: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua.* Testificentur idipsum tribunalia, tyranni, virgæ, gladii, ipsæque mortes; miseri Apostoli, omnibus destituti bonis temporalibus, excalceati, nudi, fame mortui, persecutiones sustinebant & tormenta; alii crucifixi, alii lapidati, excoricati alii, quidam crudelissimis tormentorum generibus membratim conscisi: comparemus utrosque ad invicem; quis in solis calore sudavit, quis in ventorum, pluviarum, niviumque impetu laboravit? nunquid Apostoli? ita verè; nunquid patres antiqui semper à similibus fuere remoti adversitatibus, à tantis exempti & liberi malis? ita pariter. Quomodo ergo Christus Apostolis suis dicit: *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis?*

Patres antiqui plus passi sunt quàm Apli.

Ps. 125. v. 6.

Tormenta Apostolorum.

§. 17.

XVI. Ipsemet Christus, qui dubium hoc ingessit, nobis responsum dabit, quod ut majori cum satisfactione excipiatis, vos ad hortum Gethzemani invitat. Morabatur in eo Christus, totus mœstus & doloribus plenus, interim ad Patrem conversus, precabatur: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; annue ô pater æterne, unigeniti tui precibus, ut, si fieri possit, transeat ab eo amarus iste calix. Ergone mi amantissime Deus mori recusas? an nescis, in cœlis decretam esse mortem tuam? ne putetis inquit Christus, me nolle mori, imò mortem quæro & volo. Volebat igitur dicere Christus: Scio æterne Pater, mortem mihi in Calvariæ monte præparatam esse, ideoque tibi supplico, ne emori me finas sub hocce tormento, quo crucior in horto: *Calix iste transeat.* Quid cruciatus sustinebat Christus in horto? quod tormentum ille ipsâ morte crudelius esse arbitrabatur? scitisne, quod? tristitiam: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; undenam hæc oriebatur tristitia? audistis responsum Sapientis: *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Res nulla tantum animæ causat fastidium & pœnam, quantam exspectatio; sed quidnam Christus in horto exspectabat? mortem; ideoque lamentabatur, dicens: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* supplicando igitur Christus; *Transeat*; dicere voluisse videtur: æterne pater, tam atrox in horto experior tormentum, ut illi sufferendo me imparem esse omnino repeperiam; mortem exspecto; exspectatio autem nimis est perniciosa cordi, affligit excruciatque animam conceptæ dilatio spei; ideoque te rogo, ne sub illa me tortura emori finas: *Calix iste transeat*; satius est mihi mori, quàm exspectare. Videtisne modò ô Auditores quantus sit in exspectatione cruciatus? tormentum ipsa morte crudelius.

Mat. 26. v. 39.

Quid Christus in horto petierit.

ibit v. 38.

Prov. 13. v. 12.

Spes morte crudelior.

XVII. Propterea igitur Christus antiquos Patres, plus quàm Apostolos laborasse asseruit, q. d, Apostoli mei, fateor equidem, vos centum & millenas pœnas, imò tot tamque horrendas sustinere mortes; nihilominus Patriarchæ & Patres sancti vos in laboribus superant, hos enim exspectatio afflixit, tormentum ipsa morte immanius. Audite Ruperti Abbatis doctrinam: *Illi credentes & sperantes fidem suam seminaverunt; sed vos metitis, quod non seminastis; quia promissionum, quæ ad eos factæ fuerunt, vos præsentem habetis effectum.*

§. 15.

Rup. Abb. l. 4. in Ioa.

XVIII. Reinvisamus modò venerandum illum Senecionem, Simeonem. Spe ille lactabatur videndi natum Deum: *Responsum accepit Simeon, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum*: sperabat ipse, fore ut Christum suis constringeret brachiis, vultum ejus contemplaretur, deque sancta ipsius luce vivacissimos sibi eliceret ardores; spes illa indesinenter crescebat & prolongabatur simul, in annis multum progressus, capillitium suum immutatum, in canos degenerasse mirabatur; totum sese infirmum, debilem, viribusque exhaustum ingemiscebat; ampliusne vultis, ut dicam! an non spes *morbus est & ægritudo cordis*? ita; afflictus igitur hic senecio cordis gravabatur infirmitate; quod hujus mali remedium? quæ ejus consolatio & nectar? nihil omnino huic potest malo mederi, quia cum sit internum in anima, difficilius sanatur, neque ulla est, quæ illi mederi possit medicina. O quàm dura, quàmque acerba es tu spes, tu cordium carnifex; omnis alia amaritudo, imò mors ipsa, in tui comparatione, aut malum omnino non est, aut certè prorsus leve est.

Luc. 2. v. 26

XIX. Ex hisce ô Auditores certam mecum statuite conclusionem; infernus forsitan spem habet? nequaquam; imò potius desperatione plenus est; igitur ex hac parte animæ damnatæ non sentiunt pœnam. Ast quid de Purgatorio? in eo spes viva floret; ideoque durior & acerbior est pœna Purgatorii, quàm inferni.

XX. Dixeritis forsitan; accumula Pater, ut placuerit, Purgatorii pœnas ad pœnas, nunquam tamen omnes illæ, etiam unitim sumptæ, supplicium æquabunt æternæ torturæ in inferno, quis enim cruciatus, quantumcunque horrendus assimilari poterit pœnæ sempiternæ? vindictæ, fine carentes? tribulationi æternæ? hæc objectio maximè urgens est inter reliquas ad probandum pœnæ infernalis horrorem, nihilominus respondet D. Augustinus, non obstante pœnæ infernalis perpetuitate, longè gravior est Purgatorii tortura, quàm inferni, percipite qualiter. Memorat liber Apocalypseos, Spiritum quendam infernalem, Deo permittente, ex abysso illa egressum fuisse, ut modò noceret, damnaque inferret, exinde hujusmodi fuit vox audita cœlitus: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad eos, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Væ, væ mari & terræ, quia ille divinæ justitiæ minister, intra breve tempus magnam faciet ruinam. Non capio ego hunc loquendi modum; si enim breve tempus habet, quomodo tantum poterit causare dispendium? totum suum congreget furorem in unum cumulum, centum & millenis manibus polleat, circumcursitet velociter, hinc comburat, istinc prædetur obvia præcipitet illinc: *adhuc modicum tempus habet*: Superest illi nihilominus parvum temporis Spatium.

Pœna inferni minor est Purg. sicut æterna.

Apocal. 12. v. 12.

Discite

Discite quandam notatu dignam, Chrysostomi observationem. Murmurabant illi evangelici patrisfamilias operarii, quòd nullâ habitâ disparis laboris ratione, æqualem iis mercedem assignaret cum reliquis, qui laboraturi vineam intraverant horâ undecimâ: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares nobis eos fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.* Insignis actio, hæccine est justitia? nunquid non præmium laboribus correspondere debet? utiq; quomodo igitur illis, qui unâ tantummodo horâ laborarunt, tanta datur merces, quãta nobis, qui lassavimus nos continuo labore à mane usque ad vesperam? modestè, inquit Chrysostomus ne conqueramini, utpote nullam hujusmodi causam habentes; ultimi hi operatores in unica hora tantum laboris impenderunt, quantum vos in die integro, sed quomodo? sanctus factum hocce pulchrâ quâdam elucidat allegoriâ, dicens, per primos, qui summo mane sese ad laborem accinxerunt, denotari Patres legis veteris, quibus longum vitæ Spatium indultum fuit, in ultimis autem figurari eos, qui sunt in lege evangelica, qui ad breve tempus vivunt. *Illi ergo considerando, vitam esse longiorem, quodammodo negligenter faciebant, & refrigescere faciebat animas eorum exspectatio sæculi longioris, hi verò novissimi, qui semper habebant ob oculos vitæ brevitatem, magis accendebantur.* Antiqui illi Patres, contemplantes longam plurium sæculorum seriem, ut plurimũ remisse operabantur: *Refrigescere eos faciebat exspectatio longioris sæculi;* tempus habemus, dicebant illi, spatium adhuc vitæ multum superest; hi ultimi verò, vitæ suæ brevitatem considerando, opus suum accelerabant, identidemq; inflammabantur vehementius; *accendebantur*; sicq; ultimi in una hora tantum præstitêre, quantum primi in die integro, ita & S. Johannes inquit, q.d. ne existimaveritis, diabolũ, quia breve tempus habet, exilia quoq; damna vobis illaturum esse; imò *væ terræ & mari, quia modicum tempus habet.* Pro eo parvo tempore omnes suas coadunabit vires, majori irâ excandescet, sicq; inflammatus, ingens nocumentũ causabit Similiter ergo & mihi de inferno discurrere licet; sunt equidem flammæ ardentissimæ in eo, sed *exspectatio sæculi longioris refrigescere illas faciet:* sunt æternæ, inq; cruciandis perditis animabus illis exsaturari queunt, at ignis Purgatorii, *sciens, quia modicum tempus habet,* ingenti debacchatur cũ furore, sæviusq; inflammat; ita ut, inferno amarissimas incolis suis in potũ offerente medicinas, purgatorium, intra breve illud tempus, quod habet, distillatis utatur & quintis essentiis, quæ quidẽ in quantitate minores sunt, sed in virtute excedunt; *extensive* minus atroces, *intensive* asperiores; pauco tempore durantes, sed truculentius torquentes.

Matt. 20. v. 12.

Pœna inferni minor est purg. sicut æterna.

S. Chrys.

Apocal. 12. v. 12.

XXI. Intellexistis hucusq;, quantum pœnæ Purgatorii in atrocitate excedant pœnas inferni; lubet modò unicum adhuc supplicium superaddere, quod, sicut ultimum erit, ita pariter judicio meo, omniũ est credelissimum & horribilissimum: sed quodnam est istud? ne urgeatis ut exprimam, quod effari nequeo; nihilominus ut edicã, instant vociferantes animæ miseræ; eloquar igitur, sed nõ sine cruciatu cordis. A quibus cruciantur animæ in inferno? à dœmonibus, verum dixisti; at animas Purgatorii quis plectit? primò Deus, velut author justitiæ punitivæ; ita equidem, unde & animæ ipsæ & lamentantur: *Manus Domini tetigit me*: ast præter DEUM, alii sunt animabus hisce afflictis bellum moventes; quinam sunt isti? amici & cognati. Audite, qualiter animæ ipsæ de hac

Animas inferni cruciat dæmon.

Iob. 19. v. 21.

ibid.

hac crudelitate lamententur; *misеremini mei saltem vos amici mei, quare persequimini me sicut Deus?* notate Verbum istud *persequimini*, quod magnum vim & pondus importat. De Deo & divina justitia non ingemiscunt nec lamentanrur animæ Purgatorii, sed solummodo dicunt: *Manus domini tetigit me.* De amicis verò & cognatis quid asserunt? *quare prosequimini me sicut Deus?* quam persecutionem inferunt amici & cognati tribulatis Purgatorii animabus? veritatem ex scriptura sacra eruamus.

Animas Purgat. cruciant amici.

XXII. Centenis & millenis modis diabolus sanctũ Job afflixerat, at semper Job, divinæ se submittebat dispositioni, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum:* die autem quâdam tribus advenientibus amicis, eum invisendi gratiâ, *Scidit*, ut inquit textus, *vestimenta sua & maledixit diei suo.* O sancte Job, qui constantem in omnibus turbulentiis patientiam exercuisti, modo ad amicorum visitationem taliter te conturbas?

Cur Job turbarit visitatio amicorũ. *Iob. 1. v. 21.* *Iob. 3. v. 1.*

XXIII. Citemus hic historiam quandam, proposito nostro inprimis accommodam. Juxta lib. 4. Regum, supremus Deus exercitum prostravit regis Senacherib, Angelo occidente in unica nocte, centum octoginta quinque millia militum; mane Rex, visâ tantâ suorum strage, in templum profugit falsi Dei sui; ast quid evenit? ingressi inibi & duo filii ejus Hadramelech & Serasar, eum peremerunt: *Duo filii ejus percusserunt eum gladio.* Si rex mortem promeruerat, cur non cum aliis occidit sub Angeli gladio? si autem supplicii reatum non incurrerat, cur a propriis filiis interemptus fuit? Respondet Abulensis: *Fuit hoc ad inferendam ei majorem pœnam, erat enim pejor omnibus, & volebat Deus illum punire acerrimè.* Quodnam fuit grave hoc supplicium? *Occisus fuit à duobus filiis suis, à quibus maximè diligi debuisset.* Atrocior patri & matri est cruciatus, perimi per propriorum filiorum manus; & certè cuicunque nostrum nulla potest esse pœna intolerabilior, quàm illa quæ per amicum infertur. Tres igitur dicti amici, qui Jobum venerant invisuri, juxta Textum *sederunt septem diebus & septem noctibus, & nemo dixit ei ullum verbum:* Ah, inquit Job, cruciatus, quem mihi infert diabolus, transeat; est etenim inimicus meus, at, quòd amici loco consolationum, tristitiam mihi accumulent, hocce mihi dolorem causat omnino intolerabilem. Ita quoque animæ istæ lamentari videntur: Supplicium, quo nos Deus, secundum justitiam suam plectit, pœna est nostris debita peccatis; ast quòd amici, cognati & quod consanguinei nostri, tantam habentes nobis subveniendi obligationem, nos deserant & omnino ex corde suo proscribant, hoc ipsum tormentum est, omnium tormentorum maximum.

4. Reg. 19. v. 39. *Iob. 2. v. 13.*

XXIV. Edicito nunc mihi ô fili, qualiter in animum tuum inducere potes, ut patrem tuum excrucies? ô crudelis filia, adeo ne ferox pectus habes, ut vel ipsi matri tuæ violentas manus inferas? solus Deus illos, sine timore culpæ castigare potest, & tu forsitan Deus es? an non tu post hanc vitam etiam ad Purgatorium descendes? cur igitur minimè recordaris animarum istarum? istarum dico, quæ propter te forsitan ustulantur in flammis istis?

XXV. Commodè occurrit in præsenti afflictum illud boni Comitis de Saldana D. Sances lamentum, qui juxta regis

Historia patris de filio conquerentis. regis Alphonsi dispositionem, in carcere malè habitus, duntaxat conquerebatur de filio suo Bernardo, qui cum posse patrem è compedibus eripere, potius satagebat eum magis magisque cruciare, juxta regis Alphonsi iracundiam; unde pater in medio harum tribulationum lamentabatur: *E yo estoy en estos yerros, y ty con yerros me mattas; O mal hijo pues me faltas? ò mal padre yo devo deser, ò ty mal hijo!* quasi dicere voluisset: ô fili, tu me inter vincula, compedes & catenas vides squalentem, & forsitan propter te; tu verò, qui mihi auxiliari deberes, potius insultas; aut ego indignus sum te filio Pater, aut tu indignissimus me patre filius. Ita pariter in Purgatorio lamentari poterit anima patris tui: *E yo estoy en estos yerros, y ty con yerros me mattas*: Contabesco ego in erroribus, & tu me erroribus perimis. Tu fili me conspicis torqueri in flammis, forsitan propter te, tu verò non tantùm me non adjuvas, sed penitus me deseruisti! ô filia, dicet anima matris tuæ, scias, quia cruciatus hos propter te sustineo, & quomodo tu, auxilium mihi & refrigerium ferre obligata, adeo mei immemor facta es?

Omnes tenemur juvare animas Purgat. XXVI. Audistis usque modò pœnarum acerbitatem, quas afflictæ sancti Purgatorii animæ patiuntur; agedum igitur: an memoriæ vestræ excidit, ad resurrectionem Lazari, concurrisse sorores, amicos & Apostolos? sorores: *Ecce locus, ubi posuerunt eum:* (Joan. 11. v. 39.) amicos: *Tollite lapidem*: Apostolos: *Solvite eum, & sinite abire.* (v. 44.) Cur tot personæ ad unius mortui resurrectionem collaborarunt? utique non alio fine, quàm ut doceremur nos, ad ferendum afflictis animabus illis subsidium, obligari unumquemque nostrum. Cognati, amici, sæculares, ecclesiastici, imò omnes nos diversis ex capitibus ad hoc obstricti sumus.

Ex charitate & justitia. XXVII. Inprimis obligati sumus, non modò vi charitatis, sed & justitiæ; audite Psaltem regium, qui loquens de illo, qui facultates suas dispertit in pauperes, ita infit: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum*: (Psal. 111. v. 9.) sed quomodo *justitia ejus*? actus subventionis pauperum, nunquid actus est justitiæ? an non potius charitas, opus est misericordiæ? non, dicit S. Paulus: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit; augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*: (2. Cor. 9. v. 10.) ast hoc ipsum est confundere justitiam cum misericordia; audite: facultatem, quam possidetis, unde habetis? quis eas vobis dedit? Deus; subveniendo egenis, cui bona vestra largimini? Deo: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: (Matth. 25. v. 40.) dando igitur eleemosynam pauperi, actum exercetis justitiæ, quia non datis, quod vestrum est, sed totum redditis Domino suo. Accommodatius S. Thomas 2. 2. q. 118. a. 4. ad 4. inquit, quòd *in extrema necessitate unusquisque habet jus justitiæ ad omnia bona*: tempore extremæ necessitatis, nihil tuum est proprium, sed vi justitiæ, facultates debentur illi, qui iis indiget; quis autem majori premitur necessitate & inopiâ, quàm animæ istæ cruciatæ in Purgatorio? ergo vi justitiæ obligati sumus auxiliari iis.

XXVIII. Ulterius obligati sumus, propter interesse & commodum nostrum; quò enim beneficentiores fuerimus in mortuos, eò magis prosperabuntur domus nostræ; pro cujus asserti stabilimento audite quandam Dionysii Carthusiani speculationem, insignem inprimis & intento nostro probando peraptã. Christus Dominus noster tres dilectos

discipulos suos, Petrum, Jacobum & Joannem, secum in altum deliciosi Thaboris cacumen traducens, & ad eundem gloriosum locum, citans Moysen & Eliam, *transfiguratus est ante eos*: visio porrò hæc gloriosi ed eo spectaculi, animum S. Petri taliter exsaturavit, tantâq; replevit lætitiâ, ut ad Christum conversus, dixerit: *Domine bonum est, nos hîc esse.* O quàm jucundum, in hocce subsistere loco, animus mihi est, nunquam hinc pedem movere: *Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*: tria hîc domicilia exstruere poterimus, unum tibi, aliud Moysi & tertium Eliæ. Care mi Petre, ne te pigeat tantisper computum formare personarum; quot vestrum sunt in monte? nunquid sex? ita; si ergò tres tantùm sedes erexeritis, primam Christo, duas alias Prophetis, tu cum coapostolis tuis quò te recipies? animadvertite, inquit Carthusianus, Petrum valde esse practicum in domo Dei; novit ipse abundè, quantum nobis prosit, benefacere mortuis; Moyses & Elias ex altero mundo advenerunt; quando igitur ego, inquit Petrus, duobus illis Prophetis, qui mortuorũ sunt figura, habitationem accommodavero, infallibiliter omnibus nobis provisum erit; mihi autem præcipuè, qui tantam mortuis charitatem exhibui, in ipso CHRISTI tabernaculo dimorari concedetur. Audite ipsummet Carthusianum: *Quia Prophetis à mortuis venientibus parabat tabernabula, putavit, se in illis tribus & duos discipulos recipi posse & accommodari, ita tamen ut ipse esset in tabernaculo sui magistri.*

Matth. 17. v. 2.

Ob bonũ nostrum. *v. 4.*

Dion. Car.

XXIX. Iterum obstricti sumus, benefacere defunctis, propter nostram reputationem & bonum nomen, ut scilicet dicamur humani, & non crudeles sine compassione: pro hujus probatione, reminiscamini magnæ illius tempestatis, quâ Apostoli, Sancto Matthæo teste, agitati fuêre. Mare mirum in modum intumescens, jam navem premebat; unde alii protinus implicare vela, alii remis secare & confringere fluctus, temonem alii gubernare, alii curis insudare aliis; denique: *Erant omnes laborantes in remigando*: vidit CHRISTUS hasce suorum afflictorum pressuras, cumque nonnihil ab iis distaret, pietate motus, ad eos transiturus, supra mare gradi cæpit; sed notate obsecro, per fidem vestram, quid rei se videre existimabant Apostoli? dicit textus: *Putaverunt, Phantasma esse*: persuadebant sibi, id quod supra aquas ferebatur, phantasma esse aut umbram. Mirabile sanè est, discipulos in hoc casu suum non agnovisse magistrum, cum quo degebant quotidie, nihilominus propter obscurum & tenebrosum aërem, excusationem merentur: Sed quomodo ad minus non agnoverunt, eum esse hominem? videte & contemplamini sollicitè ô Apostoli, quia humana est, quam videtis figuram; qualiter vobis imaginamini phantasma esse, quod cernitis? pervolvite ô Auditores attentè evangelium, reperietisque, CHRISTUM, super aquas incedentem, visum Apostolis fuisse, quasi prætergrederetur eos, non autem quasi rectâ ferretur in locum, ubi angustiabantur Apostoli: *Volebat præterire eos.* O dicunt discipuli, si ille homo foret, utique, nos in tantis tribulationibus & medio procellarum constitutos videns, auxilium ferret; qui enim hnmanitate pollet, naturaliter inclinatus est ad subveniendum miseris in necessitate constitutis;

Ob nostrã item reputationẽ.

Marc. 6. v. 48.

v. 49.

v. 48.

tis; quia igitur iste nos pertransit, neque nostras sibi cordi ducit angustias, dicendum est, eum non hominem, sed potius phantasma esse. Annon animæ in Purgatorio undequaque in tot tantarumque pœnarum mari tribulantur? citra omne dubium; qui ergò subsidium, quod illis ferre potest, negligit, potius phantasma est, quàm homo. Audite Sancti Gregorii Nysseni resolutionem: *Ille frater non est, fera est, phantasma est, tyrannus est, qui potens proximum adjuvare, fingit se longius ire:*

Marc.6.v. 48. S.Gr.Nyss. Luc.24.v. 28.

XXX. Non modò tyrannus, sed & infidelis est ac Christiani nomine indignus, qui, cum potest, mortuis beneficia præstare omittit; doctrina hæc est Sancti Pauli, ad Timotheum ita perscribentis: *Si quis curam non habet suorum, & maximè domesticorum; fidem negavit, & infideli deterior est.* Animæ in sancto Purgatorio detentæ, vestri sunt cognati, vestri domestici; nisi eis auxilium & refrigerium præstiteritis, aut non homines estis, aut ipsis potius infidelibus pejores.

Signum mali Christiani. v.49. 1.Tim.5. v.8.

XXXI. Pater, quænam nos suffragia exhibere poterimus, in subsidium mortuorum? Instruit vos abundè Sanctus Gregorius Papa, dum ait: *Animæ defunctorum quatuor modis possunt adjuvari; charorum eleemosynis, precibus justorum, jejuniis cognatorum & oblationibus sacerdotum.* unde largam modò date eleemosynam, in mortuorum vestrorum memoriam; interim ego respiro.

S.Greg.pp. v.48.

SECUNDA PARS.

XXXII. CRas excellentias contemplabimur corporales Dominæ nostræ Mariæ, simulque discutiemus, si quis Mariæ devotus damnari possit ad infernum.

XXXIII. Resumentes, quæ insinuavimus, mortuis subveniendi media, exilia nos dixisse fatentur; verum est equidem nos animabus illis per preces, eleemosynam & jejunia, suffragari posse; at reservando potius opera ista pia in aliam occasionem, videamus nunc pro complemento & discursus præsentis termino, quodnam sit defunctis nostris suffragium magis proficuum, scilicet an crucis, an altaris sacrificium? dubium hoc mihi in animo agitanti occurrit subitò illud, quod sacerdos recitat in missa pro defunctis, dum ante offertorium inquit: *Domine Iesu Christe, rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu. De pœnis inferni?* dum anima, à corpore separata, transit ad paradisum, non est, cur timeat damnationem infernalem; si verò ad infernum descendit, spem non habet inde regrediendi; si autem ad Purgatorium transit; quomodo Ecclesia dicere potest & precari: *Libera eas de pœnis inferni?* communiter respondetur, hîc nomine inferni, non intelligi obscurum illum damnatorum carcerem: *in quo nulla est redemptio*: Sed Purgatorium; unde S. Thomas tradit in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. *quod locus Purgatorij, est locus inferno conjunctus, ita ut idem ignis sit, qui cruciat damnatos in inferno, & in Purgatorio purgat electos*: adeoque dum Ecclesia dicit: *de pœnis inferni*: idem est, ac si diceret: *de pœnis Purgatorij*; optima responsio; cui & acquiesco; sed audite, quid immediatè subjungat Ecclesia: *Libera eas, ne obsorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum*: quid intelligitur per ly *Tartarus & obscurũ?* non potest intelligi infern⁹, utpo-

In offert. missæ Defunct. S.Th. Ubi Purgatorium.

utpote damnatorum locus, animæ autem existentes in Purgatorio, nequeunt ruere in Tartarum inferni; neq; obscurus tartarus denotare potest Purgatorium; si animæ jam sunt in Purgatorio, jamque corruerunt in obscurum illum Tartarum, quomodo dicitur: *Ne absorbeat, eas Tartarus, ne cadant in obscurum.* (§. 37.)

XXXIV. Gravis hæc est indubiè difficultas, at quam enodandam, si ita vobis placet, cæremoniam requiramus agni paschalis. Præcipiebat Deus, ut in quartodecimo die cujusque anni in primo mense, unaquæque domus agnum suum manducaret; si autem forte fortuitò familia quæpiam nimis exigua foret, ita ut non sufficeret ad integrè consumendum agnum, debebant tales, juxta ordinationem Dei, suos invitare vicinos: *Si minor est numerus, ut sufficere possit, ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ.* (Exod. 12. v. 4.) Difficultas consistit in eo, quòd agnus ille totus & integer edi debebat sine divisione: *Caput cum intestinis vorabitis, nec os comminuetis ex eo:* (Exod. 12. v. 9.) quomodo totus agnus manducari poterat sine fractura? quid immoramur? de figurato actio est; cujus figura erat agnus ille? Christi: *Ecce Agnus Dei:* (Ioan. 1. v. 29.) agnus hic in sacramento altaris totus sine divisione manducatur: *A sumente non conscisus, non confractus, non divisus, integer accipitur:* (Christus in Euch. editur totus.) & quia in immaculato isto agno infinita continentur merita, nequit quispiam de eo participare tantum, quin non semper infinitum superabundet; ideoque ille, qui divinum hunc agnum manducat, vicinos pariter ad mensam vocare debet; quos vicinos? Angelicus doctor respondet: *Purgatorium est situm in loco, nobis viciniori:* (S. Th. in ser. de Purg.) Purgatorium situatum est medium nos inter & infernum. Nos igitur missam audientes vel fieri curantes, quandoquidem sacrificio illi infinita insunt merita, vocare debemus, id est, applicare sacrificium illud pro animabus Purgatorii.

XXXV. Etenim quam esse causam arbitramini, quòd hostia sacra ab offerente in tres partes dividatur? (Cur hostia in 3. partes dividatur.) si unus est sacerdos, qui eam integram suscipit, ad quid ista divisio? & si agnus paschalis totus integer sumendus erat, sacrificium hoc cur dividitur? amplius dico; in cruce dividi nolebat Christus: *Non fregerunt ejus crura:* (Ioan. 19. v. 33.) quomodo igitur in altari species illæ sacramentales separantur? quid hæsitatis? in altaris sacrificio totus integer Christus sumitur, quia in quacunque minima particula totus integer est Christus: *Ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur:* sacra nihilominus hostia dividitur, ut pars cedat vicinis, animabus scilicet Purgatorii; si autem non me interrogaveritis, quotuplex iis pars tribuatur; advertite mysterium mirabile: in tres partes dividitur hostia sacra, deque tribus illis una offertur pro vivis, & duæ aliæ applicantur pro mortuis; juxta quod Hildebertus cecinit:

Inde fit, ut, quoties sacras accedimus aras,
Particulis cedat hostia fracta tribus,
Pars intincta mero pro vivis orat, opusq;
Sanguis, & carnis expiat ipsa caro.
Pro bene defunctis --- --- --- ---
Offerimus tibi Christe duas --- ---

pro vivis una duntaxat pars offertur, illa scilicet, quæ sanguini immergitur; pro mortuis autem, quasi magis indigentibus & amplius famelicis duæ offeruntur.

Pro bene defunctis -- offerimus tibi Christe duas.

Quoties igitur DEo sacrificium offertur altaris, semper citandi sunt vicini, & sacrificium applicandum pro mortuorum nostro-

strorum animabus, cum recenti semper memoria, nos pane frui, qui non est totus noster, sed cujus bona pars est animarum sanctorum defunctorum.

Missa summè utilis pro animabus Purgat. XXXVI. At hîc videor mihi sollicitari ad resolutionem cujusdam dubii, scilicet quantum solatii animabus in Purgatorio & auxilii afferat sacrificium altaris? responsum accipite ex scriptura sacra. Rogabat Christum bonus latro, ut recordaretur ejus in altero regno: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum*; (Luc. 23. v. 42.) Christus autem indilatè ei paradisum impertiit, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*: (v. 43.) undenam meruit bonus latro paradisum tanta cum velocitate obtinere? dicite mihi (ut Deus vos salvet) ad quam partem hærebat crucifixus, felix ille latro? responsio clara est, eum ad dextram Christi pependisse; & bene tenebat dextram, qui ad cœlum prædestinatus erat: adeste animis; an non Longinus dextrum Christi latus aperuit? ita; quid autem profluxit ex vulnere isto? *Sanguis & aqua*, inquit S. Joannes; (Joan. 19. v. 34.) itane? sanguis exiit de latere Christi? pretiosus ille liquor, ad plagam, Longini lanceâ inflictam excussus, tanto proruit cum impetu, ut ad boni latronis corpus pervenerit; pretiosique illius sanguinis aspersio animam illius à pœna & culpa purificavit, qui tot admiserat homicidia & furta; est hæc Hugonis Hæteriani sententia, dum in lib. de animarum regressu ita inquit: (Hug. Hæt. l. de regress. ani. c. 12.) *Sacratissimo sanguine latro ille aspersus est, ideoque in ictu oculi, cum ipso Salvatore paradisum intravit*: ex hisce argumentum formemus à fortiori. Si nostri Salvatoris sanguis, animæ perversi adeo peccatoris applicatus, ut illi subitò & sine mora paradisum impertierit; quantò magis asserendum erit, animas Purgatorii, in gratia Dei constitutas, transire in Paradisum ipso eodem die, in quo pro ipsis sacerdos applicat sanctum altaris sacrificium?

XXXVII. Servit huic proposito nostro id, quod S. Lucas Tudensis refert. (S. Luc. Tud.) Sancto illi, certificari avido, an missæ sacrificium animabus suffragaretur Purgatorii, apparuit quædam horrendi istius status anima, his eum verbis affata: *Cum in missæ sacrificio immolatur Deo hostia salutaris, multi nostrum nullâ pœnæ afficiuntur*; imò *ad loca, ubi corpora nostra jacent, venire permittimur, quasi aquâ benedictâ vel incenso videantur aspersa, tali refrigerio perfundimur, ut nobis quasi paradisiaca requies videatur*: ut primum sacerdos missam celebrare incipit, animæ, pro quibus sacrificium applicat, tantam experiuntur consolationem & refrigerium, quasi liberæ essent à pœnis; imò iis permittitur invisere sepulchra, in quibus recondita sunt corpora earum; sique monumenta per aquam benedictam aspersa repererint vel incenso thurificata, tantum percipiunt jubilũ, quasi in ipso paradiso essent. Itane? dicit S. mater Ecclesia, quando celebratur sanctum missæ sacrificium, tunc animæ, pro quibus illud applicatur, nullas sustinent pœnas, sibiq; è flammis ereptæ videntur? te igitur Domine, obsecro, ne permiseris, istas Purgatorii animas, quæ in virtute sancti sacrificii, nihil cruciatuum patiuntur, reincidere in pœnas istas: (§. 33.) *Libera eas, ne cadant in obscurum; nec absorbeat eas tartarus.*

XXXVIII. Audistis, quantam ex sancto altaris sacrificio utilitatem habeant animæ Purgatorii; forsitan à sacrificio crucis idem subsidium consequuntur? minimè equidem; licet enim pretiosus Christi sanguis, in monte Calvariæ effusus, fuerit & sit valoris infiniti, *& quo ad sufficientiam* copiosius pro omnibus, non

Cur hostia in 3. partes dividatur. (Joan. 19. v. 33.)

tamen fuit efficax pro omnibus, non enim omnes illi, pro quibus effusus fuit, salvati sunt; at sacrificium altaris non modò sufficiens, sed etiam efficax est pro omnibus; cuncti illi, pro quibus offertur, infallibiliter assequuntur salutem.

XXXIX. Vultisne, verbum eloquar, stupore plenum? audite; si ipse infernus de sacrificio altaris participare posset si infortunatis & miserrimis animabus damnatis, quæ corporis mystici Ecclesiæ sanctæ membra non sunt, fructus panis eucharistici obtingere posset, prout eo frui possunt, & de facto potiuntur animæ Purgatorii, sanè nec infernus esset, nec mors perpetua. Suffragatur asserto meo Rupertus Abbas in reflexione, factâ ad caput 6. Apocalypsis, ubi dicuntur varii in campum exiisse equi & equites, pomposum exhibituri spectaculum sui; quos inter ultimus gradiebatur *equus pallidus*, *& qui sedebat super eum, nomen illi mors*: equus erat, nullâ dotatus generositate, totus macilentus & pallidissimus. Scire avetis, inquit Rupertus Abbas, quis fuerit equus iste adeo pallidus? unus erat ex spiritibus infernalibus, quædam erit inferni anima, cui mors dicitur insidere; quia animæ, quæ in inferno torquentur, semper mortis adhærent lateri, morientes sine morte & viventes sine vita, utpote quæ moriuntur semper. Undenam hic oritur pallor? *Equus pallidus*: scitis, unde? respondet Rupertus, ex fame, quæ, ut nostis, in vultus pallore innotescere solet: at purus spiritus quâ poterit fame premi? quid esuriebat equus iste? ah, privatus erat pane illo supersubstantiali: non enim ulla damnata inferni anima, corporis mystici Ecclesiæ sanctæ membrum est, sed aridum, putridum & fœtens; ideoque pallidus apparet equus, quia scilicet

Ap. 6. v. 8.

omni destituebatur nutrimento eucharistico, cujus si usus & fruitio tribueretur inferno, & mors esse desineret & infernus. Audite ipsius Ruperti verba: *Panis hic vivus est & vita angelicæ substantiæ; nam in eum desiderant angeli prospicere, quod quia facere contempsit angelus, cecidit & factus est diabolus; & hujus panis* (Notate verba) *sempiternam patiens inediam, semper est pallidus, & mors illum sequitur.* Si eucharistici hujus sacrificii tanta foret efficacia & vis in animas, æternâ morte damnatas, quantam non exercebit virtutem in Purgatorio? quale non impertiet nobilissimis animabus illis nutrimentum? ita, ita; dicite liberè, eloquamini intrepidè, pro sancti Purgatorii animabus efficacissimum esse altaris sacrificium, imò majus ipsi ab eo, quàm à sacrificio crucis advenire subsidium; non modò ob rationem dictam, sed etiam, quia in sacrificio montis Calvariæ, unicus solùm fuit offerens, scilicet ipse CHRISTUS; in sacrificio autem altaris plures sunt offerentes; quia principalis in eo offerens est CHRITUS, sicut etiam fuit in cruce, & præter Christum Sacerdos celebrans, qui est immediatus offerens, velut minister Christi; deinde etiam offert tota universalis Ecclesia cum omnibus fidelibus, mediante sacerdote; præterea quoque sunt omnes illi, qui sacrificio præsentes intersunt, & denique iste, qui missam celebrari curat: videte, quanta sit excellentia Sacrificii altaris, super illam, quæ reperitur in sacrificio crucis.

Rup. Abb. super hunc locum.

XL. Ne igitur, ô dilectissimi, animis vestris excidat, ne obliviscamini, sacrificium missæ offerre pro beatorum defunctorum animabus; mementote, quia non totum vestrum est, pabulum

sacra-

Ito.

Szałwi Cwierć funta

Senesu Cwierć.

Galganu pul fonta

wodki wegierski flaske 1

Dzyrakie pul ~~fonta~~ Cwierci

Cztek muska ta gr 10

Spicanardi ziela rays 3

Rozmarinu rays 3

Bobku rays – 2

Rad. Jalappae Za Cwierc	f	1:–:–
Fol. Senesu Cwierci	f	1:15:–
Galgannu Pul Funta	f	1:15:–
Wodki Węgerskiego flaszka	f	–:18:–
Theriaki we Pul Cwierci	f	1:–:–
Gałek Muszkatowych Za	f	–:10:–
Spikinardi Ziele Za	f	–:3:–
Rumianku Za	f	–:3:–
Bobkow Za	f	–:3:–
Za banka	f	–:2
Summa	f	6:9

Vrszula Deykiewiczowa

Wdowa

Rup. Abb. super hunc locum.

ſacramentale, bona ejus pars debetur animabus Purgatorii deſolatis, ſi non poteſtis eleemoſynam dare pro celebrando ſacrificio integro, ad minus, dum miſſam auditis, advocate afflictos illos ſpiritus ad participationem ſacrificii; adjungite inſuper eleemoſynam & jejunium, nec orationem quotidianam intermittatis; quid multa? finio diſcurſum meum cum Sancto Gregorio Nyſſeno, quemcunque noſtrum ita alloquente: *Memento ô Chriſtiane omnium fidelium defunctorum; quòd ſi hoc feceris, magnam eis requiem præbebis, & tu comples preces tuas.* Quoties animarum iſtarum deſolatarum recordatus fueris, non modò ingens iis præſtans refrigerium, ſed etiam Deum obligas, ut tibi in hac vita retribuat per gratiam, & poſtea in altera per gloriam. Amen. S. Gr. Nyſſ.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

IN SABBATHO POST DOMINICAM QUARTAM Quadrageſimæ.

DISCURSUS

De excellentiis pulchritudinis Sanctæ MARIÆ Dominæ noſtræ.

Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Joan. 8. v. 12.

PROBLEMA

Utra ſit venuſtas admirabilior, ſcilicet Dei, aut verò Virginis Mariæ? & an poſſibile ſit, quempiam, Virgini devotum damnari?

INTRODUCTIO.

I.

NOn veni ô Auditores, hodie diſceptare aut dicere illam tam veterem, quàm curioſam academicam quæſtionem, an ſcilicet bonum prævaleat pulchro, vel econtra; & utra majoris ſit efficaciæ, bonitas aut pulchritudo? ſcio equidem, rationes militare pro utraq; parte; ita ut, ſi bonum eſt, quod deſideratur ab omnibus: *Bonum eſt, quod omnia appetunt;* pulchrum quoque ſit illud, quod attrahit omnes; *Pulchrum eſt, quod omnes allicit.* Si lex divina bonos pręferri, præmioq; dignos aliis anteponi pręcipit lex quoq; civilis determinat,

minat, ut, si duo, in meritis equales, ad unū idemque prætendant officium, dignitas conferatur ei, qui magis est venustus: *Pulchriori detur*, si bonitas fructus est cœlestis & voluntatem excæcat; pulchritudo typus est Dei, & corda eviscerat. Denique bonitas fundamentum est ædificii spiritualis, indissolubilis divinæ amicitiæ nodus; pulchritudo quoque sol est inaurans, lux inflammans, objectum, quòd inæstimabile lucupletat pretium gemmarum; at quidquid sit, quidquid decidatur, sive in bonitatis sive in pulchritudinis favorem, negari nihilominus nequaquam potest, quò *excellens sensibile corrumpit sensum.* Sit potentia sensiva optimè disposita, nihilominus objectum nimis sensibile, semper impediet sensationem: si ita est, ut est verissimum, quod nos hodie facturi sumus, pro objecto contemplaturi magnam nimis Mariæ venustatem? an non auditis, qualiter ipsa decoris sui excessum commemoret, dicens? *Ego sum lux mundi?* subsistite ô Auditores, si Maria se venustam nuncupat, velut mundi lucem; & Christus meritò dicere poterit de seipso:

Probl.

Ego sum lux mundi. Duplex itaque hodie oculis nostris obversatur venustas, hinc Mariana, istinc Divina. Utram admirabiliorem esse dicemus, hanc Dei, aut illam Mariæ? hoc discutiemus primò, deinde exploraturi, utrùm possibile sit, aliquem Mariæ devotum damnari? venustas doloris ingerit cruciatum contemplanti se; me igitur pulchritudinem Mariæ repræsentante, vos supercilia subducite & linguam connectite in favorem silentii, & incipiamus.

Hug. Vict. ser 9. instit. monast.

II. *Ego sum lux mundi*: hodie inquit S. Maria. Hugo Victorinus Spiritum sanctum Mariæ loquentem introducens, ita discurrit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; pulchra es intus, pulchra es foris; intus in corde, foris in corpore; intus rubicunda, foris candida, utrobique composita: rubicunda per charitatem, candida per castitatem, composita per humilitatem; in toto es grata, in nullo ingrata; in toto tu places, in nullo tu displices; pulchra es per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam.* O quantus decor!

Maria sine omni nævo.

III. Quantanam hæc esse potuit Mariæ elegantia? quanta? fuit extremè talis, ita ut, quidquid in ea videatur, nunquam vel minimus maculæ nævus observari possit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* At unde constat, aut quomodo demonstrari potest, nullum unquam fuisse in Maria nævum aut maculam immunditiæ? ipsemet Spiritus sanctus in canticis Mariam alloquens, ait: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* O quàm venusti sunt passus tui, decora sponsa mea, est vestigiis & semitis tuis dignoscitur, te magni Principis Dei esse filiam. Quonam gradiebatur incessu Domina ista, adeo venusto & eleganti, ut vel ex solo ingressu, quisquis eam videret, colligere posset, eam esse Dei filiam? juxta Apocalypsin S. Joannis, magna hæc Domina, visa fuit gradi super lunam: *Mulier amicta sole, & Luna sub pedibus eius.* Notate, non dici Mariam calceatam aut indutam Lunâ, sed incedere super Lunam. Vos scitis Astrologi, Lunam corpus esse sphæricum, inferior autem pars pedis corpus planum est; juxta Philosophum autem *Corpus sphæricum positum supra corpus perfectè planum, & è contra, tangit in puncto*: quando igitur planta pedis innititur rotunditati Lunæ, illa corpus hoc Lunæ solummodo attingit in puncto indivisibili. Quando itaque S. Joannes Evangelista dicit, Mariam ambulasse supra Lunam, dicere voluit;

Cant. 4. v. 7. — *Cant 7. v. 1.* — *Apoc. 12. v. 1.* — *Arist. 4. Phys.*

voluit maculas Lunæ, sublunaresque immunditias pedibus substratas fuisse Mariæ: *Luna sub pedibus ejus:* nunquam Domina illa pedibus suis ullas Lunæ aut corporum inferiorum sordes attigit aut spurcitias. A Luna usque ad cœlum empyreum nulla fœditas imaginabilis est aut macula, sed quidquid supra eam est, totum id lumen est & splendor Paradisi; tota immundities & deformitas, quæ videtur, à Luna incipit & protendit usque in inferiora; ideoque dum juxta S. Joannem Maria supra Lunam incessisse, Lunamque sub pedibus habuisse dicitur: *Luna sub pedibus ejus:* insinuatur, tantæ Mariam fuisse elegantiæ & venustatis, ut nullus unquam in ea nævus aut macula fuerit immunditiæ. *Tota pulchra fuit*, dicit quidam doctus pater, *& nulla in Virgine visa est macula; quia pulchri gressus ejus in calceamentis, & Luna sub pedibus ejus.*

M. nunquam sordes tetigit sublunares.

Maria sine omni nævo.

Cant. 4. v. 7.

Cant. 7. v. 1.

Apoc. 12. v. 1.

IV. At si nullus in Maria exstat immunditiæ nævus, quanta ejus venustas? locate in hac parte omnes omninò Angelorum pulchritudines, ex ista verò minimum marianæ venustatis gradum, hic superat longeque excellit super omnem, etiam supremam Angelorum pulchritudinem. Postquam vice quâdam per noctem integram Angelus cum Patriarcha Jacob luctatus fuisset, tandem post longam contentionem inclaruit aurora; unde Angelus ad Jacob: *Dimitte me, quia aurora est:* permitte ut abeam, quia appropinquat aurora. Quomodo Angele sancte, tu spiritus lucis lucem fugis? nocte integrâ cum Jacob decertasti, & modò ingruente aurorâ aditum paras? Lucta hæc Angelum inter & Jacob, figura fuit contentionis inter naturam angelicam & humanam, in materia pulchritudinis; Angelo repræsentante naturam angelicam, & Jacob, veluti hominum patre, designante humanam. Sustinebat Angelus, venustiorem esse naturam angelicam humanâ, his innixus rationibus, quia scilicet angelica est intellectualis, incorruptibilis & nulli subjecta passioni; Jacob defendebat oppositum, scilicet naturam humanam non inferioribus elegantiis à Deo dotatam esse, quàm angelicam; si enim intellectualis est Angelus, intellectualis est & homo; si Angelus incorruptibilis, immortalis est & anima hominis; si hospitium Angelo cessit, creatum à Deo cœlum, homini Deus incolatum assignavit terram & cœlum; nec quidquam gratiæ assignari potest, concessæ Angelo, quæ non etiam collata fuerit homini. Resumit Angelus: quomodo homo de terra coagulatus sese comparare audet cum natura angelica, ab omnibus illis liberâ imperfectionibus, quæ in ratione intelligendi adeo sublimis est, ut certo quodam modo ad intelligentiam pertingat ipsius Dei? quid præsumit homo, animalium irrationabilium princeps; quomodo creaturarum intellectualium ultima & infima, se naturæ angelicæ assimilare prætendit, quæ post Deum immediatè primum obtinet locum? Tunc Jacob quasi ulterioris responsi incapax, pro humanæ naturæ sublimatione, Angelo Mariam objecit, dicens: O Angele, nunquid inter omnes angelicos choros, ulla reperitur creatura, ita pulchra, ita gratiosa & decora, sicut Maria? ad hæc Angelus indilatè convictus & superatus, ait: *Dimitte me, quia aurora est.* Recede à me, do victas manus, ratione prævales: *Aurora est.* Inter creaturas humanas sola Maria, *aurora est* adeo venusta, ut vincat & superexcellat nos omnes. Nullus beatorum spirituum tantâ pollet venustate, quantâ Maria: gloriemini ô mortales, quòd in ordine-

Minima venustas M. major est, quâm maxima Angel.

Gen. 32. v. 26.

Arist. 4. Phys.

Lucta inter naturam Ang. & hum.

Angelus fatetur Mariam se pulchriorem.

dine vestro Dominam possideatis, adeo pulchram, gratiosam & venustam, ut omnes nos longè exsuperet spiritus angelicos.

V. Ast Angele sancte, si tu naturæ humanæ primas indulges, intuitu Mariæ, cur hanc duntaxat auroram vocitas? *Dimitte me, quia aurora est*: nonne Mariam nuncupare poteras solem, aut Lunam, aut cœlum millenis perfectum splendoribus? Verum est, inquit Angelus, Mariam solem, & lunã, & cœlũ esse infinitis adornatũ splendoribus; at ego dixi, nos superari à Maria, quatenus aurora est; ad insinuandũ mundo, Mariam nobis excellentiorem esse, non modò quò ad majorem decoris sui gradum, sed etiam quò ad infimum radiantium luminum suorum splendorem.

S. Pet. Dam. Ser. 40. Audite S. Petri Damiani sententiam: *Sicut sol ita siderum & lunæ rapit positionem, ut sint, quasi non sint, & videri non possint; Sic Maria in illa superna luce perlucens, ita ut aurora utrorumq; spirituum lucem excedit, ut sint, quasi non sint, & videri non possint.*

VI. Quanta equidem hæcce fuit Mariæ venustas, quandoquidem infimus ejus gradus eminentior est, quibuscunque supremis Angelorum splendoribus? audite, quæ loquor: si per impossibile non foret in Paradiso Deus, & nihilominus ibi esset Maria, ipsa sola multiplici jubare suo, beatum efficeret Paradisum. Profectus est quondam Dionysius Areopagita Jerusalem versùs, ut cœlestem hanc Dominam inviseret, quàm cœlestibus infinitæ pulchritudinis radiis tam opulenta quàm omnipotens Dei manus expolierat; Jerusalem venit, Mariæque præsentiâ fruitus, vultum ejus sanctum contemplari cæpit, per quem immensæ bonitatis centrum adeo sese diffuderat, ut omne in eo conspiceretur bonum, perfectum & pulchrum; flores terræ, ornamenta cœli, thesauri Paradisi, gratiæ Angelorũ & gloriæ ipsius Dei: obstupescebat illa naturę specula, cordis simulachra, vivas flammas, radios illos lucentes, ista venustatis jubara, sanctissimos dico oculos, in quibus summum æternum bonum, quod illa portavit in pectore, novus ille sol sua expandit lumina, suos dilatavit radios & splendores: suspexit tandem in supremo illo vultus virginei cœlo, quasi in horto diversorum florum, manu divinâ plantatorum, insolitam moveri contentionem, inter pulchritudinem & fragrantiam, colores inter & odores, gratiam & naturam, terram & cœlum: totus cingebatur Areopagita luminibus, totus accendebatur flammis, totus ita hærebat defixus, ut hosce inter ardores, inque parvis istis oculorum terminis Deum arbitraretur sese intueri; unde ad cœlum conversus, ajebat: *O DEus, nisi me tua doctrina docuisset, hanc verum Deum credidissem*: nisi ego per fidem scirem, Mariam hanc, esse creaturam; ego adorarem ipsam, velut Deam: tam pulchra est, ut eam videns, ipsum mihi videar intueri DEUM. Quanta fuit hæc Mariæ venustas, ut in ejus contemplatione, Deum sibi crederet quodammodo objici?

Margin notes: Sola sine Deo Paradisum illustraret Maria. — S. Dion. Areopag.

VII. Redeamus (veniâ vestrâ) ad Apocalypsin S. Joannis Evangelistæ, fæminam quandam in cœlo conspicientis, circumdatam sole: *Mulier amicta sole*; Apoc. 12. v. 1.
quin mulier hæc fuerit Maria, non est, qui negat; unde S. Bernardus in sermone super Apocalypsin, ante medium, Mariam contemplans sole vestitam, totus in admirationem raptus, interrogat, quomodo Maria tantos inter ardores non fuerit combusta? Sol juxta Platonem, massa est ignea, & licet secundùm Peripatheticos

Quomodo M. sole vestita sine combustione. S. Bern.

ticos non sit ignis realis, nihilominus effectus producit igneos; qualiter ergo factum est, ut Maria, sole induta, non conflagrarit? *Mira vicinitas*, inquit S. Bernardus, *solis & mulieris; quomodo in tam vehementi fervore, tam fragilis natura subsistit?*

Rup. Abb.

Respondet Rupertus Abbas, Mariam ab ardore solis accensam non fuisse, quia sole illa non materiali, sed divino justitiæ, CHRISTO circumamicta erat: *Sol justitiæ* CHRISTVS. Maria ipsiusmet DEI pulchritudine vestita erat. *Sol ille*, ait Rupertus, *quo tanquam veste fuit virgo amicta, fuit Christus, qui in ejus utero novem mensibus habitavit; deinde majori cum virginitatis honore ipsam perenniter illustravit.* Itane? Maria divino erat sole vestita? tota ipsius Dei circumornata elegantiis? bene igitur assereruit Areopagita, quòd Mariam videns, ipsius Dei intuitu se frui arbitraretur; sicque pariter meritò dixi ego, quòd si per impossibile in Paradiso non foret Deus, & duntaxat ibi foret Maria; sola illa, quasi tota DEO amicta, beatum redderet paradisum.

Maria venustissima, &c. Apoc. 12. v. 1.

VIII. At nunquid hodie intelligere poterimus, usquequo hæcce ascendat Mariæ venustas? hyperbolicum forte dictum arbitrabimini, quod modò eloquar; ast minimè ita sese res habet, veritas namque Christiana est, divinæ innixa scripturæ. Tanta fuit Mariæ venustas, ut, si Deus per totã æternitatem, novas & novas meliores destinaret producere creaturas, nunquam tamen magis pulchram, magis venustam & perfectam posset facere ullam, quàm fuit Maria. Unde ipsamet de sese loquens per Salomonem inquit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Ego, dicit virgo Maria, omnium creaturarum DEI sum antiquissima, adeo antiqua, ut *ab æterno ordinata sim*: quomodo Domina mea potest verificari verbum istud oris tui, scilicet te ab æterno fuisse? an non filia es S. matris Annæ, post tot à mundi creatione, annos progenita? ita; quomodo igitur tu dicis: *ab æterno?*

Prov. 8. v. 23.

Mundus nequiit esse ab æterno.

Philosophi, nunquid mundus incæpit in tempore? ita Ecclesia asserit contra Aristotelem: *Primo dierum omnium, quo mundus exstat conditus.* Et quantumvis quæstio controvertatur inter doctos, an per absolutam Dei potentiam mundus potuisset incipere ab æterno; & aliqui probabiliter affirment; nihilominus communior est sententia negativa, scilicet quòd nec Deus de potentia sua absoluta mundum potuerit producere ab æterno; quia *duratio debet esse proportionata rei duranti.* Mensura semper debet esse proportionata illi, cujus est mensura; at æternitas est infinita, & creatura est finita: *Finiti ad infinitum nulla est proportio:* ergò ne Deus quidem per omnipotentiam suam poterat facere, ut mundus inciperet ab æterno. Si ita est; quomodo igitur Maria inquit: *Ab æterno ordinata sum?*

IX. Memini, quòd me hîc Romæ existentem in Anno sancto, non hocce ultimo, sed alio antecedenti, certi quidam amici Siciliani convenerint, cupidi videre in civitate hac sancta quippiam pulchri; duxi eos in diversa Eminentissimorum Cardinalium palatia, in quorum uno singulariter picturam vidimus tantæ venustatis & elegantiæ, ut quidam circumstantium (qui ipse pictor erat) diceret: *Opus centum annorum*: verè pictura hæc centum habet annos. Ad hæc ego retrorsum conversus, postulavi, quomodo figura ista centum posset numerare annos, quandoquidem juxta subscriptionem efformata fuerat, anno 1618.

Exempl. Mariæ decor opus æternitatis.

Ad hæc replicavit ille: Pater, neutiquam intendo dicere ego, figuram hanc ante annos centum elaboratam fuisse; sed dico: opus istud adeo excellens esse, ut, si artifex centum annos in eo perficiendo impendisset, non solùm eos locasset bene; sed etiam, si centum alios adhibere vellet, non posset alteram huic in decore, elegantia & perfectione similem efformare picturam: *Verè opus est centum annorum.*

X. Ita pariter dico ego: obstupescebant Angeli, tantam cernentes in Maria venustatem, omnesque admirabundi, dicebant: *Quæ est ista pulchra ut Luna, electa ut sol?* (Cant. 6. v. 9.) quæ est ista, tanto ornata decore, ut solem imitetur Paradisi? ne admiremini, ait Maria ô Spiritus beati: *Ego ab æterno ordinata sum*, id est, *opus æternitatis*: quid hoc est? *opus æternitatis*. Dicit Augustinus: *Opus æterni consilij Maria.* Si Deus foret capax consilii, hocque fuisset æternum; Deus in virtute æterni consilii sui, perque omnem æternitatem, non posset producere matrem venustiorem, pulchriorem & perfectiorem Mariâ: *Opus æterni consilij, Maria.*

IX. Tantæ excellentiæ fuit venustas Mariæ, ut, nisi divina providentia prævenisset; periclitata fuisset ipsa fides; & quomodo? Maria ob nimium suum decorem, velut Dea adorata fuisset. Potestisne solidam aliquam mihi assignare rationem, cur Maria desponsata fuerit cum Josepho sancto? (Cur M. desponsata Iosepho.) ego saltem capere non valeo, quo fine celebrata sint sponsalia; certè non in ordine ad copulam conjugalem, uterque enim sponsus vitæ erat purissimæ, obnoxius perpetuæ virginitatis voto. Si mihi dixeritis, sponsum fuisse assignatum V. Mariæ S. Josephum, ut eam comitaretur, defenderet, inque omnibus occurrentibus necessitatibus serviret: id totum fieri poterat sine mediis sponsalitiis obsequiis; suffecisset namque, Mariam aut ipsi Josepho, aut alteri sanctissimæ vitæ homini fuisse recommendatam, itaæque bene de servitio & custodia, ipsi provisum fuisset, ac postea illam & de facto Deus munivit & providit per Sanctum Josephum. (Matth. 1. v. 25.) Dicetis forte, sponsalia instituta fuisse propter mundum, ut scilicet nullus ansam haberet sinistrè suspicandi de Mariæ honestate, præsertim quando gravida visa fuit; (Abul.) nec hoc me responsum convincit, quia Maria communem excedebat mulierum conditionem, vitam agens Angelicâ puriorem, adeoque, antequam fuisset observata ferre utero sine sponso, optimum ante sparsisset illius prægnationis odorem. (S. Athan. in ep. ad Epith.) Et tandem edicite mihi, uterum erat majus: dicere, Mariam gravidam fuisse inventam sine mariti opera; quàm falsò asserere, Christum esse filium Josephi? nisi Maria se desponsasset, in sinistram mundi suspicionem incidisset honestas Mariæ; (Luc. 1. v. 27.) at desponsatâ Josepho Mariâ, omnium ore filius Mariæ dicitur filius & Josephi: *Nonne hic est filius fabri?* (Matth. 13. v. 55.) respondebitis vos, hanc mundi sinistrã de Mariæ partu suspicionem prævenisse & præcavisse Ecclesiam, dum docet, quòd Maria, *antequam conveniret cum Ioseph, inventa est habens de Spiritu sancto.* (Matth. 1. v. 18.) Eodem pariter modo dico ego, potuisse Ecclesiam nobis revelare & fidem fecisse, Mariam parturisse sine sponso, partum ejus opus esse Spiritus sancti: cur igitur Deus voluit Mariam sancto desponsari Josepho?

XII. Quandoquidem sponsalia tractamus Mariæ & Josephi, defixi aliquantulum hæreamus in contemplatione sponsorum adeo cœlestium. (Cur Joseph non cognoverit sponsam.) A multo jam temporis cursu, Josephus velut

spon-

sponsus, degerat cum vera sponsa sua, Mariâ; & nihilominus, teste S. Matthæo: *Joseph non cognoscebat eam.* Joseph sponsus multorum annorū & senex, ipsam Mariam sponsam suam non cognoscebat. O gloriose, tu qui tanto tempore commoratus es cum Maria sponsa tua, per tot ânos manducasti & egisti cum ea, non tu cognoscis Mariam? quid admiramini, respondet Abulensis? *Quam diu Maria tenuit Christum in utero, fulgebat vultus ejus quadam claritate divinâ, ita ut Joseph non posset eam cognoscere.*

Matth. 1. v. 25.

Abul.

XIII. Modò intelligetis, cur Joseph fuerit desponsatus Mariæ. Tot tantique erant, inquit S. Athanasius, Mariæ splendores & venustates, tot cœlestia sanctus ejus vultus spirabat vibrabatque lumina, nisi illi in sponsum assignatus fuisset homo, vera creatura; periculum incurrisset vera fides; credidisset enim alioquin mundus, Deam esse Mariam. Audite Athanasium ipsum, ita discurrentem: *Gabriel ad Virginem legatur; nec simpliciter ad quamcunque Virginem, sed ad Virginem desponsatam viro; ut ex viro ostenderetur, Mariam verè hominem esse.* Maria desponsata fuit, ut ex homine sponso mundus inferret & concluderet, Mariam non esse Deam.

S. Athan. in ep. ad Epith.

Luc. 1. v. 27.

XIV. Verissimum vobis assero ô Auditores, quidquid huc usque dictum est de Mariæ pulchritudine, totum hoc mirabile esse; ast nunquid possibile erit, hodie nos terminum reperturos elegantiarum & venustatum tantæ Dominæ? permittite mihi pro nunc, ut gloriæ marianæ novam adjungam similitudinem, quæ vel ipsos Angelos rapiet in stuporem. Quis crederet, venustatem Mariæ venustati competere divinarum personarum? Tam fuit decora Maria, quàm decora est ipsa sanctissima Trinitas. Vultisne, ut Mariam vobis exhibeam, velut vivam æterni patris effigiem? cur æternus Pater minimè incarnatus fuit? in creatione mundi omnes tres divinæ personæ concurrerunt ad productionem hominis, eique divinam impertierunt pulchritudinem & similitudinem, imaginem illi imprimendo ipsius Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā.* Postquam verò homo per peccatum, hanc, sibi à SS. Trinitate datam, destruxit perdiditque figuram; voluit DEus, ut incarnatio fieret ad instar novæ creationis, vi cujus in homine aboleretur illa, per peccatum contracta, fœditas; deque novo in hominem introduceretur, antiqua illa, à Trinitate communicata venustas. Hoc supposito, scilicet quòd incarnatio debuerit fuisse quasi nova creatio, veteris in hominem reintroductiva pulchritudinis; in incarnatione autem intervenit Verbum, secunda sanctissimæ Trinitatis persona: *Verbum caro factum est*: & pariter concurrit Spiritus sanctus, humanitatem Christi formando: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*: cur non etiam eidem cooperatus est & Pater æternus? S. Irenæus respondet, Patrem æternum, ad manutenendam majestatis suæ excellentiam & divinitatem, incarnari neutiquam debuisse aut visibilem fieri, sed potius stare in occulto & ab humanis absconditum oculis: & unde nuncupabatur: *Deus absconditus.* Ast qualiter ergò fiet incarnatio? deficit in ejus cooperatione Pater æternus; forsitanne vetus ille decor & pulchritudo, in prima creaione à tota Trinitate homini collata, in incarnatione non restituetur ei? aut forte peragetur incarnatio, sine interventu Patris æterni?

Gen. 1. v. 26.

Cur pater æternus non fuerit incarnatus.

Ioan. 1. v. 14.

Matth. 1. v. 18.

Isa. 45. v. 15.

XV. Dicite mihi rationem ô Auditores

Cum patre æterno non comparet. tores ob quam in locis istis, in quib' comparebat Maria, nunquam observata fuerit vox Patris; & econtra ubi sese insinuabat Pater æternus, nunquam visa fuit Maria? in præsepio, in monte Calvariæ, ubi observatur fuisse Mariam, non comparuit Pater; in Jordane & monte Thaborio, ubi locutus est Pater, præsentia defecit Mariæ; cur ita? Sanctus Basilius Seleuciensis mihi ademit sollicitudinem, dicens, Mariæ pulchritudinem, splendorem esse derivatum à Patre: *Gloria Virginis est splendor delibatus à Patre.* q. d. sanctus: Pulchritudo & venustas Mariæ, vivum est æterni Patris exemplar; qui Mariam videt, vivam intuetur æterni Patris effigiem. Itanè? Mariana venustas speculum est repræsentativum Patris? nihili igitur refert, inquit sanctus Irenæus, non fuisse incarnatum Patrem; præsentia Mariæ locum poterit supplere Patris; sicque si in incarnatione visibiliter non adest Pater, præsens illi est Maria, cujus nimia pulchritudo ad vivũ repræsentat Patrem.

Matth. 2. v. 11. Ioa. 19. v. 25.

S. Bas. Seleuc.

XVI. Videre desideratis, Mariæ venustatem decori Filii æqualem? S. Joannes in Apocalypsi, sedem in cœlo se vidisse commemorat majestate plenam, cui augustissimus ipse Deus insidebat: *Ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens*; memini me in alio Sabbato dixisse, sedentem hunc fuisse Deum, sedem autem Mariam: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Volens insuper S. Joannes nobis describere sessoris formam & figuram, dicit, quòd, *qui sedebat in Throno, similis erat aspectui Iaspidis.* Qui sedebat DEUS, Jaspidi assimilabatur; Maria autem, quæ sedes erat, Iridis figuram exprimebat: *Iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdinæ*; aër circumstans repræsentabat Smaragdos.

Apoc. 4. v. 2.

Eccli 24. v. 12.

Apoc. 4. v. 13.

O stupenda res, inquit Plinius, quòd *Iaspis Smaragdo similis est*: Jaspis similitudinem induit Smaragdi. DEUS incarnatus Jaspis est, & Smaragdus Maria; statuendum est igitur, tantam fuisse Mariæ venustatem, quanta est ipsius filii Dei, quia *Iaspis Smaragdo similis est.*

Plin.

Mariæ decor est similis Filio Dei.

XVII. Optatis denique Mariam contemplari, in venustate comparem Spirtui sancto? In Canticis Canticorum, Mariæ nomen tribuitur columbæ speciosæ: *Veni columba mea, formosa mea.* Sanctus Gregorius Nyssenus hanc audiens Mariæ nomenclaturam, curiosum movet dubium, dicens; quàm creditis columbæ hujus Mariæ fuisse matrem? respondetque ipse: *Non obscurum esse debet, quænam fuerit hujus columbæ mater; sicut enim homine inspecto, statim dicitur, illum esse filium hominis alterius; sic cùm matrem hujus columbæ inquirimus, illam fuisse aliam columbam non dubitamus.* Videntes hominem, dicere solemus, hunc esse non bestiæ, sed alterius filium hominis; dum igitur nobis constat Mariam columbam esse, necessariò inferendum est, eam alterius esse columbæ prolem. Quæ autem hæcce altera est columba, Mariæ columbæ parens? respondet idemmet sanctus: *Mater hujus columbæ est illa columba, quæ super caput Christi in Iordanem descendit*: quæ fuit columba ista? Spiritus sanctus: *In specie columbæ visus est.* Itane? Maria Spiritus sanctus: *In specie columbæ visus est.* Itane? Maria Spiritus sancti est filia? vester vos docet Aristoteles ô Philosophi, in libro de natura animalium, quòd *filius vel filia à viro accipit robur, sed à fœmina venustatem.* Partus à patre vires, robur & fortitudinem mutuat, sed à matre decorem; dum igitur Maria fuit Spiritus sancti filia, dicendum

Cant. 2. v. 10.

Greg. Nyss.

Matth. 3. 16.

dum est, Mariam pulchritudine dotatam fuisse Spirititus sancti.

XVIII. Si porrò idipsum vobis insufficiens videtur, quod dixi; audite Angeli ipsius testimonium, ita Mariæ respondentis: *Spiritus sanctus superveniet in te. Quomodo superveniet in te?* dicere debebat: *introveniet.* Nequaquam, dicit S. Bernardus: *superveniet, id est, iterum veniet.* Quoties igitur venit Spiritus sanctus in Mariam? bis; primò venit Spiritus sanctus ad expoliendam Mariæ animam; ideoq; S. Athanasius inquit: *Spiritus sanctus descendit in Virginem, cum omnibus essentialibus attributis.* Secundò venit Spiritus sanctus in Mariam, ut exornaret corpus ejus; ideoq; foris extra eam remanet; quo fine? quâ intentione? dicit Angelus: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Officio functus est pictoris. Deficiebant forte Spiritui sancto colores, dexteritas, inventiones & scientia ad debitè expoliendam Mariæ picturam? minimè. Venustas igitur Mariæ, ipsa fuit Spiritus sancti venustas.

Luc. 1. v. 35.

S. Athan.

ibid.

Mariæ decor est similis Filio Dei.

Plin.

Cant. 2. v. 10. Greg. Nyss.

XIX. Nunquid excellentius hodie dici poterit de pulchritudine Mariæ? utique; adhuc plurimum dicendum restat. At quod istud? ne exanimemini Auditores: Tantæ fuit Maria venustatis, ut ipse Deus nimio ejus illectus decore, in mundũ venerit, ut de Mariæ participaret elegantiis: dum autẽ Maria pulchritudinẽ suã pulchritudini communicavit divinæ; majoris Deus fecisse videtur venustatem Mariæ, quàm propriæ suæ divinitatis decorem. Mariam Ecclesia sancta speculum nuncupavit sine macula: *Speculum sine macula.* Propter quid? dicetis utiq;, quia scilicet Maria ab omni originali & actuali peccato immunis fuit; responsum optimum; at ego replico; quid nobis exhibet, quas intuentibus species imprimit speculum istud? pro gratiosi cujusdam conceptus intelligentia, Exodum adeamus, in cujus libri 38. capite jubet Moyses, ut summorum in templo sacerdotum lavacrum ex speculis muliebribus exstruatur: *Fecit lavacrum de speculis mulierum.* Per fidem meam, admirandum hocce est lavacrum! Pro mysterii hujus intelligentia, notandum est illud, quod Hebræi in historia scholastica relati, asserunt, scilicet: quòd, dum Hebræi, misera Ægypti mancipia, miserandam viderent stragem, quam impius Pharao multiplicabat in occidendis omnibus infantibus, qui nascebantur, statuerint secum non accedere ad suas mulieres, ut cessante filiorum generatione, à crudeli eximerentur martyrio, quod sustinebant, oculis suis proprios videndo crudeliter mactari filios. Mulieres verò hoc ipsum videntes, inque Deum sperantes, quòd ipse suo esset populo auxiliaturus, de quo credebant nasciturũ Messiam, quid fecère? plurima cæperunt colligere specula, genas suas exornare, vultus & capillos expolire, non alio fine, nisi ut mariti earum decore iterum illecti, ad omissum redirent matrimonii commercium; sicq; accidit, ut viri conjugum suarum venustate devicti, opus repetierint generationis, sine qua cæteroquin intra breve spatium totus interiisset populus DEI. Tantam DEUS in hac bonarum mulierum dexteritate habuit complacentiam, propter bonum, quem intendebant finem, & in Deum confidentiam, ut Moyses specula illa, quæ hujus fuerant instrumenta ornatus assumpta, sacro templo dedicârit, & vicina posuerit ad lavacrum sacerdotale; quasi insinuaturus: quòd, sicut specula ista vultus exornarunt devotarum mulierum populi Hebræi, ita

Mariæ decor Deum traxit in mundum.

Sap. 7. v. 26.

Matth. 5. 16.

Exod. 38. v. 38.

Fraus mulierum Hebræarum.

ita ut gratiam sibi demeruerint suorum maritorum; ita pariter & sacerdotes se virtutibus debeant expolire, & sua tum corda tum animas illustrare, quæ DEI sunt sponsæ, ut benedictionis bonorumque operum fructus producant. Dicerem ego, ideo Mariam à sancta Ecclesia speculum denominari: *Speculum sine macula*: indignabatur, irascebaturque DEus naturæ humanæ, videns, omnes ejus proles, quas in lucem edebat, ab infernali Pharaone devorari; sicque nobis imaginari possumus, noluisse deinceps DEum uniri cum natura humana. Quid fecit igitur natura humana? Speculum assumpsit, seque adeo expolivit, ut Deum pulchritudine sua inescârit. Ast quod hocce fuit speculum, vi cujus natura humana in tantum sese exornavit? Maria, cujus venustas ita Deum devinxit, ut secum statuerit unionem moliri cum natura humana. Ad rem discurrit S. Augustinus, agens de laudibus Virginis, dum ait: *Tu speculum Dei maiestatis, tu pulchrescere filios hominum, ut ex te nasceretur filius hominis.*

Cur M. speculum sine macula.

August.

XX. Hisce permotus, asserere non vereor, quòd alias inter rationes, ob quas Deus in mundum venit, hæc una fuerit, ut scilicet Mariæ participaret venustatem. Nequaquam ego docere volo, ullum in Maria fuisse aut dari potuisse meritum, vi cujus substantiam meruisset incarnationis; minimè Domini mei; scio etenim, nec Mariam, nec omnes sanctos, quantumcunque justos, potuisse aut posse *de condigno* mereri adventum Dei; an autem *de congruo*, probabilis est opinio affirmativa: Neque dicere intendo, Mariæ pulchritudinem de facto aliquam ejusdem mysterii promeruisse circumstantiam; scio namque, circumstantias Mariam meruisse heroicis virtutum suarum actibus & sanctitate; sed dico, supposito divino incarnationis consummandæ decreto, inter alias rationes & motiva, cur Deus in mundum venit, fuisse hanc unam causam, scilicet ut venustates participaret Mariæ; quòdque, Mariâ decorem impertiente decori divino, Deus pluris facere videatur pulchritudinem Mariæ, quàm propriæ suæ divinitatis. Dicite mihi, obsecro: pulcherne Christus fuit? O pulcherrimus: *speciosus forma præ filiis hominum.* Unde tantum Christus hausit decorem? respondeat David: *Dominus regnavit, decorem induit*; quando DEus incarnatus fuit, pulcher effectus est; unde Alcuinus infiit. *Uterum tuum, Domina, velut sacratissimum Dei templum totus mundus veneratur, quia ibi decorem indutus est Dei filius.* Deusne, antequam in Mariam descenderet, venustus erat? ita sanè, infinitè venustus erat, utpote decore excellens ipsius divinitatis: duabus igitur Christus venustatibus eminet augustus; ast utram pluris ab eo æstimatam fuisse arbitrabimini? audite: existens in ultima cœna Christus, excepit hostiam manibus, dixitque: *Hoc est corpus meum*; mox quoque accepit calicem, dicendo: *Hic est calix sanguinis mei.* Juxta Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 3. in sacramento *aliqua sunt ex vi verborum, & aliqua sunt per concomitantiam.* Explico doctrinam: vi verborum non est aliud in hostia consecrata, præter sacratum Christi corpus; totum reliquum, scilicet anima, sanguis & divinitas est in hostia *per concomitantiam*: in calice quoque post consecrationem, *ex vi verborum* non est aliud; quàm pretiosus Christi sanguis; totum residuum est *per concomitantiam.* Ecce vobis dubium: si Chri-

Psalm 44. v. 3.

Psalm. 92. v. 1.

Matth. 26. v. 26.

ibid. v. 28.

Divinitas in Euch. est per Concomit.

Humanitas ex vi verborũ.

Christus in consecratione hostiæ dixisset: *Hæc est divinitas mea*: utique locum in hostia obtinuisset divinitas principaliorem, quàm humanitas; at verò cùm dicit: *Hoc est corpus meum*: principaliorem impertiit sedem humanitati, & non divinitati. Quomodo ô summe Domine? duplicem possides in Eucharistiæ sacramento venustatem, alteram divinitatis, humanitatis alteram; & primas concedis illi, quæ est humanitatis? respondet Christus: pulchritudo divinitatis de cœlo descendit, communicata à Patre, pulchritudinem autem humanitatis mihi tribuit Maria; in tanto apud me pretio est ille humanitatis, mihi à Maria collatus decor, ut in sacramento, eum primo loco situari velim, concomitanter autem alium divinitatis. Doctrinam hanc nobis tribuit Basilius Magnus, relatus in Annalibus, dum ait: *Non dixit super hostiam; hæc est divinitas mea; nec supra calicem: hîc est anima mea; quia neutram substantiam accepit à Maria Virgine. Sit, inquit, in calice ex vi verborum sanguis; sit in hostia ex vi verborum, corpus; ut, quod habui ex mea matre, totum sit in sacramento ex vi verborum.* S. Basil.

XXI. Si itaque Deus, divinitatis suæ excellens pulchritudine, in mundum venit, ut venustatẽ participaret Mariæ; tantique æstimavit decorem Mariæ, quid statuemus? si vos ad problema responsionem urgeatis; utra, scilicet Christi an Mariæ, pulchritudo fuerit admirabilior? vos ipsi consequentiam formetis, quam ego per meipsum effari nequeo.

XXII: Hocce adjungere libet: quòd si Deus, propter peccata nostra iratus, multumque indignatus, sententiam adversùm nos ferret æternæ mortis, simulque in eodem tempore, in præsentia Dei pro nobis compareret pulcherrima mater Maria; Deus subitò ad tantæ venustatis intuitum, omnium nostrorum oblivisceretur criminum, obque Mariæ intercessionem, gloriæ nobis vitam conferret. An memoriæ vestræ excidit ô Auditores; quòd severissimo rege Assuero, mortis sententiam contra miseros Judæos ferente, irati regis tribunal subintrârit regina Esther? quomodo intravit Esther? facie hilari: *ipsa quoque roseo colore vultum perfusa*: venustæ adeo fæminæ obtutus, subitò Assueri ferocitatem vertit in pietatem, iram in benevolentiam; populusque jam ad mortem condemnatus, liberatus fuit. Advertit ad hoc mysterium S. Clemens Alexandrinus, inquiens: *Estheris pulchritudo invenitur pretium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.* Si unius Estheris decor furorem potuit sedare irati regis, suffecitque ad liberandum à morte populum; quantò magis pulchritudo Mariæ placare poterit iratum Deum, sententiamque perpetuæ mortis adversùm nos latam intercessione suâ abolere Maria, cum collatione vitæ gloriæ? Pater, stante puchritudine, totq; Mariæ florentibus meritis, nunquid quispiam ei devotus condemnari poterit æternum? respiremus tantisper, deinde dubio huic satisfaciam breviter. Esth. 7. v. 6. S. Clem. Alex. l. 3.

SECUNDA PARS.

XXIII. SI hodie Maria inquit: *Ego sum lux mundi*; cras asseret Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* problema tale statuetur: quid Christus majoris fecerit, scilicet hoc, quod est eum haberi seu habitum fuisse innocentem, qualis in rei veritate erat; aut verò in cruce mori velut peccatorem?

XXIV. Prosequitur suum hodie discursum Maria, dicens: *Qui sequitur me, non* Ioan. 8. v. 12.

non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quomodo in peccati aut inferni tenebras corruere poterit ille, cui dux est, magna regina Maria, ipsum lætificans Paradisum? permittite ô Auditores! ut istud alterum, adhuc residuum punctum inchoem cum insigni Hugonis Victorini authoritate, in quodam libello de charitate, ubi inquit: *Pudeat, ô Maria, pudeat homines tibi resistere; quia nescio an majus sit, te DEum dicere, vel DEum superasse?* nescio, si excellentius dixerim, cum te Deam nuncupare, vel DEI Superatricem. Tam est hæc difficilis authoritas, ut potius eligerem ego hodie, in quodam subsistere hujus Ecclesiæ angulo, pro excipienda ejus à Sapientioribus glossa, quàm ore meo illam enodare. Quomodo enim? Maria Deum superat? quid hocce rei? superare victoriam arguit, & victoria præsupponit bellum; quando autem unquam manum conseruit Maria cum DEO? in quo potuit consistere conflictus iste? scitisne, in quo? concertatio hæc fuit amoris, Deum inter & Mariam; insigne mutuò instituêre certamen in materia amoris, uter scilicet plus amaret hominem, quia autem *probatio dilectionis, exhibitio est operis*; deventum est ad probationem. Novistis utique, quia quicunque amans semper procurat aliquid sufficienti pretio dignum, quod in donum consecret objecto amato; videamus igitur, quid fecerit summus amator Pater, amore hominis. O DEUM! quid poterat præstare excellentius? generi humano donum impertiit altissimum, quod omnem excedit humanam intelligentiam; quod donum istud? Filius ejus est unigenitus; *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: an non beneficium istud maximum fuit? ita profectò. Quid tu autem facies ô magna Domina, ut DEUM vincas in benefaciendo homini? Quid faciam? Filius iste DEI, qui homini datur, an non etiam filius meus est? ita; ergò quò ad hanc munificentiam DEUS & ego æquales sumus, parique ferimur gressu. Agedum inquit æternus Pater, progrediamur ultra, aliudque homini donum conferamus, excessum mirabilium omnium. Detur homini idem filius meus in Eucharistiæ sacramento; *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*: an non hocce aliud fuit excellentissimum donum? quis id ipsum negare poterit? Ad hæc Maria respondit: panis ille cœlestis in utero meo subactus est atque coctus; imò gloriari possum, hoc altissimum sacramenti donum, potius meum esse, quàm DEI; licet enim in sacramento præsens sit anima & divinitas, nihilominus non nisi *per concomitantiam*; at verò caro mea & sanguis ibi sunt *ex vi verborum*. Resumpsit Pater æternus, dixitque: ex amore hominis, filius meus pro eodem, infinitos subiit cruciatus & ipsam denique mortem; *Qui proprio filio suo non pepercit*. Quid ad hoc opponet, quid aget Maria? quid? inquit illa; quamnam in cruce monetam expendit divinus ille filius, nisi quam meis accepit de visceribus.

Hu. Vict. in lib. de char.

Quomodo Maria superet Deum.

Lucta amorosa inter Deum & Mariã.

Joan. 3. v. 16.

Joa. 13. v. 1.

Rom. 8. v. 32.

XXV. Audistisne usque modò constans inter DEUM & Mariam certamen in materia amoris ad benefaciendum homini? attendamus modò, utri cedat victoria, uter excellentius dilecto à se homini donum contulerit? Quo fine Dominus noster post gloriosam vitæ à morte resurrectionem, in corpore suo venerandas illas plagas reservavit? O mi glorio-

Cur Christus resurgens, servarit plagas.

gloriose DEUS, igiturne simul iis adjunges tuam immortalitatem, ut impassibilis hodie gaudeas & jubiles, hisce mortis conspicuus indiciis? Quare statuisti, ut hæ etiam plagæ visibiliter in te remanerent? Ego vobis rationem dabo, inquit sanctus Augustinus: *Poterat quidem clavorum & lanceæ penitus abolere vestigia, sed servanda erant oculis paternis, decentia filium, charitatis & obedientiæ signa, veneranda nostræ causæ patrocinia.* Ultima ista verba (*veneranda nostræ causæ patrocinia*) me propemodum exanimant. Reservavit CHRISTUS in carne sua plagas, inquit Augustinus, ut tantò majori cum efficacia, nostram ageret causam; ut eò viciniorem nancisceretur occasionem, movendi & flectendi Patrem, vulnera sua exhibendo, eaque applicando in salutem hominis. Ita equidem; sed interrogo ego, quis facit, ut CHRISTUS apud Patrem sæpè sæpius interpellans, suis, in Seraphinorum totiusque cœli præsentia, reseratis præcordiis, venerandas illas exhibeat cicatrices, easque in salutem applicet hominis? quis? Domina nostra Maria, quæ dum pectus suum monstrat filio, facit, ut vulnera sua repræsentet Patri Filius. Putatisne, Patrem homini reconciliandum, nisi Filius monstraret ei & applicaret vulnera sua pro bono hominis? nequaquam; nunquid Filius pariter suas Patri objiceret plagas, nisi maternis exstimulatus supplicationibus, nisi marianis devictus mammillis? minimè equidē: ergò *à primo ad ultimum*, à Matre magna oritur, passionem & pretiosum Christi sanguinem nobis applicari fidelibus, quod infinitum pretiū nostris satisfacit pro culpis. Ecce vobis authenticū Arnoldi Carnotensis testimonium, dicentis: *Securum habes accessum ad Deum; nam ubi mater ante filium, ibi filius ante patrem; mater ostendit filio pectus & ubera, filius ostendit patri latus & vulnera; nec poterit esse repulsa, ubi tot adsunt insignia charitatis.* Attendite, inquit Carnotensis, per fidē vestrā; quanta sit Mariæ in defendendis peccatoribus potestas: *Ubi mater ante filium, ibi filius ante patrem*: Mariâ suas filio exhibente mammillas, suas indilatè filius patri monstrat plagas. At quis hujus spectaculi terminus, quis exitus? *Pater tunc nihil negat filio petenti, filius nec aliquid negat matri interpellanti; & mater quid negabit peccatori ploranti?* Videte, forsitan Mariâ sua filio non monstrante ubera, filius suas patri perhiberet cicatrices? non; omne igitur hominis bonum, quod illi confertur divinitus, totum oriri videtur à Maria.

D. *Aug. l.* 2. *de civ. Dei c.* 22.

M. monstrando Filio ubera, facit ut hic Patri monstret vulnera.

Arn. Carnot. de Laud. Virg.

Efficax M. intercessio.

XXVI. Necdum sufficienter meū explicavi conceptum; dixi, Mariam pro nobis orare peccatoribus: sed hoc admodum exile est, illa namq; coram divinæ justitiæ tribunali non rogat, sed imperat, cum tanta dominii plenitudine in merita Christi, ut sine supplica, possit authoritate propria suis devotis dispensare, omne quod in cœlis est. Nunquid juxta S. Augustini edictū: *Caro Christi est caro Mariæ, & sanguis Christi est sanguis Mariæ?* ita; ex hoc ipso deduci videtur, nequivisse Christū (non dixi bene) non dico, quòd non potuerit; sed quomodo loquar? date veniam, ut pro hac saltem vice, rudi nostro loquendi modo discurrā: videtur, nō potuisse Christū in monte Calvariæ, pretiosum suū sanguinem profundere sine interventu & consensu Mariæ; cujus asserti priusquam rationem reddamus, videamus ante, cur Christus Lazarum resuscitaturus, præsentem voluerit esse Magdalenam? an forte insufficientes erant instantiæ & supplicationes, factæ à Martha? aut forsitan ipse Christus sufficientes

Christus nō dispensat gratias sine M.

vires & absolutum imperium non habebat, ut morti posset præcipere & Lazarum ad vitam revocare, nisi etiam adesset Magdalena? pro responso excipiamus S: Petri Chrysologi subtilitatem: *Martha mittitur ad Mariam, quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari; veniat Maria, veniat materni nominis bajula, ut prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Notate verba ista: *Sine Maria nec mors fugari poterat, nec vita poterat reparari.*

S. Petr. Chrys. ser. 65. Ioan. 11. v. 25.

XXVII. Nunc in monte consistimus Calvariæ. Patiebatur in cruce Christus acerbissimam passionem & ignominiosam mortem; ipsa autem magna mater Maria, erecta pedibus, prope crucem degebat: *Stabat juxta crucem, mater Iesu, Maria.* O mi crucifixe Deus, quandoquidem amari matris tuæ gemitus, ejus suspiria & pientissimi oculi, tantum tibi in cruce tormentum & cruciatum intulerunt, cur permittis, eam astare in Calvario præsentem? quid admiramini, inquit Arnoldus Carnotensis, an ergo nescitis redemptionem actum fuisse justitiæ? quomodo, an forte sanguinem obtulit in pretium? ita sanè nos docet S. Thomas, dum ait: *Sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium.* Sanguis iste, prout vobis paulo ante cum S. Augustino dixi, sanguis est Mariæ: *Sanguis Christi, sanguis est Mariæ.* O, dicit Maria, quid? sanguis ille, qui meus est, sine meo consensu in pretium dabitur? quæ hoc ratio exposcit? ego quoque circa istud informare debeo, ideoque necessum est, ut sim in Calvario præsens; sicut enim ego in sanguine isto interessata sum, ita quoque justissimè mihi competit eundem dispensare. Supposito toto hoc, quid dicetis ô Auditores? poteritne perire & damnari devotus Mariæ cliens? minimè profecto; si enim illa tanto nos amore prosecuta est & indesinenter prosequitur, ut in amoris certamine ipsum Deum exsuperet, quomodo vobis persuadere poteritis, eam suos derelicturam dilectos? habetis, quod respondere potui ad difficilem Hugonis authoritatem, quam adductam prætervimus supra in num. 24.

Ioan. 19. v. 25. Cur Filio morienti astiterit Maria.

S. Andr. Ierosol.

XXVIII. Ast percipite modò alteram quandam ponderationem, quæ vestros indubiè animos in stuporem rapiet. Ductus Christus in montem tentationum, indilatè impetus & tentamenta expertus est dæmoniaca. Non ego in præsenti, tantam Luciferi in tentando Christo admiror audaciam; scio enim, quod & vos omnes nostis, dæmonem nullam de persona Christi, habuisse notitiam. Dubium meum in hocce versatur: quando diabolus tentavit Christũ? certum est, quòd post baptismum; quot fluxerunt anni à Christi nativitate usq; ad ejus baptismũ? respondet Carnotensis, transivisse 30. *Ab ortu Salvatoris usq; ad baptismum, triginta anni defluxerant.* Quare diabolus in triginta annorum curriculo, nunquam tentavit Christum? cur voluit Salvatorem tentare post baptismum? respondet idemmet Arnoldus, Christum toto vitæ suæ tempore? semper in matris suæ societate dimoratum fuisse; post baptismum autem, quia in desertum recessurus & virtutis exemplum Eremitis præbiturus, Mariam deseruit, e vestigio dæmon ei insultavit & tentavit. Ecce vobis ipsa Arnoldi verba: *Post trigesimum annum Christus tentatur à dæmone, quia post trigesimum annum Christus separatur à Virgine.* O quæ verba, ipsum mihi cor transfigentia! Christus verus Deus per totum tempus, quo substitit præsens cum Maria, nunquam dæmoniacæ tentationis passus est assultum;

Christus tentatur à dæmone, postquam recessit à Matre.

Arnold. Carnot.

tunc

tunc autem subitò infernalis inimici persensit suggestiones & molestias, quando sese subtraxit à matre.

S. Andr. Ierosol.

XXIX. Ideoque S. Andræas Jerosolymitanus Mariam Virginem nominat tutelam Dei, inquiens: *Salve ô Maria, tutissimum Dei ad inhabitandum asilum.* Permittite mihi Auditores, ut ex hocce asserto efficax deducam argumentum; Maria potens est ipsum defendere Deum, igitur quantò magis infallibilis erit protectio & scutum peccatorum, ne scilicet cadant in tenebras abyssi? agedum, agedum itaque ô animæ devotissimæ, tota corda vestra omnemq; spem vestram huic magnæ matri consecrate, devovete.

XXX. Tuq; ô magna cœli Regina, cujus minimus venustatis gradus, supremam vincit longèque exsuperat Angelorum pulchritudinem; tu, quæ decore tuo ipsũ exornas Paradisum, insuper & elegantiam adjicis elegantiæ divinæ; tu, cujus pulchritudo servit pro amictu, exorna clementissimè miseras hasce animas nostras, maculatas & conspurcatas fæditate peccati; tu, quæ Dei es defensio, patrocinare & protege nos miseros mortales, impetrando nobis gratiam in hac vita, & in altera gloriam; quàm DEUS nobis &c.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DOMINICA QUINTA PASSIONIS.

DISCURSUS

DE SANCTITATE CHRISTI ET GLORIA CRUCIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum; Iesus autem abscondit se, & exivit de templo. Ioan. 8. vv. 46. 59.

PROBLEMA

An Christus gloriosiorem se reputârit, in possidendo innocentiam sine umbra peccati; aut verò dum crucifixus est & in cruce mortuus, velut peccator?

INTRODUCTIO.

I.

Hodie igitur innocentia pertimescit, sanctitas sese abscondit? ita sanè; an non audistis thema? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ecce vobis innocentiam: *Iesus*

autem abscondit se & exivit de templo: ecce fugam. Sed quomodo? nonne hæc aperta est repugnantia? si Christus est innocens, quare se abscondit? si sanctus est, quare fugit? sanctitatis plenitudinem in Christo residere quis negare audebit? S. Paulus de illo agens, ita loquitur: *Est sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus.* Quid virtutis, quid rei bonæ, quid unquam sanctitatis in quocunque perfectissimo Sancto reperire poteritis, quod non singulari cum eminentia cernatur in Christo? Si charitatem vultis, quæ charitas poterit esse major, quàm per 33. annos laborare & defatigari pro ingratis? pati pro inimicis? mori pro omnibus peccatoribus? Si raram quæritis patientiam, certè vita ejus non aliud fuit, quàm continuum martyrium. Si humilitas præplacet, an non ipse in stabulo inter bestias natus est? an non vixit velut plebis opprobrium? nunquid non mori voluit duos inter latrones? Quid ultra desideratis? mansuetudinem? videte eum, qualiter sine indignationis spiritu infinitas sufferat injurias & contumelias; intueamini eum, velut mansuetum agnum ad crucem euntem, absque eo quòd semel os suum aperiret. Si ardentem urgetis animarum zelum; ecce eum, multo sudore madentem ad puteum Sichemiticum, ecce sollicitum in templo prædicatorem, ecce familiarem in peccatorum ædibus. Quid optabile restat? forte obedientia? quis eum in hocce nostrum desertum conduxit, quis eum in agonia horti voluntati paternæ conformavit; quis eum voluntarium reddidit in subeunda morte? obedientia. Paupertatem quæritis? an non videtis, ei nec locum superesse, ubi caput suum reclinet? an non intuemini omni ex parte nudum, in crucis trunco pendulum? quæ ultra virtus deficit? forte robur & fortitudo? quis unquam tantam magis potuit dissimulare ingratitudinē & tantas sustinere persecutiones? si deficit compassio; ecce eum, ad Lazari sepulchrum præ teneritudine plangentem, & in crucis patibulo præmium sollicitantem pro crucifixoribus. Si orationem ingeritis; ecce in montibus & desertis, per noctes integras in oratione vigilantem: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Ad justitiæ virtutem transitis? an non cernitis eum, flagellis armatum, ejicere ex templo mercatores? an non intuemini eum, æternas impiis minitantem flammas? nonne observatis, quanta cum libertate hypocrisin arguat pharisaicam? Arridet singularis liberalitas? quis unquam fuit aut esse poterit liberalior Christo, qui postquam dedisset omnia sua, tandem etiam in Eucharistia obtulit semetipsum nobis; permittite igitur, ut cum S. Basilio Magno de Christo asseram, quòd *ille, quantuscunque erat, nil nisi virtus erat.* Si itaque tantâ abundabat bonitate, cur hodie sese abscondit? si nihil in eo præter virtutem reperire est, cur fugam arripuit? quid mirum, nonne videtis, nonne advertitis? quid habent, quid manibus deferunt Scribæ & Pharisæi? *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum*: volebant lapidare illum & saxis occidere. Ah dicit Christus, per lapides & saxa me perimere vultis? non sum ad talem mortem destinatus; crux est sponsa mea, ad crucem suspiro ego; ideoque me hodie abscondo & subduco. *Non fugit mortem*, inquit sanctus Augustinus, *sed genus mortis; non fugit crucem, sed fugit occidi.* Hodie igitur Christus & se innocentem declarat, & crucis amatorem probat. Insontem se publicat, dicens: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Crucis affectum

Marginal notes: *Hebr. 7. v. 26.* — *Luc. 6. v. 12.* — *S. Basil. Mag.* — *S. Aug.*

ctum perhibet, dum mortem declinat lapidum: *Abscondit se & exivit de templo*; *non fugit crucem, sed fugit occidi*. Quid

Problema. igitur statuemus? an gloriosiorem sese reputavit, in possessione innocentiæ sine peccati umbra; an verò in videndo se crucifixum in forma peccatoris? hoc est, quod vobis hodie repræsento problema. Sed quid ulterius docet nos hodie Christus? *Qui ex DEO est, verba DEI audit*. Prædicatio fit pro illis, qui sunt Dei; si ergò vos ad Dei partes spectatis, audiatis me cum attentione & silentio; Incipio.

Luc. 6. v. 12. Ioan. 8. v. 47.

II. Ut assumpto problemati plene satisfaciamus, inprimis videamus necessum est, quanta fuerit CHRISTI sanctitas & innocentia: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Congregemini vos omnes ô mortales, & videte, quia nullum unquam peccatum huic poteritis asscribere DEO. Forsitan originale? nequaquam; etiamsi enim juxta sanctum Paulum, *omnes in Adam peccaverunt*; nihilominus & ego & vos omnes scitis, aliter nos & aliter CHRISTUM fuisse in Adamo; nos fuimus in Adamo: *Et secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem propagationem*; prout sanctus Augustinus inquit super Genesin ad literam q. 19. CHRISTUS autem suam quidem humanitatem & sanctissimam carnem de purissimo virginali sanguine accepit, neutiquam tamen medio virili semine aut operâ humana conceptus fuit, sed tantùm per virtutem Spiritus sancti: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*; Si igitur CHRISTUS non fuit in Adamo, *secundùm seminalem propagationem*, sed tantùm *secundùm corpulentam substantiam*; quomodo, inquit sanctus Thomas p. 3. q. 15. art. 1. quomodo dici poterit eum peccasse in Adamo? *Peccatum Adæ*, inquit Theologus, *transfunditur in Adæ posteros, virtute seminis*: illi soli concipiuntur in peccato originali, qui generantur virtute seminis virilis; sed Christus non fuit generatus opere humano, *virtute seminis*: ergò *quis arguet Christum de peccato originali?*

S. Basil. Mag. Rom. 5. v. 12. In Christo non fuit peccatum orig. S. Aug.

III. Multò minus humana poterit malitia Christo imputare peccatum actuale; licet enim Salvator assumpserit humanam naturam, nihilominus omnes, quibus ille subjacere voluit defectibus, debebant aliquo modo esse necessarii, *vel ad satisfaciendum pro nobis, vel ad comprobandam veritatem naturæ humanæ*; at peccatum nullatenus poterat esse necessarium *ad satisfaciendum pro nobis*: Peccatum siquidem non modò non habet operationem bonam, sed etiam omnem destruit satisfactionis volorem: *Dona iniquorum non probat Altissimus*; neque peccatum requiri poterat *ad comprobandam veritatem naturæ humanæ*, quia peccatum contrariatur & opponitur naturæ humanæ; ideoque Doctorum Aquila S. Augustinus in lib. 3. de libero arbitrio c. 18. inquit, quòd *ideo vitium est peccatum, quia contra naturam est*; cujus ratio Theologica hæc est, quia scilicet homo per suam formam specificam, quæ est anima rationalis, essentialiter & naturaliter inclinatur ad omne istud, quod est rationi conforme; quid autem rationi magis est consonum, quàm virtus? homo igitur naturaliter propendet in virtutem, & non in peccatum, quod est humanæ contrarium naturæ: si igitur peccatum adversatur naturæ humanæ, quomodo veritatem poterit demonstrare naturæ humanæ? Quantumvis itaque Christus omnes assumpserit humanæ naturæ defe-

Nec peccatum actuale. Eccl. 34. v. 23.

defectus, non tamen propterea simul etiam potentiam induit peccandi; hæc enim potentia *nec erat nececessaria ad satisfaciendum pro nobis; nec minus ad comprobandam veritatem naturæ humanæ.*

IV. Amplius dico, scilicet Christum à primo conceptionis suæ instanti perfectissimum fuisse in gratia; unde S. Joannes ait: *Vidimus eum, plenum gratiæ & veritatis.* Maximus ille fuit in gratia gigas, neque per mortalis vitæ suæ decursum, ullam sibi novam aut majorem meruit gratiam; omnem enim, quam possedit, ab initio meruit suæ conceptionis: gratia autem adeo est contra peccatum formidabilis armatura, ut, ubi illa invênitur, omnimodè destruat imperium culpæ; &, sicut dicit Angelicus doctor p. 2. q. 113. ne quidem per absolutam Dei potentiam simul quietè degere possunt gratia & peccatum; si ergò CHRISTUS à primo conceptionis suæ instante, plenus fuit gratiâ, quomodo poterat esse in CHRISTO peccatum?

Joa. 1. v. 14. Gratiâ plenus nô poterat subjacere peccato.

V. Iterum qui peccatum admittit, consequens est, quòd aliquem habeat in intellectu errorem, inconsiderationis, dicente Salomone: *Errant, qui operantur malum*; & in morali dicitur: *Non potest esse peccatum in voluntate, nisi sit error in intellectu*; quis autem error unquam fuisse potuit in intellectu Christi? *In quo fuerunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Quatuor possedit divinus ille intellectus perfectissimas scientias; scilicet divinam, beatam, infusam & acquisitam; divinam quidem, quia Christus verus erat DEus, coæqualis & consubstantialis Patri, imò ipsa sapientia Patris: *Verbum æterni Patris*; fuitque hæc divina in Christo scientia, sol infinitus, lux immensa, invariabilis, virtute cujus intuebatur totum hoc, quidquid in lucidissimo illo divinæ essentiæ speculo videri potest. Habuit quoque scientiam beatam, quia CHRISTUS à primo suæ conceptionis instante fuit perfectè beatus; unde etiam adhuc existens in via, compræhensor erat; ita ut ei terra hæc simul terra fuerit & Paradisus: terra, quatenus erat viator; paradisus autem, quatenus compræhensor; & videndo DEUM, videbat quoque per infallibilem consequentiam, omnia alia; quia ut sanctus Gregorius discurrit: *Quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident?* sive hoc sit *ex vi revelationis*, prout sustinet sanctus Bonaventura; sive *ex vi visionis*, juxta placitum sancti Thomæ. Eminuit quoque in CHRISTO scientia infusa; si enim hæc Angelis & protoparenti nostro Adamo concessa fuit, quantò magis dari debebat Christo, qui *caput est Angelorum & hominum?* Tandem etiam CHRISTUS floruit scientiâ acquisitâ; quia juxta sancti Pauli assertum: *Cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Ratio autem hujus ultimi est; quia Christus assumpsit omnes humanæ naturæ perfectiones, consequenter & intellectum agentem, vi cujus, ne otio marcesceret, abstrahendo species à phantasmatibus, acquisivit scientiam experimentalem. Si ergò CHRISTUS tantis fuit scientiæ & sapientiæ dotatus thesauris in suo intellectu, quomodo reperiri poterat ullum in voluntate ejus peccatum? impossibile erat; quia ut dicitur in moralibus: *Stante perfectâ scientiâ in intellectu, non potest esse peccatum in voluntate*; prætérquam quòd Aristoteles quoque dicat 7. Ethic. c. 3. *Absurdum est, habentem scientiam & contemplan-*

Prov. 14. v. 22. Coloss. 2. v. 3. S. Greg. Hebr. 5. v. 8. Arist. 7. Eth. 3.

plantem, agere ea, quæ non oportet, id est, mala. Si igitur propter scientiæ plenitudinem, nequiit voluntas ejus admittere peccatum: *Quis arguet Christum de peccato?*

VI. Dicamus denique, Christum, quia verus erat Deus & Patris æterni Verbum, naturâ suâ impeccabilem fuisse, sicut est ipse Pater; neque potest humana malignitas peccatum attribuere humanæ ejus naturæ, quia cùm hæc in eodem Verbi supposito, unita esset cum divinitate, nullum unquam poterat committere peccatum, quin hoc non attribueretur etiam divino supposito, quia *actiones sunt suppositorum*; sed repugnat supposito Verbi attribui peccatum; ergò etiam repugnat attribui peccatum naturæ humanæ, hypostaticè unitæ supposito divino: si ergò propter tot ac tantas rationes nec fuit nec esse potuit in CHRISTO peccatum; *quis arguet Christum de peccato?*

S. Greg.

VII. Si autem pro majori haurienda sanctitatis Christi notitia, non sufficiat totum id, quod hucusque ex Theologia deprompsimus, ipsam accipite Scripturam sacram. Psaltes regius in Christi persona discurrens, ait: *Salvum me fac DEus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* O summe DEUS, perii ego, adjuva me. Quid te gravat ô Domine, quid te affligit aut cruciat? *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia;* immersus sum profundo tribulationum mari sine substantia. Quomodo sine substantia? forsitan non est in vita passus Christus? nunquid flagellatus est in carne? nunquid capite transfixus spinis, nunquid manibus & pedibus perforatus clavis? Quid igitur hoc insinuat? *Non est substantia.* Per substantiam Scriptura sacra, & specialiter quidem in hocce loco, aliud non intelligit, quàm fundamentum; ita enim ad Hebræos sanctus Paulus Apostolus scribit: *Fides est substantia, id est,* juxta sanctæ Bonaventuræ glossam, *basis & fundamentum.* Dicere igitur volebat Christus; *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia;* id est: ego quidem millena patior tormenta, sed sine fundamento. Quod est fundamentum pœnæ? peccatum, reatus culpæ; quasi diceret Christus: ego subeo amarissimam passionem, sed sine fundamento, sine mea culpa; nulla est in me passionis & mortis meæ causa.

Hebr. 5. v. 8. — Psalm. 68. v. 2. — ibid. v. 3. — Arist. 7. Eth. 3. — Hebr. 11. v. 1. — S. Bonav.

VIII. At quomodo verificari poterit, nullam mortis CHRISTI fuisse causam? Omnes Evangelistæ scribunt: *Imposuerunt causam ipsius scriptam.* Ita equidem factum est; sed quæ fuit causa, quam Judæi adduxêre pro CHRISTI morte? Audite & accipite eam ab ipsis Evangelistis: *JESVS Nazarenus, Rex Iudæorum.* Quid hoc sibi vult? *JESVS Nazarenus.* Hoc idem est, quod Salvator floridus; itanè? ergò Christus non moritur ob culpam aut peccatum, sed quia purus & sanctus est Salvator.

Matth. 27. v. 37. — Ioan. 19. v. 21. — Ioan. 19. v. 19.

IX. Id quod Isaiam significare voluisse arbitror, dum in quodam Prophetiæ suæ capite, de CHRISTO tractans, inquit: *Quasi agnus coram tondente se, & sicut ovis ducetur ad victimam.* Transiistis aliquando per viam illam, in qua erectum est justitiæ patibulum? videbitis quandoque justitiatum discerptum, pendere in arbore, omnesque admirabundi, dicetis: O JESU! quis scit causam, cur miser ille suspensus fuerit & in partes dilaceratus? exinde progressi, ad lanienas pervenietis civitatis,

Isa. 53. v. 7.

tatis, videbitisque suspensos agnos, at sine timore & absque omni admiratione iter vestrum prosequimini; cur causam mortis horum agnorum etiam non sollicitatis? respondebitis utique; quia novimus nullum horum mortuum aut occisum esse propter aliquod crimen, sed ob beneficium commune. Ita quoque Jeremias Propheta statuit: CHRISTUS abiit ad mortem & crucifixus est, verumtamen non ob culpam suam propriam, sed propter commune generis humani beneficium. *Tanquam ovis ducetur ad victimam.*

X. Clariusne & apertius innocentiam ac sanctitatem Christi intelligere desideratis? quid ipse ad Patrem suum conversus, ait Salvator, S. Joanne teste? audite per gratiam: *Clarifica me Pater apud temetipsum eâ claritate, quam habui, priusquam mundus fieret.* Ecce me ô supreme Pater, voluntariè accepro mortis martyrium; sed rogo te, hanc mihi facias gratiam, ut gloriosam illam super me effundas claritatem, quâ fruebar, antequam in mundum venirem. Quæ hæcce gloria, pro qua sollicitat Christus? certè non illa, quâ fruebatur ut Patris Verbum seu ut beatus; quia & hanc & illam à principio possedit æternitatis. Neque etiam potuit instare pro gloria corporis resuscitati aut pro claritate gloriosi nominis, quia neutra harum fuit in Christo ante mundi constitutionem; quomodo ergo dicit: *Clarifica me Pater?*

Ioan. 17. v. 5.

Cur Christus in cruce loquatur ad instar pueri.

XI. At videamus, quo Christus Patrem nomine, dum in præsenti eum alloquitur, nuncuparit? *Aba Pater*; dicit ipse in cruce pendulus: *Abba Pater.* Vox hæc est infantilis, & vocabulum ei proprium, qui ob immaturam ætatem nescit effari aliud, & imperfectè eloquitur verba. Quomodo ô Domine mi in doloroso mortis patibulo balbutiens infantem exprimis? forsitan quia cunæ tibi visæ sunt crux, fasciæ funes, lac acetum & fel, flores clavi, blanditiæ injuriæ? quomodo moriens ad instar pueri loqueris?

Marc. 14. v. 36.

XII. Eodem ipsum epitheto insignivit sanctus Petrus, quando in descriptione conjurationis, à Judæis institutæ, ait: *Convenerunt in civitate ista, adversus sanctum puerum* JESUM. Nonne omnes admiramini hunc sancti Petri loquendi modum? equidem quando Judæi conspiraverunt contra Christum, cujus erat ætatis JESUS? nonne triginta tres annos habebat? ita sanè; inquit sanctus Petrus, ætatem & annos multos numerabat; nihilominus quò ad innocentiam & puritatem vitæ, puer erat; ideoque infantile in cruce protulit vocabulum, ut intelligeret mundus, teneritudini vocis ejus intimam conjunctam esse infantis puritatem & innocentiam; hæcce fuit sancti Chrysostomi contemplatio, dum ait: *Puerili utitur vocabulo, ut in puerili sermone, innocentiæ candorem demonstraret.*

Act. 4. v. 27.

Chrysost.

XIII. Ecce vobis, inquit sanctus Ambrosius, claritatem, quam à Patre petebat Christus; dicere namque volebat: æterne Pater, *confirma in hominibus hanc primam opinionem, ut cognoscant me sine peccato filium tuum.* Remitte & immitte mentibus hominum notitiam, ut cognoscant, me non modò ab omni peccato, sed etiam à quacunque peccandi potentia remotissimum esse.

S. Ambr.

XIV. Quod equidem peccatum unquam potuit patrare crucifixus ille Deus, qui ut peccatum contereret, in mundum vene-

venerat? qui sæpius prædicavit, ut peccati fæditatem demonstraret; qui factus est homo, ut hominem doceret sine peccato vivere; qui in quotidianis sermonibus suis, nihil detestatus est præter peccatum; qui victimam sese obtulit pro peccato; qui suam denique cum sanguine vitam profudit, ut peccatum aboleret?

XV. Quomodo is peccator esse potuit, quem omnia Scripturarum oracula semper denunciarunt sanctum? an non Angeli eum ut mundi Salvatorem annunciarunt? *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi.* (Luc. 2. v. 10.) Nunquid æternus Pater eum dilectum suũ filium nuncupavit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (Matth. 3. v. 17.) An non magnus S. Joannes Baptista eum, velut agnum Dei indigitavit, peccata mundi auferentem? *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* (Ioan. 1. v. 29.) Nunquid Petrus & Martha eum confessi sunt filium Altissimi? *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* (Matth. 16. v. 16. Ioan. 6. v. 70.) Nunquid & populi obstupuêre eum, velut venti marisque Dominum? *Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei?* (Marc. 4. v. 40.) Nunquid & ore simplicium magnus Domini Propheta nuncupatus fuit? *Hic est Propheta.* (Ioan. 6. v. 14.) Nonne turbæ eum celebrarunt ut universalem benefactorem in omnibus? *Bene omnia fecit.* Ipsi pueri deprædicarunt eum, quasi cœlitus dimissum: *O sanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini*: (Matth. 23. v. 39.) ipsemet Judex Pilatus innocentiam ejus attestatur, dicens: *Quid enim mali fecit?* (Matth. 27. v. 23.) traditor Judas eum sanctum esse confitetur: *peccavi, tradens sanguinem justum.* (Matth. 27. v. 4.) Et tandem nonne ipsemet dæmon justum eum esse acclamat, dum ait: *Scio enim, quòd sis sanctus & justus.* (Marc. 1. v. 24.) Statuendum est igitur cum sancto Paulo, quod CHRISTUS *fuit sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus.* (Hebr. 7. v. 26.)

XVI. At si tantæ erat Christus sanctitatis & innocentiæ, cur se in latebras recepit & è templo profugit? *Abscondit se & exivit de templo.* (Christus lapides fugit non crucem.) Quid urgetis, nonne intellexistis jam supra, quid desuper resolverit sanctus Augustinus? *Non fugit mortem, sed genus mortis; non fugit crucem, sed fugit occidi*; (§. 26.) volebant in eo tempore Judæi CHRISTUM morti dedere per impetum lapidum: *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum.* Nequaquam, inquit CHRISTUS, non ita fiet, non sum ad hanc ego mortem destinatus; crux est sponsa mea, ad mortem crucis anhelo; in cruce namque ego eximios mihi triumphos, glorias & magnificentias comparabo.

XVII. Verùm enimvero quam Christus in cruce gloriam possedit? ecce vobis aliud secundum punctum. Persuadebit sibi utique mundus, in cruce CHRISTI nil nisi ignominiam fuisse & opprobrium; at nescit, tantos per crucem CHRISTO obtigisse honores & glorias, ut hisce ipsi etiam inviderint Seraphini. Isaias Propheta mirabili quondam fruitus visione, de seipso in hæc verba discurrit: *Vidi Dominum, supra solium excelsum & elevatum*; (Isa. 6. v. 1.) dumque supremam illam majestatem penitius contemplaretur, subitò in sequentia prorupit verba: *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi, polluta labia habentis ego habito.* (ibid. v. 5.) O miserum me & infelicem, modò agnosco ignorantiam meam; nunc video me ad apicem illum nondum pertigisse, quem à me superatum mihi præsumebam. Quid rerum habes ô sancte Propheta? tu

tu DEUM vides de facie ad faciem; quæ gratia paucis conceditur cœlitus, & te ignorantem nominas? in quo consistit hæc tua inscitia? imò doctus es, quia Deum vides, omnia videntem. *Quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident?*

XVIII. Si gratiosum affectatis conceptum, pro certo supponite, eum, qui throno insidebat, Verbum fuisse incarnatum; ita namque tradit S. Joannes in 12. cap. agens de cæcitate Judæorum & morte Christi; idem quoque affirmant multi sancti Patres, nimirum Hilarius lib. 5. adversus Arianos. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Spiritu cap. 3. & magnus S. Pater meus Augustinus in quæstionibus veteris Testamenti. Quod thronum autem concernit, variæ sunt opiniones; alii enim dicunt eum fuisse sacramentum, alii gloriam; at in rei veritate, thronus hic ipsa crux erat; dicit enim glossa ordinaria, de Seraphim tractans, eos clamasse: *Sanctus, sanctus, sanctus*; quia *mirabantur, quòd Dei Filius tantùm se humiliaverit & crucem subierit.* Hoc supposito, videamus modò & contemplemur constitutionem Seraphinorum: unusquisque sex alis instructus erat, duabus superioribus cooperiebant caput sedentis, veluti formatâ versùs cœlum cuspide; duabus inferioribus cooperiendo ejusdem sedentis pedes, aliam effingebant, terram versùs, juncturam seu cuspidem alteram; duabus alis mediis volitando, pulcherrimæ exprimebant figuram crucis. Nunquid non vidistis sæpius volantem avem? hæc in ipso volatu, per caput, caudam & alas, formam perfectè perhibet crucis in aëre; ita quoque dictis Seraphin evenit: videbant illi majestatem, gloriam & magnificentiam, quam reportaturum erat sacrum crucis lignum; contemplabantur supremi spirit⁹ illi, crucis trunco advolvendos esse Reges, Monarchas & mundū deniq; universum; cognoscebant in summa, crucem gloriosissimum & augustissimū Dei thronum futuram esse; ideoque singuli ad formam crucis sese disponebant exprimendam, clamabantque, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus*; quasi dicere voluisset unusquisque: quandoquidem ô Domine, in cruce tibi moriendum est; ecce me crucem factum; age, crucifige te in me, ut ego crucifixus sim in te, quò particeps fieri merear honorum & gloriarum, in sacrato crucis ligno reclusarum. Videns itaque Isaias Seraphinos gloriæ invidere crucis, exclamavit, dixitque: *Væ mihi.* O quàm rudis ego sum, imaginabar mihi, crucem opprobrium esse & infamiam Domino DEo meo; ast nunc excellentiam crucis cognosco, dum ipsos Seraphinos honoribus invidere conspicio, delitescentibus in hocce sancto ligno. Ignorantes sumus, ô mortales, excelsa nescimus trophæa, quæ Christus acquisivit in cruce. Norunt ea Seraphini cœlestes, Christus autem perfectius præ omnibus; ideoque noluit hodie interimi per lapides, ut postea scilicet exaltatus gloriaretur in cruce.

XIX. Sed quàm exile est hoc, quod hucusque diximus de gloria crucis? auscultate me (ut Deus vos salvet) novam aliam delibabo ponderationem, judicio meo, inprimis singularem. Quot concurrerunt ad Christi mortem instrumenta? certum est, principaliora fuisse, flagella, spinas, clavos, crucem & lanceam: flagella humectata in pretioso Salvatoris sanguine, dum ad ipsa sacrata ossa penetrarunt,

Hilar.
S. Ambr.
S. Aug.
Isa. 6. v. 3.
Seraphim invidebant gloriæ crucis.
Osb/. 1. v. 14.
1. Cor. 11. v. 1.
Ioan. 3. v. 35.
Ioan. 19. v. 34. & Aug.

runt, in beneficium nostrum notas illas aboleverunt, quæ adversùm nos efformatæ erant in carne Christi; & non existimabimus, juxta numerum flagellorum, totidem crevisse lituras seu abolitiones debitorum nostrorum? utique; nos sanctus Paulus etenim taliter in hisce verbis sequentibus informavit, dicens: *Delens, quod adversùm nos erat, chirographum decreti.* Spinæ, impositæ venerando Christi capiti, quod divinitatis est significativum (*Caput Christi, Deus*) non modò fuerunt factæ divinæ, sed insuper in nobiliori Christi corporis parte positæ fuerunt. Clavi tam præstantes fuêre claves, ut Paradisum aperuerint; dum enim Pater æternus in Christi manibus omne reposuit, quod in cœlo est bonum & pulchrum (*omnia dedit ei Pater in manus*) consequenter sacratas illas manus perforantes clavi, Paradisum recluserunt. Lancea denique, dum ex latere Redemptoris expressit sanguinem & aquam, sanctæ Ecclesiæ deprompsit sacramenta; juxta quod S. Augustinus ait: *Exivit sanguis & aqua, id est, sacramenta fluxerunt; quibus condecorata est Ecclesia, Christi sponsa.* Considerate vos modò & investigate, si fortè Ecclesia sancta hisce instrumentis ullum unquam titulum, encomiū aut laudem tribuerit? non modò non illa eximiis afficit titulis, sed etiam nullam de flagellis, spinis, clavis & lancea festivitatem celebrat aut officium. At quanta cruci encomia, quanti cruci attribuuntur tituli? *O crux splendidior cunctis astris. Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpurâ; nulla sylva talem profert fronde, flore & germine.* Non solummodo tituli & encomia cruci attribuuntur, sed etiam solemnis habetur crucis festivitas, non semel sed sæpius in anno, recitatur officium & celebratur missa de sancta cruce; quodque eminentius est, crux mater dicitur nostræ redemptionis: *Qui per crucem tuam, redemisti mundum*: titulus profectò eximius, qui ne ipsi quidem datur magnæ Dei matri. Ex hisce mea oritur difficultas: quandoquidem ad opus redemptionis nostræ concurrerunt flagella, spinæ, clavi, crux & lancea; cur omnes honores in solam transfunduntur crucem?

Colos. 2. v. 14. — *1. Cor. 11. v. 3.* — *Ioan. 3. v. 35.* — *Ioan. 19. v. 34. S. Aug.* — §. 21.

XX. Dubium hocce mihi agitanti, subitò in mentem incidit, ut Paradisum adirem terrestrem; ubi summus Deus parentem nostrum Adamum efformans, tantis eum gratiæ & gloriæ, tum naturalibus tum supernaturalibus donis locupletavit, ut quasi in vice Deum transformatus videretur. Adame, dicebat fabricator ille divinus, te dominum constituo omnium istorum, quæ oculis tuis contemplaris; quidquid est in thesauro meo, totum tuum est; id solum tibi inhibeo, ne arborem, in Paradisi medio situatam, contingas: *De ligno, quod est in medio paradisi, ne comedas.* Ne mihi imputâris ô Domine, si quid curiosa cum audacia te interrogavero: quare arbor illa prohibetur homini, qui Semideus est? tantis hominem ditasti donis, dominum eum constituisti Paradisi, & postea nihilominus unicum ei negas lignum? Quid? dicit Deus, vos nescitis mysterium; arbor illa mihi reservatur, destinata in sponsam unigeniti filii mei; & quantumvis modò prohibeatur Adamo innocenti; nihilominus eadem in plenitudine temporum, vitam dabit eidem Adamo delinquenti: sed quomodo? peccabit Adamus, & clementia mea decretum statuet, ut pro tam enormis transgressionis reparatione, ipsemet filius meus in mundum abeat, qui post triginta

Gen. 2. v. 17. Cur Adam prohibeatur esus arboris.

trium annorum pœnalitates & afflictiones, tandem cruci desponsatus, divinum producat redemptionis partum. Sed videamus; si crux incarnati Verbi sponsa est, quam dotem conferet illa sponso, qui divinus est? quam dotem? S. Matthæus nobis dotem revelabit in cap. 28. historiæ suæ, eandemque nobis repræsentat id, quod per S. Matthæum Christus inquit:
Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas, in cœlo & in terra:* crux sponsa mea supremam mihi, tam cœli quàm terræ impertiit potestatem. Hîc ego subsisto nonnihil, nimium namq; mihi Christus modò dixisse videtur. Nunquid ante incarnationem, supremam habebat tam cœli, quàm terræ potestatem? ita sanè, semper enim ipse Deus fuit: quomodo ergo nunc asserit, talem sibi à cruce obvenisse potestatem? Duplex, juxta
Theoph. Theophylactum, potestas penes Christũ fuit; prima excellentiæ, hancq; habuit ab æterno; altera Redemptoris, hancq; obtinuit à cruce: *Qui potestatem excellentiæ habuit ab æterno, potestatem Redemptoris habuit in cruce; siquidem per crucem vicit eum, qui habebat mortis imperium.*

XXI. Ecce vobis rationem, cur tot
§. 19. attribuantur cruci honores, cur tanta cum solemnitate celebretur; causa namque est, quia quidquid Christus operatus est in commune Ecclesiæ Christianæ beneficium, totum fuit in virtute crucis.

XXII. Hincque est, quòd Christus tanti fecerit crucem, quanti propriam
Quanti Christus fecerit crucem. suam divinitatem. Observastisne per fidem vestram, tentationes & responsa, quæ in deserto tentatorem inter & Christum intercesserunt? Primâ vice apparens
Matth. 4. v. 3. inimicus, ait: *Dic, ut lapides isti panes fiant.*
v. 4. Ad hæc Christus: *non in solo pane vivit homo.* Reaggreditur eum tentator, jubetque:
Mitte te deorsum; nequaquam, resumebat v. 6. Christus: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tandem in ultimo assultu, cum ita affatus est: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; tunc CHRISTUS respondit: *Vade retro Satana.* Advertite, quia nunquam CHRISTUS tentatorem nuncupavit titulo Satanæ, nisi tantùm in hac tertia vice, quando eum privare voluit divinitate; mandate hoc ipsum tantisper memoriæ vestræ.

XXIII. Tempus appropinquaverat mortis Christi, unde seorsim convocatis Apostolis suis, dicebat ad eos: *Oportet me* Matth. 16.
ire Ierosolymam, & multa pati & occidi. v. 21.
Quomodo, quomodo? aiebat S. Petrus; tune in mortem crucis abires? *Absit à te* v. 22.
Domine, non erit tibi hoc. Ne simile quid inducas in animum tuum; tunc Christus severo ad eum vultu conversus, increpavit ipsum hisce verbis: *Vade retro Satanas.* v. 23.
Quomodo Domine? tune Petrum appellas Satanam? non miror singulariter, talem tentatori obtigisse titulum; sed S. Petrum, collegii apostolici caput ita nominare? ita, dicit Christus, volo ut hic & ille Satanas intituletur; tentator quidem, quia volebat mea me exuere divinitate; Petrus verò, quia privare me voluit gloriâ crucis, quam tanto in pretio habeo, quanto propriam divinitatem meam. *Vtrique datur*, ait Cajetanus, *eadem pœ-* Cajet.
na; quia ille divinitatem petebat, hic verò, ne moreretur in cruce.

XXIV. Indulgete ô Auditores! ut tandem dicendo terminem crucis gloriam. Crederetisne, Christum majoris fecisse crucifixionem suam, quàm ipsam divinitatem? Supponite mecum. Docti, totum CHRISTI sanguinem hypostaticè unitum fuisse divinitati, ita

ut

ut vel unicâ ſanguinis guttulâ ſparsâ, ſimul ſpargeretur & divinitas. Ita nos docet Angelicus præceptor ſanctus Thomas quodlib. 5. art. 5. Et Innocent. 4. de myſteriis Miſſæ c. 3. & P. Suarez. 1. part. diſp. 15. hoc ſuppoſito, vos ego interrogo: quidnam CHRISTUS in vita ſua mortali maximi fecit inter omnia? dicite & edicite intrepidè: nihil CHRISTUM, in hac vita dum degeret, majoris duxiſſe, quàm quòd Dei Filius haberetur; ad hunc namque ſcopum omnes collimabant Sermones ejus: *Creditis in DEUM, & in me credite*; *ego & Pater unum ſumus*; *quem dicunt homines eſſe filium hominis? vos autem quem me eſſe dicitis? Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* Omnia, quæ pariter operabatur miracula, eò dirigebantur: *Ut manifeſtarentur opera DEI in illo.* Notate ſollicitè, pendente Salvatore in cruce, acceſſerunt Judæi, proteſtantes, ſeſe eum recognituros eſſe pro DEO, ſi nunc de cruce deſcenderet: forte CHRISTUS de cruce deſcendit? minimè. O Domine, ſi de cruce deſcenderis, non modò omnes te venerabuntur ut DEUM, ſed inſuper nec ſanguis neque divinitas tua ſpargetur per terram; ſi autem cruci affixus reſtiteris, totum fiet oppoſitum; non enim tu haberis pro DEO, & inſuper divinitas tua conculcabitur à Judæis. Quid? dicit Chriſtus, vos forte arbitramini, pluris me facere divinitatem, quàm crucem? imò potius econtra gloriam crucis præpono propriæ meæ divinitati: diffluat ſanguis meus, diffluat, ut ita dicam, mea per terram divinitas, modò non deſtituar gloriâ crucis. Ita ſentit S. Cyrillus Alexandrinus, dum ait: *Noluit Chriſtus de cruce deſcendere, ne dimitteret gloriam crucis.*

Ioan. 14. v. 1. *Matth. 16. v. 13.* *Ioan. 14. v. 9.* *Ioan. 9. v. 3.*

Cur Chriſtus non deſcenderit de cruce. *S. Cyrill. Alex.*

XXV. Ex hiſce faciliter propoſitum reſolvi poterit problema. Si enim Chriſtus majori in pretio habuit, quàm propriam divinitatem, conſequens eſt, ut concludatur; majorem illum habuiſſe ſatisfactionem, dum crucifigeretur ad inſtar peccatoris, quàm dum pro innocente reputaretur.

XXVI. Si res ita ſe habet mi crucifixe Deus; ſi tantus fuiſti crucis amator, cur hodie te ſubtrahis, cur hodie pedibus ſalutem quæris? cur hodie ab ipſa Eccleſia profugis? ah, inquit Chriſtus, nonne videtis, omnium in necem meam paratas & lapidibus armatas eſſe manus? itane? ergo vos ô peccatores molimini lapidare CHRISTUM? fuge, fuge ô Domine mi, ſurripe te ex Eccleſia (*hîc deponatur crucifixus pulpitum*) Eo uſque accrevit audacia noſtra, ut ipſi Chriſto mortem intentemus? Agedum, ut exonerem conſcientiã meam, ne ego propter vos in judicii die, pati cogar; decrevi hodie certam ſancti Pauli excommunicationem promulgare, in teſtes vocatis creaturis omnibus, ſenſibilibus & inſenſibilibus: *Audite cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei, audite hæc omnes gentes*: vos vos omnes teſtes invoco: *Qui non diligit Dominum IEſum Chriſtum, anathema ſit.*

XXVII. Audi ô peccator, niſi hodie te reſolvas abominari peccatum, & amare ſolum Deum ſuper omnia; ego ex parte omnipotentis DEI, te declaro excommunicatum, anathematizatum & maledictum perpetuò,

XXVIII. Tu ô avare, qui alienum indeſinenter ſanguinem emungis, niſi, antequam ab Eccleſia recedas, firmum feceris propoſitũ, reſtituendi facultas alienas, adimplendi teſtamenta & legata pia; ego ex

par-

parte omnium sanctorum Paradisi, te declaro excommunicatum, & do authoritatem meam omnibus dæmonibus infernalibus, ut ex hoc die incipiant affligere & premere te, usquedum ne mucidus quidem panis tibi supersit ad manducandum.

XXIX. O blasphemator sancti nominis Dei & Mariæ, nisi hodie statuas refrænare linguam tuam, nisi proponas modò nunquam amplius blasphemare sanctum Dei nomen aut beatorum ejus; ego ex parte sancti tribunalis divinæ justitiæ, te denuncio excommunicatum, & in virtute potestatis meæ evangelicæ præcipio diabolis, ut te abripiant ad tartareas flammas.

XXX. Concubinarie & mulier inhonesta, nisi ex nunc vos resolveritis deserere pessima vestra commercia, & solum amare DEUM; ego ex parte sanctissimæ Trinitatis, vos denuncio excommunicatos & potestati extrado inimicorum infernalium.

XXXI. Tu vindicative, qui non aliud animo agitas, quàm quomodo te ulcisci possis, & manus abluere in sanguine inimici tui, nisi, antequam ab Ecclesia exeas, te determines, ex toto corde ignoscere inimicis tuis; ego te ex parte omnipotentis Dei pronuncio excommunicatum & maledictum, precorque eundem DEUM, ut te deserat in momento mortis tuæ.

XXXII. O peccator, sis denique quisquis volueris, nisi hoc mane, antequam ab Ecclesia recedas, statuas mutare vitam tuam, & ad amussim observares sanctam Dei & Ecclesiæ legem, ego ex parte divinarum personarum, magnæ matris Dei & omnium sanctorum Paradisi, te declaro excommunicatũ, anathematizatum & maledictum; maledico panem, quem manducabis, vinum quod bibis, domum quam inhabitas; aërem, qui te circumdat, terram quæ sustinet, corpus & animam: omnes advoco ex inferno diabolos, ut irâ, rabie, furore & vindictâ armati accedant, teque conducant in profundissimam usque inferni abyssum. Hoc sit & sufficiat ad exonerationem conscientiæ meæ.

SECUNDA PARS.

XXXIII. CRas difficile vobis problema proponam; scilicet: quis felicior & beatior sit æstimandus, an ille, qui in terris actum elicit vivæ fidei; an verò alius, qui Deum clarè intuetur? deinde quoque discutiemus, quàm proficuum sit Christiano, charitatem exercere erga afflictas Purgatorii animas?

XXXIV. Et quia charitatis mentionem feci; virtus hæc est sufficiens, ut Christi nobis præsentiam & consolationem conciliet. Ita nos S. Joannes docet, dum ait: *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in DEO manet, & Deus in eo.* Optatisne vos, ut Deus vos reinvisat, vobisq; uniatur; exhibete vos solito magis charitativos erga pauperes. Luc. 19. v. 4. Cur Christus adierum Zachæum, v. 5.

XXXV. Altera virtus, per quam Christus, à nobis procul distans, ad nos reducitur, est continua armatura, quâ quis se munit per sacratum crucis signum. Deumne obligare vultis, ut vobis omnem impertiatur gratiarum cumulũ? armate vos sanctâ cruce. Scitis utiq; quòd, populo Israëlitico in deserto Sin, præ nimia siti propemodũ emoriente, Deus Moysi & Aaroni præceperit, ut adirent petram. Processerunt illi servi Dei, & congregato populo, præeuntes offenderunt petram; Moyses itaque virgâ Vis crucis. Dion. Cart.

virgâ elevatâ, semel percussit petram, sed ne vel unica effluxit aquæ gutta: percussit ergo adhuc semel, subitoque *egressæ sunt aquæ limpidissimæ.* Cur non in prima, sed secunda duntaxat vice aquam elicere potuit Moyses? respondet Augustinus: *Gemina percussio duo ligna crucis significat.* Moyses primâ vice percussit petram per directum; at cum videret, quòd suum ipse intentum assequeretur neutiquam, quid fecit? eandem petram alterâ vice percussit inverso modo, quasi signum crucis super petram efformaturus. Itane? crucis symbolo insignita petra, totum impertiit quod desiderabat populus. *Et egressæ sunt aquæ limpidissimæ, ita ut populus biberent & jumenta.*

XXXVI. Quid amplius vultis? petitisne, ut Christus indesinenter in habitaculo moretur animæ vestræ? armate vos sacrosancto signo crucis. Triumphante quondam Christo in civitate sancta Jerusalem, tantus, ad eum factus est populi concursus, ut princeps quidam *Zachæus*, alium, quo subsisteret, locum reperire impotens, coactus fuerit arborem conscendere: *Ascendit arborem sycomorum.* Consistente itaque super arborem Zachæo, pertransiit Christus, qui eum allocutus est, dicens; *Zachae festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Subitò ô Zachæ, descende, quia debeo hodie divertere ad ædes tuas. Domine, unusquisque præsentium se gloriosum reputabit, si te meruerit excipere hospitem; cur præ reliquis domum Zachæi eligis? attendite, inquit S. Hieronymus & Dionysius Carthusianus, & considerate constitutionem Zachæi, faciliterque causam intelligetis facti istius. Arbor illa, dicit Carthusianus, crucem figurabat: *Sycomorus est arbor, in foliis moro consimilis, & in aliis ficui; sed stipite distans & in altitudine major, per quam significatur crux Christi, propter mori rubiginem & ficus dulcedinem.* Credibile est, Zachæum, ne caderet, stetisse in arbore erectum super pedes suos, brachiis verò amplexatum fuisse ramos arboris, ad perfectam crucifixi figuram; ô, dicit igitur Christus, Zachæus in forma crucifixi? *Descende, descende, quia in domo tua oportet me manere.* Nequeo subsistere extra domicilium istud, in quo crux viget. *Præcucurrit servus Dominum, & ante Zachæus ascendit arborem, quàm crucem dominator ascenderet; hinc est, quod ei dicitur: festinans descende.*

Luc. 19. v. 4.

Cur Christus adierum Zachæum, v. 5.

Dion. Cart.

XXXVII. Quale porro bonum esse poterit illud, quod non consequatur Christianus ex devotione in crucem? Vel ex solo crucis intuitu, unaquæque anima, peccato intoxicata, salutem recipit & medicinam gratiæ: cujus asserti figura erat æneus ille serpens in altum sublevatus, quem cum à serpentibus morsi aspicerent, recuperabant sanitatem; reliquis omnibus, quotquot in locum, ubi serpens erectus erat, oculos suos conjicere negligebant, infallibiliter morientibus: *Quicunque percussus aspexerit eum, vivet; & sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Num. 21. v. 8.

XXXVIII. Astô Domine, si tanto flagras crucis amore, ecce tot hic hodie præsentes crucifixos; omnes illi se cruce muniverunt: ergo redi mi Deus in locum tuum, & consolare nos per præsentiam tuam. Ps. 68. v. 8.

XXXIX. Ah, dicit Christus: *Cooperuit confusio faciem meam:* erubesco comparere in publico. Persona notæ alicujus singularis, si fortunæ inimicæ impetum sustinere cogatur, præ verecundia fug.. conspectum publicum; sique eleemo-

synam emendicare cogatur, velo nigro vultum cooperit, & in locum sese recipit remotiorem, tanta cum verecundia stipem exspectans, ut corda moveat transeuntium. Christus persona est, pollens respectu magno & nobilitate; & nihilominus adeo comparuit pauper, ut quasi
2. Cor. 8. v. 9. mori cogeretur præ fame: *Cum esset dives, pro nobis factus est pauper.* Sed cur Christus ad tantam devenit miseriam?

XL. Mercator dum suas nequit divendere merces, bona sua paulatim consumit & pauper evadit; mercator est, eratque Christus, & ditissimus quidem; sed quibus bonis? misericordiâ: *Deus, qui*
Eph. 2. v. 4. *dives est in misericordia.* Nullum reperit Christus, cui suas dispensaret misericordias, quia nemo eas volebat; ideoque Christus in paupertatem incidit, ac tantam quidem, ut hodie stipem quærat; at quia persona est eximia valde, velo nigro cooperuit faciem, tanto subsistens cum pudore & verecundia, ut vel ipsos etiam lapides induceret facile in planctum.

XLI. Sed dic mihi ô Domine mi,
Prov. 23. v. 26. quam desideras eleemosynam? quid optas tibi dari? edissere confidenter. *Fili, præbe mihi cor tuum:* ô fili, da mihi cor tuum. Audisne hoc ô Christiane? vellet libenter Christus tuum sibi cor dari; quis ergo hodie erit, qui cor suum Deo negare audebit? pater, cor meum ad instar lapidis durum est. Audis ô Domine mi? cor illorum lapideum est; quid dicis? visne etjam corda saxea? ita, dicit Christus, acquiesco libenterque accepto lapidea corda vestra; imò fœdus icio & promitto, me præcordia omni illi collaturum carnea, quisquis mihi cor suum tradiderit saxeum: *Date mihi cor lapideum, & ego dabo vobis cor carneum.*

XLII. Accede igitur, domine mi (*resume crucifixum in manibus*) & accipe corda nostra; in primis autem meum, cor ex saxo & lapide duro compactum, cor sine lacrymis; tuque da mihi cor carneum, cor quod amore tui resolvatur totum in gemitus: *Educ de cordis mei duritia lacrymas compunctionis.* Tolle tibi quoque corda hujus populi, corda pariter saxea, corda omnino indurata; accipe hæc ab iis corda, sed restitue iis cor carneum, cor quod totum liquefiat in planctibus, amore tui. S. Chrys. ho. 89.

XLIII. O Christiani, dum cor modò obtinuistis carneum, & Christum adeo in vos experti estis munificum, an non & vos movebimini ad compassionem? nunquid dabitis eleemosynam aliquam? Tunc Christus dives est, quando suam nobis dispensat misericordiam, non aliam requirit eleemosynam, nisi ut remissionem efflagitemus. Agedum, agedum itaque Christiani mei, prosternite vos omnes in terram, cunctique pœnitentes indulgentiam sollicitate. Domine mi, veniam precamur, misericordiam ô Domine. Omnibus, qui verè pœnitentes divinam postulant indulgentiam, suam ipse benedictionem impertit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE LUNÆ, POST DOMINICAM V. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De valore fidei, & utilitate, quam quis consequitur ex charitate præstita mortuis.

Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Ioan. 7. v. 38. 39.

PROBLEMA

Uter sit habendus felicior; an ille, qui in terris actum elicit vivæ fidei; aut verò alius, qui clarè videt in cælis divinam essentiam in tribus personis? & quæ aqua supra eleemosynam sit efficacior in exstinguenda afflictarum animarum siti, in ignibus Purgatorii?

INTRODUCTIO.

I.

MAgnus & gloriosus Pater S. Joannes Chrysostomus in homil. 89. dubium proponit adeo grave, ut nesciam ego, si melius proponi poterat, aut accuratius resolvi. Optarem ego, inquit sanctus, intelligere; quis actus excellentior sit & gloriosior, quæve eleemosyna majoris sit valoris, magisque accepta; an scilicet illa, quæ immediatè fit personæ Christi; an verò alia, quæ fit homini pauperi? sibique ipsi respondens sanctus, inquit: *Majus donum est, pauperem pascere propter Christum; quam ipsum Dominum præsentem alere.* Gloriosius est obsequium, præstitum egenis ex amore Dei, quam aliud immediate ipsi exhibitum personæ Chtisti; cujus hanc rationem sanctus assignat. *Quia Christi præsentia etiam cor lapideum ad se traheret.* An fortè ingens reputabitur, ipsam pascere Christi personam, qui vel sola præsentiâ suâ, qualecunque etiam cor lapideũ mollificare potest? ingens comitatur gloria obsequium illud, quod quis exhibet in cibando pauperculum credens omne hoc, quod pauperi præstatur, ipsi præstari Deo, tunc enim opus tale fide, quæ totius Christianæ vitæ fundamentum est, vestitur, ipsamque æmulatur visionem beatam. Hoc autem si taliter sese habet; uter gloriosior dicendus erit ac felicior: an ille, qui in terra actum elicit vivæ fidei; an verò alter, qui Deum intuitive, contemplatur in cœlis seu divinã essentiã in tribus personis? si

S. Chryſ. ho. 89.

ſi ita vobis placuerit, hoc hodiernum erit, quod vobis proponam problema; quo finito, quandoquidem nos hodie invitat Chriſtus ad bibendas gratiarum ſuarum aquas: *ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat:* eadem pariter cum occaſione examinabimus, quænam aqua præ eleemoſyna ſit potentior in extinguenda ſiti afflictarum animarum ſancti Purgatorii? Mementote vos interim aſſerti illius prophetici, quia *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Porta, per quam ingreditur fides, auditus eſt; & auditus ſoli debet patere verbo Dei. Me igitur hodie diſcurrente de fide, veſtras vos aperite aures, attendentes cũ ſilentio & modeſtia: & incipio.

Probl.

Joa. 7. v. 37.

Rom. 10. v. 17.

II. *Qui credit in me:* dicit hodie Chriſtus: *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Si ita eſt, prout incarnata inquit Sapientia Patris, quæ, cum ſit prima veritas, mentiri nequit; eximia profectò & ſingularia valde hodie ego vobis propalabo fidei præconia: ſcilicet illum, qui in terris actum elicit vivæ fidei, beatiorem eſſe alio quocunque beato, qui divinam eſſentiam clarè videt in tribus perſonis; authenticum hujus veritatis teſtimonium mihi perhibebit non unus duntaxat, quantumvis inſignis ſanctus, neque Angelus, etiam ſupremus, ſed ipſemet trinus & unus Deus. Prout ſcribit S. Joannes in ultimo capite epiſtolæ ſuæ canonicæ: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus.* Tres perhibent in cœlo teſtimonium perſonæ magnæ, in excellentia æquales Pater, filius & Spiritus ſanctus. Sed hei mihi, quid audio: ſanctiſſima Trinitas teſtimonium dat in cœlis? Ecce me confuſum vel in ipſo principio. Cui teſtimonium illud perhibetur in cœlo? cuinam rationem reddunt divinæ perſonæ? de qua re agitatur inibi? forſitan quòd ſit ipſa authentica veritas in regno illo beato? ſi ita eſt; quod igitur tribunal eſt, in quo formatur & publicatur teſtimonium adeo authenticum? quis præſidens? cui teſtimonium perhibent tres divinæ perſonæ?

1. Joa. 5. v. 7.

Cui Trias perhibeat teſtimonium.

III. Niſi vos ô docti me hodie adjuveritis, progredi nequeo; dicite mihi, ſi vobis placet, quod eſt objectum formale fidei? reſponderit quiſpiam intelligens: *Hic nodus difficilis eſt, & ſolvendus manet in patria.* Si quæſtio eſt de objecto materiali fidei: hoc eſt quicunque articulus, qui per primam veritatem revelantem redditur credibilis; quos inter primas obtinet myſterium Trinitatis; ita quò ad omnia nos docente, Angelico Doctore pauperumque patre, S. Thomâ, dum ait: *Veritas Trinitatis eſt totius fidei unica baſis & firmamentum, & quidquid de fide tenetur, hoc unico fundamento ſolidatur: ſi Trinitatem videneges, quomodo Dei filium credes fuiſſe incarnatum? quomodo eundem credes fuiſſe natum & paſſum, & ſurrexiſſe à mortuis & aſcendiſſe ad cœlos? quomodo infernum credes & paradiſum eſſe? ſi Trinitatem non credis, quid tibi reſtat de fide?*

Objectũ formale fidei.

Et materiale.

S. Th. Aquin.

S. Th. Villan.

IV. Myſterium itaque Trinitatis, primum eſt inter omnes Chriſtianæ fidei articulos, objectum materiale; ſed quodnam aſſignabitur objectum formale, per quod efficitur credibile myſterium Trinitatis: Reſponde mihi Chriſtiane & ediſſere: *Quare credis in myſterium Trinitatis?* ſi mihi reſponderis: *quia Deus revelavit.* Replico ego tibi: *Quare credis Deo revelanti?* ſi mihi dicas: *Quia Deus eſt prima veritas:* reſumo ego & quæro: *Quare credis, Deum eſſe primam veritatem?* Ad hæc mihi dorſum obvertere videris & obmuteſcere, niſi quòd ulterioris reſponſi impotens, prætendas dicens, quod veritati huic

tantæ

tantæ testimonium perhibeant personæ divinæ: quia *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* O miselle, compatior ignorantiæ tuæ; ignosce mihi, dum responsionem tuam cogor replicare: *Quare credis, Trinitatis mysterium esse verum?* Testimonium Trinitatis non minùs est objectum materiale fidei, quàm ipsa Trinitas, sicut & quodcunque aliud mysterium, quia objectum materiale fidei est: *Omne illud quod creditur*; dum igitur testimonium Trinitatis creditur, testimonium istud quod tres perhibent divinæ personæ, erit objectum materiale fidei, habebitque necessariam rationem aliquam formalem, per quam reddatur credibile; quod itaque est illud objectum formale, quod efficit credibile Trinitatis mysterium? Theologus, sinistram hanc deductionem conspiciens, respondet juxta principium Philosophicum, dicitque: *Testimonium Trinitatis seipso facit fidem*; quod est idem, ac dicere; quod *testimonium Trinitatis & est id quod creditur, & etiam est ratio credendi alia*; eodem modo sicuti principium primum, *& est id, quod per seipsum probatur, & est etiam id, per quod probatur conclusio*; cujus ratio hæc est: *quia prima principia seipsis faciunt fidem, & per seipsa sunt nota.* Ita quoque in præsenti concluditur per principium philosophicum, scilicet quòd *mysterium Trinitatis est objectum materiale fidei, quia creditur propter primam veritatem revelantem, seu propter testimonium ejusdem Trinitatis*; at verò prima veritas revelans seu testimonium Trinitatis objectum est materiale fidei, quia *non creditur propter aliud sed propter se, & simul etiam est ratio credendi alia.*

V. Hanc ego resolutionem præstolabar, sed ex eadem novæ difficultatis eruo motivum; si totum catholicæ fidei negotium est dependens à prima veritate revelante, seu, quod idem est, à testimonio Trinitatis; consequenter Trinitas obsequium præstat fidei nostræ, deficiente enim testimonio Trinitatis seu primâ veritate revelante, deficeret quoque fides catholica. Quanta autem hæc est fidei prærogativa, quòd ipsiusmet trini uniusque Dei mereatur obsequium, cui tota creaturarum universitas rigorosum præstat subjectionis debitum?

VI. Neque duntaxat SS. Trinitas testimonio suo obsequium defert fidei; sed etiam si honorem & venerationem, qua Christus fidem prosecutus est atque prosequitur, respexeritis, admirantes stupebitis. Affixum cruci Redemptorem exorabat bonus latro, dicens: *Domine memento mei*; subitòque sibi dici audiit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Verba hæc dum admiratur S. Cyprianus, ad Christum conversus, ait: *Quid amplius Domine Stephano contulisti? quid amplius Pauli habuere sudores? ut quid latroni sic facile concessisti cœlum, quod aliis non dedisti, nisi post tot discrimina rerum?* O magne Domine, quorsum hæc tanta in bonum latronem prodigalitas? Augustinus Pater meus aliud quoddam supperaddit verbum, majori admiratione dignum, inquiens: *Isto pietatis opere Paradisum non conculcans, sed illustrans; & latronis introitu non confundens, sed honorans.* Quam gloriam, quam gratiam adeo possidebat ingentem bonus latro, ut Paradisum potuerit illustrare?

Luc. 23. v. 42.

S. *Cypr. ep. 7.*

D Aug. de bono latrone.

§. 7.

VII. Quandoquidem paradisi incidit mentio, quis mihi vestrum dicere poterit, cur S. Petrus cœli janitor fuerit effectus? credetis, id forsitan ideo factum fuisse, quia S. Petrus filius erat Spiritus sancti; ita dicit enim Christus: *Beatus es Simon*

S. Petrus cur filius Spiritus sancti.

Mat.

mon Bariona: quid sibi vult? *Bariona.* Respondet Venerabilis Beda idem esse, quod: *Filius columbæ.* Quid rei significat columba? Spiritum sanctum: *Spiritus sanctus in specie columbæ visus est;* dum igitur Christus
Mat. 16. v. 17. ad S. Petrum dicit: *Beatus es Simon Bariona, id est, filius columbæ;* idem fuit, ac si dixisset: O Petre, tibi do Paradisi claves, quia filius es Spiritus sancti. Undenam Petrus tam excellentem promeruit titulum? unde? petierat Christus: Quem dicunt homines esse filium hominis? ad
Ioa. 6. v 70. quæ indilatè & promptè S. Petrus: *Nos credimus & cognoscimus, quod sis filius Dei.* Ego ô Domine, omnium nomine, te confiteor esse Deum. Itane, inquit Christus, tu Petre credis & confiteris me Dei filium esse? *Beatus es Simon Bariona:* propter hunc fidei actum, confero tibi non modò claves Paradisi, sed etiam te declaro filium
S. Hier. Spiritus sancti. Audite S. Hieronymum: *Ex confessione Petrus sortitus est vocabulum, quod revelationem habeat à Spiritu sancto, cujus & filius appellandus sit; siquidem Bariona in nostra lingua sonat filius columbæ.* Propterea igitur tanta cum prodigalitate Christus paradisum impertiit bono latroni; diciturque ipse paradisum illustrasse; quantumvis enim Christus penderet in cruce, totus crudelibus exanimatus tormentis, nihilominus bonus latro, nullo etiam viso miraculo, ad eum ait: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* O, dicit Christus, latro, etiamsi me non cognoverit, attamen me Deum esse credit & confitetur? ô fortunate latro! *Hodie mecum*
S. Ambr *eris in Paradiso.* S. Ambrosius serm. 2. de bono latrone ait: *Eadem hora, qua Paradisus Christum suscepit, suscepit & latronem; unus passus est pro salute cunctorum; & tamen duobus immortalitatis janua reseratur; sed hanc tantam gloriam latroni fides præstitit.*

VIII. Observastisne, quod speciale donum Christus conferat credenti? non modò paradisum ei donat, sed etiam cor, imò totum semetipsum. Redeamus ad montem Calvariæ. Exspiraverat in cruce Christus, post cujus mortem: *Unus militum lanceâ latus eius aperuit:* quo fine hæc Ioa. 19. v. 32.
fuit Redemptori mortuo inflicta plaga? §. 10.
Si volebant Christum cruciare Judæi, cur non eum vivum hocce vulnere cruentarunt?

IX. Ne recedamus à cruce. Postquam Christus spiritum suum Patri recommendasset, subitò, ut inquit textus, caput inclinavit terram versus: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* v. 30.
O mi crucifixe Deus, si spiritum tuum Patri recommendas, in cœlis existenti, cur postea caput tuum dirigis versus terram? quæ hæc rerum connexio? Dicite mihi ô mortales, quis in terram traxit Deum illum immensum, qui venit in mundum, nunquam recedens è cœlo? dicetis utique: Maria. Optimè dixistis; sed undenam magna illa & augusta Domina meruit, ut ipsa descendere faceret in hanc miseriarum vallem, summum illum Deum, qui in cœlis regnat infinita cum gloria? respondet S. Lucas Evangelista: *Beata quæ credidisti perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino;* & apertius S. Ildephonsus: *Ne timeas Maria, neque expavescas nuntium Angeli; tantùm crede, & concepisti.* Et S. Anselmus in Lucam c. 10, ait: *Porta, per quam Jesus intravit in mundum, fides fuit Mariæ.* Ecce vobis rationem, ob quam Christus in cruce moriens, caput inclinarit terram versus; juxta Aristotelis dogma, debemus majorem potius correspondentiam habere cum oculo, quàm cum corde nostro; scitis etenim, quòd Princeps dum suum frequenter respicit aulicum, signum edat magni in eum amoris.

[Margin: Fides Deũ in mundũ traxit. — Luc. 1. v. 45. — S. Ildeph. — S. Anselm.]

amoris. Dum igitur Christus in cruce moriens, suos in terram defixit oculos, significavit, potius se terram, quàm cœlum amare; veruntamen quid boni esse poterat in terra, quod non abundaret in cœlis? an nescitis? in terris fides floret, quæ deficit in cœlo; in cœlo habetur clara visio beata; in terris fides, quę obscura est cognitio: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Propterea Christus in cruce moribundus, caput versus terram inclinavit; quasi dicere voluisset: sciatis ô mortales; quia cor meum possedit & inescavit amor fidei. Unde & S. Damascenus in lib. 4. de fide orthodoxa inquit, Christum crucifixum fuisse facie versus Occidentem; & doctissimus Andricomius in descriptione Jerosolymitana, tradit Christum in sepulchro locari voluisse, capite posito versus Occidentem; & iterum dum cœlos ascendit, vestigia reliquit in monte oliveti impressa Occidentem versus. O mi Deus, cur ita Occidentem respicis? respondet Christus: Occidentem versus, Europa situata est, & in Europa Italia; in Italia autem residebit Ecclesia Catholica Romana, quæ fidei erit magistra: moriens ego, Occidentem respicio & Ecclesiam Catholicam, ut vobis omnibus significem, me, si moriar propter fidem mori, & in cœlum proficisci, ut habitacula & sedes præparem fidelibus meis.

X. Ecce pariter causam, cur dicta plaga Christo mortuo inflicta fuerit; quid
§. 8. dixit Centurio post Christi mortem? *Verè filius Dei erat iste.* O dicit Christus, postquam in corpore sum mortuus, Centurio me Deum esse profitetur? quod ei præmium impertiar? Paradisus cessit latroni, spiritus commendatus est patri, Maria Joanni. Agedum ô Longine aperi mihi pectus meum, & trade Centurioni totum sanguinem, qui mihi superstes remansit in corde. *Cur lancea*, inquit S. Augustinus, *dominicum latus aperuit in morte, nisi ut quodammodo vitæ ostium panderetur, & sacramenta manarent ad cor hominis credentis?* S. Aug. in Ioan.

XI. Ad altiora mecum transcendatis ô Auditores, quam in se bonitatem, quam excellentiam continet fides, ut non modò obsequium mereatur trium personarum divinarum, sed ut Christus etiam tot eidem impertierit dona adeo pretiosa? Existimatisne forsitan, fidem aut conditione aut naturâ Deo inferiorem esse? auscultate me attenti, ut gratiâ vestrâ eloquar hodie, quod ad communem poterit servire consolationem. Fides inter omnes virtutes Christianas, tale ac tantum habet privilegium, ut non modò totum hoc in se contineat, quod possidet Deus, sed insuper ut Ecclesiam pariat militantem & triumphantem, imò fæcunda sit ipsius sanctissimæ Trinitatis mater, tantumque possit, quantum ipsemet Deus. Resumamus per gratiam vestram illa, quæ Christus in hodierno evangelio profert verba: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quid sunt fluvii isti, de ventre ejus exituri, qui crediderit? Ut flumina ista sine submersionis periculo superemus, navim conscendamus cum ipso Christo, apud S. Lucam dicente: *Regnum Dei intra vos est:* in vobis residet Dei regnum. O docti & intelligentes: *Quid est regnum Dei?* vos mihi respondetis, quòd *est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Si regnum Dei status est, omni plenus bonitate; ergo in regno cœlesti Deus est trinus & unus, quia omnem bonitatem continere nequibit, si præsentiâ careat divinâ. Si in regno Dei est Trinitas, & regnum Dei est intra nos, ergo in nobis est Trinitas;

Privilegia fidei.

Luc. 17. v. 21.

tas; ita equidem est, sed quomodo nihilominus id esse potest? summum illud bonum est incomprehensibile, etiam ab ipsis beatis in cœlo, quomodo igitur recludi poterit intra nos? si intellectus noster, etjam lumine gloriæ illustratus, non potest capere illud, quantò minus pectus nostrum? S. Petrus Chrysologus, qui dubium hocce movet, ita respondet; *Regnum Dei intra nos est fide, & ut reveniat, supplicamus*: vi fidei Christianus possessionem obtinet regni Dei, quia *Deum ille habet, qui eum credit & confitetur auctorem*: qui Deum habet secum, omne bonum possidet; sed qui credit & confitetur Deum esse creatorem suū, eum infallibiliter possidet; ergo in ipso est regnum Dei. Ast hic iterum idem poterit moveri dubium, quomodo scilicet Deus esse possit in eo, qui credit? respondet S. Zeno; quia *fides tantum habet, quantum credit*. Tanta est fidei virtus, ut se dominam efficiat omnis illius, quod credit; ita ut, qui in Deum credit, dominus fiat ipsius Dei. Sed nunquid originem investigare poterimus, unde tanta fidei accedat prærogativa, ut se dominam constituat ipsiusmet Dei?

S. Petrus Chrys. ser. 71.

id ser. 56.

S. Zen. ser. de Abrah.

XII. Agedum Metaphysici, nonne vos docetis, quòd *finis dicit relationem ad media & econverso*? ita; quis autem nostræ beatitudinis est finis? solus Deus. Quæ sunt media? virtutes; quæ verò virtutum omnium prima? sola fides, utpote fundamentum omnium aliarum, ergo fides relationem dicit ad Deum; sed relativa juxta doctos, *sunt ejusdem naturæ & disciplinæ*: dum igitur Deus, est ultimus finis noster & fides primum medium; consequenter fides ejusdem est naturæ cum Deo.

XIII. Melius possumus demonstrare idipsum. Scientia accipit suum esse & formam suam specificam ab objecto formali; ita ut, si objectum sit operatio mentis, scientia sit rationalis, prout vobis notum est Logici; si objectum reale fuerit & naturale, realis quoque & naturalis erit scientia; si objectum divinū, divina erit & scientia; ideoq; Theologia dicitur sacra & sapientia divina, quia objectum ejus est Deus, quà talis. Nunquid dixi vobis, objectum divinum fidei esse primam seu divinam veritatem revelantem? ita; ergo fides tota est divina, & ut talis fit domina & possidet totum hoc, quod in Deo reperitur.

XIV. Ex quo fit, quòd quidquid in Deo absconditum est, totum hoc sub umbris reperiatur obscuritatis fidei; quid autem in Deo est? sapientia infinita: nequaquam hæc deficit in fide; ecce vobis scripturam. Transiens Christus ad civitates Tyri & Sidonis, vidit, sibi obviam procedere mulierem aliquam Chananæam; exinde, ut dicit S. Marcus: *Dominus ingressus domum, neminem scire voluit; sed non potuit*. Volebat Christus, nulli omnino suum manifestari adventum, sed non potuit latere. Subintrat hic S. Petrus Chrysologus ser. 100. & totus stupore plenus ait: *Voluit & non potuit?* quid hoc sibi vult? profectò *velle & non posse, non est Majestatis divinæ sed infirmitatis humanæ; quia scriptum est: omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, quomodo ergo Evangelista dicit, quòd Dominus latere voluit, & non potuit*? Si Deus sese omnipotentiâ, velut scuto munivit, quomodo igitur se subtrahere nequiit oculis unius mulieris? lapidandus à Judæis, nunquid se subduxit? ita sanè; taliter enim affirmat S. Joannes: *Abscondit se & exivit de templo*. Quomodo ergo S. Marcus dicit: *Voluit latere & non potuit*? quid secum asportabat Chananæa dicta? comparuit mulier ista coram Christo, plena fide;

Animæ fideli scientia inest infinita.

Marc. 7. v. 24.

S. Chrysol.

Ioan. 8. v. 59.

Marc. 7. v. 24.

Mat. 15. v. 28.

fide; unde & ipse Christus eam alloquens, ait: *O mulier, magna est fides tua.* Ita ut ex una parte consisteret Chananæa cum sua fide, ex altera verò Christus, nolens agnosci seu cum voluntate omnes latendi; subsiste, inquit Chananæa, ô Domine, ne te abscondas; volo cognoscere & scire, quisnam tu sis. O sapiens mulier, ad cognoscendum Christum, verum Deum, sapientia requiritur infinita, sine qua intelligi nequit, divinum suppositum Verbi humanam assumpsisse naturam; nunquid tu talem possides scientiam? ita, inquit Chananæa, possideo talem ego; quia objectum formale fidei est prima veritas revelans, ratio quidditativa primæ veritatis est sapientia infinita; ergo per meam ego fidem increatæ conjungor sapientiæ; audite subtilem circa hoc discursum sancti Chrysologi, dicentis: *Tanta est sagacitas fidei, ut etiam Deo nolente, divinum valeat investigare secretum.*

S. Chrys. loc. cit.

XV. Vultis insuper ediscere, immensam esse fidei virtutem? auscultate. Semper obstupui ego, quomodo Virgo Maria, pura creatura, in suo parvulo utero recludere potuerit summum illum & immensum Deum, quem cœlum capere nequit; id quod tantam involvit difficultatem, ut ipsamet sancta Ecclesia cum admiratione exclamet: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

Eccl. in offic. B.V.

XVI. Simile aliud factum in admirationem, rapuit magnum Patrem meum Augustinum. Degens Patriarcha Abraham ad portam tabernaculi sui, vidit venientem ad se Deum, ut diverteret ad ædes ejus; Abraham itaque occurrit ei, humanèque invitavit: *Cum staret Abraham in convalle Membre, sedens ante ostium tabernaculi sui, elevans oculos, apparuerunt ei tres viri, stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum illorum de ostio tabernaculi. & adoravit in terram.* O magne Patriarcha, quomodo Deus ille trinus & unus, qui immensus est, comprehendi poterat à tuo tuguriolo? Respondet Abraham: ego credo in Deum illum, qui meam hodie domum ingreditur; eadem hæc fides mea immensitatem capiet Dei, eumque accommodabit in hospitio meo. Conceptus hicce est magni patris Augustini ser. 88. de tempore, dum ait: *Licet illa, quæ exhibebantur, tam majora fuerint; locorum tamen angustiis fides dederat magnitudinem.* Ita quoque Maria, quia magnam habuit fidem in Deum illum, cujus mater futura erat (*beata, quæ credidisti; perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino*) hinc ipsa hæc fides immensitatem compræhendit Dei, eamque reposuit in visceribus virgunculæ, quæ ex hoc capite, scilicet fidei, capere potuit immensum illum DEUM, quem non capiunt cœli, quantumvis enim *tam maxima erant, quæ exhibebantur, uteri tamen angustiis fides Virginis præstitit magnitudinem.*

Gen. 18. v. 1. v. 2.

S. Aug.

Luc. 1. v. 45.

Anima fidelis habet imm.

XVII. Vidimus itaque infinitam in fide sapientiam & immensitatem supremam; forsitan omnipotentia in eadem deficiet? Respondeat S. Paulus ad Hebræos scribens. Postquam Apostolus eximia multa memorasset prodigia, quæ fides operata fuit in Patriarchis antiquis, scilicet Abel, Noë, Abraham, Jacob, totque aliis, tandem quasi ultimum contextæ catenæ appositurus annulum, concludit, dicens: *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, & quid adhuc dicam?* inter omnia fidei mirabilia, inquit Sanctus Paulus, statuo pro Achille, scilicet quòd fides defenderit & salvaverit meretricem,

Et omnipotentiã.

Hebr. 11. v. 31.

ita ut omnibus pereuntibus, sola illa superstes manserit. O Sancte Paule, ergone fides operari nequit excellentiora? nunquid dicit Deus? *Si habueris fidem ut granum sinapis; & dices huic monti: vade, & vadit.* Ita; ast nonne hoc majus est, quàm præservare à morte meretricem aliquam? An non portento hocce majus est aliud, quod perpetravit Josue, sistendo solem in medio cœli, ita ut ne quidem vel ad unicum passum progredi posset? non; nullum omnino miraculum, qualecunque demum fides in tot Patriarchis & Prophetis fecerit, potest dici prodigiosius illo, quod patravit, præservando à morte meretricem. Continere velocem solis cursum in cœlo, potest quicunque Deo familiaris; montes transferre de loco in locum possunt, & de facto transtulerunt tot sancti; sed eradicare penitus ex meretricis corde, inveteratum lasciviæ flagitium, sola valet omnipotentia Dei; dum igitur ego Raab meretricem cum reliquis incredulis video non interiisse, compellor dicere, fidei Raab conjunctam esse omnipotentiam divinam; propptereaque prodigium hoc omnium miraculorum summum censeri debet: *Fide, Raab meretrix non periit cum incredulis, & quid adhuc dicam?*

Mat. 17. v. 19.

XVIII. Profiteor ô dilectissimi, nos usque modò per flumina navigasse, quæ dimanant ex fide; nihilominus optato necdum potimur portu: Si fides immensitatem possidet ac sapientiam divinam, imò & ipsam omnipotentiam; consequenter potentia ejus potentiam æquabit ipsius Dei. Ita; quis dubitat? illa filios Dei generare poterit, dicente sancto Joanne; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Potest & vitam impertiri mortuis, prout fecit Sanctus Martinus: *Qui fidei virtute, trium mortuorum fuit resuscitator præcipuus.* Poterit & montes de loco transportare in locum, quemadmodum fecit magnus ille prælatus Gregorius Taumaturgus: *Qui suis precibus & fide fecit, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant.*

Joa. 1. v. 12

V. Bed. l. 3. comm.

XIX. Ex quibus inferre possum, fidem matrem esse originariam non modò Ecclesiæ militantis & triumphantis, sed etiam ipsius trini & unius Dei. Vultisne audire, fidem Ecclesiæ militantis esse matrem? supponite primò, quòd, sicut omnia flumina exeunt è mari, *& revertuntur ad mare, ut iterum fluant;* ita pariter omnia dona corporalia & spiritualia, cum omnibus gratiis cœlestibus, imò cum omnibus æternæ gloriæ thesauris originentur ex fide in tali gradu; ut, sicuti exsiccato mari nec aquæ supersunt nec flumina, ita quoque deficiente solâ fide, exspiret spes, caritas, gratia, gloria; imò desinat esse & paradisus, pro eo scilicet, qui fide destituitur.

Eccl. 1. v. 7

XX. Hoc supposito, quid Sanctus Paulus ad Romanos ait? *Justus ex fide vivit:* justus vivit per fidem. Non est propositio hæc adeo facilis, ut arbitramini, quia ut idem sanctus Apostolus inquit: *In Deo vivimus, movemur & sumus:* sicut DEUS est primum principium nostri esse, & omnis motus nostri, tam naturalis quàm supernaturalis; ita quoque nulla creatura movere se potest sine Deo. Ut autem magis ad particula

Rom. 1. v. 17.

Act. 17. v. 28.

ticularia descendam; nonne vos affirmatis ô docti, non fieri justum peccatorem, nisi per habitum gratiæ justificantis? quod adeo certum est, ut, si quispiam foret homo omnibus ornatus virtutibus sine habitu gratiæ, non tamen dici poterit *formaliter* justus; quia cum peccatum sit privatio gratiæ, nunquam homo poterit dici sanctus & justus formaliter, nisi habeat gratiam, quæ fundamentum est vitæ Christianæ & principium omnis meriti. Si ita se res habet, cur igitur dicit Sanctus Paulus: *Iustus ex fide vivit?* potius dixisset: *Justus Deo vivit, vel saltem vivit ex gratia.* Non, dicit Sanctus Paulus: *Iustus ex fide vivit.* Quandonam gratia justificans confertur peccatori? quando contritus est; quando autem dicitur contritus? quando deseruit peccatum; quid verò movet hominem, ut peccatum deserat? aut timor divinæ justitiæ, aut spes gloriæ, aut amor divinæ misericordiæ; optimè resoluistis: at timor, spes & charitas undenam nascuntur, nisi ex sola fide? dum quis credit, Deum justum esse, eumque venturum ad judicium, ut judicet vivos & mortuos; cogitatio hæc confestim ingerit timorem. Si credit DEUM esse misericordem, mox concipiet amorem; si credit DEUM gloriosum, per spem sese eriget. Ecce igitur vobis, totum vitæ cujuscunque justi bonum oriri ex fide; meritò proinde Sanctus Paulus ait: *Iustus ex fide vivit.* Ex quibus probatum manet, fidem matrem esse originariam Ecclesiæ militantis.

XXI. Ulteriusne contemplari libet fidem pariter & Ecclesiæ triumphantis matrem? ipsemet nos Christus hanc veritatem docet, dum apud Sanctum Joannem ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant* Ioa. 17.
te solùm Deum, & quem misisti Iesum Chri- v. 3.
stum, filium tuum. Pater æterne, vita æterna consistit in eo, quòd credant te esse solùm Deum, & me unicum filium tuum. §.23.
Textus iste ô docti, ansam præbet hæreticis dicendi, Christum non esse verum Deum; si enim ipsemet dicit, solum patrem suum esse Deum, ergo ipse non est Deus; respondent ad hoc scholastici, particulam istam *solùm* non excludere diversitatem personarum, sed essentiæ; rem in exemplo declaro. Si ego modò vobis dicerem: ego solus in hac civitate sum religiosus, falsum dicerem, quia præter me sunt & alii; si autem dicerem: ego sum solùm religiosus, affirmarem verum, quia non sum Prælatus, non Episcopus, sed tantum porto habitum religiosi. Ita pariter: non dicit Christus, solum æternum patrem esse Deum, quia hoc falsum foret, cùm etiam Deus sit Verbum & Spiritus sanctus; sed dicit Christus, Patrem æternum esse solùm Deum, quia non est Deus & homo, sicuti est Christus; Christus enim non modò Deus est, sed & homo, Pater autem æternus duntaxat Deus; ita pariter discurrite de tertia persona divina.

XXII. Dicit igitur Christus: æterne pater, consistit in eo, quòd credant in te, quòd sis solummodo Deus; & in me Jesum, qui sum Deus & homo. Sed quomodo vita æterna consistit in eo, quod est credere in Patrem, solùm Deum; & in Christum, à Patre missum? dubium nobis resolvet Sanctus Paulus, qui fidem describens, ait: *Fides est substantia rerum* Heb. 11.
sperandarum, argumentum non apparentium. v. 1.
Fides est substantia rerum, quæ sperantur, sed non videntur: *Fides est substantia?* non potest esse tales; vos etenim interrogo

rogo ô docti: nunquid omnes habitus infusi sunt accidentia? respondebitis utique affirmativè, quia *habitus est species qualitatis*, & qualitas est accidens; si ergo fides est habitus, & habitus est accidens; quomodo igitur dicit S. Paulus, fidem esse substantiam?

S. Bas. ho. 20. XXIII. S. Basilius dicit fidem esse substantiam, id est, primum Theologiæ principium, quia *oportet addiscentem credere*. S. Chrysostomus & Theophylactus docent, fidem esse substantiam; quia illa tantùm potest, ut etiam illud, quod necdum est, per efficaciam ejus in corde & intellectu nostro subsistat. Hugo Cardinalis fidem tradit esse substantiam, quia per virtutem ejus illud, quod hodie possidemus in floribus, cras consequemur in fructibus. Cajetanus sustinet fidem substantiam esse, quia nos sustentat, efficitque, ne in spe nostra deficiamus. Sed omnium optime S. Bonaventura asserit, fidem esse substantiam, id est, fides est prima totius fabricæ spiritualis basis & fundamentum, prout supra Christus per os Davidis dixit: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Volebat enim insinuare Christus; etiamsi ego sepeliar in cruciatibus, horum tamen nulla est substantia, id est, nullum fundamentum aut causa; ita pariter & fides est substantia, id est, primum principium & fundamentum; eam autem esse fundamentum beatitudinis, ipsemet Apostolus nos his verbis docet: *Rerum sperandarum.* Quod sperat Christianus bonum, nisi beatitudinem cœlestem? fides ergo fundamentum est, primum principium & causa radicalis, ipsius etiam beatitudinis nostræ; quod assertum si non suffecerit, Theologicam accipite doctrinam, quæ tradit, beatitudinem nasci ex justificatione, justificationem autem procedere & nasci ex fide; unde paulo ante præmisimus: *Iustus ex fide vivit.* Sicut ergo fides, mater est justificationis, ita & genitrix gloriæ, quæ sedes est Ecclesiæ triumphantis; atque id est, quod Christus hisce verbis insinuare voluit; *Hæc est vita æterna, & cognoscant te solùm Deum, & quem misisti Iesum Christum, Filium tuum*: quasi dicere voluisset: æterne Pater, gloria & vita æterna consistit in eo, ut credant in te, quòd sis solùm Deus, & in me, quòd sim Deus & homo. Unde & sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. c. 8. ait: *Fides est fundamentum humanæ salutis, & radix omnis justificationis.* Et, nisi errem, sacrum Concilium, totum hoc decerpsit ex magno Patre Augustino, qui in serm. 38. de tempore dicit: *Fides est omnium bonorum operum fundamentum, ac humanæ salutis initium; sine qua nemo potest ad Dei filiorum consortium pervenire.*

Chrys. h. 21. *Hug. C.* *Cajet.* *Ps. 68. v. 3* *Rom. 1. v. 17.* *§. 21.* *Trid.* *S. Aug.*

XXIV. Tandem fides mater est fœcunda, unde nascitur intentionaliter Trinitas. In quanam creaturarum ad vivum impressa est imago Trinitatis? in homine, in cujus creatione eædem divinæ personæ dixere: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Imago hæc per peccatum abolita fuit, ita ut, cum homo primitus existens in gratia, viva esset Trinitatis imago, postea per peccatum perdiderit venustissimam illam similitudinem, & æqualitatem assumpserit bestiarum: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Toto tempore, quo manet homo in peccato, pulchra Trinitatis imago sepulta jacet in eo, ut primum autem resurgit ad

Gen. 1. v. 26. *Ps. 48. v. 13*

vitam

vitam gratiæ, subitò reviviscit imago Trinitatis. Dicite mihi, quis primus ille actus est, per quem homini datur vita spiritualis. Portatur ad baptismum, & quia peccatum secum defert originale, miser omni destitutus est Trinitatis imagine; quid ei dicit sacerdos? *Credis in Deum*: loco infantis baptizandi respondet patrinus: *Credo.* Ex eo tempore incipit creatura illa novam vivere vitam spiritualem, renascitur que in ea Trinitatis imago; ita ut Trinitas fundamentum sit fidei, sublata enim Trinitate, *nihil restat de fide.* Totius vitæ spiritualis fundamentum fides est & principium, unde renascitur Trinitas; fides enim *est substantia rerum sperandarum.* Tam igitur necessaria est fides, ut increata renascatur Trinitatis imago, quàm necessaria est Trinitas, ad infundendam creaturæ fidem; atque ita sicut Trinitas dicitur primum fidei principium, taliter & fides dici potest mater originaria Trinitatis.

XXV. Hique sunt gratiarum fluvii, qui egrediuntur de ventre credentis; ex quibus omnibus inferre poteritis, uter sit beatior: an ille, qui in terris actum elicit vivæ fidei; an verò beatus, qui in cœlo divinam intuetur essentiam in tribus personis. Quando enim beatus videt in cœlis Deum intuitivè, nihil meretur, utpote existens *in termino*; estque clara ista visio, præmium ortum ex merito; quando autem Christianus in terris actum exercet vivæ fidei, tunc meretur

Joa. 20. v. 29. visionem beatam: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*; si autem ille, qui Deum videt in cœlis, beatus est per fidei meritum, concludendum itaque, eum magis esse beatum per fidem, quia *propter quod unumquodque tale, & illud magis.*

XXVI. Superaddere possumus, quod beatus in cœlis non formet imaginem objecti, à se visi, quia scilicet divina essentia præsens est; ast alter, qui fidei elicit actum, in anima sua imaginem exprimit omnium illorum, quæ credit, & consequenter ipsiusmet Trinitatis; adeoque beatior est, dum credit in terra, quàm cùm Deum videt in cœlo.

XXVII. Amplius hodie Christus dicit: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Ergo fidei se in præmium concedit Spiritus sanctus? bene; scitis vos ô Theologi, quòd *opera Trinitatis ad extra sunt indivisa*; non est una persona sine alia; siquidem *totus pater in Filio & Spiritu sancto est; totus Filius in Patre & spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio est.* Si ergo fidei se donat Spiritus sanctus, consequenter & tota Trinitas; sed præmium semper est partus, originem trahens ex merito, ergo & Trinitas renascitur ex fide.

XXVIII. Et ut finiam tandem; quid est, quod in cælis possidet beatus, quod nõ habeat fides in terris? dicetis utique, in cœlis claritatem vigere, at terram languere in obscuritate; bene & verè dixistis; sed fulgor ille, quo fruitur in cœlis beatus, unde ortum trahit, nisi à fidei obscuritate? Concludendum est itaque, quòd *originaliter* beatior sit ille, qui actum elicit vivæ fidei in terris, quàm ipse beatus, qui intuitivè in cœlis, divinam contemplatur essentiam in tribus personis.

XXIX. Quia verò fidei individua comes est charitas, hanc modò exhibete vivis; visuri deinde in secunda parte, quantùm utilitatis afferat charitas, præstita mortuis, Respiremus.

SECUNDA PARS.

XXX. CRas discutiemus, utra fuerit voluntas intensior; an Judæorum, ad interficiendum Christum; an verò altera Christi, desiderantis pati & mori pro nobis? ut coronidem imponam discursui meo; observastis utique substantiam concionis, quam hodie habuit Christus: prædicare cœpit, & summopere laudare fidem: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; postea verò relictâ fide, totum se transtulit ad charitatem: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Id quod ideo factum est, judicio meo, ut doceamur, quemadmodum dixi vobis, fidei semper debere annexam esse charitatem, ad hoc ut illa fructuosa sit. Examinato igitur usque modò fidei merito, breviter nunc dispiciamus, quàm sit utilis charitas, præscisè exhibita mortuis? ordinaverant Principes & Pharisæi, ut comprehenderetur Christus: *Miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent Iesum.* (Ioa. 7. v. 32.) Abierunt satellites illi, juxta ordinem sibi datum; invenientes autem Dominum prædicantem, non modò non interceperunt eum, sed etiam ipsum esse homine majorem protestati sunt, dicentes: *Nunquam sic locutus est homo.* (ibid v. 46.) Quare Christus hodie malè exceptus fuit? an non auditis, quid dicat? *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Qui potum offert sitientibus & subsidium egenis, nunquam offensam incurrit. Hoc Christi exemplum, mihi hodie occasionem præbuit commemorandi vobis utilitatem ingentem, quæ oritur ex beneficiis in mortuos collatis, qui præ omnibus aliis in Purgatorio sitibundi sunt & egeni.

XXXI. Nunquid malè esse poterit ei, qui benefacit mortuis? nequaquam, hoc impossibile est. Commorante quondam Christo Domino nostro in ædibus Simonis leprosi, supervenit Magdalena & vas unguenti effudit super sanctos ejus pedes; ad hæc Judas: *Vt quid perditio ista? poterat unguentum istud venundari & dari pauperibus.* (Liber à malis, qui benefacit mortuis. Matth. 26. v. 8.) Quænam ista mulieris stultitia? quæ hæc sine judicio fœmina? quo fine tantæ impensæ sine proposito? nonne melius fuisset vendi unguentum istud, & deinde pecuniam, inde redactam, dari pauperibus? ô dicit S. Joannes, ô speciosam vulpem! quando unquam Judas pauperum fuit advocatus? sciatis ô mortales, non dixisse Judam talia ex charitate: *Non dixit hoc, quia ad eum pertinebat de egenis; sed quia fur erat, & loculos habebat.* (Ioa. 12. v. 6.) O S. Joannes, quæ fuit hujus instituendæ declarationis necessitas? forsitanne impossibile erat, Judam esse charitativum? non, dicit S. Joannes, non erat impossibile; at nisi ego dixero, Judam nunquam fuisse charitativum, poterit quandoq; dicere mundus, charitativum in pauperes posse alicui malo subjici; an nescitis, Judam suspendio interiisse? ita sanè; *suspensus, crepuit medius.* (Act. 1. v. 18) Nisi ergo publicem ego, inquit S. Joannes, & declarem, Judam nullo unquam tempore fuisse charitativum, quid dicet mundus, quando videbit eum suspensum in arbore? non, non: *Hoc non dixit, quia ad eum pertinebat de egenis.*

XXXII. Quandoquidē mentionē fecimus Judæ, magis elucidemus punctum istud & videamus, quàm verum sit, non posse pati mala, qui benefacit mortuis. Postquam Judas sacrilegam illam consummasset magistri sui traditionem, agnovit se pessimè egisse; unde sibi ipsi violentas statuit inferre manus, quod & fecit, dum ligato ad collum fune, sese suspendit in ramis primò obviæ arboris. Sed quid evenerit, notate; dicit enim Theophy-

Theop. ophylactus, arborem istam, in qua se suspenderat Judas, subitò tenerescere cœpisse, & cum extraordinaria quadam compassione inclinatam usque ad terram, reliquisse vivum Judam: *Arbor est inclinata, Deo volente.* Prodigium hoc, parcens suspenso ad arborem Judæ, nimium quantum suspendit animum meum; quomodo enim? sceleratus apostata, infamis traditor, loco pœnæ & supplicii, gratiam reperit, pietatem invenit in arbore? magis autem concepta mihi crescit admiratio, consideranti aliud quoddam flagitium, horrendum quoque nimis, in quo omnino oppositum contigit. Notum est omnibus, fuisse Absalonem tam famosum in capillis, quàm infamem in animi talentis; hic facta adversus proprium parentem conjuratione, cum ingenti exercitu se in campum dedit, deinde utrinq; fortiter dimicari cæptum est; sed quo eventu? tantum prævaluit exercitus Patris, ut infelix filius sese in fugam recipere coactus fuerit; transeunti autem subter unam ingentem quercum, longa & dissoluta coma ramis arboris implicata, dominum suum in arbore suspendit. Casum hunc contemplans S. Johannes Chrysostomus ait: *O nefarium meritum patricidæ! injuriam Patris, non pugnantis gladius, non hostilis manus, non jaculantis ictus defendit; sed vindicant ligna, arbor ulciscitur, rami defendunt*: ad vindicandā patris injuriam, non gladius requirebatur aut lancea, sed parata adfuit quercus, quæ eum suspensū detinuit per crines usq; dum confoderetur in pectore. Adeste ô Auditores, & hanc mihi specialem gratiā præstetis, ut decernatis, quod ex duobus hisce flagitiis gravius fuerit; an hoc Absalonis, an verò illud Judæ? indubiè enorme fuit Absalonis crimen, utpote volentis internecioni dare proprium suum genitorem; sed quænam hujus delicti comparatio ad aliud istud Judæ? qui ausus fuit ipsū tradere Deum. Deinde absalon quidem sanguini insidiatus est paterno, sed ex ardenti regnandi siti; Judam verò quid impulit, ut pro vilissimo pretio suum venderet Dominum? deinde Absalonem excusare poterit calidus juventutis fervor, aut certè minus accusari ipse propter malos consiliarios; Judam autem quid ad pessimam hanc operationem induxit nisi avarissimus appetitus? superaddamus tandem: quòd si Absalon, actualiter manibus arma versans, patrem suum vidisset, indubiè canum illud & venerandum caput, nec non plenus majestate obtutus eum revocasset ab incæptis, & ad veniæ deprecationem humillimè inclinasset; cum tamen Judas in Christi præsentia audacior, magisque temerarius effectus, execrando ipsum osculo tradiderit. Cur nihilominus Absalonis delictum, quod in traditionis Judæ comparatione admodum leve fuit, cur, inquam, illud adeo crudeles adversum se & rigorosos sensit ramos, Judas verò eosdem expertus est tam humanos & mites? ô Deum immortalem! cur Absalon nihil subsidii reperit ad evadendam mortem, Judæ autem ipsamet inanimata arbor obsequium præstitit, seque ei benignā exhibuit? necessum est ô Auditores, ut difficultati huic faciat satis, vobisq; respondeat non qualecunq;, sed excellens ingenium. Scitis utiq;, Judam, priusquam rueret in voluntariam necem, iracundè projecisse in templum pecunias illas, quas ab Hebræis receperat in pretiū traditionis: *Retulit 30. argenteos in templo.* Quid factum est de nummis istis? judicabant Pharisæi indignum se facturos, si pecunias illas in proprios converterent usus: *Non licet mittere in corbonam*; sed statuerunt unani-

S. Chrys. (margin)

Matt. 27. v. 3. (margin)

v. 6. (margin)

unani-

unanimiter, ut pro iis emeretur aliquis campus in sepulturam peregrinorum: *E-*
v. 7. *merunt agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.* Altissimum consilium, inquit
S. Max. sanctus Maximus, ut *pretium sanguinis prodesset etiam mortuis:* ita ut Judas per nummos istos, in templum projectos (etiam nolens) profuerit defunctis: *Ut prodesset mortuis.* Dicit itaque & intrepidè asserit scriptor ille; quid aliam rationem investigamus, ob quam Judas nimiam illam benignitatem & pietatem repererit in quercu? certè non alia hujus rei causa est, quàm quòd Judas, antequam abiret ad supplicium, *projecit 30. argenteos, ut prodesset mortuis.* Si beneficium, etiam sine recta intentione mortuis præstitum, tantam habuit efficaciam, ut etiam ipsis insensatis ramis pietatem indiderit in salutem Judæ, quid dicemus de charitate ista, quam bono cum animo & intentione optima præstiterit Christianus in subsidium afflictarum animarum Purgatorii? si Judas omnium, quotquot unquam terra sustinuit, hominum pessimus, propter beneficium mortuis involuntariè exhibitum, compassionem reperit etiam in arbore, quid non boni experietur ille, qui cum pietate Christiana, largas erogarit pro defunctis eleemosynas?

Est liber à sævitia ferarum. Exempel

XXXIII. Non modò insensatæ arbores, sed & ipsæ sylvestres feræ pietatem in vos & clementiam exercebunt, si charitativi fueritis erga beatos mortuos; pro cujus asserti probatione, veniat vobis in mentem stupendum quoddam factum, in historiis sacris relatum. Mortuo sancto Paulo, primo eremi incolâ, advenit sanctus Antonius magnus, qui dum secum disceptaret de modo sepeliendi sacrum illud cadaver, nec posset ipse ob defectum necessariorum; ecce duos subitò accurrentes vidit è sylva Leones. O Antoni, quid modò facies? tu non fugis? debilis senecio, qualis tu es, non poterit sese unguibus eximere istarum atrocium bestiarum. Accesserunt itaque feroces illi leones, postque exhibitam sacro corpori reverentiam, cœperunt unguibus suis excavare terram, compositâque studiose fossa, sine mora recesserunt. Subsistite ô ferocissimæ bestiæ, quid vidistis in Antonio, ut non modò ei non noceretis, sed etiam obsequiose serviretis? intelligo utique, vidistis Antonium sollicitum & anxium in sepeliendo terræque mandando mortuum Pauli corpus: unde & vos ejus exemplo motæ, famulari cœpistis felici mortuo; in hujus servitii beneficium mansuetudo naturæ vestræ concessa fuit, depulsa feritate,

Item à molestiis

XXXIV. Estote igitur & vos ô dilectissimi, in defunctos pii & misericordes, certi, quod animalium omnium ferocissima, summèque nociva, nullum vobis damnum inferent, sed obsequia potius præstabunt & pietatis munia.

XXXV. Si deniq; inter ipsos homines tyrannos & barbaros securi subsistere vultis, vos charitate vestiatis erga animas defunctorum; hâc enim amicti, non est, quòd ullam à quacunq; persona timeatis læsionem. Hanc vobis veritatem patefaciet, fœminarum piissima erga mortuos Orig.
Magdalena: accedens hæc ad Christi sepulchrum, in illud sollicite inspexit; non invento autem divino deposito, in lacrymas tota resolvi cœpit: accidit interim, ut ad eam approximaret quidam homo, in habitu hortulani, cui illa subitò obvia facta ait: *Domine, si tu sustulisti* Ioa. 20. v.
eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Ponderat 15.
hunc textum Origenes, & ad Magdalenam

con-

conversus, ait: o mulier, ex tuo modo loquendi colligo, te aliud non quærere, nisi locum; in quo reperiatur sacrum Christi corpus: sed dicito mihi, per fidem tuam, nunquid quemcunque locum adire præsumes, in quo sacrum illud pignus asservari intellexeris? ita; inquit Magdalena. Subsiste o bona mulier & ausculta: si Corpus Christi fuerit in domo Pilati aut Principis sacerdotum, quid facies? nunquid abibis, illudque auferes de medio vilis turbæ? non exhorrescis tot homines armatos? quas inter turbas & ille Malcus moratur, qui non erubuit colaphum impingere ipsi benedicto vultui Christi; minimè deficient inibi, qui Salvatorem flagellarunt; reperies illic & Longinum, cujus in iciendo scopus, ipsum fuit nobilissimum Redemptoris pectus: offendes inibi impios carnifices & crucifixores, mille videbis enses, recenti adhuc sanguine tinctos. Quid ad hæc o Magdalena? tune totidem te ingeres lanceis? & eliminari non metuis? ego profectò exanimarer. Respondet Magdalena; ibo, ubicunque locorum fuerit, semper intrepida, semper magnanima, omni absque timore; sufficiet mihi, si modò intelligam locum, in quo sacrum pignus detinetur: *Et ego tollam eum.* Audite, quem cum Magdalena discursum instituit Origenes. *Maria noctem non præstolatur, nec Pilatum veretur; sed audacter promittit, dicens: ego eum tollam. O Maria, si corpus Iesu forte positum est in atrio Principis Sacerdotum, quid factura es? ego eum tollam. Et si ancilla ostiaria te interrogaverit, quid respondebis? ego eum tollam. O ineffabilis hujus mulieris amor! nullum locum excipit, nullum anteponit, sine timore dicit: ego eum tollam.* Volebat illa dicere: ostendite mihi tantummodo locum, ubi sit corpus istud mortuum; certa namque sum, quòd quicunque homo mortalis, qui me viderit cum his aromatibus & unguentis, intelliget, me velle benefacere mortuis, ideoque nullus mihi injuriam inferet aut molestiam; imò etiam ipsi pessimi magisque crudeles mihi auxiliabuntur: gratiosus mihi favebit Pilatus, humanus mihi erit Caiphas, obsequiosus Longinus; quin imò nec ipsos inhumanos reperiam Hebræos. Quapropter o chare hortulane dic mihi duntaxat, ubi sit corpus Domini mei: *Et ego eum tollam.*

Item à molestiis

Orig.

36. Plurimis adhuc probare possem & demonstrare nimios fructus, qui oriuntur ex beneficiis in mortuos collatis; sed acquiescite precor, si ego vos cum illorum bonorum abundantia dimisero, quàm ipsimet retribuent vobis mortui, in quos charitativi fueritis. Ex omnibus exemplis, hunc in finem deservientibus, unicum duntaxat recensebo, sufficiens pro omnibus. Eusebius Dux Sardiniæ, semper fuerat devotissimus erga animas purgatorii; contigit autem die quodam, ut adversarium oppugnaturus, propter vires exiles sui exercitus longè inferioris, perhorrescere inciperet, ac de victoria plurimum dubitare. Sed ecce tibi mox numerosum in defensionem ejus paratum exercitum, multitudine suâ campos replentem; vidissetis fluctuantia per aërem candida vexillæ, quæ tempestatem intentabant inimico, & arma claras exprimentia lampades, cum fulmine mixto, quo hostile agmen à tergore impetebatur; audiissetis fortissimorum sonipedum, terram concutientium impetum, qui rui- *Exemp.*

nam mirabantur extremam copiarum hostilium. Quosnam vos credideritis, fuisse hosce in ducis Eusebii defensionem missos heroes? scitisne, qui fuerint? animæ Purgatorii, quæ venerant in adjutorium & defensionem ducis, qui adeo semper erga animas illas fuerat devotus, semperque suffragia ministraverat iis.

37. Nunquid ergo dilectissimi, vos soli supersedebitis mortuorum beneficiis? quare Christus hodie ab impiis illis ministris captus non fuit ac malè exceptus? rationem dixi vobis, quia scilicet sese in auxilium obtulerat sitientium & pauperum, necessitati nimiæ subjectorum *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Qui autem magis sunt sitibundi, magisque inopes, quàm animæ in Purgatorio? Agedum igitur, ex pietatis vestræ visceribus, aliquod iis refrigerium præstate, aut per eleemosynas, aut jejunia, aut sancta sacrificia, certi, quòd in recompensationem omnium illorum quæ beatis mortuis præstiteritis, omnes creaturæ sensatæ & insensatæ, imò ipsimet mortui vobis auxilio futuri sint ac impetraturi primò quidem gratiam, & postea in cœlis gloriam; *quam mihi & vobis &c.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
PRO DIE MARTIS POST DOMINCAM V. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De ingenti Christi Domini pro homine patiendi voluntate ac desiderio; item de observantia festorum.

Erat autem in die proximo dies festus Iudæorum; & dixit Iesus: vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendam ad diem festum istum. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum Ioan. 7. v. 2. 8. 10.

PROBLEMA.

Utra festivitas major fuerit & solemnior; an Judæorum in perimendo Christum, an verò Christi in patiendo pro nobis?

INTRODUCTIO.

I.

ASporto hodie ingeniosum rarissimi conceptus emblema. Erat quidam olim, qui velut alter mundi Cæsar, magnos nimium spirabat animos; potius dixissem, fuisse eum de genere illorum, quos thrasones appellare solemus; hic deficiente occasione, incomparabilem præ se ferebat spiritus ge-

generositatem; at vix oblatâ exercendæ fortitudinis commoditate, sine mora profugiebat. Alius itaque doctus Academicus abjectum huncce animum illusurus, cervum depinxit, optimis munitum cornibus; qui à parvulis sagacibus canibus impetitus, inquietam fugam arripiebat, superadditâ gratiosâ hâc inscriptione: *Falta le lo mexor*, id est, *meliore caret.* Volebat namque significare, quòd, sicut cervus ferocior apparet omnium ferarum sylvestrium, & nihilominus reliquis vilior est & abjectiorem omnibus animum gerit, quia generositate Spirituque heroico caret; ita quoque hic homo & furibundus miles, quantumvis secundùm exteriora, heroem sese iactitaret animosiorem omnibus; nihilominus in rei veritate, abjectissimum & vilissimum gereret spiritum, deficiente illi eo, quod reliquis est excellentius, scilicet animositate: *Falta le lo mexor.*

2. Contemplamini gratiosè propositum picturæ meæ. Considerantes nimium Christi desiderium, quo ardebat, ut pro homine pati & mori posset, stupebitis utique: *Baptismo habeo baptizari,* (Luc.12. v.50.) *& quomodo coarctor, usque dum perficiatur? vadam mihi ad montem myrrhæ &* (Cant.4. v.6.) *collem thuris. Dabit se percutienti maxillam, saturabitur opprobriis.* (Thren.3. v.30.) Sunt & alia centum, imò mille Sacræ Scripturæ loca, in quibus magna nimis voluntas & affectus probatur, quem Christus habuit erga passionem. Et ut reliqua supprimam, quam creditis causam fuisse, cur Christus hodiernam Judæorum festivitatem præsentiâ suâ cohonestare noluerit? *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum.* Scitisne, quare? quia solemnior Christi festivitas consistebat in pati pro homine; audite Origenis doctrinam: *Habet Christus festivitates suas,* est enim ei magna festivitas, pro homine pati. Id quod & S. Pater meus Augustinus docet, dum ait in serm.130. de tempore: *Dies festus est ei, quo mundum redemit, dies festus est ei, quo sanguinem pro homine fudit*: quia igitur in Judæorum festivitate, Christus patiendi occasionem habiturus non erat, eam adire noluit; unde & dicit: *Tempus festi mei nondum advenit.* Quantumvis autem Christi desiderium pro homine patiendi & moriendi, adeo intensum esset: nihilominus ut hodie S. Joannes testatur: *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum interficere.* O Domine mi, novi equidem, quia te cervo assimilavit sponsa, dicens: *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*: (Cant.2. v.9.) scio etiam te ab Habacuc Propheta depictum esse, instructum cornibus: *Cornua in manibus eius*: (Hab.3. vers.4.) neque me latet canes esse inimicos tuos: *Circumdederunt me canes multi.* (Psal.21. v.17.) Neutiquam tamen video, cur illos fugere debeas, velut canes cervus; nunquid enim tu *meliore cares?* Imò potius omnes novimus, inter cætera nomina, hæc tibi etiam competere: *Est Deus fortis, admirabilis, & Dominus exercituum.* (Isai.9.v.6) Cur igitur hodie Judæam declinas, ne occidaris? Facilis est responsio: nolebat Christus abire in Judæam, ubi conjurabant in mortem eius; ut disceremus, voluntariè ipsum mori, & non necessariò & coactè; sponte propriâ mortuus est, non autem prævalente Judæorum malitiâ aut astutiâ. Nunc autem si festivitas Judæorum consistebat in interficiendo Christum; Christi autem pro patiendo & morien-

do pro homine; utram dicemus majorem fuisse celebritatem? illorum fortè, quærentium occidere Christum; an verò Redemptoris, desiderantis pati pro homine? Hoc ipsum est problema, quod oculis vestris obiicio hodie, in fine insuper docturus, quanta cum observantia dies festos celebrare debeamus. Quia verò causa mansionis Christi, quò minus scilicet ad diem festum abiret, fuit turbæ murmur, teste Evangelistâ: *Murmur multum erat in turba:* ideo me discurrente de Christi festivitate, vos attendatis in silentio.

3. Duplicis festivitatis hodiernum meminit evangelium primò eius, quæ erat Judæorum: *Prope erat dies festus Iudæorum.* In quonam consistebat solemnitas ista? in universali quadam conspiratione ad Christ. interficiendũ: *Quærebant Iesum interficere.* Secunda est Christi solemnitas; *Tempus meum nondum advenit*: hæc autem non consistebat in alio, quàm in ardenti pro hominibus moriendi desiderio: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Magna fuit, sine dubio, Judæorum festivitas & voluntas de perimendo Christum, id quod vel ex eo clarè patet, quandoquidem abjectissima illa colluvies nullum non lapidem movit, ut in effectum deduceret iniquam suam intentionem; ideoque videbitis eos, Christum modò in altissimos montium vertices deducentes, ut præcipitent deorsum: *Adduxerunt eum in supercilium montis, ut præcipitarent illum.* Aliâ vice lapidibus eum obruere moliebantur: *Tulerunt lapides, ut jacerent in eum.* Alio tempore statuerunt veneno eum enecare, memoriamque eius omnino abolere: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viventium.* Paulò post consilium inierunt, quomodo caperent & interficerent eum, dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* In alia conventione omnes unanimiter conspirarunt in interitum eius: *Cogitaverunt omnes ibi illum interficere.*

Ioan. 7. v. 6.
Luc. 12. v. 50.
Jer. 11. v. 19.
Ioan 11. v. 47.
v. 53.

4. Nihilominus, quis crederet? longè maior atque solemnior fuit festivitas & desiderium nostri amantis Jesu ad patiendum & moriendum pro nobis; cujus jubili & tripudii multiplex potest assignari ratio. Prima est; quia Filius Dei ante suam temporaneam nativitatem, ante carnis humanæ assumptionem, imò ab instanti æternitatis, aliud non versavit in animo aut mente sua, quàm ut pro homine passibilis & mortalis fieret. Id quod S. Johannes in Apocalypsi significasse videtur, dum de Christo tractans, ait: *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Sed quomodo? *Ab origine mundi?* an non Christus post tot à mundi creatione transactos annos mortuus fuit? quomodo itaque dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi?*

Apoc. 5. v. 12.

5. Adeamus, si ita vobis placet, fornacem babylonicam. Quot juvenes in eam projecti fuerant ex ordinatione Regis Nabuchodonosor? nonne tres? ita; contemplamini accuratius, plures etenim esse videntur. Considerat Rex attentè, totusque stupore plenus, ait: quot rei missi sunt in fornacem juxta præceptum meum? responderunt ministri: tres. Nequaquam, plures conspicio, &, ni fallor, quartum video, prospectus Spiritusque

que adeo divini, ut speciem exprimat Filii Dei: *Species quarti, similis Filio Dei.* Minimè deceptus es, o Rex, inquit S. Chrysostomus; quartus ille Verbum æternum erat, eandem ingressum fornacem. Verbum æternum? ita: quam propter causam? audite rationem, inquit idem sanctus in serm. de tribus pueris. *O quibus te incorrupta fides triumphis extendis? adest tibi amica majestas, ut innocentia liberetur, patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari.* Sed quomodo? nunquid eo tempore Deus passibilis erat? non. Explico sensum meum exemplo. In firmo nimium sitibundo propter ardores febris; quid ordinat Medicus? jubet ei aliquando dari pro alteratione poculum satis magnum, plenum aquâ recenti: at miser interim infirmus, impotens sustinere nimiam temporis interpositi moram, & horam determinatam exspectare, quid facit? Oculos suos consolari incipit fontibus artificiosis, aliisque aquarum deliciis, usque dum præscripta à Medico hora appropinquet. Nunc ad propositum. Supra modum sitiebat Verbum divinum mori pro homine, quia verò determinata per cœlestem Protomedicum hora necdum advenerat; interim reficiebat ac consolabatur se, contemplando cruciatus illos, quos dicti juvenes patiebantur in fornace: ideoque *patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari.* Ex quibus etiam ratio deduci poterit, cur Christus dicatur occisus *ab origine mundi*: omnia agnorum, hircorum & vitulorum sacrificia, ab exordio mundi, oblata Deo, deserviebant velut non aquei sed sanguinei fontes ad refocillandam & mitigandam ardentem Christi sitim, quâ cruciabatur, ut sanguinem posset effundere & mori pro nobis.

Dan. 3. v. 92.

S. Chrysost.

6. Præsente autem sacræ incarnationis tempore, quando Christus sese nostrâ mortali vestivit carne, fortasse nimis hanc flagrantem exstinxit sitim, ardensque desiderium consummatum reperit patiendi pro homine? nequaquam, imò verò adeo tunc sitis illa accrevit, ut vix natus, ingentem voluerit effundere sanguinis quantitatem. Quam ob causam existimatis vos, Christum nasci voluisse ex populo Hebræo, & non ex gentili? respondeat doctissimus Ponserius t. 1 lib. 2. c. 4. *Ideo relictis gentilibus, elegit Isräelem, ex quo nasceretur, ut circumcideretur puer, & quàm citissimè in humanæ salutis remedium, prosiliret sanguis.* O quàm bene discurrit! si Christus de gentilitate natus fuisset, potuisset equidem postea subire circumcisionem: sed quando? profectò post multum temporis spatium, fuisset namque necessum, virilem exspectare ætatem: nequaquam ita fiet, inquit Christus, ingens quod habeo desiderium effundendi meum pro homine sanguinem, moram non patitur. Ideoque *elegit Isräelem, ut circumcideretur puer, & quàm citissimè prosiliret sanguis.*

Ponser.

Luc. 2. v. 21.

7. Quantum deinceps proficiebat Christus annis ac ætate, tantundem invalescebat in eo desiderium patiendi pro homine: & si quando quispiam eum à passione divertere attentaret, capitalem Christi incurrebat inimicitiam, econverso autem summam eius amicitiam sibi conciliabat omnis ille, qui ei ansam offerebat moriendi.

endi. Gradiens die quâdam in discipulorum suorum societate, dum civitati Jerosolymitanæ appropinquaret, inquit textus, quòd *Iesus præcedebat eos, & discipuli stupebant.* Apostolos defatigaverat iter immensum, Christus nihilominus adeo alacris & vegetus, ut *præcederet eos*; currens potius, quàm ordinario gradiens passu. Quò vadis ô Domine, tanta cum acceleratione? quò raperis? in Jerusalem: *Erant autem in via ascendentes.* Quid te inventurum speras in civitate istâ? quid? cruciatus, traditiones & mortem: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur, & flagellabitur, & crucifigetur.* Itane? ne igitur admiremini, inquit Theophylactus, Christum in itinere hoc suos præcessisse Apostolos; quia tantum habebat patiendi desiderium, ut passibus acceleratis quæreret approximari confestim loco passionis suæ: *Ideo præcedebat, ut ostenderet, quòd ad passionem præcucurrit*; inquit ille in catena S. Thomæ.

Marc. 10. v. 32.

8. Intellexit S. Petrus hunc nimium Magistri sui affectum moriendi; vnde accurrens, impulsu amoris ardentis, quo prosequebatur eum, S. Petrus, Salvatorem seorsim citavit, non exilem ei faciens correptionem: *Assumpsit eum Petrus, & cœpit increpare illum*: quasi dicere voluisset; quomodo? ire in mortem? ne similes cogitationes inducas in animum tuum: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ad quæ verba Christus severo ad Petrum obtutu conversus, ait: *Vade post me Satan.* Proripe te hinc ô satanice. Quid? ô Deum immortalem! quid dixisti ô Domine? an satanicus est S. Petrus? ergo satanico claves consignasti Paradisi? mirabilis sanè metamorphosis: Judam traditorem impiissimum, qui te pro vili pretio vendidit, amicum appellasti, dicens: *Amice, ad quid venisti?* Petrum autem, qui mortem tuam impedire molitur, satanicum denominas? ita; dicit Christus: ideo, quia me Petrus à passione impedire gestit, ideo in tantum mihi sit detestabilis, ut mihi Satanam repræsentare videatur; Judas autem, qui me vendit & in manus inimicorum tradit, hic ipse maximus est amicus meus.

Matth. 16. v. 22.

v. 23.

Matth. 26. v. 50.

9. Si porro intelligere desideratis, quantus fuerit Christo amicus traditor Judas, propter prædictam causam, audite & exultate sollicitè: sciebat Christus, se à Juda esse tradendum, vnde die quâdam eum ad se accersivit, dicens: *Quod facturus es, fac citiùs.* Scio equidem ô Juda, te mihi meditari malum; quid hæres? quid moraris? subitò expedias intentionem tuam: Domine, scisne, quid iniquitatis adversum te moliatur Judas? scio, dicit Christus, scio equidem, quia me tradere intendit. Itane? ergo tu sciens hanc impietatem Apostoli tui, nihilominus ei suades, ut actum acceleret, omnium flagitiorum improbissimum? nequaquam, inquit magnus Pater Augustinus, nequaquam: *Christus Iudæ non præcepit facinus, sed prædicit.* Christus per ista verba non imperavit Judæ traditionem, sed prædictū ei esse voluit exitum immanis flagitii.

Ioan. 13. v. 27.

10. Sed subsistamus tantillum; quid enim importat dictio ista? *Fac citius.* Domine, quæ hæc acceleratio? indulge nonnihil temporis & permitte, ut Judas tardè progrediatur; forsitan pessimam suam procrastinando traditionem, tandem illuminabitur, pœnitentiamque aget, priusquam actu consum-

summet malitiam. Non, dicit Christus, ô Juda: *Quod facturus es, fac citius.* Nunquid tu me in manus carnificum, inque ipsam mortem trades? ita; agedum igitur subitò, certus, tanto me flagrare patiendi desiderio, ut omne momentum mihi sæculum esse videatur: *Fac citius.*

11. Si ulterius & plenius contemplari voluerimus solemnem Christi festivitatem, ardensque desiderium, quod habebat, patiendi pro nobis; transeamus, si placet, usque ad hortum Gethsemani, quem priusquam attingamus, cœnaculum ingrediamur; ubi primo omnium mihi occurrit dubium illud vulgare & commune: cur scilicet Christus uno die ante mortem suam instituere voluerit Sacramentũ altaris? *Qui pridie quàm pateretur &c.* Omnia alia sacramenta fuerunt instituta post mortem Christi promanantia ex vulnere lateris eius, quando scilicet *exivit san guis & aqua.* Cur igitur unum eucharisticum ultimo ante mortem die institutum fuit? multi latent in hocce mysterio reclusi conceptus; ego pro nunc duos duntaxat vobis pandam, ad propositum aptos, tertium reservaturus pro secunda parte.

Ioan. 19. v. 34.

[illegible] & 13.

12. Pro primi autem intelligentia, vos ego interrogo, quot diebus sepultus jacuerit Christus sub terra? nemo nescit, quia per dies tres; clare id apud S. Matthæum nos docente ipso Salvatore hisce verbis: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Sed indulgete mihi benevolè, ut hîc subsistamus tantisper, debitum facturi computum: quando mortuus est Christus Dominus noster? certum est, quòd in die Veneris circa meridiem. Quando est resuscitatus? in die dominica, antequam illucesceret; computate modò tempus. Dies Veneris fuit completus, & ecce dies primus; sabbatum sanctum pariter perfectum fuit, ecce dies secundus; in Dominica autem admodum maturè sub vel ante auroram ipsam resuscitatus fuit Christus. Non igitur tribus, sed binis tantùm diebus mansit tumulatus salvator; totidemque, calculo bene instituto, reperietis noctes; prima fuit diei Veneris sancti, altera sabbati sancti; in Dominica autem summo mane jam resuscitatus erat. Quomodo ergo dicitur, quòd *Filius hominis fuit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus?* audite mirandam S. Gregori Nysseni subtilitatem, in oratione 1. de Christi resurrectione. Adeo ardenter Christus urgebat mortem, tamque intensè expetebat pati & sepeliri, ut diem Veneris nequierit exspectare; unde quasi impatiẽs moræ, priusquam in cruce & calvario moreretur, uno die ante mori voluit in cœna, eoq; ex tempore velut mortuus voluit sepeliri. Propterea sacramentum instituit altaris, in quo se ipsum victimam obtulit & sacrificium; atque ex nimio moriendi desiderio, ante mortem crucis in Calvario monte, mystice mortuus est in ultima cœna diei Jovis, & resuscitatus postea in Dominica: quo calculo facto, clarum est, Christum tribus diebus & tribus noctibus mortuum fuisse ac sepultum. Suscipite ipsamet Sancti Patris verba, ut cordibus ea vestris insculpatis: *Non Pilati sententiam*, inquit ille, *nec Iudæorum impetum exspectat; sed consilio suo antevertit, & arcano sacrificii genere se ipsum*

Math. 12. v. 40.

S. Gr. Nyss. or. 1. de Christ. resurr.

psum pro nobis hostiam offert & victimam immolat, cum corpus suum discipulis suis edendum & sanguinem bibendum præbuit; tunc apertè declaravit, Agni sacrificium jam esse perfectum : nam victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum est ; & ex hoc, re ipsa trium dierum & trium noctium numerum perspicies. Videte & contemplamini, quanto Christus arserit pro nobis moriendi desiderio, ut, priusquam in Calvario inque cruce exspiraret, uno die ante in cœna mori voluerit. Hicque est primus, à me promissus, conceptus.

13. Secundus subtilior est, magisque ad vivum exprimit ingentem Christi cupiditatem moriendi pro nobis. Dicebat igitur Salvator: mors mea in cruce
Hebr. 9 v. 27. quoties peragetur? semel tantùm; quia *statutum est hominibus semel mori.* Ergone unâ duntaxat vice moriar ego? unâ duntaxat ; nequaquam sufficiet hocce mihi, isti neutiquam acquiescere poterit divinus amor meus. Mors equidem mea in Calvario abundè solemnizabit festivitatem Judæorum, explebitque sitim eorum, quâ ardent in sanguinem meum : ast ut & meam ego festivitatem celebrem, quid agam, quid incipiam? unica solummodo mors mihi insufficiens est; sæpius autem mori realiter, non permittitur, quia semel tantùm moritur homo; quid igitur fiet ad celebranda solemnia festa mea, ad manifestandum nimium desiderium, quod habeo moriendi pro homine? scio modum ; recurram ad amorosas inventiones. Quid fecit? ultimo die sive pridie, quàm exspiraturus erat in monte Calvariæ super crucem, Eucharistiam instituit, vivam totius passionis repræsentationem : *O sacrum convivium, in quo recolitur memoria passionis eius.* Ast quomodo Eucharistia mortem repræsentat Calvariæ? an nescitis o docti, in sacramento, dum consecratur hostia, *ex vi verborum* nihil aliud produci præter corpus sine anima, repræsentativum corporis, in ara crucis immolati; cum hac insuper differentia, quòd mortis in Calvario ministri & carnifices fuere Judæi, in cæna autem solus Christus mysticæ mortis suæ exstitit minister. Agedum itaque, dicebat Christus, instituatur Eucharistia pridie mortis meæ in Calvario, in eaque moriar mysticè: mors mea in Calvario serviet pro festivitate Judæorum & satisfactione nimii desiderii, quo exardescunt in mortem meam ; at mystica mors mea in Eucharistia deserviet in triumphum solemnitatis meæ, eritque in signum ardentissimi mei pro homine moriendi affectus, longe maioris præ ipsa siti Judæorum, anhelantium ad sanguinem meum, quando quidem in morte super Calvarium non ego, sed ipsi Judæi ministri erunt ; mortis autem meæ mysticæ in Eucharistia, auctor ero ipsemet beneficio propriarum manuum; illa mors in Calvario consummabitur mediis feriis, & quidem in die Veneris; hæc autem eucharistica medio amore, in die Jovis: denique in Calvario victima ero, actoribus carnificibus Judæis, in Eucharistia autem ego ipse & victima & homicida ero. O divinam inventionem! ô nimium amoris excessum.

14. Intremus modò hortum Gethsemani, visuri, quid inibi acciderit Christo. Vix ingressus fuerat funestum illum locum; & ecce subitò, teste S. Matthæo:

thæo:

Mar.14.v. 33. thæo: *cœpit pavere, tædere & mæstus esse*; in tantum ut vix eloqui posset ac dicere: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* O forte Dei brachium, quid tibi evenit? quid vidisti in horto, tantæ causativum tristitiæ? in tantum prævaluit in eo angustia, ut compulsus fuerit recurrere ad Patrem, ab eoque subsidium implorare dicens:

Matt. 26. v. 39. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* O mi Deus, an non poterimus intelligere, quid te adeo cruciet? ita, dicit Christus, scietis; unde nam oriri potest angustia & cordis tristitia, nisi ex dilatione rei, à no-

Prov. 13. v. 12. bis desideratæ? *Spes quæ differtur, affligit animam*: nihil autem ita ego expeto, qualiter mortem: *Baptismo habeo bapti-*

Luc. 12. v. 50. *zari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Tempus mortis meæ Judas pro-

Matt. 26. v. 16. longat: *Quærit opportunitatem, ut me tradat.* Dilatio ista intolerabilem mihi infert cruciatum & cor mihi meum suffocat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

XV. Si autem dignoscere placuerit perfectius intensionem hujus cruciatus, attendite, quia in ipso illo tempore sanguinem sudare coactus fuit: *Factus est su-*

Luc. 22. v. 44. *dor ejus sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram.* Quò diffluis ô sacrosancte sanguis, quò abriperis, quorsum excurris? cur non potius subvenis & confortas cor

§. 17. Christi, adeo afflicti?

XVI. Servate ô Auditores in recenti memoria dubium istud, pro cujus intelligentia simul contemplemur psalmum 61. adeo mysteriis repletum, ut nulla in eo syllaba reperiatur, destituta sacramento. Videns sanctus rex se ab inimicis suis impeti, ait: *Pretium meum cogitaverunt re-*

Ps. 61. v. 5. *pellere, cucurri in siti.* Quæ verba, juxta omnium sanctorum Patrum sententiam, prolata fuêre in Persona Christi, cum hac tamen differentia, quòd variè exponantur seu legantur à variis. S. Basilius & Theodoretus legunt in numero plurali: *cucurrerunt in siti*; intelligendo sitim, quâ flagrabant Judæi in mortem Christi. Glossa cum Patribus latinis & S. Augustino legit eadem verba in numero singulari: *Cucurri in siti*; intelligendo hæc verba de Christi desiderio, anhelantis ad suam amore nostri prodigendam vitam. S. verò Ambrosius sustinet, conformiter originali græco legi posse, & in persona tertia numeri pluralis, & in persona prima numeri singularis, quia eadem vox græca ἔδραμον importat utrumque, scilicet: *cucurri & cucurrerunt in siti.* Ita ut sitim, quâ Judæi cruciabantur mortis Christi, & aliam, quâ Christus ipse contabescebat, ad moriendum pro homine; item desiderium illorum torquendi Christum, & desiderium Christi recipiendi quemcunque cruciatum, Spiritus sanctus simul & semel uno eodemque verbo exprimi voluerit sequenti: ἔδραμον quia quamvis desiderium & sitis Judæorum ingens foret, non tamen ardentior erat hâc secundâ Christi.

XVII. Hoc supposito, legitur Christus tribus vicibus orasse patrem: *Iterum tertiò oravit ad Patrem*: non tamen sangui- Matt. 26. v. 44. nem sudavit, nisi solâ ultimâ vice. Qua de causa? rationem assignabo. Primis duabus vicibus considerabat & videbat Christus, juratos inimicos suos adhuc demorari in ædibus suis, neque ullum edere rabiosæ sitis indicium; ideo & Christi sanguis solidus persistebat intra venas, sine ullo motu; at quando in tertia vice conspexit, cum armata inimicorum manu appropinquare Judam, ad compræhendendum eum, & in præsenti rabiosam impudentissimè demonstrari Judæorum sitim, noluit generosus ille sanguis primas dare in desiderio, tedere recusavit in siti; in seme-

metipso taliter quasi discurrente Christo: nunc tempus est, propalandi coram mundo desiderium meum & amarosam sitim, quâ contabesco, ut patiar & moriar pro homine. Ideoque ut videat unusquisque, quòd sanguis è venis meis non per inimicorum meorum violentiam aut furias, sed per amoris virtutem atque efficaciam extrahatur; ecce, priusquam illi appropient mihi, clavos, spinas, flagella & crucem adapturi adversum me; meos ego poros recludo, forasque prosilio, ad occurrendum iis; & si de iis affirmatur: *Cucurrerunt in siti*; de me pariter verificari poterit: *Cucurri in siti.* Id quod divinus textus insinuare voluisse videtur, dum ait: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Volabat potius, quàm curreret divinus ille sanguis, ut occurreret Judæis.

XVIII. Tempus modò suadet, ut ex horto recedentes, ad tribunalia pertranseamus. Sed ecce, eâdem hâc viâ obvius mihi factus videtur Judas traditor, cum cohorte, exclamans: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Generosi estote ô socii, nec aberretis; scitisne, quem capere debeatis? illum, cui ego osculum præbuero. Nunquid necessarium erat ad traditionis executionem, osculum Judæ? an non Christus ob miracula sua & prædicationem notus erat omnibus? respondet S. Hieronymus, sciendum esse, quòd *erat in facie Iesu, quædam divinitatis conspersio*; sed quare? quia appropinquante passione, tantum Christus expertus est gustum, ut beatæ animæ gloria sese transfuderit ad corpus, vultumq; repleverit radiis divinitatis. Unde Judas ad satellites conversus ait: attendite sollicitè, certi, Jesum illum in tribulationibus adeo exultare, ut secundùm faciem transfiguretur; ideoque cavete, ne aberretis; ego in similibus practicus, pro signo vobis dabo osculum. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

ibid. v. 48.

XIX. Quo sensu stante, notate Auditores, quòd turbis approximantibus ad compræhendendum Christum, non sufficerit datum à Juda signum, ad cognitionem Christi; sed insuper necessum fuit, ut ipsemet Christus in medium procederet, eosque interrogaret: *Quem quæritis? Iesum Nazarenum? ego sum,* Si Jesum inquiritis Nazarenum, ego sum ille. *Io. 18. v. 4.*

XX. Ast unum specialiter vobis ego præcipio: *Si me quæritis, sinite hos abire.* De me facite, quod vobis placuerit, in vestro ego sum arbitrio; omnes adversum me exercete insolentias, ducite me per plateas, ignominiosissimè ligate & occidite me, prout vultis; ecce totus sum in manibus vestris; hos autem discipulos meos ne attigeritis: *Sinite hos abire.* Quomodo mi Domine? in miseriis casibusque acerbis aliquale solatium est, socius in pœna; Si sanctus Petrus aut Joannes te adjuvissent in portanda cruce, nunquid hoc ipsum summè fuisset laudabile? sine dubio; quare ergo tu dicis, ut illi dimittantur liberi? *Sinite hos abire.* An non intelligitis, ait S. Augustinus, Christus nullos vult in passione socios? *Noluit consortium passionis.* Non vult sustinere, ut in opere adeo excellenti quispiam participet præter se; sed solus, inquit Christus, pro homine pati & mori volo; ut non dicatur, mihi aut vires defuisse aut animum. *v. 8.*

XXI. Tandem eum ex horto abstrahentes carnifices isti, quò abduxerunt? ad Caipham. Respondente exinde Christo ad Pontificis interrgationes: *Unus ministrorum dedit alapam Iesu;* impius quidam satelles illi impegit colaphum; tunc equidem Christus injuriam ulturus, ait: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; sin autem* *v. 22.* *v. 23.*

autem bene, cur me cædis? Quomodo Domine mi, dicam ego sum S. Bernardo: *Excruciaris in horto mille tormentis, & non loqueris; & tantum ad alapam lamentaris?* Hæccine prima est, tibi à Judæis illata injuria? tot ac tantis te affecerunt opprobriis in horto, & tacuisti; modò autem propter colaphum unicum indignaris? Dicit S. Ephræm, omnibus olim mancipiis, dum libera dimittebantur, colaphum impingi solitum fuisse; *Omnes servi, dum libertati dabantur, alapam accipiebant*: idem & S. Basilius insinuat, inquiens: *Nonne ut libertate fruaris, alapam accipies?* Christus pro nobis servitutem subierat. *Formam servi accipiens.* Volebant itaque Judæi donare ipsum libertate, nolentes, ut progressus fieret ad passionem, ideoque alapam ei dederunt; ad hæc Christus: quomodo? ergo non vultis, ut moriar ego? libertas igitur mihi datur? nequaquam, injuria hæc est magna nimis: *Ad alapam lamentatur Dominus Iesus*, inquit S. Bernardus, *ut illam Passionis libertatem respueret, quam per alapam Pontifices ministrabant.*

S. Ephr. S. Basil. Phil. 2. v. 7.

XXII. Quodnam colapho tormentum successit, Christo illatum? lacrymabile nimis & dolorosum flagellationis spectaculum, quando in prætorio Pilati, sacrosancta Jesu caro tot millenis flagris dilacerata fuit; quandoquidem autem flagellatio ista, mortalis fuit disciplina, cur non Christus ad columnam exspiravit? Rationem assignet S. Laurentius Justinianus: *Vtique debuit Christus plane mori, tanto transfixus dolore, se tamen servavit ad vitam, ut his graviora perferret.* Infallibiliter Christus sub flagellis istis mortuus corruisset, sed miraculosè omnino sese sustinuit, vitamque fovit; quare? *Vt his graviora perferret.* Tanta erat in Christo sitis passionis, ut, quantumvis Judæi ipsum usque ad mortem excarnificassent, nihilominus semper nova ille tormeta affectaret, indesinenter invalescente passionis siti: *Se tamen servavit ad vitam, ut his graviora perferret.*

Cur Christus non exspiraret sub flagris. D. Laur. Iust.

XXIII. Verùm enimverò scandamus adhuc unâ alterâ vice montem Calvariæ, ubi tanta cum pompa suam celebrarunt Judæi festivitatem, omneque desiderium expleverunt, quo ardebant mortis Christi. Quid dixit pendulus in cruce Salvator? Audite & compatiamini: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* O mi summe Deus, cur me deseruisti? Christusne derelictus? Patres Theologi, ego pro dogmate indubitato teneo in bona Theologia, quòd Deus naturam humanam, semel à se assumptam, nunquam dimiserit: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Et quamvis in triduo mortis ejus, anima separata fuerit à corpore, à neutra tamen parte separata fuit divinitas: *in tantam unitatem Dei & hominis*, inquit S. Leo, *ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte dissolvi.* Quomodo igitur Christus ait: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sancti Ambrosius & Cyprianus sustinent, Christum nequaquam de paterna conquestum fuisse derelictione; sed quia omnes corporis partes proprios suos & particulares expertæ fuerant cruciatus, exceptâ solâ linguâ & corde, quæ dolorem nullum senserant, ideo lamentabatur lingua, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quomodo ô Domine, tu capiti favisti per coronam spineam, oculis per sputum, genis per alapas, humeris per crucem, manibus & pedibus per clavos, toti denique corpori per tot flagella; & nullum mihi cruciatum destinasti? *Vt quid dereliquisti me?* Audiit divina justitia clamores linguæ, subitòque illi expediit memoriale cum contento *Fiat*, confestim itaque, ut lingua suam assequeretur

Matt. 27. v. 46. S. Leo.

retur intentionem & gratiam: *Continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Ecce vobis acquiescentem linguam; post hæc cor, advertens, patrem æternum paulatim diminuere dolores, & ipsum vociferari cœpit. *Iesus autem cum accepisset acetum, clamavit voce magna.* Clamor, sicut novistis, cordi proprius est: *Clamavi in toto corde meo.* Sed quid proponit cor? *Consummatum est?* Verbum hoc *interrogativè* legendum est, conformiter textui græco. O Pater æterne, dicebat cor, ergone nihil pro me pœnarum restat? *Consummatum est?* Itaque epotatus est calix tormentorum? nullus pro me residuus mansit cruciatus? Ad hæc Pater: justa est querela cordis, sed quis illi tormentum inferet? Vade tu ô Longine, curre subitò, vulnusque inflige lateri cordis. Cucurrit Longinus, Christumque mortuum reperit: *Vt viderunt eum jam mortuũ*; nihilominus volens exequi præceptum Patris: *Lanceâ latus ejus aperuit.* Sed quid? nunquid hocce fuit potum dare non sitienti? quam poterat afferre consolationem lancea cordi emortui Christi? O impia lancea, dicit Ecclesia, tu crudelis nimium exstitisti, in eliciendo Christi sanguine, sine aliquo ejus dolore; econtra verò dulcissimi clavi, benignissima corona, quibus Christus cruciatus fuit juxta desiderium suum. Cur è Christi latere putabitis esse, quòd *exivit sanguis & aqua*? quid significabat aqua? nisi planctum cordis illius, amarè ingemiscentis, se de hujusmodi ictu vivum non participasse? audite S. Cyprianum: *Vide, inquit, ô Christiane divina mysteria, attende, quanta fuerit Domini sitis pro te patiendi. Transfixerunt manus ejus clavi, corpus ejus totum flagella perdiderunt, & tamen adhuc cruciari sitiens, dixit: consummatum est? ergo pro corde finiere tormenta?*

Marc. 15. v. 36.

Ps. 118. v. 145.

Ioa. 19. v. 30.

Ioa. 19. v. 33.

S. Cypr.

XXIV. Confirmatur totum hoc dictione sequenti, quam protulit Christus, dum ad judæos conversus, ait: *Sitio.* O Judæi, ego præ siti morior. Quæ poterat tanta hæc esse Christi sitis, quandoquidem post mortem, integrum profudit ex pectore fontem aquæ? dicente S. Joanne, quòd *è latere Christi exivit sanguis & aqua.* Si igitur tanta erat aquæ copia in Christi pectore, quomodo poterat tam intensâ ardere siti? Non capitis mysterium ô Auditores Christus ordinariam non sitiebat aquam, sed novos cruciatus & tormenta; id quod verum esse patet: nunquid enim Christus potum sollicitavit? ita; *Sitio.* Cur igitur eundem postea sibi oblatum recusavit? *Sed cum gustasset, noluit bibere.* Dicite mihi, quæ fuit ipsi subministrata potio? juxta textum S. Marci: *Dederunt ei vinum myrrhatum.* Quem habet liquor iste effectum? Nicolaus de Lyra & S. Joannes Chrysostomus asserunt, potu isto placari dolores, ipsosq; patientes eo sumpto incipere dormitare, ne sentiant cruciatus ullos. Dicebat igitur quodammodo Christus; vos itaque impedire nitimini, quò minus ego tormenta experiar in hac passione mea? potius hæc impietas est, quàm pietas in vobis; nihil enim sitio ego præter passionem, & quò plura mihi tormenta inflicta fuerint, eò magis exardescit sitis mea.

Ioa. 19. v. 28.

Ioa. 19. v. 34.

Marc. 15. v. 36.

XXV. Favete ô Auditores! ut ultimum Christi tormentum contemplemur, scilicet mortem. Quomodo, quando & quare Christus mortuus fuit? Juxta S. Joannis testimonium: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Mysteriosa admodum est hæcce capitis inclinatio; quisquis moritur, primò emittit spiritum, & deinde ob hujus defectum, inclinat caput; quomodo igi-

Ioan. 19. v. 30.

do igitur Christus contrarium practicavit? docet S. Augustinus, mortem minimè ausam fuisse, appropinquare Christo, ideoque necessum fuisse, ut Christus eam vocaret, ut omnes agnoscerent ac profiterentur ipsum potius ex violentia amoris, quàm suppliciorum mortuum esse: *Inclinato capite*, inquit S. Pater, *tradidit spiritum, quia cum voluntariè moreretur, annuens capite, mortem vocavit.* Subtilitatem nihilominus majorem nobis in præsenti exhibet S. P. Athanasius, dicens, quòd Christus caput suum inclinarit, ut videret, si forte adhuc in Calvariæ monte, aliqua superessent tormenta, quæ subire posset; observando autem, suam jam esse consummatam passionem, confestim cum flatu exspiravit dimisitque vitam. Ecce vobis ipsa S. Athanasii verba: *Non prius emisit spiritum, & postea caput inclinavit; sed potius econtra, ut videret, an majora vel plura adessent amaritudinum fluenta; & tantam grandem patiendi sitim habebat, ut, cùm ea omnia consummata vidisset, emisit in cœlum spiritum triumphantem.*

S. Athan.

XXVI. Ultima hæc verba ingens animo meo suggerunt dubium: si enim Christus vitam exspirans, spiritum tradidit morti, quomodo igitur juxta S. Athanasium, in cœlum transmisit spiritum triumphantem? triumphus præsupponit victoriam, victoria autem non habetur, nisi superatis adversariis; qui autem fuêre inimici Christi, de quibus obtinuit victoriam?

XXVII. Finitâ Christi vitâ, terminemus & nos hanc primam partem, veruntamen non sine speculatione aliqua, desiderii vestri, ut spero, satiativa. Supponite, quod diximus, Christum minimè exsaturatum fuisse mysticâ suâ morte, quam subiit in Eucharistia, instituta à se, pridie mortis crucis; imò tam exilem reperit in morte crucis, super Calvariæ montem, satisfactionem; ut cogitarit & procurarit mori, non modò semel sed sæpius etiam post suam resurrectionem: notate hanc sancti Petri Chrysologi subtilitatem. Apparente discipulis suis Christo post resurrectionem & cœnaculum intrante, Apostoli omnes ad instar statuarum perterrefacti subsistere; tunc Christus ad illos: quid territi estis? ego vester magister sum, annon cognoscitis me? ecce signaturas. *Videte manus meas & pedes meos, palpate & videte.* Venite, contemplamini me perfectè & palpate; an non vester ego vobis videor magister & Pater? Hoc se loco firmat S. Chrysologus, dicens; nunquid aliis indiciis se poterat notificare Christus? Sufficiebat, si vel solam serenam frontem suam expandisset; in ea enim, veluti in lucidissimo speculo, vivam Christi imaginem indubiè attigissent Apostoli; suffecisset vel solus ejus respectus, divini namque oculi eum Salvatorem esse docuissent: suffecisset vel unicum oris ejus verbum, divina etenim Paradisi eloquentia eum, summum Dominum esse probasset. Accessus, agendi modus & illa, in vultu ejus coruscans divinitas, an non sufficiebant ad plenam Christi omnibus communicandam notitiam? Sufficiebant utique, dicit S. Chrysologus; sed quid? aliud intendebat Salvator; quod istud? scitisne quid? novam Christus moliebatur passionem, sique possibile fuisset, suâ reiterasset mortem; quasi dicere voluisset: Apostoli mei, vos scitis me in Calvario sustinuisse mortem, totiusque mundi fuisse spectaculum; existimo equidem, me paternæ satisfecisse justitiæ, at, ut verum fatear, nondum ego meam assecutus sum satisfactionem, tam exili passione

Luc. 24. v. 39.

sione meus minimè contentus est amor; hic omnino insatiabilis, nec cruce, nec morte, nec passione unâ contentatur; repetere volo tormenta præterita; ideoque agedum, ecce manus, latus; vulnera adhucdum recentia vestris renovate manibus, meas exulcerate plagas, de novo meus effluat sanguis; efficite, si possibile est, ut de novo moriar ego. *Palpate & videete; id est,* inquit Sanctus Chrysologus, *digiti vestri intrent in loca clavorum, aperite manuum foramina, renovate plagas, & usque ad ossa investigatores pervenite.* O ingens patiendi desiderium, quo aliud intensius dari nequit.

S. Chrysol.

XXVIII. His suppositis, formemus argumentum, ex quo vos postmodum deducatis consequentiam, suffragaturam totali problematis adducti resolutioni. Festum Judæorum, fuit intensum desiderium, quod habebant occidendi Christum; sicut econtra festivitas Christi fuit ardens sitis, quâ cruciabatur, patiendi & moriendi pro nobis. Utri ex hisce dabimus primas? nunquid mortuo Christo, finita omnino & terminata est Judæorum festivitas? ita sanè; ex eo namque tempore, elanguit penitusque interiit desiderium Judaicum torquendi amplius Christum; neque deinceps illi ulterius insonuêre clamores: *Crucifigatur.* Imò vix exspiraverat Christus, cum, ecce tibi, Centurio quidam eum confessus est Deum, dicens: *Verè Filius Dei erat iste*; & omnes pœnitentes *revertebantur, percutientes pectora sua.* Ideone forsitan & ingens Christi desiderium, quo contabescebat, moriendi pro homine, exstinctum fuit? nequaquam ô Auditores! imò verò accrevit; amantissimus namque Dominus, minimè contentus illâ, quam mysticè subierat in cœna mortem, neque acquiescens reali crucis morti, etiam post ipsam resuscitationem, suam voluit de novo replicari passionem & mortem: *Renovate plagas & manuum foramina perforate.* Vos modò consequentiam inferatis, statuatisque, longè majorem Christi fuisse solemnitatem, intensiusque ejus exstitisse desiderium moriendi pro nobis, minorem autem Judæorum festivitatem & appetitum, ad interficiendum Christum.

Mat. 27. v. 22.

v. 58.

Luc. 23. v. 48.

Apoc. 7. v. 9.

v. 14.

XXIX. Sed econtra mihi obiici audio: si tantum erat Christi desiderium moriendi pro nobis, cur hodie Judæam adire recusavit? ubi non deficiebant illi, qui ad illum occidendum prompti erant & expediti? dupliciter ad hoc dubium respondebo; sed primò respiremus.

PARS SECUNDA.

XXX. Cras magni momenti habebitur sermo de prædestinatione; uter scilicet numerus major sit, an prædestinatorum & eorum, qui salvantur; an verò eorū, qui damnantur? Hoc vobis crastini diei polliceor problema.

XXXI. Nunc ad dubium vestrum respondeo; scitisne, cur Christus, non obstante tam ardenti moriendi desiderio, in Judæam ire noluerit, ubi omnes parati erant in necem ejus? duæ hujus rei assignantur rationes; prima est, ut nos doceret se voluntariè mori, & non coactè prævalente furore judaico; cujus asserti si singulare expetitis Scripturæ testimonium, adite mecum Apocalypsin, ubi sanctus Joannes stupendam illam contemplans visionem, plurimum animarum sanctarum Agnum immaculatum sequentium, interrogatus est à quodam vene-

Apoc. 7. v. 9. rando sene: *Qui sunt isti, amicti stolis albis?* cui Joannes; ego non scio Domine, à te hoc ipsum intelligere potero: *Domine mi tu scis.* *v. 14.* Bene igitur, ait senex, scias, quòd *isti sunt, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Subsiste ô bone senecio, errasti; sanguis rubeus est, potiusque maculat & tingit, quàm dealbet; *Isa. 63. v. 2.* unde & Christus requisitus: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* respondit: *Torcular calcavi solus, & omnia vestimenta mea coinquinavi.* Si igitur ita sese res habet, quomodo tu asseris, Sanctos istos in sanguine Agni vestes suas dealbasse? Quis iste loquendi modus? Retrogrediamur tantisper, Prophetam Habacuc consulturi, qui de Christi adventu & *Habac. 3. v. 4.* morte tractans, inter alia, audite, quid dicat: *Cornua in manibus ejus.* Per cornua ista, omnes sancti Patres intelligunt brachia crucis; adeoque Propheta insinuare voluisse videtur, quòd brachia crucis (*pars pro toto*) essent in Christi manibus. An non iste insignis est apud Latinos barbarismus? potius dici debuisset, manus Christi esse in brachiis crucis: *Manus eius in cornibus, & non: cornua in manibus eius.*

XXXII. Novistis vos in literis humanis eruditi crudelem illam & juratam hostilitatem, quæ Deam Junonem inter & Herculem intercessit: quid non fecit, quid non attentavit, quantum machinata est Juno, ut occideret Herculem! & quò victoriosior magisque triumphans in omnibus assultibus semper evadebat Hercules, eò majorem in furorem ac rabiem exardescebat ultrix Dea; nihilominus cum absolutè vellet mori Herculem, destituta viribus sufficientibus, quid fecit? conclusit, nisi Hercules seipsum interficeret, nunquam se suum consecuturam intentum; juxta quod refert Seneca in sua tragœdia, quam Dea ipsa pronuncians, ait: *Senec.* *Quaris Alcide Patrem? nemo est, nisi ipse; bella jam secum gerat.* q. d. Quæ manus damnum ullum inferre poterit Herculi, aut ullum tollere capillum capitis ejus? certè non alia, nisi propria: bene igitur, moriatur per semetipsum, sibiipsi manus inferat: *Bella jam secum gerat.*

XXXIII. Ita quoque mihi videtur ab alto cœlo locutus fuisse magnus ille Deus noster: erat ipse graviter indignatus terræ, propter tot ab homine sibi illatas offensas; dicebat itaque Deus: moriatur ingratus homo. Prodiit in defensionem hominis Christus, veste indutus peccati: *In similitudinem hominum* *Phil. 2.* *factus.* Quid prætendis ô Domine? ut *v. 7.* moriatur homo? ecce, ego sum homo ille: *Ecce homo.* Ego sum inimicus tuus; *Ioa. 19. v. 5.* si enim adversarius tuus peccatum est; ecce, ego peccatum: *Qui pro nobis factus est maledictum, id est, peccatum*; juxta *Gal. 3.* Commentarium S. Augustini. Quis oc- *v. 13.* cidet hominem illum? quis atteret peccatum istud? Agedum vos ô Hebræi, lapidate hominem istum; ô quoties attentarunt, sed semper frustra. Vade tu Satana, & vide, si atterere possis hominem istum; abit in desertum dæmon, sed debellatus fuit. Vos ô flagella, spinæ, clavi, an non sufficietis ad interimendum hominem istum? Domine, homo iste, est dictus insuperabilis Hercules: *Quaris Alcide patrem? nemo est, nisi ipse.* Ergo, inquit Deus, si deficit in terris potentia sufficiens, ad prosternendum ipsum: *Bella jam secum gerat.* Nisi voluntariè ipsemet se dedat in mortem, nunquam morietur.

XXXIV. Hunc

XXXIV. Hunc arbitror ego sensum fuisse Prophetæ, dicentis: *Cornua in manibus ejus.* Phrasis namque apud nos usitata est; ut, quando negotium aliquod est in potestate nostra, dependetque à nostra voluntate, tunc dicamus: negotium hoc est in manu nostra. Dicit igitur Habacuc; dum videritis Christum in cruce, ne vobis persuadeatis, ipsum clavis istis detineri confixum; nequaquam; clavi amoris, & non ferrei crucifixerunt Christum. Ideoque statuite, eum absolutum fuisse dominum voluntatis suæ, hocce negocium mortis in cruce, fuisse in manibus ejus & dependisse omnino à voluntate & beneplacito ipsius; non eum violentè aut coactè lignum crucis conscendisse, sed solummodo, quoniam ita voluit: *Oblatus est, quia ipse voluit*; & in summa: *Cornua in manibus ejus.* Isa. 53. v. 7

XXXV. Redeamus modò ad primum, quod suspendimus dubium, quare scilicet dicatur: *Dealbaverunt stolas suas in sanguine agni.* In homine duæ sunt sanguinis species; una rubra, & maculat; altera alba & lavat; sanguis, qui maculat, est corporis; & iste extrahitur per violentiam ferri & plagarum; alter autem dealbans residet in pectore, coquiturque in corde per ignem amoris; qui, dum egreditur, ad instar lactis stillat ab uberibus sine violentia. Dicendo itaque senex: *Dealbaverunt stolas suas in sanguine agni:* insinuare voluit, sanguinem agni immaculati Christi effusum, pro eluendis animabus nostris album fuisse, coctum & recoctum in Christi pectore, per ignem amoris; nobisque datum, non ex violentia suppliciorum, sed propriâ urgente Christi voluntate, omnino sicuti lac teneris præbetur infantibus; concludendum itaque, suum Christum profudisse sanguinem, non ex alio motivo, quàm quia voluit.

XXXVI. Et ecce vobis alteram, à me promissam, rationem. Cur Christus sacramentum Eucharistiæ instituere voluit, ante mortem suam? scitisne causam? ut doceret mundum, se voluntariè mori, & non coactè; si namque in Eucharistia brachium habuit adeo validum & potens, ut substantiam panis destruere, eamque in suum corpus transubstantiare potuerit, quid ni etiam die sequenti in horto, suos cum eadem virtute atterere potuisset inimicos, & non permittere se capi aut malè tractari? iterum; si per infinitam sapientiam suam sese occultare potuit sub velamine accidentium panis; quidni dicemus etiam, eum in virtute ejusdem sapientiæ, potuisse die sequenti sese abscondere in horto, & non permittere sui comprehensionem aut conductionem in mortem. §. II. Exod. 16. v. 21.

XXXVII. Ipsa porro capitis inclinatio, quam Chistus fecit in cruce, antequam expiraret, nonne apertè demonstrat, voluntariè eum mori, & neutiquam coactè? quid dicit textus? *Inclinato capite emisit spiritum,* non dicit: *amisit*; quia non perdidit eum contra suam voluntatem, sed *emisit*; sponte ipsum dimisit. Audite S. Paschasium; *Non dixit*; *amisit, sed: emisit spiritum*; *quia voluntariè passus est, & voluntariè mortuus est.* Et hanc ob causam noluit hodie Christus abire in Galilæam: *Nolebat in Iudæam ambulare,* ut doceret nos, se non coactè sed omnino ultroneè pati & mori. v. 29. Ioa. 19. v. 30. S. Pasch.

XXXVIII. Sed cur ad minus, ab amicis rogatus, festivitatem non adiit? scitisne, quare? quia solemnitas illa non erat divina; qualis ergo? judaica: *Erat dies festus judæorum.* Ast quomodo? si illa fuit tabernaculorum celebritas, instituta Marci. 14. v. 1.

in memoriam beneficiorum, divinitus populo Hebræo collatorum in deserto, cur potius Judæorum festivitas dicitur, quàm Dei? in hoc puncto cardo difficultatis versatur; festum Dei est, in quo honoratur & laudatur divina majestas; aliud autem, in quo Deus magis offenditur atque contemnitur, est Judæorum, vel ut melius dicam, diaboli. Quid præcipitur in festivitate Dei? cessatio ab operibus servilibus, teste scripturâ sacrâ. Tempore enim quo populus Dei in deserto provisus fuit divinitus de alimento, accepit quotidie manna in tali mensura, ut nemo plus colligeret, quàm quod sufficeret pro victu unius diei; sexto autem die permittebatur, imò præcipiebatur omnibus, ut sibi providerent etiam pro die sequenti, scilicet pro sabbato: *In die sexto colligetis cibos duplices*: quæ hæc differentia? scitisne causam? ne scilicet in die septimo, qui erat sabbatinus & sacer, ulli sese rei implicarent, imò ne quidem ipsi victui comparando. *Videte*, inquit idem textus, *quòd Dominus dedit vobis sabbatum, & propterea die sexta dedit vobis cibos duplices.* Sed ô Christianorum confusio! tanti hodie æstimantur dies festivi, ut pro cibo aut lucro corporali obtinendo, æqualiter desudent dies festi & tota septimana.

§. 11.

Exod. 16. *v.* 22.

v. 29.

XXXIX. Scitisne, qualiter tales denominandi sint? pejores ipsis Judæis. Quare Judæi, capitali odio prosequentes Christum, comprehensum eum non occiderunt, sed ad Pilatum conduxerunt, qui ipsum condemnaret? Respondet D. Chrysostomus, quia *erant dies azymorum*; erant dies isti festivi, ideoque non audebant contaminare illos; sed totum negotium commiserunt Pilato, Gentili. *Vide*, inquit S. Chrysostomus ser. 86. in cap. 27. Matt. *Quanta religione Judæi agebant dies festos, quòd non sunt ausi dierum festorum religionem violare*: quantumvis enim Judæi existimarent bonum esse, actumque justitiæ exerceri in morte Christi; nihilominus totaliter huic executioni supersederunt, intuitu dierum festorum. Quod autem hodie flagitium non admittitur in diebus festivis? quà ludendo, quà lupanaria frequentando, quà aliis operibus incumbendo, quæ erubesco recensere. Sunt tales quò ad hoc ipsis pejores Judæis, ignorantes, quantum Deus indignetur adversum illos.

Ioh. 19. *v.* 30.

S. Pasch.

Marci. 14. *v.* 1.

S. Chrys.

XL. Teste sancto Lucâ, dum crucifixus est Christus: *Tenebræ factæ sunt super universam terram, & obscuratus est sol*: Unde in tempore passionis tanta obscuritas? Respondet Rupertus Abbas in c. 8. Amos, per obscuritatem istam Deum docere voluisse, quantum sibi displicuisset, Judæos in diebus illis solemnibus, servilibus sese implicasse operibus, quà crucem faciendo, quà clavos aptando pro Christi crucifixione: *Cum crucifixissent; iste diurnus sive quotidianus sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super universam terram, quia tantum scelus in festivitate sua commiserant.*

Luc. 23. *v.* 44.

XLI. Unde & oritur, nos hodie tam exili vivere tempore, ut pauci admodum ad ætatem decrepitam pertingant; cur enim abbreviantur & deficiunt dies illorum, qui non sanctificant festa? causam nobis assignat Sanctus Vincentius Ferrerius ser. 2. Fer. 6. Cin. inquiens: *Dicit Dominus; vos aufertis mihi tempus meum, & propterea ego auferam à vobis tempus vestrum, & venient in vobis mortalitates.* Ad plenam hujus asserti intelligentiam, sciendum, Deum divisisse tempus in septem dies; lex concedit in usum

S. Vinc. Ferr.

corporis nostri, unum duntaxat sibi reservavit, vel potius servitio animæ nostræ. Id quod & idem S. Vincentius in alio quodam loco tradit hisce verbis: *Divisit Deus totum tempus in septem dies, de quibus dedit nobis sex ad laborandum & lucrandum; sed septimum diem retinuit sibi, ut pro anima laboremus*: postea autem subjungit Sanctus: *Adhuc non vult totum; nam in die sunt 24. horæ, da solùm unam Deo, audiendo sacrum; alias horas poteris dare ad placita corporis licita & honesta.* Videte nimiam Dei erga nos prodigalitatem; ex diebus septem nobis sex concedit & 23. horas, unicâ tantùm horâ sibi reservatâ. Nos quid facimus? omnes totius septimanæ dies æqualiter impendimus servitio corporis; itane? dicit igitur Deus: vos ausi fuistis mihi suffurari tempus, quod reservaveram mihi? bene; tollam itaque & ego tempus vestrum à vobis, vosque è mundo auferam ante tempus, qui cæteroquin, si festa mea coluissetis, longam vitam duxissetis. *Vos aufertis mihi tempus meum, & ego auferam vobis tempus vestrum.*

id. Dom. 2. post oct. pasc. ser. 1.

XLII. Cur igitur lamentamini & conquerimini de penuria, mortalitate, bello, terræ sterilitate, grandinum nocumento in campis, & quibuscunque aliis miseriis vestris? *Ex fraude festivitatum veniunt siccitates*, inquit idem Sanctus.

XLIII. Commemorat Sanctus Gregorius Turonensis, mulieris cujusdam, panem in die festivo præparantis, *manus protinus divino igne fuisse succensas.* Et Joannes Rex Castiliæ in Dominica equitans, venationem petiturus, *ab equo cespitante dejectus, obtritus occubuit*; quod accidisse ait Cornelius à Lapide, *Vt discamus diem festum dare Deo, & non venationibus aut vanis ludis.*

XLIV. Volo terminare discursum cum sequentibus divi Bernardini Senensis verbis: *Mira multorum insania, qui per totam hebdomadam pro misero corpore laborant; & in die festo pro infelicis animæ damnatione laborare non cessant; imò quod pejus, diem dominicum polluunt & violant, ludis, voluptatibus & illicitis operibus.*

S. Ber. Sen. t. 2. d. 1. quand. ar. 2. c. 1. ser. 2.

XLV. O Christiane, vitamne longam desideras? audi; cede Deo diem festivum. Totam septimanam donat tibi Deus in usum & servitium corporis tui; festivitates impende in bonum animæ, quidquid egeris in iis, cedat in Dei gloriam aut utilitatem proximi propter Deũ; certus, te hîc consecuturum vitam longam & gratiâ plenam, ut postea pertingas ad gloriam.

Amen.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

DIE MERCURII, POST DOMINICAM V. Quadragesimæ.

DISCURSUS
De divina prædestinatione,

Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas; ipsæ sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Ioan. 10. *v.* 27. 28.

PROBLEMA

S. Ber. Sen. t. 1. d. 1. quand. ar. 1. c. 1. fer. 2. Uter omnium fidelium adultorum major sit numerus; an prædestinatorum, qui infallibiliter sunt ordinati ad gloriam; an verò præscitorum, qui infallibiliter damnantur ad infernum?

INTRODUCTIO.

I.

SAcrum hodiernum evangelium profundis & theologicis scadet quæstionibus. Invenietis siquidem in eo altissimum Trinitatis myste-
Ioa. 10. v. 30. rium: *Ego & Pater unum sumus*; tractatum
v. 27. de scientia Dei: *Ego cognosco oves meas*; vi-
v. 28. sionem beatificam: *Ego vitam æternam do*
v. 27. *eis*: Materiam de gratia: *Vocem meam audiunt & sequuntur me*: disputationem de
v. 25. fide: *Loquor vobis, & non creditis*; de in-
v. 36. carnatione: *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum*; & tandem profundam
v. 28. materiam de prædestinatione: *Et nemo rapiet eas de manu mea.* Quæ ultima cæteris difficilior & ad hodiernum discursum accommodatior, memoriæ meæ suggerit universalissimum illud lamentum, quod tempore Ezechielis Prophetæ, frequenter iterabat populus Dei; dicentibus aliquibus: negari equidem non potest, quin Deus noster sit verus universi Dominus; quis enim alius velocissimum Solis cursum sistere potuisset in medio cœli, dividere mare in tot viarum ambages, convertere aquas flumium in sanguinem, nisi solus Deus noster? nulla est hac de re difficultas, quia *non est Deus noster, ut Dii eorum*; ipsimet inimici nostri hoc profitentur: *Inimici* Deut. 32.
nostri sunt judices. Sed aliud est, quod ingen- v. 31.
tē nobis scrupulum injicit, videtur namq; quòd partialis sit Deus noster, hunc locupletans, alii plenam tribuens salutem, alteri abundantiam impertiens satisfactionis in omnibus; econtra verò sinens, alios perire in infortuniis & tribulationibus. Imò, quod amplius est: hunc salvat, inque Paradisum conducit; alium verò damnat & præcipitat in infernum. Quis non videt, nimiam hanc esse partialitatem?
Acceptor personarum est. Asserebant a- Act. 10.
lii: hoc ipsum exile est; major est dis- v. 34.
ordinatio in gubernio Dei. Dabitur

enim V. G. pauper aliquis, qui per 60. annos semper servierit divinæ majestati, nunquam ullum admiserit peccatum mortale, semper fervens in operibus bonis, semper zelosus & amans salutis suæ, & (ut multa paucis) semper justus *apud Deum & homines*. Si hinc post 60. annorum innocentiam, corruat in peccatum mortale, subitò Deus illi irrascitur, gratiam tollit, spiritus sancti dona aufert cum omnibus præmiis, quæ mediâ virtute sibi acquisierat; sique talis moriatur, sepelitur in inferno: ite igitur & servite hujusmodi Domino. Econtra verò reperire fuerit alium, qui toto vitæ suæ tempore, divinæ majestati rebellis, sancta ejus præcepta semper conculcavit, absque ullo Dei timore, plenum flagitiis omnibus frænum laxavit. Si talis in vitæ suæ termino, unum fortè fortuitò exerceat actum contritionis, subitò Deus illum pro suo recipiet filio, monile ipsi impertiet gratiæ, omniaque ei restituet merita mortificata, imò & Paradisum aperiet, si tali cum pœnitentia moriatur. Quis est iste gubernandi modus? Amico suo propter unicum peccatum dat infernum, inimico propter unicum amoris actum, donat cœlos? *Non est æqua via Domini.* Ezech. 18. v. 25. Inaudiit hosce discursus Deus, & ad Prophetam conversus, ait; quinam sunt isti vestri, quos audio misceri sermones? *Dixistis, non est æqua via Domini?* Age, vade & prædica per mundum universum, & protestare illi, non esse modum meliorem meo, ad gubernandum totum universum. Si ego alicui, qui mihi per 60. annorum spatium serviisset, securitatem appromitterem Paradisi, talis subitò in superbiam elatus, dicere posset: non ego amplius indigeo Deo. Nequaquam talia permittere volo, sed requiro humilitatem & timorem, usque ad ultimum vitæ spiritum. Et econverso si ego adversus inveteratum peccatorem, sententiam pronunciarem infallibilem mortis & damnationis, desperaret ipse, pejorque evaderet; neque ego hoc volo: Sed volo, ut omnes spem habeant salutis suæ usque ad mortem.

II. Quæ vestra est sententia ô Auditores, nonne profunda admodum sunt illa judicia Dei? Ita pater. Si attentas mihi aures præbueritis, paratus sum hodie, omnia illa declarare vobis, cum omnimoda possibili claritate. Ante tamen quoddam magni momenti vobis propono problema: Probl. quinam scilicet adulti fideles numero excedant; an prædestinati, qui infallibiliter salvantur, certòque pertingunt ad gloriam; an verò præsciti, qui citra omne dubium damnantur ad infernum? Resolutio hujus puncti admodum gravis, dependet potissimùm à gravissimis quæstionibus; quarum prima est, quomodo intelligatur locus ille Sancti Pauli: *Vult Deus omnes homines salvos facere.* 1. Tim. 2. v. 4. Non omnes salvantur, imò multi perduntur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Mat. 20. v. 16. Secunda quæstio, magisque difficilis est; an ex parte nostra detur causa meritoria aut divinæ prædestinationis ad gratiam, aut efficacis electionis ad gloriam? Tertia, cæteris non inferior, inquirit, num prædestinatus possit damnari, & præscitus salvari? Ultima, fundamentalis omnium basis, proponit: si divina prædestinatio sit infallibilis & divinum decretum non possit mutari; ad quid igitur deserviunt opera bona? singulas auxiliante Deo, explicabo breviter. Vos interim mementote, quòd inter reliqua prædestinationis signa unum sit, audire verbum Dei.

Dei: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Me igitur discurrente de divina prædestinatione, declaretis vos esse de numero, prædestinatorum, auscultando me attentè & cum silentio. Incipio.

III. Resumens propositum problema, ex una parte materiam invenio consolationis; in Apocalypsi namque non obscurè insinuari videtur, majorem esse prædestinatorum, quàm præscitorum numerum, dicente Sancto Joanne: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Tantus electorum numerus, ut quantumcunque perfectissimus arithmeticus eum computando assequi nequeat: idemne forsitan Scriptura tradit de præscitis? neutiquam; plures igitur veniunt ad paradisum, quàm detrudantur ad infernum. *Apoc. 7. v. 9.* *Probl.*

IV. Ex altera tamen parte, meus invenis congelatus horret sanguis, dum in Sancto Matthæo lego: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et in congerie sanctorum patrum, Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 4. ad populum Antiochenum aliqua dicit, quæ nimium mihi tremorem incutiunt; quærit namque: *Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen: quòd non possunt in tot millibus, centum inveniri, qui salventur, & de iis adhuc dubito.* *Matt. 20. v. 19.* *S. Chrys.* *1. Tim. 2. v. 4.* *Mat. 10. v. 16.*

V. Magnus Pater Augustinus, in lib. contra Cresc. c. 66. demonstraturus, numerum præscitorum multò majorem esse, quàm prædestinatorum, tale indissolubile format argumentum, dicens: *Quomodo ipse Dominus dicit, quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam; si idem Dominus alibi dicit: multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham? Si iidem sunt pauci, quomodo multi? neque unum horum est verum, & aliud falsum; cum utrumque sit divina veritate prolatum. Sed ecce, quid dicam? iidem ipsi boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt; in comparatione malorum falsorumque Christianorum, iidem pauci sunt.* An forte clarius quid dici potuisset? *S. Aug.* *Matt. 8. v. 11.*

VI. Ille nihilominus, qui in præsenti omnem mihi spiritum adimit, est Trithemius pater, qui in Chronicis ad annum 1160. tradit certum quendam mortuum Eremitam, ab Episcopo quodam requisitum, ut, quis status ejus esset, diceret, taliter respondisse: *Ea hora, in qua ego migravi de corpore, triginta millia hominum ex hac luce transierunt; è quibus Bernardus Abbas Claravallensis unà mecum evolavit ad cœlos, tres alii ad purgatorium; & cæteri omnes per sententiam justi judicis, condemnati ad inferos, cruciandi perpetuò, descenderunt.* Quid nos asportabimus itaque, ut difficile adeo punctum enodemus? *Trith.*

VII. Incipiamus à litigio quodam, quod S. Petrum inter & D. Paulum intercedit, in materia nostræ prædestinationis. S. Pauli dogma est, hominis salutem solius esse divinæ misericordiæ opus: *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* S. Petrus de eadem tractans materia, nobis suadet, ne supersedeamus operibus bonis: *Fratres satagite, ut per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram.* Alacriter ô fratres, incumbite operibus bonis, certi, sine operibus nemině posse salvari. Ecce vobis insigne principium in mari difficultatum; totũ prædestinationis nostræ negotiũ consistit in eo, an opera ad illam sint necessaria, vel nõ S. Paulus asserit, hominis salutem soli divinæ misericordiæ attribuendam esse *Tit. 3. v. 5.* *2. Pet. 1. v. 10.*

Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit. sanctus Petrus autem vult applicari opera: *Satagite, ut per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram.* Quomodo salvabimus textus illos? mandate memoriæ vestræ dubium istud.

VIII. Interim respondete mihi ad aliud. Si Deus sanctum Petrum de cœlo exturbatum, in infernum præcipitaret; & ex inferno ereptum Judam transferret in Paradisum; uter horum duorum actuum magis dedeceret justitiam Dei? scitisne, uter? primus, si nimirum S. Petrum mitteret in infernum: quia formalitas justitiæ consistit in eo, ut unicuique detur, quod ad eum spectat; sed S. Petrus est justus, quid illi consequenter competit ex justitia? Paradisus; ergone eum in infernum detrudere poterit? minimè equidem; præcipitando namque sanctum Petrum de Paradiso in infernum, magnam illi Deus injuriam faceret & injustitiam. Si verò econtra Judam liberaret ex inferno & Paradiso donaret, nullam Deus admitteret injustitiam; sicut enim ipse est Dominus gratiæ, ita & gloriæ; eamq; potest dare, cui vult, sicuti vult & quando vult.

IX. Hisce præmissis, quæstiones aggrediamur theologicas, primò quidem investigaturi, quomodo intelligatur illud
1. Tim. 2. v. 4. sancti Pauli assertum? *Vult Deus omnes homines salvos facere.* Videmus etenim non omnes salvari, imò multos damnari: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Respondent aliqui, quòd *vult Deus omnes homines salvos facere, id est, omnes illos, qui verè sunt homines.* Peccatores autem non sunt homines, quid ergo? bestiæ sunt. *Comparatus est jumentis insipientibus, &*
Ps. 48. v. 13. *similis factus est illis.* Bona hæc est responsio.

X. Sed ut meliorem nanciscamur, S. P. Ephremum Syrum audiamus, lib. 3. de preciosa margarita, ubi de homine loquens, ait: *Solus homo voluntate suâ dominium Dei facit ambiguum.* Homo per voluntatem suam, incertam & ancipitem constituit potentiam Dei. Mirabilis sanè loquendi methodus; ergo homo tantis pollet viribus, ut dubium efficere possit dominium Dei? *Et quis est, qui resistere possit voluntati Dei.* S. Eph. Discurs. Theolog. de gratia & lib. arb. Est. 13. v. 9.

XI. Dicite mihi per fidem vestram; in quonam principalissimè manifestatur omnipotentia Dei? Sancta Ecclesia in quadam oratione dicit: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo & miserendo maximè manifestas.* Tunc Deus suam declarat omnipotentiam, quando misericordiam exhibet peccatoribus. Exspectate. Ponatur ex una parte Deus cum imperio omnipotentiæ suæ, ex altera verò peccator cum libertate sui liberi arbitrii; quis crederet, potius prævaliturum hominem & eversurum Dei imperium? sed qualiter hæc fieri possunt? Ego dicam vobis. Homo per voluntatem suam potest velle id, quod non vult Deus; & potest nolle id, quod vellet Deus. Ideoque S. Ioannes Chrysostomus, in Christi persona, misericordiam cum Ierusalem facere gestientis, verba adducit, quæ uberes mihi lacrymas excutiunt. Loquitur igitur Christus cum Jerusalem, inquiens: *Ierusalem, Ierusalem, usque modò luctata es contra misericordiam meam; nunc autem tuis peccatis ipsam superasti, vellē amplius in te misereri; sed vires misericordiæ faciendæ non habeo, nec possum amplius te sufferre, quia incessabilibus peccatis tuis misericordia mea quasi lassata est à proposito suo.* O quæ verba, penitus emollitiva cordis mei. O peccator, dicit Christus, usq; modo in aperto campo, adversarias ad invicem conseruimus manus; S. Hier. S. August. Epist. 89. S. Ioa. Chrys. Celest. PP. S. Fulge.

ego

ego in volendo salvare te per misericordiã meã,& tu volendo damnare te per peccata tua; sed adeo magna fuit voluntatis tuæ potentia, ut licentiosum arbitrium tuũ quasi prostraverit misericordiam meam.

S. Eph.

Est.13.v.9.

XII. Quandoquidem de liberi arbitrii prærogativa sermo est, liceat mihi in præsenti, dubium quoddã theologicum proponere vobis. Si tãta est liberi arbitrii potentia, quomodo solida subsistet efficacia gratiæ divinæ? aut si sola divina gratia operatur in nobis, quomodo salvabitur libertas voluntatis humanæ? Si gratia non necessitat humanum arbitrium, quomodo ergo dicitur efficax? non mihi dicat S. Hieronymus adversus Ruff. quòd *velle & currere meum est; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio, non est meum.* Quia si meũ velle, sine divina gratia non est meum, ergo gratiæ divinæ attribuendum est, quod velim; si autem divinum auxilium me facit velle, consequenter nõ volo ego, quia ego volo; sed volo, quia divina gratia facit me velle; siq; divina gratia facit, ut ego velim, quomodo ego liberè volo? & si non volo liberè, in quo igitur consistit prærogativa liberi arbitrii? Respondebit magnus P. Augustinus, quod *non ideo tollitur liberum arbitrium, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur.* Sed ego replico ad hanc responsionem & dico: si humanum arbitrium adjuvatur efficaciter à gratia, ergo efficaciter vincitur à gratia; si efficaciter vincitur, ergo privatur suâ libertate. Nequaquàm, dicit Cælestinus Papa ad Episc. Galliæ c. 13. quia *auxilio & munere Dei, liberum arbitrium non aufertur sed liberatur.* Et S. Fulgentius lib. de gratia c. 12. clarius ait; *Gratiâ Dei, humanum sanatur, non aufertur arbitrium.* Sed quomodo? *non aufertur,* si sanitas illi confertur nolenti? Vos ô docti magistri adeste suffragaturi mihi; quid

Discursus Theolog. de gratia & lib. arb.

S. Hier.

S. August. Epist. 89.

S. Ioa. Chr.

Cælest. PP.

S. Fulge.

resolvemus tot inter angustias? si extulerimus gratiam, quis non dicet violari libertatem? si defenderimus libertatem, planũ est, injuriaturos nos gratiæ. Si dixerimus, quòd totum operetur gratia, ergo liberum arbitrium habebit se merè per modum umbræ; si nimium concesserimus libero arbitrio, jã gratia omnino otiosa erit & sine operatione: qui dixerit, potentem esse gratiam; tantò magis impotentem reddet voluntatem humanam: qui vires attribuerit libero arbitrio, eò magis enervabit gratiam divinam. In tanti momenti negotio quid statuemus? quid dicemus? audite. Summus ille Deus, qui *disponit omnia suaviter*; per gratiam suam efficacem non modò tollit ab homine libertatem, sed etiam singulari cum solertia, curaque speciali eandẽ conservare pergit; vocando namque ipsum efficaciter è statu culpæ, tantâ procedit cũ dexteritate & methodo speciali, ut quidem infallibiliter trahat, in nullo tamen offendat, nec in puncto attingat hominis libertatem; imò stante etiam efficaci vocatione, manet homo adhuc ita plenè liber, ut saltem in *sensu diviso* possit dissentire divinæ vocationi.

Sap. 8. v. 1.

XIII. Revertamur modò ad dubium nostrum. Si juxta sancti Pauli verba: *Vult Deus omnes homines salvos facere*; quare non omnes salvantur, imò damnantur multi? Ecce vobis responsum in promptu; non salvantur omnes, quia non volunt omnes. Verum equidem est, Deum ex parte suæ velle omnibus dare gloriam; at quia unusquisque homo pollet suo arbitrio libero, vi cujus potest velle, quod non vult Deus; & potest resistere ac nolle illud, quod vellet Deus, ideo se damnat homo.

XIV. Si responsio hæc vobis nõ suffecerit, apprehendite Theologiam. Quid dicit S. Paulus? quòd *Deus vult omnes homines*

salvos

salvos facere? distinguo, inquit Theologus: *Voluntate antecedenti, concedo. Voluntate conseqenti, nego.* Pater, non capimus terminos istos. Explico me per exemplum. Demus Principem, qui aliud non molitur, nisi benefacere subditis suis; accidit autem, ut unus subditorum admittat homicidium; unde Princeps, indilatè jubet homicidam istum capi & justificari. Quomodo? hæccine est voluntas Principis, nihil aliud intendentis, nisi benefacere subditis suis? audite. Voluntas, quâ Princeps ille volebat exaltare subditos suos, fuit voluntas antecedens meritum aut demeritum subditi: alia autem voluntas ejusdem Principis, ordinantis mortem homicidæ, dicitur voluntas consequens, quia supponit demeritum subditi. Pari omnino ratione, voluntas quâ Deus vult omnibus dare gloriam, est voluntas antecedens, id est, antecedit meritum creaturarum; alia autem voluntas, quâ Deus damnat hominem ad infernum, est voluntas consequens, quia supponit demeritum condemnati; ita ut, si vos me interrogaveritis, quare Petrus Salvatus est, & Judas perditus? respondeam ego; quia Petrus correspondit divinæ gratiæ, Judas autem dissensit illi. O Pater, causam itaq; assignabitis prædestinationis.

Voluntas anteced. & consequens.

XV. Ecce vobis secundam difficultatem. In creaturis nulla datur causa prædestinationis ad gratiam, neque electionis ad gloriam. Vultisne scripturæ sacræ testimonium? dicite mihi, cui arti vacat Deus noster? sanctus Paulus dicit eum esse argillæ magistrum: *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massâ facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam* ideoque homo factus ex luto: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Quia in domo Dei circa aliam materiam non laboratur, nisi circa terram. Subsistite tantisper. Si massæ artifex faceret vas aliquod vile ex argilla, nunquid vas conqueri posset? nequaquam; quia in argilla nullum est meritum. Iterum, si figulus ex eadem argilla vas efformaret honorificum, nunquid gloriari posset vas hujusmodi? minimè equidem, quia nullum argilla habet meritum. Advertite, quia homo massa est lutea: *Fecit Deus hominem de limo terræ.* Si Deus ex tali massa formet vas vile inferni, non poterit obstrepere; & si formaverit vas nobile Paradisi, non poterit insolescere, quia in homine nec est meritum, nec demeritum. Audite perexcellentem Ruperti Abbatis discursum: *A figulo luti argumentum similitudinis competenter eduxit; figulus namque luti nihil luto adimit, faciendo de illo vas in contumeliam, cum ipsum lutum contumeliosum sit; multum autem illi confert honoris, dum ex eo vas in honorem facit.* Quòd igitur quispiam ex nobis prædestinatus sit, perque Dei gratiam evaserit vas electum cœli, non sibi aut ullis meritis suis tribuere potest, sed totum habet ex mera gratia Dei.

Rom. 9. v. 21.

Gen. 2. v. 7.

Rup. Abb. l. 10. c. 37. in Gen.

XVI. Id quod insinuare voluit David, quando dicebat: *Pro nihilo salvos facies illos.* Quid hoc sibi vult? salvabis pro nihilo? Ergo justi, qui jam salvati sunt, tantas exanthlando pro salute sua ærumnas, fecerunt nihil? Respondeo vobis, Psalmistam loqui de prædestinatione, non autem de executione ejusdem. Prædestinatio *facta est pro nihilo*, utpote sine respectu ad merita nostra; at executio illius fit per opera bona & labores nostros. Unde S. Prosper in Apolog. David inquit: *Non præcessit eorum aliquid, quod priores darent & retribueretur eis, sed pro nihilo salvos fecit illos.*

Ps. 55. v. 8.

S. Prosp.

XVII. Si hucusq; dicta vobis non satis faciant, Theologiam consulere non abs re fuerit

fuerit. In quo consistit prædestinatio? Magnus pater Augustinus in lib. 3. de bono perseverantiæ c. 14. naturam eius nobis tradit, inquiens: *Prædestinatio est collatio beneficiorum Dei, quibus certissimè salvantur, quicunque salvantur.* Prædestinatio consistit in quadam gratiarum & beneficiorum Dei collatione, vi quorum electi infallibiliter salvantur.

S. August.

XVIII. Quænam est causa meritoria, propter quam Deus confert beneficia, conducentia ad gloriam? fortassis fides eorum, qui credunt? non; quia multi credentes vivunt semper malè, & cum fide moriuntur impœnitentes. Forsitan homo prædestinatus est ob merita sua, non antecedentia, sed subsequentia justificationem? neque hoc; quia bonus usus gratiæ, effectus est prædestinationis, adeoque non potest esse causa: forsan bona propter opera sua, prædestinari meruit homo, cooperando gratiæ, non quidem ut procedunt à gratia, sed ut dependent à libero arbitrio? multò minus: quia & ipse liberi arbitrii consensus, est effectus divinæ gratiæ. Quare igitur ô Domine, gratias & beneficia tua contulisti in prædestinatos? audite, quid ad Ephesios scribat Apostolus: *Prædestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundùm propositum voluntatis suæ in laudem & gloriam gratiæ suæ*; non dicit: *in laudem justitiæ suæ*, quia justitia respicit merita: sed *in laudem gratiæ suæ*: id est, propter suam benignitatem: & non, propter merita nostra. Concludo itaque & statuo, nullam esse in creatura causam prædestinationis, sed hanc oriri ex mera Dei gratia.

Ephes. 1. v. 5.

XIX. Sicut hucusque dixi, nullam esse ex parte nostra causam meritoriam prædestinationis ad gratiam: ita pariter assero, quòd neque Deus nos eligat ad gloriam, propter prævisa merita nostra, sed ex mero & gratuito beneplacito suo. Audite claram Psalmistæ doctrinam, inquientis: *Parasti cibum illorum.* Præparasti ô Domine convivium gloriæ amicis tuis; quare Deus præparavit gloriam suam his potius quàm aliis? forsitan propter bona opera moralia, quæ tales erant facturi ante justificationem suam? non, quia bene scitur, illa nullam habere proportionem cum fine adeo sublimi, qualis est gloria. Ast quare igitur ô Domine *parasti cibum illorum*? Audite rationem, quam ipsemet Propheta subjungit: *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio tua.* Præparasti epulas gloriæ tuæ, quia ita est præparamentum tuum. q. d. Præparasti & disposuisti gloriam electis tuis, quia taliter placuit tibi.

Psal. 64. v. 10.

XX. Si hujus rei rationem requiritis theologicam, in bona certaque Philosophia fundatam, attentis eam auribus excipite. Efficax finis voluntas semper prior est voluntate efficaci mediorum; hæc enim nō eliguntur efficaciter, nisi in ordine ad finem, prius intentum: quia igitur electio ad gloriam, est voluntas efficax finis, & præparatio ad gratiam est voluntas mediorum; ideo electio ad gloriam est prior electione ad gratiam, & consequenter est prior prævisione meritorum, quæ præsupponunt gratiam.

XXI. Suffulciunt rationem hanc fundamentalem, duæ insignes sanctorum Patrum auctoritates: & prima quidem est magni Patris Augustini, in lib. de corrept. & gratia c. 7. ubi de electis agens, inquit: *Eos fuisse electos ad regnandum*

S. August.

dum cum Christo ex Dei voluntate, ante omnia praevisa merita.

XXII. Altera auctoritas est cujusdam S. Augustini filii, at splendoris reipublicæ augustinianæ, sancti, inquam, Thomæ de villa nova, p.319. inquientis. *Prædestinationis conscriptio non est ex meritis, sed ex gratia & dono Dei; Deus enim non quia prævidit merita, ideo elegit, ita ut prævisio meritorum, sit ratio electionis & prædestinationis; sed potius econtra: quia elegit & prædestinavit, ideo sancti erunt.* Sed obiiciet forte quispiam: Si ex parte nostra non detur ulla causa prædestinationis ad gratiam, neque electionis ad gloriam; ergo prædestinatus nunquam poterit damnari, & præscitus nunquam salvari.

S. Th. Vill.

XXIII. Hic ipse tertius est difficultatis punctus, à me vobis promissus. Audite cum gratia & attentione speciali Duplex est prædestinatio & duplex reprobatio; est alia prædestinatio ad gloriam, & alia prædestinatio ad gratiam. Prædestinatus ad gratiam, est quicunque hujus vitæ justus: prædestinatus autem ad gloriam, est quicunque justus electus ad incolatum paradisi. Ita quoque duplex est reprobatio à gratia & à gloria: reprobatus à gratia, est quicunque peccator hujus mundi; reprobatus autem à gloria, est quicunque peccator destinatus ad inhabitationem perpetuam inferni.

XXIV. Loquendo igitur de prædestinato ad gratiam; adæquet talis quamcunque etiam apostolicam sanctitatem, ideo tamen nequaquam sibi fidere aut securè degere debet, quia toties à sua prædestinatione decidere poterit & damnari, quoties peccatum committet mortale. Quis hujus assertitestis? Regius Propheta David in ps. 90. ubi loquens cum Deo, ait: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Cadent à latere & à dextris.* Quinam consistunt ad latus Christi? Apostoli; quibus dictum est: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes 12. tribus Israël.* Qui autem sunt stantes ad dextram? prædestinati: *Statuet oves à dextris, hœdos autem à sinistris.* Si ita est, quomodo itaque *cadent à Dei latere mille, & decem mille à dextris eius*? Ergone prædestinati poterunt exui suâ prædestinatione? respondet David: corruent decem mille prædestinatorum à dextris Dei; quia si quis prædestinatus ad gratiam (qualis est quicunque justus hujus mundi) justitiâ suâ accedat æqualis ad ipsam Apostolorum etiam sanctitatem; neutiquam tamen ideo securitatem sibi promittere debet, quia potest cadere à gradu suæ sanctitatis & damnari. *Nemo*, inquit magnus P. Augustinus, *vivat securus, nemo præsumat de meritis suis; nam quamvis sit in hac vita justus, tamen cadere potest.*

Ps. 90. v. 7.

Matth. 19. v. 28.

Matth. 25. v. 33.

S. August.

XXV. Ita è converso reprobatus à gratia (qualis est quicunque peccator) non debet desperare; quia etiamsi peccatorum mole oneratus esset, velut ipsum dæmonium infernale, nihilominus salvari potest; id quod David in hocce versiculo insinuare voluit, dum ait: *Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri.* Alacriter ô munde, quia Deus noster novam ædificat civitatem; fortassis curiosè scire desideratis, quinam urbis istius sint incolæ? sciatis, quòd *latera Aquilonis civitas regis magni. Latera Aquilonis?* quid sibi vult, quid denotat Aquilo? dicit Augustinus, esse dæmonium, conformiter illi prophe-

Psal. 47. v. 2.

Psal. 47. vers. 3.

Jer.1.v.14. phetico dicto: *Ab Aquilone pandetur omne malum:* consequenter Aquilonis latera socii erunt dæmonis; ita est, dicit idemmet Augustinus: *Latera aquilonis sunt, qui adhærent diabolo; quicunque enim cohærent alicui, latera ipsius sunt.* Si ita est, quomodo igitur David inquit: *Latera Aquilonis, civitas regis magni?* Ergone habitatores cœlestes sunt Socii dæmoniorum? quis iste impertinens loquẽdi modus? respondet David: Sicut prædestinati, qui sunt qualescunque hujus vitæ justi, quantumvis tanti forent Sancti, quanti ipsimet Apostoli, nihilominus non debent sibi fidere; quia possunt ab illo statu decidere; ita reprobati à gratia, qui sunt peccatores mundi hujus, si forent adeo etiam perversi peccatores, ut socii evaderent dæmoniorum, neutiquam tamen desperare debent, quia possunt salvari & cives fieri paradisi. *Sicut nemo præsumere debet de meritis suis,* inquit S. Joannes Chrysost. homil. in ps. 41. *ita nullus desperare debet de miseriis suis: quia quantũcunq; peccator, tamen surgere potest.*

XXVI. Ille autem, qui reprobatus est à gloria, hærens in morte peccati, factus est vas vile inferni, nec unquam salvari poterit: sicuti prædestinatus ad gloriam, possidens vitam gratiæ electus est in civem cœlestem, nec unquam poterit damnari: quia prædestinatio & reprobatio sunt infallibiles, & decretum divinum mutari nequit: itaque ita prædestinatus & electus ad gloriam, infallibiliter salvabitur: & reprobatus à gloria, infallibiliter damnabitur.

XXVII. O pater, ad quid igitur deservient opera bona? vel enim ego sum prædestinatus, vel reprobatus? si Deus me prædestinavit ad gloriam, certo certius salvabor: si autem sim reprobus, infallibiliter me damnabit: ad quid igitur bona opera? Ecce vobis clavum præcipuæ difficultatis in hac materia.

XXVIII. Admiror ego, argumentum hoc, quod in quacunque alia re aut materia naturali fieri potest, moveri ab hæreticis, tantummodo in casu concernente salutem. Adeste ô pugiles practici, quare tot vos laboribus extenuatis? si frigidum fuerit aut calidum, si dies aut nox, quid inde? hoc anno abundantem habebitis messem, aut non? si Deus prædestinavit, quòd sit futura fertilis; estote hilares; venient equidem formicæ, vobisque granum asportabunt in ædes. Si est futura penuria, in ventum evanescunt omnes sudores vestri; quorsum tot sollicitudines? Subaudio responsum: Deus in hoc anno determinavit futuram esse messem copiosam, modò debita habeatur cura culturæ agrorum. Itane? siccine se res habet? optimè, tuo teipsum gladio prosternam: Deus te prædestinavit ad gloriam, si facias opera bona. At quia punctus iste magni momenti est, necessarium est, ut stabiliatur primò ex Scriptura Sacra, secundò ex Theologia & tandem exemplo; primò itaque ex Scriptura Sacra.

XXIX. Ut traditur in actibus apostolicis, navigante Paulo in societate 276 aliorum commilitonum, dum altũ mare tenerent, tam horribilis orta est tempestas, ut *nec Sole, nec sideribus apparentibus, & tempestate non exiguâ imminente, jam ablata esset omnis spes salutis eorum.* Omnibus igitur nimium conturbatis, S. Paulus eos affari cœpit: constanter agite ô fratres & permittite mihi, ut recurram ad unicum animarum nostrarum refugium; ad orationem itaque confugit, cælitusq; certificatus fuit, nullum omni- Act.27. v.20.

no pro ista vice periturum. Ita enim
v.22. ipse eos allocutus est, dicens: *Suadeo vobis fratres, æquo animo esse; amissio enim nullius animæ erit ex nobis.* Forsitan ad hæc requieverunt nautæ? nequaquam: sed videntes, quòd invalesceret tempestas, quid fecêre? sese exspoliarunt omnibus:
v.30. *Quærebant nautæ fugere de navi, & miserunt scapham in mare.* Tunc
v.31. heu nobis, dicebat S. Paulus: *Nisi hi manserint in navi, omnes nos salvi fieri non poterimus*: Si nautæ isti nos deseruerint,
Malach. 3. omnes nos peribimus. Quid dicis ô Pau-
v.6. le? potestne mutari decretum divinum? non: *Ego Deus, & non mutor.* Nonne tibi dixit Angelus, neminem modò periturum? ita: tu ipsemet dixisti: *Amissio enim nullius animæ erit ex nobis.* Ad quid igitur times! quid dubitas de salute? Verum est, inquit S. Paulus, nos omnes fore salvandos, si nautæ curam habuerint navis; si autem profugerint, infallibiliter peribimus. Navis
Prov. 31. est anima nostra: *Facta est quasi navis*
v.14. *institoris*: nautæ sunt opera bona; si hæc defecerint, navicula animæ nostræ infallibiliter peribit.

XXX. Vultis modò & Theologiæ testimonium? attentis adeste auribus. Quatuor exstant mundi; primus Archetypus, scilicet Deus: *mundum mente gerens, mundo formosior ipse.* Secundus est angelicus istarum felicissimarum mentium; tertius est mundus materialis, qui est ille orbis noster, compositus ex quatuor elementis. Ultimus, est mundus parvus, scilicet homo dictus: *Microcosmos.* Singuli isti mundi suam ha-
Ioan. 1. bent lucem & mensuram. Lux hominis
v.9. est Christus: *Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; mensura actionum humanarum mors est: *Mors omnia æquat.* Lux hujus mundi materialis est Sol, magnus ille planeta, qui horas secernit: *Luminare majus:* Gen. 1.
mensura eiusdem mundi, est tempus v.16.
præsens, præteritum & futurum: *Tempus est mensura motus.* Lux mundi angelici est cognitio matutina & vespertina, id est, visio divinæ essentiæ & omnium rerum naturalium; mensura Angelorum est ævum, quod sui habet principium, sed non finem. Mundus Archetypus, nimirum Deus, habet pro Sole divinam essentiam; qualem autem divinarum actionum assignabimus mensuram? non potest esse mors, quia Deus *est invisibilis & immortalis.* Non potest esse tempus, quia hoc duntaxat est mensura motus; ibi est tempus præsens, præteritum & futurum, ubi est motus; sed in Deo non est motus: *Ego Deus, & non mutor*: ergo in Deo non est tempus. Neque actiones Dei per ævum mensurari possunt, etiamsi enim hoc nullum habeat finem, non tamen caret principio; Deus autem & principio & fine caret. Quæ igitur erit actionum divinarum mensura? scire vultis? est unum *nunc* æternum, complectens præsens, præteritum & futurum; unum *nunc æternitatis.* Unde falsum est dicere: Deus me prædestinavit, aut: Deus me prædestinabit; nequaquam: quia primum est temporis præteriti, secundum autem temporis futuri; in Deo autem neutrum reperitur. Quomodo ergo dicendum? Deus prædestinat. Quomodo es constitutus ô Christiane? si es in peccato mortali? præscitus es: si in gratia; prædestinatus es.

XXXI. Si Theologiæ non acquiescitis, veritatem discite à prædicante vobis dæmonio ipso. Accede ô diabole & dic

& dic nobis: quorsum tot conatus tui in tentando homine? vel enim est prædestinatus, vel præscitus? si est prædestinatus, frustranei sunt omnes assultus tui; si autem est reprobus, superflui. Ad quid igitur taliter te defatigas? respondet diabolus: antiquus ego sum Theologus, benè sciens, quòd prædestinatio *est transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam per certa media.* Impediendo ego media, opera scilicet bona, præpedio & finem. Quid ad hæc respondetis insignes argumentatores?

Rom. 9. v. 16. XXXII. Pater, nos sustinemus partes sancti Pauli, dicentis: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; *non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos*; *sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Quicunque salvatur, inquit S. Paulus, salvatur ex mera Dei misericordia; quorsum itaque opera bona?

XXXIII. Efficax utique & forte est argumentũ vestrum, meum nihilominus audite responsum, quod toti satisfaciet difficultati. Cum S. Paulo argumentati estis, cum sancto Paulo pariter ego respondeo vobis. Quinque puncta concurrunt ad salutem nostram, & omnium quinque idemmet Paulus meminit, ad Romanos scribens; præscientia, vocatio, prædestinatio, justificatio & glorificatio: Rom. 8. v 30. *Quos præscivit, hos & vocavit: quos vocavit, hos & prædestinavit; quos prædestinavit, hos & justificavit: quos justificavit, hos & glorificavit.* Ex hisce quinque punctis Deus operatur quatuor & medium sine nobis, cujus unius medii compartem constituimus simul nos cum Deo. Præscientia Jer. 1. v. 5. est penes Deum solum: *Antequam te formarem in utero, novi te.* Vocationem Luc. 14. v. 17. operatur solus Deus: *Dicite invitatis, ut veniant*: Prædestinationem solus Deus sine nobis: *Ego vos elegi ante mundi constitutionem*: Ephes. 1. v. 4. Glorificationem pariter solus Deus sine nobis: *Veni electa mea, veni coronaberis.* Cant. 4. v. 8. Justificationem partim operatur solus Deus sine nobis, partim nos simul cum Deo; sine nobis, Deus dat suam nobis gratiam adjuvantem: altera medietas, ad quam nos simul cum Deo concurrimus, consistit in eo, quòd nos acceptemus per liberum arbitrium nostrum, gratiam nobis à Deo donatam. Nunc videamus: ex quinque punctis, ad salutem nostram concurrentibus, Deus operatur quatuor & medium sine nobis, ad alterius unius medii constitutionem nos concurrimus simul cum Deo; an non igitur jure meritissimo, S. Paulus soli Deo totum attribuit negotium salutis nostræ? *Totum attribuendum est divinæ gratiæ*, dicit S. Anselmus in lib. S. Ansel. de concordia prædestinationis & liberi arbitrii: *Quia non est volentis, quòd velit; nec currentis, quòd currat, sed Dei miserentis.* Et S. P. meus Augustinus S. August. clarissimè omnium, in Enchiridio to. 3. c. 32. inquit: *Rectè dictum est: non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, ut totum Deo tribuatur, qui hominis voluntatem bonam præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Rom. 9. v. 16.

XXXIV. Hoc tamẽ nõ obstante, scilicet quòd totum salutis nostræ negotium Deo attribuatur, nihilominus certum est, & nos ex parte nostra ad eam concurrere debere: quia *qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Impossibile est, salvari quemquam ex nobis, nisi & ex parte sua aliquid faciat. Accipite Scripturam Sacram, auro pretiosiorem. Teste S. Joanne, postquam Apostoli

vice quâdam per noctem integram sese defatigantes in capiendis piscibus, omnimodè frustrati fuissent suo intento, tandem ad consilium magistri sui, jactarunt rete in mare ad dextram navigii partem; *& non valuerunt trahere rete præ multitudine piscium.* Grande adeo miraculum fortunatos illos piscatores venire fecit in cognitionem Magistri; ideoque exeuntes è navi, ut Christum venerarentur, repererunt in littore piscem assatum: *Invenerunt prunas, & piscem superpositum, & panem.* Optata conditio, dicebat S. Petrus, *Bonum est nos hic esse.* Non, dicit Christus: *Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Domine, tuus ille piscis assatus, nonne sufficit pro omnibus? duobus pisciculis parvis satiasti quinque millia personarum, & modò non vales unico pisce magno, septem saturare discipulos? Respondet S. Augustinus: *Piscis assus est Christus passus.* Piscis iste assatus figura Christi erat, qui charitate inflammatus, pro redemptione generis humani sacrificatus fuit. Volebat itaque dicere Christus: Fratres, ut manducatio vestra sit vobis salutifera, necessum est, ut piscis ille meus uniatur cum istis, quos cœpistis vos, id est, non sufficit solus sanguis meus ad salvandum vos; est necessarium, ut etiam ex parte vestra aliquid præstetis; ego per gratiam meam adjuvantem, & vos per liberum arbitrium vestrum acceptando: *Fecit Dominus prandium illis septem discipulis suis de pisce, quem prius superpositum viderant, huic adjungens ex illis, quos ceperant: piscis assus est CHRISTVS passus, huic cooperari debet Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam, propter quod dictum fuit; afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Nessum igitur, ut etiam aliquid ex parte nostra præstemus: DEVS incipit cum gratia sua adjuvante, nos deinde sequi debemus cum libero arbitrio nostro acceptante.

Ioan. 21. v. 6.
v. 9.
v. 10.
S. August.
Christus est piscis assus.

XXXV. Nunc tempus est resolvendi problema propositum. Quinam sunt plures? aut prædestinati ad gloriam, aut verò præsciti ad infernum? Ex omnibus hucusque dictis, veluti demonstrativo antecedenti, vos consequentiam inferatis infallibilem & resolvite: quòd respectu voluntatis Dei & gratiæ ipsius, major sit numerus prædestinatorum & eorum, qui salvantur, quàm eorum, qui pereunt; propterea namque DEVS per suam præscientiam eligit media, applicat auxilia efficacia, quæ prædestinatis conferens, dirigit ad gloriam. Atque ideo S. Paulus ait: *Vult DEVS omnes homines salvos facere.* Respectu autem humani liberi arbitrii, liberrimè operantis: quia *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, hinc homo in plena libertate constitutus, consensum præstare negligit gratiæ divinæ, neque curans quidquam de operibus bonis, properanter currit in præcipitium. Vnde ex hac parte dici potest, plures esse, qui damnentur ad infernum, quàm sint prædestinati ad gloriam.

Resol. probl.
Gen. 8. v. 21.

XXXVI. Si porro curiosè dignoscere averis, signa alicujus prædestinati & alterius reprobi; revocate in memoriam illas universales utriusque partis distinctivas notas, apparituras in judicio extremo. Quid dicet summus ille judex electis suis? *Quia esu-*

Matth. 25. v. 35.
S. Th.

esurivi, & dedistis mihi manducare; propterea venite benedicti patris mei percipite regnum; quia fuistis charitativi in pauperes, ideo triumphantes intrare regnum cælorum. Ergo inter cætera prædestinationis signa unum est, liberalitas in pauperes & egenos; ut itaque prædestinatos vos esse probetis, largam date pauperibus eleemosynam; interim ego Spiritum resumam.

Matth. 25. v. 35.

SECUNDA PARS.

XXXVII. Cras curiosum vobis exhibebo problema. Vtrum donum fuerit pretiosius & excellentius; an potius lacrymarum, quem Magdalena prompsit Christo: an verò edulium propriæ carnis, quod Christus impertiit Magdalenæ? Residuum est, ut breviter modò videamus, per quæ signa cognosci possit & secerni prædestinatus à reprobo. Ex hoc præsenti Evangelio duo eruo signa prædestinatorum, & totidem reproborum. Primum reprobationis indicium est, non credere verbo divino: *Loquor vobis, & non creditis.* Quicunque fidem negat monitis Dei, perit & damnatus est. Juxta doctrinam S. Thomæ p. 1. q. 23. unus effectuum reprobationis est perseverantia in peccato: *Permissio peccati in reprobo est effectus reprobationis.* Permissionum autem damnosissima est illa, *quâ Deus permittit hominem cadere in peccatum, & in eo finaliter mori.* Obstinatio in peccatis est manifestius reprobationis indicium; unde autem nascitur obstinatio in peccatis? nisi ex eo, quia scilicet quis non credit monitis Dei; qui ergo non credit voci divinæ, reprobus est atque ad infernum damnatus. Hoc est: *Loquor vobis, & non creditis,*

S. Th.

XXXVIII. Secundum reprobationis signum est, si quis judicat proximum esse malum; ita ut si videritis quempiam, qui æstimet & reputet proximum suum pro peccatore, talem pro perdito reputare possitis. Quid hodie Judæi responderunt Christo? *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia*: quid permovit eos, ut Christum pro blasphemo reputarent? Scitisne, quid? quoniam ipsi blasphemi erant: unde die quodam dixerunt ad Christum: *Insanus es, & dæmonium habes.*

Ioan 10. v. 33. v. 20

XXXIX. Vultisne clarum Scripturæ Sacræ testimonium; Cur infelix avarus, qui in inferno præ siti ardebat, in sui refrigerium, nō nisi guttam aquæ petivit? ô miser & infortunate, quomodo à duobus illis cælestibus sanctis, Abrahamo scilicet ac Lazaro aliud non requiris, nisi pauculas aquæ guttas? Respondet Magnus P. Augustinus serm. 227. de tempore: *Petit guttam, qui negaverat micam.* Sicut enim avarus iste proximo suo semper negaverat micam panis, ita pariter credebat omnes sibi æquales esse in avaritia: *atque ideo petiit guttam, qui negaverat micam.*

Luc. 16. v. 24. S. August.

XL. Duo alia habeo prædestinatorum indicia: quorum primum est, audire verbum divinum: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Recordamini fortasse muneris, quod obtulêre Jobo vasalli eius, postquam duplicatas receperat divitias & possessiones omnes, quas amiserat; dicit Scriptura: *Dederūt ei ovem unā & inaurem unam.* Donarunt ipsi unam ovem & unam inaurem; per fidem meā, extravagās nimis est donum istud. Quò ad ovem non tantum admiror, quia divitię illius tēporis forte situatę erāt in armen-

Ioh. 10. v. 27. Iob. 42. v. 11.

mentis: Sed vix capio, quâ convenientiâ Regi coronato annulus præsentetur pro auribus? Respondet S. Gregorius: sciendum est, annulos aurium esse ornamenta: volebatque Deus per inaurem illam docere, Job esse prædestinatum: Sed quomodo? exhibendo eum ornatum auribus: *Ex auditu fides, fides autem per verbum Christi.* Vultisne vos in numero cõputari prædestinatorum? probate vos promptos in audiendo verbum Dei.

Rom. 10. v. 17.

XXXXI. Pater, si in hoc consistit totum negotium, ergo me potero prædestinatum reputare, quia nunquam intermisi audire concionem; non sufficit eam audire, sed insuper requiritur, ut executioni mandetur: *Ipsæ sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.*

XXXXII. Concludo ô dilectissimi: Paradisus & infernus consistit in manibus nostris: quisquis salvatur, salvatur quia vult: quisquis dãntur, damnatur quia vult: & quantumcunque prædestinatio sit æterna & infallibilis, nihilominus requiruntur opera bona: quia *qui fecit te sine te, nõ salvabit te sine te.* Estote itaq; diligentes in audiendo verbum divinum, huic super addite opera & operibus perseverantiam, memores, quòd *qui perseveraverit usque in finẽ, hic salvus erit.*

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE
IN DIE JOVIS POST DOMINICAM V. Quadragesimæ.

DISCURSUS
De donis inter Magdalenam & Christum.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius. Luc. 7. v. 37. 38.

PROBLEMA.
Utrum in Pharisæi mensa fuerit donum pretiosius & excellentius: potus lacrymarum, quem Magdalena dedit Christo; an verò edulium propriæ carnis, quod Christus donavit Magdalenæ?

INTRODUCTIO.

I.

ADmodũ mysteriosa est, ô Auditores historia sacra currentis sacrati Evangelii: invitaverat Christũ Simon leprosus, cumque vix accubuisset Christus mensæ, ecce tibi mulier quædam domum subintrat, tota passis incompta crinibus, angore plena: quæ oculos in amarissimum planctum resolvens

vens, sese prostravit ad divinos pedes, illos strinxit, osculata est & lacrymis amaris lavit. Simon leprosus hoc videns, ad convivas conversus ait; videte, quid Prothetæ sit iste? permittit se tangi à muliere, quæ publica est meretrix? *Hic si esset Propheta, sciret, quæ & qualis est hæc mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Audiit hunc discursum Christus, & ait: *Simon habeo tibi aliquid dicere*; unum mihi liceat verbum loqui tibi. Nunquid intravi domum tuam, & tamen nullo à te osculo exceptus sum? *Intravi in domum tuam, & osculum mihi non dedisti; hæc autem mulier, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.* Videte per vitam vestram & obstupescite insignem hunc Christi humorem; volentis sibi osculum dari à leproso. Quomodo mi Domine, ab infecto efflagitas tibi osculum? respondet S. Gregorius Nyssenus, hom. 1. in Cantica: *Osculum Domini, purgamentum est omnis sordis, & revera fuisset ab ægritudine emundatus, si ore attraxisset sanitatem.* Quomodo, dicit Christus? ô Simon, ego veni in mundum ad salutem peccatorum: *Veni peccatores salvos facere.* Intravi ædes tuas, & tu infirmus neglexisti osculari me? ô quàm *reverà fuisses ab ægritudine emundatus, si ore attraxisses sanitatem?* At osculari Christum, si speciem arguit communionis, consequenter dicendum, Magdalenam, pedes Christi osculando, sese ei communicasse: ita profectò; tam ineffabili modo sese Christo communicavit Magdalena, ut S. Paulinus Episcopus Nolanus, eam Christi pedibus advolutam contemplans, dicat: *Ipsum vivum, vivificantemque panem ore & manibus præsumpsit; ipsum quoque sanguinem ore sancto & labiis sugentibus, prælibavit; beata, quæ Christum in carne gustavit, & in ipso corpore, Christi corpus accepit.* In tantum placuit Christo hæc

Luc. 7. v. 39.

S. Gre. Nyss.

S. M. Mag. per osculum se comunicat Christo.

S. Paul. Nol.

Magdalenæ prostratio ad divinos pedes, ut illi velut gratiam impertierit sacramentalem, etiam priusquam sub panis specie, sacramentum Eucharistiæ instituisset, volendo communicari illi sacratum corpus suum sub specie panis: *Beata quæ Christum in carne gustavit, & in ipso corpore, Christi corpus accepit.* Undenam gratiam hanc meruit specialem Magdalena, ut communicaretur ei ipsamet caro Christi? Audite fundamentum. Dimoranti in ædibus Simonis Christo, Magdalena prodigum obtulit lacrymarum potum: *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus.* Christus videns se Magdalenæ donatum lacrymis, quid fecit? bolum ipsi reimpertiit propriæ carnis: *Beata, quæ Christum &c.* ita ut duas hodie contemplamur personas, sibi invicem munera conferentes; Magdalenam Christo offerentem poculum lacrymarum: *Lacrymis cæpit rigare &c.* ac Christum Magdalenæ dantem suam propriam carnem: *Beata, quæ Christum in carne gustavit.* Vos interrogo ingenia subtilissima; utrum horum duorum munerum pretio ac magnificentiâ præcellit? an edulium carnis, quam Christus dedit Magdalenæ; an potio lacrymarum, quas Magdalena consecravit Christo? In mensa, principaliter autem spirituali speciale debet observari silentium; me igitur hæcce pretiosa duo munera recensentem, devoto prosequamini silentio; & incipiamus.

Probl.

II. Intra ædes Simonis, dum pransurus accumberet Christus; ecce vobis Magdalenam, poculum subinferentem gemituum: *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus.* Præmeditatè tantisper: Lacrymas obtulit Magdalena? quid est lacryma? audite quandam propositionem, nunquam intellectam aliàs. Lacryma thesaurus est, ipsam locupletans sanctissimam Trinitatem

Luc. 7. v. 38.

Lacryma est thesaurus SS. Tr. tem; ita ut accedat ad omnipotentiam æterni Patris, efficaciam sanguinis Verbi incarnati & virtutem tribuat fœcunditati Spiritus sancti; hoc utique facile asserui, sed facilius nihilominus probabo. Cùm vellet Deus secundi diei opera producere, dicebat: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* (Gen. 1, v. 6.) Consurgat in cœlis firmamentum, divisivum aquarum superiorum & inferiorum. Quid? ergone sunt aquæ supra cœlos? Ita; dicit David: *Et aquæ omnes, quæ supra cœlos sunt.* (Ps. 148. v. 4.) Quæ istæ sunt supra cœlos aquæ? Omissis cum sensu literali, multis hujus loci expositoribus, soli insistam intelligentiæ morali S. Chrysostomi, dicentis, aquas has supra cœlos esse lacrymas pœnitentium: (Chrysost.) *De aquis fletus & pœnitentium lacrymis, cantabo illud David: Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt.* At quæ ratio cœli ad lacrymas? nunquid teste S. Joanne: *Iam ibi non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor?* (Ap. 7. v. 17.) Imò, ubi lacrymæ, ibi tristitia; ubi tristitia, ibi non est satisfactio; ubi non est satisfactio, ibi non est Paradisus; si igitur in cœlis sunt lacrymæ, utique non erit Paradisus. Auscultate ô Auditores! in cœlis sunt lacrymæ, sed non hærent in oculis beatorum; ubi ergo asservantur? in ipsius sanctissimæ Trinitatis thesauro; omnes divinas personas amor inebriavit lacrymarum.

III. Scitisne, cur Verbum divinum humanam assumpserit carnem? Respondet S. Bernardinus Senensis de dignitate animæ, inquiens: (S. Ber. ser.) *Quia Deus propriè plorare non poterat, propterea assumpsit naturam humanam, ut posset plorare.* Quia Filius Dei sine carne non poterat plangere ideo humanâ se induit carne, ut plangere posset & potiri thesauro lacrymarum. Ideoque vix natus, ingemiscere cœpit: *Vagit infans inter arcta, conditus præsepia.* Per mundum proficiscens, ut civitatem Jerosolymitanam vidit, peccatis oppletam, lacrymatus est: *Videns Ierusalem, flevit super illam.* (Luc. 19. v. 41.) In morte amici sui Lazari, planxit: *Infremuit spiritu & lacrymatus est*; (Ioa. 11. v. 33.) & tandem in cruce, quasi deserturus mundum, ploravit: *cum clamore valido & lacrymis*, (Heb. 5. v. 7.) inquit S. Paulus. Ita ut Filius Dei venerit in mundum, ut plangeret, inchoans vitam suam mortalem à lacrymis, & terminans cum lacrymis.

IV. Idem videre est in Spiritu sancto; cur enim putatis, divinum illum Spiritum unâ vice speciem induisse columbæ? *In specie columbæ visus est*: (Marc. 1. v. 10.) & aliâ similiter vice, formam linguarum ignearum? *Ignis vibrante lumine, linguæ figurã detulit.* Columbæ proprietas est, gemere & plãgere. Quasi igitur dicebat Spiritus sanctus: quandoquidẽ ego non possum incarnari & plangere, ad minus formam columbæ assumere volo, ut possim frui planctu; & quia lingua ignita nihil sollicitat neq; vult præter aquam, ideo quando Apostoli, propter Magistri sui Christi discessum, omnes fuerint gementes, inque lacrymarum aquâ madefacti, ego figuram induam linguæ igneæ, ut me saturem & oblectem aquis lacrymarum. (S. Aug.) *Nescio*, inquit Guerricus Abbas ser. 2. de Pentec. (Guerr. Abb.) *an Spiritui sancto gratior sit alia vox, quàm gemitus columbæ, & puto, quòd neque in Apostolis locum invenisset paracleti consolatio, nisi quia lugebant se esse desolatos.* (S. Chrys. ser. 93.) Probatum est itaque, quod verbum divinum, ut plangeret homo factum sit, & Spiritus sanctus, ut frueretur lacrymis, cùm incarnari non posset, primò formam induerit columbæ, & postea linguæ igneæ; quia autem nec Patri æterno competebat incarnatio, neq; conveniens erat,

ut sese visibilem redderet; ideo ipse voluit, in cœlis ut essent aquæ lacrymarum, ipsemet in Paradiso abstergens lacrymas ab oculis beatorum: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* Ap. 7. v. 17.

V. Quantumcunque hucusque diximus, id ipsum nihilominus difficultatem mihi non exilem creat, quare scilicet divinæ personæ lacrymas tam ardenti prosequantur amore? forsitan quia lacrymæ sunt incomparabilis thesaurus sanctissimæ Trinitatis? ita sanè; inquit quidem præclarissimus Scriptor, tanti pretii & valoris est planctus, ut ipsi Patris omnipotentiæ addat potentiam, ut det efficaciam pretioso sanguini Verbi incarnati & virtutem fœcunditati Spiritus sancti. Vultisne, ut clarè vobis probem prærogativam, quæ inest lacrymis super ipsam Patris omnipotentiam? Audite, obsecro, tres sanctorum Patrum auctoritates, ad propositum nostrum, ut credo, accommodas & mirabiles valde. Prima sit magni Patris Augustini in Ps. 41. ubi agens de lacrymarum valore, inquit: *O humilis lacryma, tua est potentia, vincis invincibilem, ligas omnipotentem.* Sanctus Petrus Chrysologus Augustinum superasse videtur, quando de planctus efficacia tractans, ait: *O quanta vis est in lacrymis peccatorum, fugant dæmones, flammas exstinguunt inferni, delent in omne facinus latam divinâ promulgatione sententiam.* Unde S. Petrus Cellensis, tertiam sustinens propositionem, plus omnibus tradit & magis stupendum, inquiens: *Lacryma aut facit aut invenit Paradisum.* Hæ tres auctoritates, ut verum fatear, sicuti sunt admodum mysteriosæ, ita & sigillatim sunt explicandæ. Quid dicit sanctus Augustinus? *O lacryma, tua est potentia, vincis invincibilem, ligas omnipotentem. Ligas omnipotentem?* quæ contradictio ista? si Deus est omnipotens & invincibilis, quæ est lacrymarum potentia, ut ligent ipsum? videamus, si ex Scriptura sacra hic nodus resolvi possit. Juxta sancti Joannis Evangelium, cum post Christi à mortuis resuscitationem, Magdalena sanctos ejus pedes attingere vellet, apud quos universalem acceperat peccatorum suorum remissionem, audiit sibi dici à Christo: *Noli me tangere.* Ne me tetigeris. ô Magdalena; quia *nondum ascendi ad Patrem meum.* Ioa. 20. v. 17.

S. Aug. · S. Chrys. ser. 93. · S. Pet. Cell.

Quomodo mi Domine, à Magdalena peccatrice te tangi sinis & inimicâ tuâ; nunc autem cum justa sit & sancta, eandem repudias? §. 9.

VI. Non modò Christus refutavit Magdalenam, sed & alias mulieres in diversis occasionibus. Viduæ Naimiticæ, mortem filii plangenti, scitis, quid dixerit: *Mulier noli flere*; mulier siste planctum. Ad fœminas quoq; Jerosolymitanas, nimiis ingemiscentes Salvatoris sui flagellis & tormentis, quid dixit? *Filiæ Ierusalem nolite flere super me*; nequaquam me defleatis. Quomodo ô Domine, cur planctum prohibes, qui tibi cælitus submittitur in refrigerium afflictionum tuarum? §. 8. · Luc. 7. v. 13. · Luc. 23. v. 28.

VII. Inspiciamus, si placet, actus Apostolorum cap. 1. Ascendente in cœlum, & paulatim se sublevante Christo, dilecti Apostoli, pio suspensi obtutu, amarè plangebant amissionem amantissimi Magistri; interea temporis duo cœlitus dimissi Angeli, & ad Apostolos conversi, dixêre: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlũ, sic veniet.* Act. 1. v. 11.

O Apostoli, quid respicitis cœlũ? dimittite oculos vestros, Jesꝰ iste redibit ad vos. O Angeli sancti, nihil est Apostolis chariꝰ aut antiquius Christo, unico apostolicorum oculorum objecto, & vos prohibetis,

ne in ipsum obtutus suos figant. Respondent Angeli: sciatis, quòd Apostoli suis illis lacrymantibus oculis ita detineant Christum, ut procedere nequeat. Notate veritatem; erat Christus ita annexus Apostolorum suorum oculis, ut necessum fuerit, cœlitus interponi nebulam aliquã, quæ eum violenter separaret ab oculis eorum: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* v. 9.

VIII. Modò intelligetis, cur Christus dictis mulieribus prohibuerit planctum; volebat enim dicere Christus: ô bonæ mulieres, si vos porrò lacrymis institeritis; planctu vestro ita fortiter cor meũ constringetis, ut me præpedituræ sitis à redemptione generis humani; non, non; supersedete lacrymis: *Nolite flere.*

IX. Hæcque causa fuit, quare Christus post resurrectionem non permiserit sese tangi à Magdalena: *Noli me tangere.* q. d. O Magdalena cum maximo gustu meo hic subsisterem, ut tuo fruerer planctu; sed scias, mihi in cœlum eundum esse, propter negotium admodum grave; & propterea noli me tangere, si namque tetigeris, gemitu tuo ita me constringes, ut hinc discedere nequeam. O *lacryma*, dicam cum S. Augustino, *tua est potentia, vincis invincibilem, ligas omnipotentem!*

X. Adeo lacrymæ innectunt ligantque invincibilem Deum, ut Deus sese imperio subiiciat lacrymantium. An non recordamini gemitus, quem Christus in
Ioa. 11. v. 33 morte Lazari profudit? *Iesus ergo infremuit spiritu & lacrymatus est.* Cur plangis ô Domine? quid tibi accidit? quid? dicit
S. Chrys. S. Chrysostomus in homilia de Lazaro: *Flebat Deus mortalibus lacrymis: non quòd ante se, mortuum periisse cognosceret, sed ut sororum fletibus obtemperaret.*

XI. Dicetis fortasse: capimus equidem, tantam esse lacrymarum vim, ut ligare & imperare possit Deo; sed qualiter intelligemus illud S. Petri Chrysologi dictũ, quòd lacryma terrorem incutiat dæmonibus & flammas exstinguat infernales? nonne infernus plenus est lacrymis? ita; taliter namque asserit S. Matthæus: *Ibi erit fletus & stridor dentium*: ergo planctus Matt. 8. v. 12.
non fugat dæmones, neque ignem delet infernalem; aliàs enim sequeretur, quòd in inferno nec diaboli essent, nec flammæ. Major est difficultas in illo S. Petri Cellensis asserto, dicentis, quòd lacryma Paradisum aut faciat aut inveniat. Lacryma ne Paradisum facit? certè hoc dici nequit; quid enim est Paradisus? domus Dei; quàm porro magna est ista Dei habitatio? resolvit Baruch, dicens: *O quàm magna est* Bar. 3.
domus Israël; & ingens locus possessionis ejus? v. 24.
immensus est & non habet finem. Si Paradisus locus est immensus, quæ erit tantæ virtutis lacryma, ut Paradisum faciat? Notate doctrinam; lacrymæ in duplici sunt differentia; aliæ desperatorum, quæ sicut non procedunt ex interno animæ dolore, ita quoque non modò non possunt facere Paradisum, sed ipsum potius sustentant infernum; non modò non exstinguunt, sed etiam succendunt flammas infernales; & quos debebant fugare diabolos, potius ad se alliciunt; deque his lacrymis agit S. Matthæus, dicens: *Ibi erit fletus & stridor dentiũ.* Aliæ sunt lacrymæ compunctionis, quæ sicut nascuntur ex corde contrito, & pro suo objecto habent detestationem peccati atque odium dæmonis ita quoque fugant diabolos, flammas infernales exstinguunt, omnemque cassant sententiam divinam à justitia divina scriptam adversus peccatores; & quando per impossibile non foret Paradisus, ipsæ solæ ad ejus fabricationem sufficientes essent.

XII. Probari vultis; compunctionis,

cor-

cordisque contriti lacrymis dæmones fugari? Dixerat Christus ad S. Petrum: *Ante*
Matt.26. v.34. *quam gallus cantet, ter me negabis.* Post hæc existens Petrus in palatio Caiphæ, & à duabus mulieribus appetitus, tandem tribus vicibus negavit Christum. Vix Petrus terminaverat negationes, & ecce tibi:
v.74. *Continuò gallus cantavit, & recordatus est Petrus verbi Dei*; subitò Petrus recordatus est suæ negationis, contra Christum patratæ; ideoque errorem detestans: *Egressus foras, flevit amarè.* O Petre, nunquid intra palatium deliquisti? ita; quare ergo non doles in eodem loco? Respondet S. Antiochus, fuisse hanc quandam dispositionem divinam; omnes namque diaboli circumvolitabant in multitudine ista Judæorum, excitantes omnes eos ad odium Christi, qui spiritibus quoque illis plenam hujusmodi dederat licentiam, conformiter asserto isti: *Hæc est hora vestra & potestas te-*
Luc.22. v.53. *nebrarum harum.* Quasi igitur dicebat Christus: caveas Petre lacrymari in palatio, quia ad planctum tuum omnes fugerent diaboli, & passio mea impediretur: Exi foras & plange; ideoque *egressus foras,*
v.62. *flevit amarè. Hanc Petri plorationem,* inquit dictus Sanctus, *hostis cum videret, nulli dubium est, quin se illinc concitus præriperet ingenti cum eiulatu, ac si illi facies conflagrasset.*

XIII. Edicite, nonne Magdalena, dum in peccato existeret, hospitium erat
Marc.16. v.9. septem diabolorum? utique: *De qua septem dæmonia exierant.* Nunquid Magdalena, sese ad Christi pedes prosternens, eosdem habebat spiritus? absit; non enim ausus fuisset diabolus accedere ad Deum, qui Magdalenam liberavit à malignis incolis istis; quia nimirum *lacrymis cœpit ri-*
Luc. 7. v. 38. *gare pedes ejus.* Unde & S. Petrus Cellensis inquit; *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram; acriusque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendii movetur.*

XIV. Vultisne modò intelligere, quòd lacrymæ compunctionis ipsum etiam exstinguant ignem infernalem? facite gratiam & subsistite mecum. S. Bernardinus Senensis ser. 2. Dom. passionis, incomparabile exaggerans robur lacrymarum, inquit: *Si anima unius damnati posset habere unam guttam lacrymarum, Deus illam salvaret.* Si profunderetur ab oculis istarum damnatarum animarum, vel unica lacryma, quæ veraciter proflueret ex corde contrito, infallibiliter deficeret iis infernus. Intellexit hoc ipsum infelix ille Epulo, qui dum in flammis infernalibus cruciaretur, elatâ voce clamabat: *Crucior in* Luc.16.
hac flamma; misericordia, misericordia. v.24.
Quid postulas ô miser? *Pater Abraham mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam.* Acquiescas iis, respondit Abraham, acquiescas & contenteris istis, quibus fruitus es in vita tua; modò non est ultra tempus. Sanctus Petrus Cellensis lib. de panibus c. 15. S. Pet. Cell.
duo puncta admiratur in præsenti; primum, quòd infelix iste helluo ad restinguendum nimium ardorem suum non nisi unicam requisierit aquæ guttam. O infortunate, nunquid si totius mundi aqua influeret in os tuum, sufficiens foret ad sedandam sitim tuam? minimè; cur igitur instas pro unica duntaxat gutta? secundum, quod sanctus ille miratur, est, quòd Abraham & Lazarus tantillum aquæ denegaverit petenti; nunquid possibile est, sanctos, qui ita semper in pauperes fuere munifici, hodie, unicam aquæ stillam negare Epuloni? Quid existimatis ô Auditores! petiisse creditis Epulonem aquam materialem? nequaquam; tota siquidem con-

gregatio aquæ elementaris non foret sufficiens ad exstinguendam nimiam sitim, quâ ardebat Epulo; aquam petebat lacrymarum. Quid? dicebat Abraham, lacrymæ in inferno? absit; quia vel unica lacrymæ gutta, profluens ex sincera compunctione, si infernum ingrederetur, se solâ sufficeret, non modò ad restinguendam damnatorum sitim, sed insuper ad delendum totum ignem infernalem. *Parum petiit*, dicit Sanctus, *sed non impetravit; quia non aquam elementarem poscebat, sed guttulam lacrymarum, cujus ea tanta est vis, ut etiam valeat gehennam exstinguere.*

XV. Quid ultra desideratis? forsitan ut probem, quòd, si per impossibile non daretur Paradisus, solæ pœnitentium lacrymæ eum efformaturæ essent? O Theologi, quid est Paradisus? est habitaculum beatorum & sedes Dei; in quo consistit beatitudo? in abominatione peccati & conjunctione cum Deo. Satis est, subsistite: quid est compunctionis lacryma? est detestatio peccati & actus amoris, per quem anima gemens unitur cum Deo; ergo per impossibile deficiente Paradiso, eum solæ fabricarent lacrymæ pœnitentium; id quod S. Petrus Cellensis hisce verbis insinuare voluit: *lacryma aut facit aut invenit Paradisum.*

XVI. Ex hucusque dictis solidum formetur argumentum. Pater æternus per omnipotentiam suam efficere nequit, ut damnatus sine lacrymis salvetur aut infernum annihilet; si autem damnatus lacrymas compunctionis habere posset, non modò destrueret infernum, sed & Paradisum fabricaret, ergo tanta est lacrymarum efficacia, ut potentiam superaddat omnipotentiæ ipsiusmet Patris æterni.

XVII. Efficaciam insuper dant lacrymæ pretioso sanguini Verbi incarnati, ita ut sanguis Christi sine peccatorum lacrymis minoris sit virtutis, quàm cum illis. Mortuo vitæ Authore, accessit Longinus & lanceâ transfixit divinum latus, ex quo, ut S. Joannes scribit, profluxit cum sanguine aqua: *Exivit sanguis & aqua.* *Ioa. 19. v. 34.* Nolo disceptare modò, si possibile fuerit an non, ut sanguis & aqua manaret ex mortuo Christi corpore; totum meum dubium consistit in eo, quòd primò exierit sanguis, & postea aqua. Nunquid vos omnes nostis, quòd *omnis anima est in sanguine?* *Lev. 17. v. 12.* Ita prius igitur debuisset exiisse aqua, utpote magis extrinseca magisque vicina pelli; deinde verò sanguis, utpote vicinior cordi.

XVIII. Absque eo, quòd à Calvario recedamus, tantisper retroferamur, descensuri in hortum. Bis Christus oravit Patrem suum, primò pro se in horto, & deinde pro crucifixoribus in cruce; dum in horto rogaret pro se, dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* In cruce pariter ad suum Patrem conversus, ait: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* *Luc. 23. v. 34.* In horto orans pro se, non fuit exauditus, sed mori debuit; in cruce deprecans pro crucifixoribus, fuit exauditus, dicente Apostolo: *Exauditus est pro sua reverentia.* *Hebr. 5. v. 7.* Quomodo? æterne Pater, idem omnino Christus, Filius tuus in horto & in cruce; sique copiosè in cruce suum profudit sanguinem, nunquid etiam in horto *factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram?* *§. 22. Luc. 22. v. 44.* Si in cruce agoniam subiit mortis, profectò & in horto agonizavit: *Positus in agonia.* Quare igitur exaudisti eum in cruce, & non in horto? Accedat in præsenti Augustinus sanctus, *S. Aug.* qui serm. 11. ad fratres in eremo, extraordinarium adeo titulum tribuit lacrymis, ut eum judicem ego captu difficillimum esse.

Lacry-

Lacryma, inquit ille, *est vicaria passionis Christi.* O sancte Deus! Lacryma, vicaria sanguinis Christi? Vicarius potest supplere & facere totum hoc, quod potest principalis; si igitur lacryma est vicaria sanguinis Christi, consequenter dicendum, posse lacrymam facere & supplere, quidquid potest ipsemet Christi sanguis? ita sanè, inquit S. Augustinus.

XIX. Quæ porro lacryma tantæ erit potentiæ, quantæ est Christi sanguis? Evidens est in Magdalena, quæ hodie ad Christi pedes prostrata, laxato lacrymarum freno, integrum ab oculis profundere cœpit gemituum mare. O Magdalena cur plangis? ut baptizer. Ut baptizeris? ô Deus, quid audio? ubi sunt aquæ baptismales? ubi fons? ubi minister? ubi Patrinus? Omnia ordinata jam sunt, ait Magdalena. Si fontem vultis: *Fontem traxit baptismatis de pedibus Salvatoris*, inquit Sanctus Laurentius Novariensis. Si Patrinum requiritis? Hic ipsemet fuit Christus, levans eam de sacro fonte: *Stans retro secus pedes Domini.* Si quæritis ablutam & immersam salutiferis aquis? *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Vultis, ut facem accensam manu portet? ecce qualiter scintillas evomat ardens charitas: *Dilexit multum.* Neque unctio deficit aut crisma, quia *attulit alabastrum unguenti.* Omnium accepit remissionem peccatorum: *Remittuntur tibi peccata tua.* Et tandem pacis obtinuit donum; *Vade in pace.* O fortunata Magdalena, condecorata, purgata & abluta baptismo effusarum lacrymarum: *Fontem traxit baptismatis.* De hoc autem baptismo intelligenda sunt Sancti Petri Chrysologi verba, dicentis. *Lacrymæ peccata baptizant.* Cujus etiam meminit S. Leo, quando S. Petrum alloquens, ait; *Felices, ô sancte Apostole, fuerunt lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.*

S. Petri Chrys.

S. Leo.

XX. Si ita est, ergo ex argumento hoc prælibato solidam deducamus consequentiam. Aquæ baptismales, abluendo animæ culpam, tantundem præstant, quantum præstaret ipsemet Christi sanguis; sed lacrymæ eluunt animam velut alter quidam baptismus, ergo totum hoc præstant, quod ipsemet præstat Christi sanguis.

XXI. Veruntamen hoc totum exile est, multò excellentiora proferam in medium; ita tamen ut omnia & dici & intelligi velim cum pietate christiana. Videtur, quòd peccatorum gemitus possit plus, imò tantum, quantum ne ipse Christi sanguis potest solus secundùm se. Propositionem hanc; omnium prædicatorum famosissimus tuebitur, Sanctus Paulus, qui Colossensibus scribens, ait: *Adimpleo ea, quæ desunt passionib⁹ Christi in corpore meo:* Coloss. 1. v. 24. quo modo loquendi, videtur Sanctus Paulus insinuare aliquem fuisse in Christi passione defectum. *Adimpleo ea, quæ desunt?* O Paule quid loqueris? tu Theologe in ipso cœlo edocte, ubi audiisti *arcana verba?* Quænam est illa scholæ cœlestis materia, quam tu non apprahendisti? nunquid legisti in libro isto, quem vivi sanguinis characteres insignierunt, pretium in ligno crucis oblatum, rigorosissimum fuisse, imò & superabundans? nunquid legisti, sanguinolentam passionem illam omnino completam fuisse & perfectam? Nunquid legisti, principium operationis Christi, divinũ fuisse suppositum, efficiens quamcunque Christi actionem valoris infiniti? quomodo igitur tu vis complementum dare infinito? *Adimpleo ea, quæ desunt.* Nunquid ei, quod est perfectionis infini-

infinitæ, nova poterit ſuperaddi perfectio? Ita, dicit ſanctus Paulus, & liberè affirmo: redemptio & ſanguis Chriſti fuit valoris infiniti; ſed ut actualiter & realiter ſit efficax, requirit hanc manum operatricem, opus habet hoc amante corde & omnibus corporis mei partibus cooperantibus; & ut clarius eloquar: ſanguis Chriſti fuit quidem ſufficientiſſimus ad ſalvandos omnes; non tamen ideo fuit efficaciſſimus pro omnibus; quia non omnes illi, pro quibus Chriſtus ſangninem effudit, ſalvantur; quandoquidem mortuus eſt Chriſtus pro Juda & malo latrone, quorum tamen neuter ſalvatus fuit, quia ſcilicet ne unicam quidem lacrymam adjunxêre ſanguini Chriſti, vel unica enim ſtilla ſufficiens fuiſſet ad complendam paſſionem Chriſti. Concludere itaque poſſumus, ſanguinem Chriſti ſine lacrymis ſufficientem quidem eſſe, at non efficacem; cum lacrymis verò, non modò ſufficientem, ſed & efficacem eſſe pro omnibus; id quod ipſemet Chriſtus per Prophetam ſuum atteſtatur, dicens: *Quotieſcunq; ingemuerit peccator, eius peccatorum non recordabor amplius.*

XXII. Modò facile erit intelligere ſenſum D. Auguſtini, dicentis, quòd *lacryma eſt vicaria paſſionis Chriſti.* Lacryma paſſionis & ſanguinis Chriſti vicariam agit, qui poteſt ſupplere & complementum tribuere ipſi ſanguini Salvatoris; unde & Chriſtus in horto exauditus non fuit,
§. 18. quia in horto magnam quidem profudit ſanguinis copiam, at ſine lacrymis; in cruce autem, *cum clamore & lacrymis*, inquit S. Paulus, *& ideo exauditus eſt pro ſua reverentia.*

XXIII. Ecce pariter rationem, quare de Chriſti latere primò profluxerit ſanguis, & poſtea aqua; quam vos creditis, hanc fuiſſe aquam in pectore Chriſti? forte aqua fuit ordinaria! minimè equidem; fuit aqua lacrymarum, quæ profluentes ab oculis gementibus, reſidentiam ſuam figunt in pectore Chriſti, juxta illud Pſ. Ps. 55. v.
Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo, vel ut Hebraicus textus habet: *in utero tuo.* In pectore ſuo Chriſtus pœnitentium aſſervat lacrymas. Chriſtus in cruce offertorium exequens, Patrem ita alloquebatur: *Suſcipe ſancte Pater immaculatam hoſtiam.* O Pater æterne, ſcio equidem ſanguinem meum infiniti eſſe valoris & ſufficientiſſimum pro redemptione totius mundi, propterea ſi forte ſanguini meo aliqua deeſt efficacia, non habeo pretioſius quidquam, quod tibi offeram, præter iſtas pœnitentium lacrymas, theſaurum cariorem & pretioſiorem ſuper omnia bona, contenta in corde meo. *In oblatione, pro redemptione mundi è latere Chriſti exivit ſanguis & aqua, id eſt, ſanguis & aqua lacrymarum*, inquit S. Cyprianus. Videte, quas S. Cypr.
habeant vires lacrymæ, ut ipſi etiam pretioſo ſanguini Verbi incarnati addant efficaciam.

XXIV. Nunquid & lacrymæ inceſſanter fœcundant Spiritum ſanctum? hoc ipſum adeo verum eſt, ut, ſi per impoſſibile deficerent lacrymæ compunctionis, nec Spiritus ſanctus complete fœcundus foret. S. Paulus ad Romanos ſcribens, ſententiam reliquis annectit adeo ſublimem, ut terminos ſuperet intelligentiæ humanæ, dicit enim: *Spiritus ſanctus poſtulat pro* Rom. 8.
nobis, gemitibus inenarrabilibus. Spiritus v. 26.
ſanctus orat pro nobis cum gemitibus & planctibus. Theologi, quid aſſerunt Ariani & Macedoniani? dicunt hæretici iſti Spiritum ſanctum non eſſe Deum; ſed cui innituntur fundamento? præſenti textui ſancti Pauli; quia poſtulans ſemper eſt

est inferior illo, qui rogatur; & qui plangit, defectum patitur; qui patitur defectum, non est beatus; qui autem non est beatus, nequit esse Deus; si igitur Spiritus sanctus orat & plangit, consequenter non est Deus. O Paule, quid dixisti? si Spiritus sanctus plangit, quid opponemus hæresi Arrii & Macedonii? communis S. P. mei Augustini & aliorum infinitorum Doctorum responsio est, quòd Spiritus sanctus non plangat, sed auxilietur nobis, ut cum fletibus Deum precemur; *Non est Spiritus sanctus, qui postulat cum gemitibus, sed ipse cum auxiliis gratiarum nos postulare & gemere facit.* Responsio ista sicuti dimanat à scientiatũ fonte, ita & perpetuæ laudis meretur coronam: ego nihilominus scire cuperem, quid Spiritum sanctum impellat, ut faciat nos plangere? quo fine vult, ut lacrymemur? Creditisne ô Auditores! Spiritum sanctum tribus gaudere sponsis? prima est virgo Maria, secunda est aqua baptismalis, & tertia est aqua lacrymarum. Si autem me interrogaveritis, quænam harum trium Spiritui sancto sit gratissima? respondebo, quòd aqua lacrymarum.

S. Aug.

§. 27.

XXV. Observastisne privilegia aquæ, in principio mundi? servivit ipsa in rhedam Spiritui sancto: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Idem quoque nomen Mariæ Virgini attributum fuit, primæ Spiritus sancti sponsæ; *Congregationes aquarum vocavit Maria.* Quæ differentia inter hoc nomen *maria & Maria*? tantúm unius accentus. Tandem in baptismo electa fuit in matrem filiorum adoptivorum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei.* Quare Spiritus sanctus non contentus Mariam possidere sponsam, insuper quoq; cum aqua baptismali desponsare voluit?

Gen. 1. v. 2.

v. 10.

Jo. 3. v. 5.

XXVI. Auxiliemini mihi vos ô Patres Theologi: estne Spiritus sanctus intra ipsam Trinitatem fœcundus? non; sed potius omnino sterilis, quia ad intra nequit se communicare propter excellentiam mysterii. Quomodo? inquit quasi Spiritus sanctus, ego generationum author perpetuò sterilis ero? *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero?* Bene itaque; quandoquidem non possum me communicare ad intra, ad minus ad extra volo me desponsare cum Virgine Maria, in visceribus cujus potero efformare humanitatem Christi, veri Dei. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Quia autem in utero Mariæ, non nisi semel humanitatem Filii Dei formare potero; ideo quoque, ad conservandam fœcunditatem meam & fovendam constanter, cum aqua baptismali me desponsare volo, per quam tot potero generare adoptivos filios Dei: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit regnum Dei.* Quid ais ô divine Spiritus? baptizatus si cadat in peccatum mortale, mortuus est quò ad vitam spiritualem, neque potest rebaptizari de novo, neque renasci ad gratiam; quid tunc igitur facies ad conservandam fœcunditatem tuam? quomodo? respondet Spiritus sanctus: cum tertia sponsa me desponsabo, scilicet cum aqua lacrymarum, vi cujus æternam potero fovere fœcunditatem meam, quia si perpetuò fluxerit aqua lacrymarum, perpetuò per eandem generare potero filios Dei.

Isa. 66. v. 9.

XXVII. Ecce vobis causam, cur *Spiritus sanctus nos postulare & gemere facit.* Conatur Spiritus sanctus, ut Christianum faciat plangere, ut æternaliter suam foveat fœcunditatem; quòd si deficerent lacrymæ, remitteret pariter, imò planè §. 24.

planè interiret fœcunditas Spiritus ſan-
cti.

XXVIII. Quia ergo aqua lacryma-
rum nutrit Spirtus ſancti fœcunditatem,
ideo Spiritus ſanctus per aquam iſtam
præſtat id, quod neque per primam ſpon-
ſam, ſcilicet Mariam, neque per aquam
baptiſmalem præſtare valet. Quid ergo
facit? primò confert animæ lacrymanti
omnem illam gratiam, quæ confertur ba-
ptizatis in ſancto baptiſmo; ita nos do-
S. Leo. cet S. Leo de lacrymis D. Petri, dum ait:
*O ſancte Apoſtole, felices lacrymæ tuæ, quæ
ad diluendam culpam negationis, virtutem ſa-
cri habuêre baptiſmatis.*

XXIX. Imò majorem confert gra-
tiam Spiritus ſanctus per aquam lacryma-
rum, quàm per aquam baptiſmalem. Au-
S. Ber. ſen. dite S. Bernardinum Senenſem ſerm. 1.
in octavam Paſchatis: *Puriores aliquando
exeunt mentes ab aqua lacrymarum, quàm
aqua baptiſmali; nam hæc ſolam primam
gratiam communicat, illa autem & primam
reſtituit, & novam inſuper infundit, eòque
largiorem, quo ardentior fuerit cordis affectus*

XXX. Deinde offert ei & palmam
S. Chryſ. martyrii, juxta quod S. Chryſoſtomus hi-
ſce verbis docet: *Si grandis eſt gloria Mar-
tyrum, cum hi pro Chriſto ſanguinem fundunt;
non eſt minor gloria peccatorum, cum hi pro
Domino lacrymas ſpargunt.* Nunquid la-
crymæ ſunt cordis ſanguis? ita ſanè. Er-
go plangere ex dolore propter offenſum
Deum, idem eſt, quod profundere ſangui-
nem pro Chriſto.

XXXI. Denique impertit illi ingen-
tem particularium gratiarum cumulum,
cum palma virginitatis, primasque ei de-
fert ſuper omnes pœnitentes. Dicite mi-
hi: fuitne Magdalena, Virgo? nequaquam,
pater; ſed publica fuit meretrix: *Erat in
civitate peccatrix.* Fuitne martyr? neque
hoc; ego nihilominus vobis hodie proba-
bo, Magdalenam non modò fuiſſe Vir-
ginem & martyrem, ſed omnium etiam
Virginum & martyrum primam. Obſer-
vaſtiſne aliquando, quo loco in litaniis
Sanctorum ponatur Magdalena? ante o-
mnes virgines & martyres Eccleſia invo-
cat Mariam Magdalenam. *S. Maria Magda-
lena ora pro nobis, ſancta Agatha prò nobis. &c.*
O Eccleſia ſancta, nonne Magdalena pub- *§. 33.*
lica fuit meretrix? ita; fuitne Martyr? non,
quomodo igitur numeratur inter virgines
& martyres, imò prima omniũ exprimitur;

XXXII. A meretrice tranſeamus
ad perjurum. O Petre dicebat Chriſtus,
mala nuncia: *In hac nocte, antequam gallus* *Matt. 26.*
cantet, ter me negabis. Nequaquam, re- *v. 34.*
ſpondebat Petrus; ſed Domine do tibi fi-
dem meam, quòd, etiamſi eſſem dividen-
dus in tot & tot partes, nunquam tamen
abnegabo te: *Etiamſi oportuerit me mori te-* *v. 35.*
cum, non te negabo. Sufficit, reſumebat Chri-
ſtus, res longè accidet, quàm tu dicas, ad
minus tibi recommendo alios Apoſtolos.
conſodales tuos: *Et tu aliquando converſus,* *Luc. 22.*
confirma fratres tuos. O Domine, igiturne *v. 32.*
ovem concredis lupo? Si Petrus, ut dicis,
perjurus futurus eſt, quomodo illi com-
mittis gregem tuum? *Si domui ſuæ præ-
eſſe neſcit, quomodo præeſſe poterit Domui ali-* *1. Tim. 3.*
enæ? Verum eſt, inquit Chriſtus, Petrus *v. 5.*
quidem me negabit; ſed & inſuper certum
eſt, quod Petrus poſt peccatum ſeſe reſol-
vet in planctus; in virtute autem lacryma-
rum, Petrus non modò totum hoc, quod
peccando amiſit, recuperabit, ſed etiam
primus evadet in collegio apoſtolico, ide-
oque ipſi gregem meum recommendo:
Vide, quantum fletus profuit Petro, inquit
S. Ambroſius lib. de pœnitentia Petri, *S. Amb.*
*antequam fleret, lapſus eſt; poſtquam flevit,
ereptus eſt, ante lacrymas prævaricator exiſtit,*

qui

qui post lacrymas est Pastor assumptus, & alios regendos accepit, qui antea seipsum non rexit.

XXXIII. Quare Magdalenæ primus in litaniis obtigit locus, supra omnes virgines? quia scilicet ipsa, quantumvis publica fuisset meretrix, nihilominus peccatū suū postea amarissimè deflevit ad pedes Christi: *Lacrymis cepit rigare pedes ejus*; inq; virtute hujusmodi planctus, effecta est virgo Dei, imò sponsa Spiritus sancti. Audite S. Joannem Chrysostomum: *Accessit meretrix, & facta est virgo; accessit lugens, & facta est prima virgo*,

§. 31.

Luc. 7. v. 38.

S. Chrys.

XXXIV. Quid ultra de lacrymis dici poterit; Thesaurus sunt sanctissimæ Trinitatis, tanti existunt pretii & valoris, ut potentiā addant omnipotentiæ ipsius æterni Patris, efficaciā præbeant pretioso sanguini Filii & fœcunditatem foveant Spiritus S. Hocq; ipsū fuit, quod Magd. hodie obtulit Christo donum. O beatū te peccatorem, ô felicissimam te peccatricem! in peccatone estis? ita pater; vultisne ad pristinum innocentiæ statum redire, omnemque, quam peccando perdidistis, gratiam recuperare? non exigo ego lacrymas apparentes, non curo extrinsecos planctus, utpote qui rarò sunt propter Deum; sed volo lacrymas compunctionis, planctum cordis requiro: quid est planctus cordis? est detestatio peccati, odium dæmonis, dolor propter Deum offensum, firmum ptopositum non peccando amplius. Talis planctus, sanctissimæ Trinitatis est thesaurus, infernū exstinguit, novumq; tibi construit Paradisum; talis fletus, efficaciam addit sanguini Christi, & partialiter cooperatur redēptioni tuæ. Gemitus hujusmodi fœcūdū efficit Spiritum sanctum, ut indesinenter divinis suis gratiis te locupletet: da tu quoque hodie cum Magdalena munus aliquod Christo; si autem lacrymas careas compunctionis, compara tibi lacrymas pauperū istorum, lugentium propter extremam suam necessitatam, da iis eleemosynam largam. Si porro audire optatis, quod donum CHRISTUS impertierit Magdalenæ, tantisper respiremus.

PARS SECUNDA.

XXXV. Cras mors Christi determinatur in duobus collegiis; scilicet in concilio Pharisaico, ubi statuitur: *Expedit, ut unus moriatur homo*: & altero, consistorio sanctissimæ Trinitatis; ubi pariter decernitur: *Expedit, ut unus moriatur homo.* Primum consilium fundatum est in odio, secundum in amore; nos examinabimus, ubi primas ferre debeamus, an malitiæ & iniquitati Pharisæorum, an verò bonitati & justitiæ sanctissimæ Trinitatis.

XXXVI. Postquam cognovimus excellentiam muneris, quod Magdalena obtulit Christo, videamus nunc etiam breviter, quid doni Christus dederit Magdalenæ. Quid donavit Christo Magdalena? potum lacrymarum: *Lacrymis capit, &c.* Quid est lacryma? est thesaurus locupletans personas sanctissimæ Trinitatis, prout jam vidimus. Quid autem Christus retribuit Magdalenæ? dum eam admisit ad oscula divinorum pedum, suum ipsi corpus sub specie carnis communicavit: *Beata, quæ Christum in carne gustavit.* Quanti pretii fuit donum istud? quare Christus Magdalenæ non aliud obtulit donum, præter solam carnem suam? pro dubii hujus solutione, necessum est ut videamus, quòd anima lacrymās, dū sacratissimo Christi corpore cibatur ac pascitur, vivere desinat vitâ humanâ, & vivere incipiat vitâ Christi, quòdque vivendo Christi vitâ,

fiat domus & habitatio sanctissimæ Trinitatis, ita ut evadat veluti quidam Paradisus gloriæ.

XXXVII. Nescio, Domini mei Ecclesiastici, si quandoque observaveritis illam ab Ecclesia sancta, in sacrosancto missæ sacrificio, præceptam cæremoniam. Oblaturus sacerdos sacrificium, postquam imposuit calici vinum, jubet Ecclesia pauculas quoque admisceri guttulas aquæ; quænam est cæremonia ista, ô Sapientes? scitis utique aquam non esse necessariam *necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti*. Si quis consecraret solum vinum, sine ulla admixtione aquæ, peccaret quidem mortaliter, utpote agens contra præceptum Ecclesiæ, nihilominus verum conficeret sacramentum; quam veritatem Theologia manifestè docet, quia materia proxima sanguinis Christi, *est solum vinum vitis*; ita ut, si non esset in calice *vinum vitis*, & foret qualiscunque demum alius liquor, nunquam tamen perfici posset sacramentum; cur itaque & aqua in calice superadditur vino?

XXXVIII. Difficultas ista Patribus Theologis ansam præbuit, difficilem admodum in Theologia movendi quæstionem, nimirum: an aqua, calici imposita, primò convertatur in vinum & postea in sanguinem, an verò immediate in sanguinem, absque eo quod ullatenus antea convertatur in vinum? qua in controversia, è duabus sententiis, famosissimis utrimque, probabilior est illa, quæ sustinet aquam nunquam posse converti in sanguinem, nisi prius conversa fuerit in vinum, quia materia proxima, ut paulò ante diximus, *est vinum vitis*; ergo impossibile est, aquam converti in sanguinem, nisi prius fuerit conversa in vinum; conversa autem in vinum, vi consecrationis taliter convertetur in sanguinem; ut post consecrationem nec aquæ nec vini supersit substantia, sed solius sanguinis. Ita inquit S. Paschasius lib. de corp. Domini: *Quamvis aqua & vinum misceantur simul; post consecrationem tamen non bibitur, nisi solus sanguis.* S. Pasch. l. de corp. Dom.

XXXIX. Ecce vobis conceptum quendam, nulli non futurum gratum. Aqua significat populos: *Aquæ multæ populi multi sunt & gentes*, inquit S. Joannes c. 3. Apocalypsis, vinum autem significat statum pœnitentiæ, lacrymarum & doloris; atque ideo, cum David Deum depingere vellet, tanquam vindicem peccatorum, depinxit illum cum calice vini in manu, ex quo potum præbeat peccatoribus: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.* Apoc. 17. v. 15. Ps. 74. v. 9.

XL. Nunc ad propositum: sicut aqua, nisi conversa in vinum, nunquam convertitur in sanguinem; ita quoque Christianus, nisi ante communionem, convertatur in vinum lacrymarum & doloris, nunquam virtute communionis transmutabitur in carnem Christi: si verò homo sese converterit in vinum pœnitentiæ, utique transmutabitur in Christi carnem. Et sicuti aqua conversa in vinum, per consecrationem ita convertitur in sanguinem, ut post consecrationem nec aqua nec vinum, sed solus remaneat sanguis Christi; ita & Christianus, qui ante communionem conversus est in vinum contritionis, vi communionis, ita convertetur in veram Christi carnem, ut post communionem vitâ desinat vivere humanâ, & vitam inchoet Christi; prout idem nobis tradit S. Paschasius, inquiens: *Et quæ major securitas, quàm ad propriam substantiam orare, eamque in Domino venerari,* S. Aug.

atque per unitatem personæ confidenter dicere: ô Domine, memorare, quòd mea substantia es. Et Algerus clarius ait: *cum vino aqua miscens in calice, Christo populus adunatur, copulatur & jungitur.* Postquam autem anima lacrymans, communionis effecta particeps, vivere cœpit vitâ Christi, ad quem creditis ipsam statum sublevatam esse? Domicilium efficitur sanctissimæ Trinitatis, veraciter potens denominari Paradisus gloriæ. Vultisne evidentiam? dicite mihi, quid est Paradisus? *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Est habitatio, ubi in visione sanctissimæ Trinitatis, fruitio habetur omnium bonorum desiderabilium. Subsistite. Deus an in Trinitatis, an verò in Eucharistiæ mysterio liberalior existit? quantumvis in Trinitate Pater æternus medio intellectu, communicet Filio divinitatem & attributa, non tamen communicat illi paternitatem: *Omnia Pater communicat Filio, exceptâ paternitate.* Iterum, licet Pater & Filius mediâ voluntate, Spiritui sancto communicent divinitatem & omnes perfectiones absolutas, non tamen illi communicant proprietates.

Alger. | Pasch. l. de corp. Dom. | Apoc. 17. v. 15. | Ps. 74. v. 9.

XLI. In sacramento autem Eucharistiæ, quanta sese non insinuat Verbi divini incarnati prodigalitas? quia *ex vi verborum*, est in hostia humanitas Christi, id est, caro & sanguis; *per concomittantiam* est anima; *ex vi unionis hypostaticæ*, adest persona Verbi, quia caro, sanguis & anima Christi hypostaticè uniuntur divino supposito. Ubi autem est persona Verbi, necessariò etiam est ibidem persona Patris, vi relationis & circuminsessionis. Unde dicit Sanctus Augustinus: *Totus Pater in Filio & Spiritu sancto est; totus Filius in Patre & Spiritu sancto est; totus quoque Spiritus in Patre & Filio est; nullus illorum extra quemlibet ipsorum est.* Quando igitur anima lacrymans communicat, domus efficitur totius sanctissimæ Trinitatis; quia autem habitatio sacratæ Triados, Paradisus est gloriæ, hinc anima, quæ vi communionis, vitam inchoat Christi, efficitur Paradisus. Nequaquam ausus fuissem dicere tam augusta, nisi Angelicus Doctor opusc. 58. jam ante me instruxisset angelicis istis Verbis: *Eucharistia facit animam, quasi Paradisum Dei.* Itane? Eucharistia facit animam, quasi Paradisum Dei?

S. Aug.

XLII. Ecce rationem, quare Christus suum dederit Magdalenæ corpus sub specie carnis? nunquid Magdalena Christo dederat potum lacrymarum, thesaurum Paradisi, ipsas locupletantem sacratas personas? ita. Dicit igitur Christus: detur Magdalenæ caro mea, vi cujus illa vitam vivendo divinam, habitatio efficietur sanctissimæ Trinitatis, & vivus Paradisus gloriæ.

XLIII. Vos modò resolvatis dubium principale, ô ingenia docta, & concludatis; quòd si magnum fuit lacrymarum donum, quod Magdalena obtulit Christo, nequaquam inferius fuisse donum communionis, quod Christus impertiit Magdalenæ.

XLIV. Quid restat ô dilectissimi? tune ô vir Deum offendisti? ita Pater; tune mulier quandoque incidisti in peccatum istud, quod suo tempore admisit Magdalena? ita Pater; agedum, ne confundaris, ne despondeas animum; vis fieri paradisus gloriæ? fac, ut profluat è corde tuo lacryma compunctionis, detestare cordialiter vitam tuam præteritam, fac propositum, nunquam amplius offendendi DEUM; cum tali dispositione confitere peccata tua, & post

confessionem, vade ad communionem, tenens pro indubitato, quòd vi lacrymarum compunctionis, non modò impetrabis donum pacis & remissionis: *Vade in pace, remittuntur tibi peccata tua.* Sed insuper recipiendo sacram communionem, vives vitâ Christi, existensque sanctissimæ Trinitatis statio, evades perfectus paradisus gloriæ; imprime verba hæc cordi tuo, & vade in pace.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

DIE VENERIS, POST DOMINICAM V. Quadragesimæ.

DISCURSUS

De malitia concilii Pharisaici & bonitate Consistorii cœlestis.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, ut interficerent Iesum. Ioa. 11. v. 47. 53.

PROBLEMA

Utra sit major dicenda; iniquitas scilicet ac malitia concilii Pharisaici; aut verò justitia & bonitas Consistorii cœlestis?

INTRODUCTIO.

I.

SI ullo unquam die res audivistis mirabiles, hodie profectò materia sese insinuat stuporis infiniti. Mortales secundùm animam mortui, & quo ad corpus corruptioni vicini, cum deberent cogitare & consultare de acquirenda vita, consilium ineunt de morte. Sunt mortui Judæi, sed redire possunt ad vitam, & nihilominus conspirant cæci in mortem vitæ suæ. Nemo non desiderat vitam, omnes oderunt mortem; & tamen vivi, qui viventes sunt mortui, intendunt eum privare vitâ, qui imperium destruit mortis, ut liberam impertiat vitam mortuis. O indigni vitâ! cum vitæ fontem exstinxeritis, quæ vita non cedit morti in prædam? dum mortem vitæ intentatis, vobis ipsis consiliarii pessimi mortem acceleratis. Ut vos vivatis, vitam ipsam perimitis? moriemini vos, &

& non morietur vita; hæc plus vivet moriens, quàm vixerit vivens; quia ex Christi morte orietur vita, ut nunquã amplius vita transeat in mortem; vos mortui remanebitis, inimici vitæ, qui in isto concilio vestro de nulla re tractatis, præterquam de morte. *Doleat imo lugeat* (exclamat magnus ille Ecclesiæ Pontifex Cœlestinus primus Epist. 7. ad concilium Ephesinum) *lugeat nobiscum omne collegium, vocatur ad judicium, qui indicaturus est mundum.* Judicatus est reus & dignus morte ille, qui judicabit vivos & mortuos.

Cœlest. 1. ep. 7.

II. Subsistamus tantisper ô Auditores mors illa, quam hodie contra Christum decrevit concilium Pharisaicum, nunquid etiam in cœlo determinata fuit à sanctissimæ Trinitatis consistorio? ita; unde & illud *Expedit*, quod hodie protulit Caiphas, jam ante pronunciatum fuit in cœlo: ideoque dicit Evangelista, quòd *Caiphas hoc non dixit à semetipso; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Fuit hæc Caiphæ prophetia, quia mors Christi prius in cœlis, quàm in terris decreta fuerat. Duo igitur potentes adversarii hodie insurgunt adversus Christũ, sed diverso ex motivo & fine; Pharisæi namq; ex odio, Sanctissima Trias ex amore. Odium passione excæcatũ molitur, ut innocentiam in prædam cedat peccatoribus; amor, teneræ campassionis agente impulsu, disponit, ut maximum totius mundi peccatum, in redemptionem serviat generis humani; odium impura movet Caiphæ labia, ut iniquam fulminat sententiam: *Expedit, ut unus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Amor viscera emollit divinarum personarum, ut admirabili cum inventione, mendacium convertat in veritatem, acclamationes temerarias in oracula cælestia, & blasphemiam in prophetiam. Tandem hodie duo convocata sunt collegia, & utrumque sententiam mortis fert contra Christum; unum est concilium Pharisæorum, alterum est sanctissimæ Triados consistorium; illud est iniquum, pessimum & diabolicũ, hoc autem sanctum, justum & bonum. Utrum præexcellere dicemus? an Pharisaicum in malitia sua & iniquitate, an verò divinum in justitia & charitate? Reus quicunque ad mortem condemnatus, in oratorium aliquod introduci solet, ubi omnes conveniunt ad confortandum eum & consolandum; quandoquidem igitur & Christus à cœlo & terra sententiam mortis accepit, tanquam moribundus traducetur in sacellum. In spectaculo itaque adeo lacrymabili, quemadmodum oculi obruendi sunt lacrymis, ita quoque lingua intra os liganda est cum silentio. Incipiamus.

Joan. 18. v. 14.

III. Curiosè indagaturi, utra dicenda sit major, an malitia concilii pharisaici, an verò justitia consistorii divini; videamus primò illa motiva, propter quæ Pharisæi Christum condemnarunt ad mortem. Quid dicunt hodie præsides concilii Pharisaici? *Quid facimus*, dicunt primò, *quia hic homo multa signa* facit? & mox subjungunt; *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Et tandem omnes cum Caipha concludunt: *Expedit, ut unus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Tres istæ rationes videntur mihi ex inferno derivatæ, & pestiferum esse dæmoniorum semen. Incipiamus à prima. Quid dixerunt primo loco? *Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit?* O popule impie! ergone Christum occides, quia miracula patrat? subsistatis mecum ô Auditores! Recipere beneficiũ, & non recompensare illud, malum est; recipere beneficium, & oblivisci ejusdem, pejus est; recipere bene-

beneficium & negare illud, adhuc multò pejus est; at receptum beneficium convertere in arma offensiva sui benefactoris, hoc ipsum supplicia meretur mille infernorum. Transeamus ad probationem. Christus apud S. Joannem, loquens de peccato Judæ, magnam quandam subinfert subtilitatem, dum ad Apostolos conversus ait: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* Est unus inter vos tantæ impietatis, ut me scelerate sit traditurus. Sed quomodo faciet? eriget se in pedes contra me S. Thomas textum hunc considerans, principium peccati Judæ investigat, & concludit, illud fuisse avaritiam; ubi autem terminus? in osculo, dicit idem Sanctus Doctor, taliterque discurrit; si principium peccati Judæ fuit mala voluntas, & osculum finis illius; quare Christus duntaxat lamentatur de pedibus? *Levabit contra me calcaneum suum.* Respondetque ipsemet Angelicus præceptor: sciendum, Judam à Christo omnibus beneficiis cumulatum fuisse; fuit illuminatus in intellectu in ordine ad prædicationem, electus ad principatum apostolicum, tantis dotatus gratiis gratis datis, quà ejiciendo dæmones, quà faciendo miracula; thesaurarius effectus collegii apostolici; summum autem & maximum beneficium ei Christus præstitit, quando in cæna genuflexus ante illum, lavit pedes ejus, tantâque cum teneritudine illos osculatus est & absterfit: ita ut pedes Judæ honorem acceperint super omnes creaturas, etiam angelicas. Dicit itaque Christus: quòd os Judæ me osculetur, ut tradat, transeat; quòd voluntas ejus moliatur peccatum adeo horrendum, transeat; sed quòd pes Judæ, osculo divino honoratus, insurgat contra ipsum Deum, quod beneficia recepta convertantur in arma offensiva benefactoris, hoc ipsum mihi viscera transfigit; hanc malitiam sufferre nequeo, actus ille infernos mille meretur. Est hicce conceptus cujusdam insignis Scriptoris in expositione dictorum verborum, ita inquientis: *De pede conqueritur Jesus, qui tenerè osculatus à Domino, contra Dominum temerè est levatus.*

Ioa. 13. v. 18.

IV. Nequaquam adeo subitò pertranseamus temeritatem Judæ, à pedibus gradiamus ad os ejus sacrilegum, in quo reperiemus bolum quidem cœlestem, sed ab impio exceptum modo perverso, inque finem horrendum. Sciebat Christus in cæna pessimam Judæ intentionem, nequaquam tamen impiissimum traditorem punire præsumpsit, quin potius in tempore distribuendæ communionis, sicut reliquis, ita & Judæ suum Christus dispensavit corpus & sanguinem, quo recepto, confestim diaboli effectus est mancipium: *Cum accepisset ille buccellam, intravit satanas in Iudam.* Supponendum esse monet in præsenti S. Anastasius Sinaita, dæmonium non intrasse corpus Judæ, in despectum hostiæ sacræ, sed potius ut castigaret sceleratum Judam: *Introivit in eum Satanas, non ut panem sanctum despiceret, sed ut eum, qui sumpserat, redargueret.* Hìc mihi dubium suboritur, judicio meo difficile inprimis: utrum fuit flagitium majus, indigna Judæ communio aut traditio? citra omne dubium, magnum fuit delictum, communicare Judam indignè; sed impietas, quâ verum tradidit Deum, longè major fuit; quia hujusmodi traditio multa simul alia peccata includit; nimirum Simoniam, quia rem sacram vendidit pro pecuniis; avaritiam, dum pluris fecit aurum, quam personam Christi; propter quam etiam causam dici potuit idololatra.

Ioa. 13. v. 27.
S. Anast. Sin.

Quare

Quare itaque punitus fuit Judas, dum communicaret indignè; non verò, quando perpetravit traditionem. Pro insignis conceptus responso, duo necessariò præmittenda occurrunt; primum est, noluisse Judam attentare traditionem, nisi præmissâ communione, teste Evangelistâ, dum ait: *Cum accepisset ille buccellam, continuò exivit.* Secundum, quod notandum occurrit, est; Judam non voluisse communicare, ut suam ditaret animam pretioso illo dono, sed potius ob finem perversum. Quis autem fuit finis iste perversus? notate; intellexerat ille per S. Joannem: *Qui manducat hunc panem, unus spiritus fit cum eo.* Itane? dicebat Judas, ergo comedens panem istum, evadit Deus? optimè ad intentum meum; nunc tempus est exequendi intentionem meam; volo communicare, edendo namque panem istum, fiam DEus; sicque mihi facile fuerit vendere & malè tractare CHRISTUM magistrum meum. O traditor infamis, ergone communionem accipis, ut beneficium hoc in offensam convertas tui benefactoris? Hoc totum est diabolicum opus, vade ô satan & intra in maledictum illud corpus; ideoque S. Anastasius Sinaita dicit: *Ad perditionem voluit uti buccellâ, quam sumere debuit ad salutem.*

Ib. v. 30.

Joa. 13. v. 27.

S. Anast. Sin.

V. Recipere beneficium, in ordine ad offensam benefactoris, actus est adeo horrendus & abominabilis coram divinis oculis, ut, si Christus nunquam fuisset mortuus, vel solum hocce peccatum sufficeret ad perimendum eum. Poteritisne mihi dicere, quid Christo causaverit mortem? crediderim ego, quòd fuerit venerandus ille titulus: *JEsus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Ita namque ipsemet Christus, per os Davidis asserit, inquiens: *Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt, & supra dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Quem dolorem Christo superaddidêre Judæi, post tot vulnera & plagas? S. Leo in Serm. de passione Domini, respondet, dicens: *Addiderunt titulum superpositum.* Vultisne dignoscere dicti veritatem? dicite mihi, quando Christus est mortuus? certum est, quòd *quando emisit Spiritum.* Quando autem tradidit spiritum? quando caput suum inclinavit: *Inclinato capite emisit Spiritum.* Quare inclinavit caput? quia illi appositus erat titulus iste: *JEsus Nazarenus.* O Domine mi, venerandus iste titulus, qui potius gaudium tibi & satisfactionem afferre debuisset, mortem tibi conciliat? ita; pro hujus autem intelligentia, tantisper viam præteritam relegamus. Cur Christus per totum passionis suæ tempus, tot inter tormenta, ne quidem os suum aperuit? ad unius autem alapæ injuriam adeo conquestus fuit? difficultas consistit in eo, quòd Christus apud sanctum Matthæum jam ante præmiserat, dicens: *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & alteram.* Domine, in præsenti ego meritò cum S. Augustino meo dixerim: *Cur tu non fecisti, quod toties docuisti?* Si tu nobis persuades, ut unâ maxillâ percussâ, præbeamus indilatè & alteram, quare ergo tu propter unicum colaphum ita ingemiscis? Respondet Rupertus Abbas, alapam hanc adeo fuisse crudelem, Christoque pœnosam, ut ei pro integra sufficeret passione: *Dat se percutienti maxillam, saturatus est opprobrijs.* Quomodo? profectò sicut Christ⁹ habuit voluntatē patiendi infinita probra, consequenter ad saturandum eum opprobriis, necessaria fuit infinitas opprobriorũ, at unica alapa quomodo eum saturare potuit opprobriis? illa

Psal. 68. v. 27.

S. Leo

5. 7.

Matth. 5. v. 39.

Thren. 3. v. 30.

la fortasse tormentum fuit infinitum? sique ita est, undenam habuit alapa ista, ut infinitum Christo causare potuerit dolorem;

VI. Necessarium est in præsenti, adhuc uno alio gradu retrocedere. Juxta evangelium S. Joannis, miserunt quâdam vice Principes & Pharisæi ministros ad
Ioan. 7. v. 32. compræhendendum JEsum: *Miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut appræhenderent Iesum.* Abeuntes satellites, invenerunt Christum prædicantem in templo, tanta cum gratia, ut ipsimet ministri admirantes ad invicem dicere cæperint, unus ad alterum: ô qui Sermones sunt isti,
v. 46. quæ in verbis gratia? *Nunquam sic locutus est homo.* Mandate hoc ipsum memoriæ vestræ ô Auditores! Successit postea, ut Christus sisteretur Caiphæ, à quo de doctrina sua, quam prædicaverat, interro-
Ioan. 18. v. 21. gatus Salvator, respondit: *Vt quid me interrogas? interroga illos, qui me audierunt.* Ecce præsentes, qui doctrinam meam audierunt, illos require. Tunc minister quidam, Malchus nomine, elevatâ manu, *dedit alapam Iesu.* Quare colaphum istum Christo impegit satelles? scitisne, quare? quia Christus dixerat: *Interroga illos, qui me audierunt:* Quomodo? nonne veritatem dixit Christus? ita; certum namque erat, multos ibi astare præsentes, qui doctrinæ ejus interfuerant; imò ipsemet Malchus ante dixerat: *Nunquam sic locutus est homo.* Ideo ergo Christo alapam dedit, quia Christus veritatem asseruerat. O, dicit Christus, ergone propter veritatem cædor? ergone beneficium in arma convertitur contra ipsum benefactorem? Alapa ista propter veritatem mihi inflicta, adeo mihi accidit pœnosa, ut eam æquivalere censeam passioni integræ, & sufficientem reputem, quæ me saturare possit opprobriis.

VII. Ecce vobis causam, quare Christus exspiraverit ad titulum dictum: *JEsus Nazarenus &c.* Cur etenim titulus iste cruci affixus fuit? interrogemus Evangelistas, quid dicunt ipsi? *Posuernt causam ipsius scriptam.* J. N. R. J. Causa, propter Matth. 27. v. 37.
quam Judæi crucifixerunt Christum, fuit quia erat Jesus. Heu mihi, ait Christus, ergone morior, quia sum Jesus? mori debeo, quia Salvator sum? vel hoc ipsum solum sufficiens est, ut occidat me. Et ideo *inclinato capite tradidit spiritum.* Addiderunt, inquit S. Leo, *titulum superpositum, & pro causa mortis posuerunt, verè super dolorem vulnerum addiderunt.* Ioan. 19. v. 30. S. Leo ser. 8.

VIII. Vultisne, ut primum hoc terminem punctum? inter omnia peccata, quæ humana potest admittere fragilitas, nullum magis divinum irridat f[illegible]orem, quam si quis beneficium receptum in arma convertat offensiva sui benefactoris. Peccavit populus Israëliticus, adorando serpentem æneum in deserto, nihilominus Deus propter hoc peccatum non legitur graviter admodum offensus. Peccavit idemmet populus adorando vitulum aureum; adeoque Deus exarsit in iram, ut, nisi Moyses hisce verbis sese interposuisset: *Aut parce populo huic, aut dele me de libro vitæ;* Deus sese resolverit, omninò annihilare populum istum. Exod. 32. v. 32.
Cur Deus tantam non concepit iracundiam, quando populus æneum adoravit serpentem? utrumq; fuit idololatriæ peccatum, cur itaque Deus adeo exarsit adversùs unam transgressionem, & non adversùs alteram? præmittamus succinctè, si placet, historiam facti. Cum populus Israëliticus adhuc existeret in servitute Ægyptiaca, sub specie celebrandi festivitatem veri Dei: *Petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, vestemque plurimam;* postquam autem au- Exod. 12. v. 35.

ro &

ro & argento jam onerati essent, Deus iis, ut secederent, jussit: *Exierunt cum argento & auro.* Subitò ut ad mare attigerunt,
Psal. 105. 9. Moyses divisit aquas: *Divisum est mare & exsiccatum est, Filij autem Israël ambulaverunt per siccum.* Videte, quot beneficia Deus exhibuerit populo isti? vix transierant mare, cum ecce tibi, ex dicto auro & argento conflarunt vitulum, eumque adoraverunt ut Deum. O popule ingrate & immemor, ergone per hoc ipsum beneficium, quod tibi contuli, meo injuriaris
S. Chrys. honori? *Meritò,* inquit S. Chrysostomus, *meritò irascitur Deus; nam quod esse debuit occasio servitutis, factum est materia irreverentiæ.*

IX. Dic modò mihi ô Christiane, quis tibi dedit illam substantiam, quam possides? Deus. Optimè dixisti; quomodo autem illam impendis? Pater aliquando in lusus, aliquando cum scortis. O scelerate, ergone quod tibi Deus dedit bonum, in offensam Dei convertere præsumis? cave, ne te privet Deus omnibus possessionibus tuis, teque mori faciat præ penuria panis. Hæc fuit prima ratio, quare Pharisæi hodie mortem intentarunt Christo.

X. Secunda ratio fundabatur in illo-
Ioan. 11. v. 48. rum interesse: *Ne forte veniant Romani, & tollant locum nostrum.* Interesse? Hoc ipsum verè semẽ est, ex inferno procedens. Quis unquam sufficienter enarrabit mala, orta ex proprio interesse? Si mihi fidem præstare volueritis, asseram, quòd vel solum interesse sit totalis ruina mundi; neque ullum ab homine committatur peccatũ, nisi ob interesse; & ut plurima paucis concludam: interesse legem conculcat naturæ, tumulat legem humanam, pedibusque substernit legem Dei.

XI. Qui vult legem naturæ, vult ut filius honoret patrem, mulier maritũ, soror fratrem. Forsitan interesse hanc legem observat? nequaquam domini mei; unde etenim tot hodie lites & bella? Audite, si placet conjunctionem duplicis textus Scripturæ sacræ. Infirmato Lazaro, Martha & Magdalena scripserunt ad Christum: *Domine, ecce quem amas, infir-* Ioan. 11. v. 3.
matur. Ne turbemini ô fœminæ, respondit Christus; *Infirmitas hæc non est ad mor-* v. 4.
tem. Nihilominus obiit Lazarus; postq; tres à morte dies, venit CHRISTUS in Bethaniam, & ad sorores conversus, ait: *Vbi posuistis eum?* Ubinam Lazarus v. 34.
est sepultus? *tollite lapidem*, sublevate sa- v. 39.
xum istud. Tunc accedens Martha, inquit, jam fætet, Domine, vide ne appropies, quia fætor magnus è tumulo consurget: *Fætet jam, quatriduanus est. ibid.*
Hîc ego non possum non obstupescere, ✠. 15.
cur Martha, tam amans salutis fratris sui, modò nolit eum resuscitari.

XII. Transeamus in Paradisum. Accessit inibi serpens matrem nostram, eamque blandè allocutus, ait: bene, quid agis ô pulchra mulier: cur non comedis de pomo, adeo decoro & venusto? Absit, respondit illa, minimè equidem hoc faciam? Egòne comederem de fructu, qui mihi mortem causat? nunquam id attentabo: *Ne forte moriamur.* Resum- Gen. 3. v. 3.
psit serpens: O quàm tu rudis es & sim- v. 4.
plex, nimiùm decepta, pomum istud non infert mortem, sed potius prolongat vitam; quid dico vitam? imò ipsam largietur divinitatem omni manducanti se: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* ibi, v. 5.
Verissimum dico; neutiquam est ita, ô care serpens; sed tu mihi supplantare intendis; non te decipio, ait serpens, vera dico, tibique fidem facio. Tunc mulier; quandoquidem res ita se habet, bene, quid moror? Dea esse volo, sed inscio penitꝰ marito meo, quia sola volo do-

minari Paradiso. Extendit itaque manum fructum apprehendit, orique imposuit; vix comederat medietatem ejus, cum ecce subitò accurrens ad maritum, obtulit ei, ut manducaret residuum: *Tulit de fructu illius & comedit & dedit viro suo.* Compellor ego in præsenti nonnihil interrogare nostrā Evam. Dic mihi ô bona mulier, duo à te requiro. Estne possibile, te à Deo creatam taliter incivilem, ut non callueris terminos bonæ politiæ? quare tu primò comedis pomum, & postea residuum porrigis marito? si sponsum tuum fructus illius participem reddere volebas, cur non ei primum locum concessisti? Exque hoc primo dubio nascitur aliud, longè majus; si te pomi hujus esu, confestim animadvertisti te deceptam esse, quare vis etiam fallere maritum tuum? gustato fructu, dum oculos tuos aperires, vidisti te nudam, spoliatam omnibus bonis & morti subjectam; quomodo igitur in animum tuum inducis, ut eâdem morte miserum mulctes Adamum? ô maledictum interesse! Intelligens Eva, ab illius pomi esu dependere communicationem Deitatis, talem secum instituit discursum. Quandoquidem fortuna juvat, commoditate fruar: serpens mihi pomum offert, quod mihi conferet Deitatem; ingens sanè stultitia foret, illius esum aspernari. Nihil tamen marito meo insinuare volo, quia *esset idem per idem.* Ambo essemus Deo similes, & ille tanquam maritus, semper haberet superioritatem & præcedentiam super me. Nequaquam, sed ego sola manducabo pomum, sicq; solà ero domina Paradisi, & ipse Adam mihi serviet, mihique subjectus erit; ideoque primò illa infixit fructui dentes. Videns autem postea delusionem suam, heu mihi, ait; ergone sola expellar è Paradiso? Solane ego privata ero omnibus bonis? Nequaquam; duplicata siquidem hæc mihi foret pœna. Quid fecit? abiit cum residua media pomi parte, & maritum inventum, his similibusq; verbis affari cæpit: Dilecte mi sponse, vide qualiter te amem, ut etiam unius pomi medietatem, quod divinitatem impertit omni manducanti se, tibi reservaverim, ecce quàm pulchrum fit & gratum oculis, multò tibi suavius futurum, cum gustaveris illud. Apage stulta, respondit Adam, quomodo fieri potest, ut fructus ille Deitatem impertiat, qui juxta Dei sententiā, origo est mortis; non, respondit mulier, eandem ego feci difficultatem, & serpens amicus meus me assecuravit, quòd iste fructus se solo sit collaturus nobis similitudinem Dei; nonne vides, me comedisse medietatem; age, manduca residuum, & confestim Dii erimus. Hæsitavit aliquantulum Adam intra semetipsum, animoque dubius, varias inter cogitationes, discurrere cæpit: egone manducarem pomum mihi à Deo prohibitū? absit, Deus avertat; ego manducando pomum istud, continuò amitterem justitiam originalem, præterquam quòd surreptum è capite diadema imperii, illud projicerem in terram, futurus infallibiliter exul à regia istâ, vindicaturâ prævaricationem meam apertissimi solis injuriâ, omnibusq; creaturis, etiam sylvestribus feris reverentiam mei commutaturus in odium. Quid amplius? volubilis fierem rota temporis brevissimi, morte futurâ promptâ in perniciem generis humani, imò totius mundi inverteretur ordo propter meū inordinatum appetitū. Et ego te pomo isto manducarem? nunquam id attentabo, imò vel ad solam hujusmodi cogitationem exhorresco. Nihilominus prævaluit affectus, quem gerebat erga mulierem; & videns eam non modò contristatam, sed etiam ingemiscentem, dixit ei, da mihi pomum;

v. 6.

Discursus de Eva, ad pomum invitata.

Discursus idem de Adamo &c.

Et ne constristaretur delicias mulieris, dicit Sanctus Augustinus, comedit fructum prohibitum, nec suam nec totius posteritatis curando perditionem. Unde ortum traxit abyssus tot tantorumque malorum? à maledicto interesse. Audite Moysen Barcepham Episc. Syrum p. 1. bibliothecæ Patrum, lib. de Paradiso: *Cur prius non vocavit Adam, ut ipse prior ederent? quia nimirum ipsa prius transformari cupiebat, & divinitate præire, sicut ipse humanitate præcesserat, ut imperium obtineret.*

Moys. Barc.

Discursus dtm de Adamo &c.

XIII. Ex quibus clarum fiet, cur Martha noluerit resuscitari fratrem suum. Dicit Julius Clarus §. *Testamentum.* quòd, si quis faciens ante mortem testamentum, & deinde moriens, infra duos aut tres à morte dies resuscitetur, quòd, inquam, tunc hæreditas sit nulla per testamentum alienata, sed tota redeat ad testatorem: *Nova quæstio, sed rarò contingens; sicut in Lazaro, qui à mortuis resurgens, suam hæreditatem de jure recuperavit, quia non videtur mortuus, qui tam citò revixit.* Quia igitur Lazarus ante mortem suam fecerat testamentum, hærede universali constitutâ, utrâque sorore; hinc Martha ait: si Lazarus resuscitetur bona mea sinistrum sortientur exitum, testamentum erit nullum, omniaque opus erit restituere Lazaro. Domine mi, ne velis curare de resuscitando fratre meo; quia *Fœtet, quatriduanus est.* Audite P. Labattam: *Martha fratrem suum maximè diligebat, sed cum audisset Dominum dicentem: tollite lapidem; nolebat fratrem reviviscere, ne bona à fratre per testamentum derelicta, iterum fratri restitueret;* nonne ex hisce evidens est, quòd interesse legem destruat naturæ?

§. 11. Iul. Clar.

P. Labatta

XIV. Tollit quoque interesse legem humanam: quisquis enim vult hanc, vult etiam ut delictum castigetur. Hodiene in tribunalibus legis hujus viget observantia? nequaquam; imò potius hodie crimen atrocissimum veste induet speciosâ innocentiæ unicum interesse, plectetque insontes: quid amplius? Princeps aut justitiæ minister, amore sui interesse excæcatus, ipsum quoque vitium præmiat; & passione odii devictus, ipsammet virtutem mulctat. Vultisne videre flagitium, quod innocentiæ amictu velavit interesse? legite Isaiam cap. 57. ubi Propheta loquens de ministris justitiæ, extraordinario ipsos afficit titulo, dicens: *Canes muti, non potentes latrare.* O Deum immortalem! ergone officiales curiarum *canes muti*? imò ipsi quandoque ita vociferantur, ut aures obtundant toti mundo. Liceat mihi adhibere exemplum. Demus furem, qui nocturnis furtis inhians, tentat perrumpere per portam domus vicini sui, ad quem strepitum incitatus canis, nocturnus ejus custos, subitò incipit latrare. Fur prædæ cupidus, quid agit? tollit frustum panis, illudque directè proiicit in locum, ubi hæret canis, qui mox odore panis illectus, ita acquiescit, ut qui ante latrare non cessaverat, modò penitus obmutescat. Ita quoque evenire amat in tribunalibus: Si quod admissum fuerit in civitate homicidium aut furtum magnum, subitò omnes ministri incipiunt vociferari: homicida, fur, fur; comprehendatur, fiant informationes, instituatur processus. O quanti clamores & vociferationes! sed quis tandem exitus rei? quando reus apprehenderit frustulum panis, V. G. 10. aut 12. scuta, hæcque officiali donarit; subitò videbitis omnes obmutescere, & delictum, quod antea erat gravissimum, dextrè cooperiri veste inno-

Proprium interesse calcat legem hum.

Isa. 56. v. 10.

Ministri justitiæ

innocentiæ; quid? ille omnino sanctus est & ab omni remotus crimine; & primus quidem omnium judex dicit: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* O ministri, ô ministri justitiæ, attendite, quia super vos extensus est supremæ justitiæ gladius.

Matt. 27. v. 24.

XV. Si intelligere vultis, quòd etiam interesse proprium ipsos flagellet cædatque Sanctos, citemus gratiosum quendam sacræ Scripturæ textum. Transeuntes Paulus & Sylla in Macedoniam, diverterunt ad ædes cujusdam viri nobilis, cui serviebat famula quædam Pithonissa; credens itaque Sanctus Paulus se rem gratam præstiturum ejus dominis, si nequam spiritum è corpore humano fugaret: *Conversus Paulus, spiritui dixit; præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, & statim exiit eadem horâ.* Videntes domini ancillam suam liberatam, quid fecerunt? ligatos Sanctum Paulum & Syllam duxerunt ad justitiam, eos veluti conturbatores urbis accusando. *Apprehendentes Paulum & Syllam, perduxerunt ad magistratum, dicentes: hi homines conturbant civitatem nostram.* Quid creditis, ordinatum fuisse à magistratu? *Scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi:* Subitò itaque conturbatoribus istis flagella impacta fuerunt centum pro uno; itote nunc ô Paule & Sylla, & amplius eiicite dæmonia; quin potius cavete, unquam attentare quid simile imposterum. Ast quid conturbationis operati fuêre sancti isti in civitate? ergone exile reputabitur, eiecisse diabolum ab ancilla? concludo itaque ego: tam bonus civis est diabolus, ut pacem foveat civitatis? ejectus autem à corporibus humanis, quietem omnem interturbat? necessum est videre, quis diabolus famulam inhabitaverit, Scriptura enim dicit: *Puella habebat spiritum Pythonem, & magnum quæstum præstabat dominis suis divinando*; possidebat mulier ista diabolum divinantem, quæ ostiatim gradiens, prædicebat futura, more cingarorum; omnesque, quas hâc viâ copiosas lucrabatur pecunias, dominis suis domum asportabat. Quomodo ô Paule & Sylla, vos è famula nostra diabolum eiicitis, domui nostræ adeo lucrosum? satisfactio & pax nostra consistit in dicto lucro, quod nobis diabolus importat, quia ergo vos illum eiiciendo, tanto nos lucro privastis, ideo meritò punivimus vos, tanquam urbis conturbatores. O maledictum interesse, quæ diabolica fortitudo tua, quandoquidem & Sanctos flagellis subiicis?

Act. 16. v. 18.

v. 16.

XVI. Forsitan hic subsistit insolentia proprii interesse? non, sed longè progreditur ulterius; proprium interesse, malum causat, abyssum malorum omnium: quod verò istud? destruit legem divinam, incensum offert dæmonibus & renunciat Deo. Audite, si placet, appositam probationem. Pilatus, ut dicit Sanctus Augustinus, *erat pro sua conscientia Christianus*; non quasi baptizatus fuisset, sed quia credebat in legem Christi; quam ipse non adhibuit diligentiam, ut Christum liberaret? Clamabant Judæi: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Non, dicit Pilatus: *Ego nullam invenio in eo mortis causam*; *innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Nihilominus post exiguum temporis spatium idem ipse Pilatus contra Christum sententiam mortis tulit: *Accipite eum vos & crucifigite.* Quid dicis? quid facis ô Pilate? nunquid non tu ipsemet Christum declarasti insontem, dicens? *Innocens ego sum &c.* quomodo nunc itaq; ipsum mortis reum condemnas?

S. Aug.

Interesse, legem Dei conculcat

Ioa. 19. v. 15.

Luc. 23. v. 22.

Ioa. 19 v. 6

XVII. Quan-

XVII. Quandoquidem de Christi morte agimus, videamus, quis primus ejus fuerit auctor? nos omnes novimus, hunc ipsum fuisse Judam; verum est; sed pro quanto pretio sanguinem vendidit Christi? nonne pro 30. argenteis? ita sane; *at illi constituerunt ei 30. argenteos.* Subsistamus hic aliquantisper, hanc cogn͏ituri monetam; ut autem apertè videatis pretii hujus vilitatem, primò adeamus domum Pharisæi, inibi Magdalenam reperturi, omnimodè obsequiosam & dolentem circa Christum, præter oculorum suorum lacrymas, nobile insuper offerentem alabastrum, plenum balsamo optimo. Præclaram hanc actionem infirmis oculis contemplatus, qui & ipse præsens erat, Judas, sub specie zeli, nimium indignatus, ait: *Vt quid perditio hæc? potuit unguentum istud venundari multo & dari pauperibus.* Siccine inutiliter proiiciuntur res præstantissimæ? quis, nisi lapide durior non commoveretur? quare unguentum istud non est venditum & pretium ejus datum pauperibus? Sed ô Juda, dic nobis per fidem tuam, quanti judicas unguentum istud potuisse venundari? quanti? plusquàm trecentis denariis. Parum dicam, si dixerim 300. scuta. Audivistis ex ipsomet Judæ ore, pro quanto pretio vendi potuisset unguentum Magdalenæ; videamus modò, quanti ipse vendiderit Christum: quanti putatis? certè non nisi pro 30. Argenteis: *Constituerunt illi 30. argenteos.* Veni huc ô Juda; ex ore tuo te judicabo: *Vt quid perditio hæc?* itane quasi pro nihilo venditur materia pretii infiniti? tu modò unguentum Magdalenæ, pretium æstimasti 300. scutorum (id est 300. aureorum) quare igitur in præsenti tam vilem reputas sacram Christi personam, cui *inhabitat plenitudo divinitatis*? quomodo gemma ista adeo peregrina, thesaurus iste adeo opulentus, pretium reputatur 30. argenteorum? Unguentum Magdalenæ pro 300. denariis, & Christus pro 30. argenteis? omnimoda hæc est inæqualitas. Intelligere duntaxat desidero, quare nec pluris nec minoris vendideris Christum, quàm pro 30. argenteis? Sanctus Joannes Chyrsostomus Judæ mercaturam & lucrum accuratâ discutit ponderatione, inquiens, habuisse Judam in consuetudine, ut ex omnibus decem scutis sibi in lucrum reservaret unum, & ex centum dena: *De quolibet numero centenario, decimam partem sibi erogabat.* Ex quibus patet, quòd si Judas ipsemet unguentum Magdalenæ vendidisset pro 300. scutis, infallibiliter ex illa venditione sibi 30. lucratus fuisset. Noluit autem CHRISTUS odoramenta illa divendi, sed reservari usque in diem mortis & sepulturæ suæ: *Sinite, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Itane? dicebat Judas, ergo Magister me perdere facis 30. aureos, quos mihi acquisivissem per venditionem unguenti Magdalenæ? non feceris hoc gratis, 30. scutis constabit vita tua. Vos Judæi dabitis mihi 30. argenteos, si volueritis ut CHRISTUM tradam vobis, ideoque *constituerunt illi 30. argenteos.* Sanctus JOANNES CHRYSOSTOMUS inquit: *De quolibet numero centenario decimam partem sibi erogabat, & propterea quod perdiderat in effusione unguenti, lucrari voluit in venditione magistri.*

Marginalia: Cur Judas Christum vendiderit pro 30. argenteis. — Mat. 26. v. 15. — Matt. 26. v. 8. — Col. 2. v. 9. — Ioan. 12. v. 7 — S. Chrys.

XVIII. Ecce

XVIII. Ecce vobis causam, quare Pilatus, qui primò Christus declaraverat innocentem, postea eum ad mortem crucis condemnarit; dicebant namque
§. 16. Judæi: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* O Pilate, si tu Christum liberum dimiseris, certo certius gratiam Cæsaris amittes. Quomodo? quomodo? perdere gratiam Cæsaris? neutiquam; perditionem namque amicitiæ Cæsaris, sequeretur mei privatio officii. O privationem officii subtractio omnium censuum; velletisne, me pauperem exui omnibus redditibus? nunquam hanc conditionem inibo; potius pereat fides, pereat anima, pereat & ipse Christus, modò ego non amittam census meos. *Ideo in Redemptoris mortem consentit*, ait Sanctus
S. Aug. Augustinus, *quia oblationum lucra amittere formidabat.* Quot autem sunt hodie, qui propter unicum carlinum, aut minimam pecuniolam, vendunt animam, dæmonique incensum offerunt? ô Deum! nonne meum mihi cor disrumpitur? nequeo progredi ulterius.

XIX. Ut autem terminem discursum, dico, quòd interesse infallibiliter damnabile sit cuicunque personæ quidem; si autem sedem fixerit in ministris justitiæ, & superioribus, tam ecclesiasticis quàm temporalibus, utique totalis mundo imminebit destructio; quia si minister justitiæ aut præsidens fuerit interessatus, videbitis, eum passione concitum & colerâ excæcatum, virtutem & innocentiam condemnare; vitia autem & delinquentes, inordinato delinitum amore, præmiare. Centum equidem & millenas hujus rei probas adducere possem ex scriptura sacra, sed suffecerit, una, sufficiens pro omnibus, quam citabo, ita tamen ut ab hodierno evangelio minimè recedam. Mos erat in Synagoga, circa solemnitatem paschalem unum semper dimittere delinquentium; hos igitur inter omnes quidam detinebatur seditiosissimus, nomine Barabbas; concilio autem coacto, uter è duobus, Christus scilicet aut Barabbas, libertate donandus esset; ecce tibi, omnes *unanimi consensu*, in favorem Barabbæ, contra Christum, resolverunt, dicentes: *Non hunc, sed Barabbam*; ideoque Pilatus, concilii istius Præses, *dimisit eum, qui propter* S. Aug in Ps. 40.
homicidium & seditionem, missus fuerat in carcerem; *Iesum verò tradidit voluntati eorum.* Si mihi hìc liceret vitam Christi comparare, cum illa Barabbæ, palparetis profectò, quòd Præses interessatus, colerâ excæcatus, innocentiam damnet, indebitoque amore delinitus, vitia foveat & transgressores donet libertate. Quid erat Christus? origo omnis sanctitatis, & justitiæ, bonus per naturam, melior per gratiam, & supremus per gloriam. Quid autem Barabbas? econtra seditiosus, homicida & titio infernalis; stante autem hâc inter utrumque differentiâ, quomodo Barabbas absolutus fuit, Christus autem ad mortem condemnatus? nunquid dixi vobis? minister justitiæ & præses interessatus, non servit in alium usum, nisi infernalem. In concilio isto pharisaico, nihil præter interesse animique passionem dominabatur: *Ne forte veniant Romani, & tollant* Ioa. 11.
locum nostrum. Ideoque odio excæcati, v. 48.
Christum condemnarunt ad mortem, Barabbâ libero dimisso.

XX. O quàm me hodie felicem reputarem, si è cordibus humanis illud proprii interesse venenum scirem & possem eradicare! illud dico virus, quod leges naturæ, hominum, imò & ipsius Dei pedi-

pedibus conculcat. Accede ô interessate munde, quare spretâ lege naturali, lites instituis cum carne & sanguine tuo? quare contemptâ lege humanâ, propter unicum terræ palmum, vitam eripis proximo? quare tandem conculcatâ lege divinâ, amore exilis peculiolæ, incensum offers dæmonio? forsitan ut ditescas in bonis, & nihil substantiæ deperdas? audi, audi Sanctum Augustinum: *Occiderunt Iudæi Christum, ne perderent locum; sed illo occiso, tunc perdiderunt locum.* Quid tibi persuades? quando medio interesse, volueris te tuaque stabilire, certus esto, quia ex tunc perdidisti omnia. Dixerit mihi forte quispiam, ego non aliud non requiro, nisi in ordine ad statum meum. Pater, necessum est, ut superiores ecclesiastici suis invigilent, & non nimium insolescant; arrogant sibi namque tantum, ut maximum inferant detrimentum bonis temporalibus; quid ad nos, si Ecclesia fuerit derelicta, clerus opressus, patrimonium Christi minoratum, immunitas Ecclesiæ violata; modò negotia nostra bene procedant, de reliquo parum curandum est, religionem esse conculcatam, bonosque mores proscriptos. Profiteor equidem, hæc esse politicorum temporis nostri dogmata; sed ne indignè feratis, si vobis cum Sancto Hieronymo responderim, his ipsis objectionibus, quas adducitis in medium, vosmetipsos impugnari opprobrosè, vestris vos ipsos lethaliter confodi telis. Nonne peccastis, concilium cogendo sine timore Dei? sine ullo respectu judicare de religione? omni absque reverentia condemnare Ecclesiam? sciatis, hæc ipsa consilia vestra, has sententias & determinationes vestras, lethalem vobis ipsis impingere ictum, quia, ut optimè Sanctus Hieronymus inquit in epistola ad Dardanum: *Sicut Iudæi perdiderunt salutem, quia ejecerunt de suis finibus Salvatorem; ita omne malum iis eveniet, qui suis malis consiliis Christum perdiderunt.* Proscribite itaque è cordibus vestris interesse, & censuras statuum aliorum; sique interessati esse volueritis, estote tales respectu inopum & pauperum, sublevando necessitates eorum. Respiremus.

S. Aug in Ps. 40.

S. Hier.

SECUNDA PARS.

XXI. Quandoquidem cras ultimum habebimus sabbatum quadragesimæ, ad honorem magnæ Matris de succursu, problema vobis exhibeo, judicio meo, difficile inprimis. Uter peccator majorem habeat salutis suæ securitatem? an ille, qui recurrerit ad tribunal justitiæ divinæ, an verò alter, qui devotus confugerit ad thronum misericordiæ Mariæ? deinde quoque discutiemus, an Maria de succursu, cum baculo isto, quem manu gestat, liberare possit animas ex inferno?

XXII. Agedum ô Auditores! intellexistis sententiam: *expedit, ut unus moriatur homo*; prolatam ab ore odii, pronunciatam à sacrilego Pharisæorum concilio; placeat & modò eandem audire in ore amoris, decretam in consistorio cœlesti. Quanta fuerit concilii Pharisaici malitia & iniquitas, audistis; percipite nunc quoque, quanta concilii cœlestis justitia fuerit & bonitas; ita tamen, ut antea repetamus jam semel insinuatam, à Judæis promulgatam contra CHRISTUM sententiam. Facto contra CHRISTUM processu, præses concilii, scilicet Caiphas, irrevocabilem tulit adver-

Ioa. 18. v. 14. Sententia mortis contra Christum est prius pronunciata in cœlis.

adversus Christum, sententiam mortis: *Expedit ut unus moriatur homo. Expedit?* quid? ergone vi terreni Pharisæorum decreti, debuit mori Christus? Vos omnes & singulos interrogo Jurisperiti, dicite mihi: nunquid virtute ullius legis vestræ, quando substantia processus nulla est, forsitan sententia lata irrevocabilis manet? nequaquam; sed irrita substantia processus irritat pariter & sententiam. Auscultetis me singulari cum attentione, vobis namque hodie demonstrabo, substantiam dicti processus contra Christum, *omni pleno jure* esse nullam. Quoties testimonia sibi invicem contradicunt, nullus est processus; quid autem hodie asserunt Pharisæi? *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit*; in quibus verbis apertissima est contradictio: si enim Christus operatur miracula, consequenter non est homo ordinarius; & si est homo, consequenter nequit patrare mirabilia; ecce vobis testimonia sibi contradicentia, ergo nullus est processus. Progrediamur ulterius: quoties testes possunt convinci de contrario ei, quod ipsi asserunt, testimonium illorum nullum est. Quid hodie dicunt Pharisæi? *Si hunc dimittimus, omnes credent in illum*; Si Christus relinquatur superstes, omnes per fidem adhærebunt ei. Videmus autem, plures credidisse in Christum morientem, quàm viventem; imò Centurio ipsum in morte confessus est Deum esse, qualis non fuit creditus in vita: *Verè Filius Dei erat iste*: ergo substantia processus nulla est.

Substantia processus contra Christum nulla.

Ioa. 11. v. 48.

Marc. 15. v. 39.

XXIII. Adjungite insuper: quoties testes totum hoc, quod dicunt, asportant in medium intuitu sui interesse, semper testimonium suspectum est. Quid dicunt Pharisæi: *Ne fortè veniant Romani.* Condemnarunt CHRISTUM ad mortem, ut ipsi domini remanerent substantiæ & patriæ suæ. Si igitur depositio fuit propter interesse, quomodo non pariter irrita quoque erit substantia processus?

XXIV. Magis stabiliamus argumentum, demonstrando, latam contra Christum sententiam, nullam fuisse & injustam. Quid dicit Sanctus Paulus? *nolite ante tempus judicare.* Non est ferenda sententia ante tempus, priusquam reus examinatus sit & convictus. Hodiernus autem processus factus est *ad modum belli*; & sententia lata non modò ante auditam partem, sed etiam nullâ præcedente defensione, quæ *est de omni jure naturæ*; dicta igitur sententia nulla fuit.

1. Cor. 4. v. 5.

XXV. Nulla imò nullissima fuit sententia dicta; *ex incompetentia judicis*; qui judices sententiam istam edixerunt? Pontifices & Pharisæi? *Pontifices & Pharisæi collegerunt concilium adversus Iesum.* Ecclesiastici non possunt se immiscere causæ mortis; an non vos ipsimet consiliarii dixistis Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam?* Si igitur Christus fuit condemnatus ad mortem à judicibus incompetentibus, vos inferatis consequentiam de nullitate sententiæ. Ut tandem ultimum catenæ huic annulum adiiciam, audite adhuc unam efficacem probationem nullitatis sententiæ hujus. Si causæ alicujus judices essent omnes diaboli, nunquid judicium justum foret? minimè equidem; quæ enim justitia habebitur à dæmonibus? Exspectate: Pontifices & Pharisæi in hodierno consilio, non iniqui duntaxat, injusti & perversi fuêre (quia timorem semper comitatur malitia & iniquitas, juxta illud proverbium commune: *Conscientia læsa facit hominem timidum*; dicti autem Phari-

Et quare.

Ioa. 11. v. 47.

Ioa. 18. v. 31.

Pharisæi hodie conveniunt, omnes pavidi: *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit*; dicendi igitur sunt iniqui & perversi) veruntamen non hocce solummodo dico, sed insuper addo, ipsos diabolis fuisse pejores. Quare Christum morti dedere voluerunt? ipsimet causam assignarunt, dicentes: *quia hic homo multa signa facit.* Quia Christus operabatur miracula, ideo ipsi moriendum fuit; notate bene. Teste Sancto Marco, dæmones, certorum quorundam corporum obsessores, videntes die quâdam transeuntem Salvatorem, sese prostraverunt ad pedes ejus, ipsumque adorarunt; imò adorantes eum, sanctum quoque confessi sunt: *Vidit à longè Iesum, statim cucurrit & adoravit eum, & dixit: Jesu, Fili Dei, scio, quia sis Sanctus.* O quæ rei nativitas, nunquam aliàs visa vel audita! dæmones Christum adorant, eumque sanctum esse profitentur? quæ stupenda prodigia? diabolus primò non poterat se resolvere, an CHRISTUS esset DEUS vel non; ideoque voluit eum probare in deserto: Sed videndo postea, tot & tanta ab eo patrari miracula, quà mortuos resuscitando, quà cæcos illuminando, quà alia operando mirabilia plurima; subito confessus est, CHRISTUM esse DEUM. Advertite ô Auditores! Eadem & Hebræi viderunt miracula, prout ore proprio confitētur, dicentes: *Hic homo multa signa facit.* Nihilominus, hisce omnibus non obstantibus, non modò in Christum non credunt, sed ipsum etiam ad mortem condemnant; vos ipsi modò argumentum efformetis. Dæmones videndo miracula Christi, eum adorarunt & Deum confessi sunt; Pharisæi eadem videndo prodigia, Christum condemnarunt mortis reū; ergo Pontifices isti diabolis sunt pejores. Id quod docere voluit Sanctus Ambrosius in Lucam, inquiens: *Populi negant, quem diaboli confitentur.* Si igitur concilii illius Præsidentes, ipsis fuêre pejores diabolis, quomodo sententia contra Christum lata potuit esse justa?

Pharisæi dæmone pejores.

S. Ambr.

XXVI. Non modò justa, sed nulla omnino fuit, prout vidimus ex tot diversis solidis rationibus; si autem injustissima fuit & penitus nulla, quomodo Caiphas asserere potuit: *Expedit, ut unus moriatur homo.* Hîc vos omnes attentos velim ô Auditores!

XXVII. Mors CHRISTI necessaria fuit, non modò propter malitiam & iniquitatem concilii Pharisaici, sed etiam propter bonitatem & rigorem justitiæ consistorii cœlestis. Mors Christi necessaria fuit ex parte concilii Pharisaici; quare enim, dicite mihi, Judæi CHRISTUM condemnarunt ad mortem? jam scitis; ex motivo invidæ id fecerunt: *Sciebat enim, quòd propter invidiam tradidissent eum.* Nullum est vitium, adeo rationi contrarium, sicuti invidia; omnia peccata habent pro objecto aliquā vel bonitatem, vel utilitatem, vel delectationem, sola invidia malo pascitur proximi: *Invidia,* inquit S. Basilius, *est dolor de proximi prosperitate.* Itane? propter invidiam Pharisæi Christum condemnarunt ad mortem? ergo non indigebant rationibus ad occidendum eum, quia invidia ipsi contrariatur rationi; atque ita mors Christi necessaria erat ex parte terræ, quia in concilio terreno non erat ratio, quandoquidem illud innitebatur invidiæ, quæ est contra rationem.

Mors Christi necessaria.

S. Basil.

XXVIII. Fuit etiam necessaria mors Christi, ex parte consistorii cœlestis, ut viveret homo: *Ne tota gens pereat*; cum

cum enim peccatum esset infinitum, non sufficiebat mors hominis puri, sed requirebatur mors theandrica, id est, DEI facti hominis; ideoque dicitur in hodierno evangelio: *Expedit, ut unus moriatur homo*; non dicitur: *Expedit, ut unus homo moriatur*, sed: *ut unus, id est, ut Deus, qui est unus per essentiam, moriatur factus homo.*

Joan. 18. v. 14.

XXIX. Totius hujus figura est illa Exodi scriptura, ubi DEUS mandavit Moysi, ut abiret liberare populum suum de servitute Pharaonica; cui Moyses: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Quis sum ego Domine, ut compaream coram Rege Pharaone, & liberem populum Israëliticum? respondit Deus; ne dubites, *ego ero tecum.* Ego ero socius tuus, uterque simul exequemur negotium. Glossa interlinearis ex hisce magnum elicit mysterium, dicens: quòd sicut redemptionem Israëliticam ex Ægypto, nec solus DEUS nec solus operatus est Moyses, sed DEUS simul cum Moyse; ita nec redemptio generis humani à servitute peccati, à solo homine aut à solo DEO fieri potuit, sed necessaria fuit conjunctio utriusque: *Divinitas cum humanitate*; requirebatur homo Deus: *Expedit ut unus, id est, Deus moriatur, factus homo.*

Exod. 3. v. 11.

Joan. 18. v. 14.

XXX. Conformiter quibus, arbitror ego ad problematis resolutionem dicendum esse, quòd in ordine ad mortem Christi, tantum fuerit odium concilii Pharisaici, quantus fuit amor consistorii cœlestis; tanta fuit iniquitas Pharisæorum, quanta bonitas Dei.

XXXI. Ast si tam propter odium Pharisæorum, quàm ob trini & unius Dei amorem, Christo moriendum est; necessariò in aliquod sacellum introduci debet. Quando quis miserabilis, paulò post moriturus, subsistit in capella, omnes accedunt consolaturi eum & auxiliaturi in ordine ad felicem mortem; quandoquidem igitur & Christus est in sacello, nostrarum partium est, ut abeamus & consolemur eum.

XXXII. Sed quid faciemus in solatium moribundi Christi? Consistenti Christo in horto, in agonia mortali, *tunc apparuit de cœlo Angelus, confortans eum.* Quomodo Angelus consolatus est Christum? exhibuit ipsi calicem plenum tormentis iis, quibus ipse cruciandus erat; & nos igitur poterimus moribundum consolari Christum, repræsentando ipsi instrumenta mortis suæ.

XXXIII. Quod autem tormentum crudelius, inque mortem atrocius dari poterit quàm peccatum? *per peccatum mors.* Abeamus itaque omnes ô dilectissimi, moribundum consolaturi Christum, quem ut ad bonam mortem efficaciter animemus, nostra illi peccata exhibeamus, dicendo,

XXXIV. Domine, jam condemnatus quidem es ad mortem, sed consoleris animum tuum illâ sanctâ memoriâ, quòd veneris in terram, ut vitam impenderes pro peccatoribus: *Ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Vitam nobis dare non poteris, nisi præcesserit mors tua. Quid tibi deficit? forsitan instrumenta mortis? ecce peccata mea.

XXXV. Peccata mea spinæ erunt, quæ tuum transfigent caput; peccata mea clavi erunt, te affigentes cruci; peccata mea erunt instrumenta, quibus tuus eliminabitur sanguis. Progredere itaque Domine mi, lubenter ad mortem, memor, quòd, cùm nos peccatores tibi intu-

intulerimus mortem, tua mors nobis impertiat vitam.

XXXVI. Procedamus ô fideles, omnes nullo excepto, Christum spiritualiter comitaturi usque ad mortem; cumque cruci appropiaverimus, omnia ibi relinquamus peccata nostra; certi, quòd Christi mors nobis conferet vitam, primò quidem gratiæ in terris, & posteà gloriæ in cœlis. Amen.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

IN SABBATO POST DOMINICAM QUINTAM Quadragesimæ.

DISCURSUS

De plenitudine gratiarum & privilegio singulari sanctæ Mariæ *de Succursu.*

Exulta satis filia Sion. Joan. 12. *v.* 15. *& Zach.* 9. 9.

PROBLEMA

Quando peccator sit securior de sua salute; an dum confugit ad gratiam sanctæ Mariæ *de Succursu*; an verò dum adit tribunal justitiæ Christi?

Et utrùm possit magna Mater *de Succursu*, baculo, quem manu tenet, animas eruere ex inferno, easque conducere in Paradisum?

INTRODUCTIO.

I.

Divinus justitiæ sol, Christus gratiam cœlestem, mediante flatu, suis impertiit Apostolis, juxta historiam Evangelicam S. Joannis, dicentis: *Insufflavit in facies eorum, dicens: accipite Spiritum sanctum.* *Joan.* 20. *v.* 21. Circa quæ Angelicus Doctor super Epist. ad Ephes. dubium movet & quærit; quanta

ta potuerit esse gratia illa, quam Christus Apostolis tribuit medio flatu? respondetque, gratiam hanc fuisse infinitam, quia per flatum iis donavit ipsum Spiritum sanctum: *Quâ insufflatione summam dedit Apostolis sanctitatem, quia dederat Spiritum sanctum.* Hîc ego vos interrogo, quanto tempore Christus habitaverit cum Maria, matre sua; & infans in utero, & puerulus in brachiis, & senior in domo? certum est, quòd 33. annis: quàm frequentes in toto hocce tempore potuit ei impertiri insufflationes? profectò si verum est, quod Philosophus tradit, viventem in tantum vivere, in quantum respirat, quis non videt, quòd, sicut spatium 33. annorum, infinita continet instantia, ita & Christus toto hoc tempore, infinitas in Matrem suam direxerit insufflationes? Audite veritatem ex ore S. Epiphanii: *Si insufflatione unâ, summam Christus dedit Apostolis sanctitatem; quot gratias, quot gratiarum plenitudines, quot plenitudinum summas dare potuit Virgini, cui innummeras contulit insufflationes?* Si Christus Apostolis, per unicum duntaxat afflatum, gratiam infudit veluti infinitam; quanta erit gratia illa, quam Christus Matri suæ impertiit per insufflationes infinitas? dicendum profectò, omnem in Maria fuisse gratiæ plenitudinem. Ecce vobis hodiernum Evangelium, quod mysticè Mariam exprimens, ait: *Exulta satis filia Sion.* Lætare & jubila ô Domina, quia filia es Sion. Quid hoc est, *Sion?* idem quod *Gloria Paradisi.* Quid est gloria Paradisi? *Est status, omnium bonorum aggregatione perfectus.* In Paradiso plenitudo est perfectionum omnium, ergo & in Maria plenitudo est gratiarum omnium. Figite gradus; nunquid non Christus plenitudinem habuit omnium gratiarum? ita; *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.*

S. Epiph.

Ioan. I. v. 14.

Quando peccator de gratiæ receptione & salute sua est securior? an, dum recurrit ad tribunal Christi, an verò, dum thesaurum adit gratiarum Mariæ? vultisne, ut meam vobis resolutionem, hodie proponendam, modò edicam? Peccator, recurrens ad tribunal justitiæ Christi, infallibiliter damnatur; confugiens autem ad tribunal gratiarum Mariæ, infallibiliter salvatur. Hæcq; erit prima pars discursus mei; deinde in altera elucidabimus, quòd Maria de Succursu, baculo isto, quem manibus gerit, potestatem habeat eruendi animas ex inferno, easq; traducendi ad cœlum. Totus hodiernus discursus gratiosus erit, quia nullius, nisi gratiæ mentionem faciemus; me itaque gratias Mariæ explanantem, vos gratioso cum silentio auscultetis. Incipiamus.

Divisio.

II. Si vultis, cumulum gratiarum Mariæ seorsim dividi & separari; hinc collocemus Christum in tribunali justitiæ suæ, illinc verò Mariam in imperio gratiæ suæ; tuncq; dico: Peccator, recurrens ad justum Christi tribunal, infallibiliter damnatur, adiens verò gratiosum Mariæ imperium, infallibiliter salvatur. Incipiamus ab auctoritate, quam maximus Paradisi sanctus Augustinus, pater meus, tradit, dum potentissimam cœlorum Dominam, Mariam alloquens, ait: *O felix Virgo, sicut omnis peccator, à te aversus & à te despectus, necesse est, ut pereat; sic omnis peccator, ad te conversus & à te respectus, impossibile est, ut pereat.* O magna Domina, inquit S. Augustinus, tantum est imperium gratiæ tuæ, ut, sicuti ille, qui te non amat, necessariò damnatur; ita quoque omnis, qui tibi devotus est, necessariò salvetur. Advertite bene, non loqui Augustinum cum dubio, neque negotium fundare in particula *forsitan*, aut simili, sed assertivè docere: *Necesse est.* O S. Augu-

S. Aug.

stine,

ſtine, ſi difficilem unquam calamus tuus exaravit ſententiam, erit profectò hæc ipſa, una è difficilioribus. Peccator, qui non eſt devotus Mariæ, neceſſario damnatur? ſi peccator, non devotus Mariæ, pro indulgentia obtinenda, recurrerit ad tribunal juſti Dei, quid aſſequetur? quid fiet de illo? *Neceſſe eſt, ut pereat*; inquit S. Auguſtinus. O Jeſu!

S. Bern. Sen. III. Ne ſtupeatis, inquit S. Bernardinus Senenſis, ego Divi Auguſtini mentem vobis aperiam. *Plus poteſt facere beata Virgo de Deo, quàm Deus de ſeipſo*: Plus poteſt Maria ſupra DEum, quàm DEus poſſit ſupra ſeipſum. S. Bernardine, ego ante admiratus fui dictum S. Auguſtini, modò autem eogor obſtupeſcere ſententiam tuam. Quomodo? ergone poſſibilis eſt aliquis gradus virtutis aut potentia in creatura aliqua, quæ non reperiatur multò perfectius in Deo?

S. Anſel. IV. Ne admiremini, ait S. Anſelmus, præſumo ego, me ſufficienter vobis explicare poſſe mentem non modo S. Auguſtinini, ſed & S. Bernardini. *Maria non eſt ſolùm, quaſi Deus. ſed plus quàm Deus; nam quos Deus ſalvare non poteſt per ſuam juſtitiam, ſalvat Maria per ſuam miſericordiam infinitam.* Non progrediamur ulterius, quia nihil dici poteſt eminentius. O ſancte Anſelme; dicere, Mariam æquari DEO quis non obſtupeat? Sed dicere, Mariam Deo eſſe majorem, hoc omnino ſuperat longèque excedit terminos cujuſcunque intelligentiæ humanæ.

Sola Mariæ gratia ſuperat gratiam omnium SS. V. Ut horum SS. Patrum mentem intelligamus, neceſſum eſt, ut lento paſſu progrediamur, & veluti ſcalam, à terra uſq; in cœlum protendentem, conſcendentes, videamus, quanta potuerit eſſe gratia Mariæ. Scitiſne, inquit S. Hieronymus, quanta hæc fuerit? Sola gratia Mariæ ſuperat omnem gratiam, conceſſam omnibus Juſtis & Sanctis cœli, ſed etiam quibuscunque datam Angelis & Seraphinis Paradiſi cœleſtis. In Canticis Canticorum Spiritus ſanctus eandem alloquens Mariam, inquit: *Venter tuus ſponſa, ſicut acervus tritici.* O chara ſponſa mea, tu tota gratioſa es & decora; præ omnibus autem excellentiis tuis, ſingulariter me ardenti amore tui ſuccendit, meumque cor rapit tuus ille virgineus uterus, qui mihi repræſentare videtur figuram veluti montis triticei. Per fidem meam, extravagans admodum eſt laus iſta. Dicivos mihi ô agriculturæ periti, quam vos differentiam conſtituitis inter tempus ſementis & meſſis? tempore ſementis, agricola non projicit omne granum in unam agri partem; ſed accipit manum granis plenam, & ſeminat in hac parte; poſtea tollit aliam manum repletam, & ſeminat iſtam partem agri, & ſic deinceps: ſed in tempore meſſis, omne granum, hinc inde per agros diſperſum, colligitur in unum cumulum. Ita quoque Deus, dum reliquis Sanctis ſuam concederet gratiam, omnino fecit, quemadmodum fieri ſolet tempore ſementis. Quantam gratiam impertiit ſancto Petro? unius pugni; quantam magno Joanni Baptiſtæ? unius alterius pugni, & ſic deinceps de pugno ad pugnum, ad ſingulos procedendo Sanctos; at verò ut perventum eſt ad Mariam, ut illi gratias ſuas communicaret, fecit Deus quaſi in tempore meſſis; tunc enim omnis omnino gratia, per quoſcunq; Sanctos & ſpirit⁹ beatos diſperſa, tota hęc ſeſe infudit pectori Mariæ. Non hoc ego, ſed S. Hieronym⁹ eſt, qui aſſerit, in ſer. de Aſſumpt. Virginis, inquiens: *Cæteris Sanctis per partes collata eſt gratia*, notate, *per partes*, de pugno ad pugnum

Cant. 7. v. 2.

Differ. inter ſementem & agriculturam.

S. Hier.

pugnum; *Mariæ autem tota se infudit plenitudo gratiæ. Tota:* ô Philosophi, *qui totum dicit, nihil excludit*; si igitur in Maria fuit tota gratiæ plenitudo, consequenter non fuit gratia aliqua imaginabilis, quæ non foret in Maria.

M. incapax augmenti gratiæ. VI. Tam copiosa autem fuit hæc gratiarum plenitudo in Maria, ut Spiritus sanctus (nostro modo dicendi) in Mariam descendens, videatur quasi non reperisse quidquam, cui novam superadderet gratiam. Quid enim dicit Gabriel Archangelus? *Spiritus sanctus superveniet in te*; quomodo? *superveniet.* Nunquid Spiritus sanctus, dum gratias suas communicat, intima inhabitat cordium nostrorum? ita sanè; sic namque attestatur S. Paulus, dum ait; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: quomodo ergo dicit Angelus? *Superveniet.* Potius dixisset: *Introveniet.* Non, dicit Angelus, sed: *superveniet.* Elucidemus doctrinam nostram in Exemplo. Dum ignis lignum invadens, intra ipsum lignū materiam non reperit combustilem, neq; capacem suæ formæ, quid facit? materiam invadit extrinsecam extra lignum, eamque depascit. Spiritus divinus, quasi ignis est cœlestis. *Ignis consumens est*: descendit iste ignis super Mariam, videns autem, quod intrà animam ejus nullum posset reperire locum, ubi majorem superadderet gratiam, sese foris continuit extra eam. *Sicut ignis idoneam nactus materiam*, inquit S. Greg. Nyss. apud Lippomannum, *sublimem extollit flammam; sic Spiritus sanctus super Mariam erupit radios divinæ lucis, quia illam invenit nedum internè plenam, sed superplenam, propter abundantiam gratiarum.*

Luc. 1. v. 35. Rom. 5. v. 5. Exemp. Deut. 4. v. 24. D. Greg. Nyss. apud Lippom.

M. gratiā habuit divinitatis. VII. Quanta autem esse potuit hæc gratiarum plenitudo in Maria? quandoquidem Spiritus sanctus nullum in ea potuit reperire locum, ubi novam superadderet gratiam? vultisne, ut meum vobis sensum aperiam? Maria gratiam habuit divinitatis, vel ut melius dicam, divinitatem possedit per gratiam. Quare Spiritus sanctus, qui Christi humanitatem formavit, non potest dici Pater Christi? respondet Theologus: *Quia ad rationem Patris requiritur similitudo in natura.* Firmate gressum: *Ad rationem matris non requiritur etiam similitudo in natura*? ita sanè; forsitan Maria similis est Christo in natura divina? non; quomodo igitur pleno omniū ore mater Dei nominatur? Respondet S. Petrus Damianus: Maria non dedit Christo solam humanitatem, sed etiam divinitatem, id est, dedit illi humanitatem divinizatam, suppositatam divino supposito; atque ita videtur Deus Mariam alloqui, dicens: *Communicasti mihi, quòd homo sum; communicabo tibi, quod Deus sum.* Tu ô Maria dedisti mihi, ut essem homo Deus; & ego te faciam esse mulierem Deam; tu mihi contulisti humanitatem divinizatam, & ego per gratiam tibi dabo divinitatem.

S. Petr. Damian.

M. gratiā addidit gratiæ. VIII. Ideoque Maria adeo effecta est gratiosa & gratiis plena, ut meruerit gratiam & decorem impertiri ipsimet gratiæ. Sed quomodo? audite doctrinam. Juxta communem quasi omnium sanctorum Patrum consensum, ut primùm Christus baptismum instituit, subitò manibus propriis baptizavit ipse Mariam & sanctum Apostolum Petrum. Sed quam Maria habebat necessitatem suscipiendi baptismum? forsitan ut mundaretur à macula originali? nullo hoc fundamento asseri potest, quandoquidem Maria similem nunquam contraxit labem; dato autem (nunquam tamen concesso) Mariam

M. cur baptizata. v. §. 12.

Mariam dictâ immunditiâ aliquando infectam fuisse, Christus profectò purificationem ejus tam diu non distulisset; sed in eodem potius momento, quo viscera ejus subintravit, ipsam ab omni penitus labecula purificasset. Cur itaque fuit baptizata? §. 12.

IX. Respondent aliqui, Mariam fuisse baptizatam, ut idonea evaderet ad recipienda alia sacramenta, principaliter autem Eucharistiæ; sed hoc ipsum sine fundamento asseritur; si enim Maria fuit sine baptismo habilis, ad excipiendum sinu suo ipsum Dei filium in carne, quomodo sine baptismo inhabilis fuisset, quo minus eundum Christum recipere non potuisset sub specie panis? Propter aliam itaque causam & ob alium finem fuit baptizata Maria.

M. cur astiterit morti Christi.

X. Ut autem mysterium intelligamus, causam indagemus, cur in cruce Christus moriens, Mariam voluerit esse præsentem, prout nos S. Joannes docet, dum ait: *Stabat juxta crucem, mater JEsu, Maria.* (Ioan. 19. v. 25.) O Deus, quandoquidem tu nosti, totidem acutissimis gladiis transfigendum esse pectus Mariæ, quot carni tuæ inferentur supplicia, quare nihilominus vis, ut illa te videat morientem, tantumque sentiat cordis cruciatum?

XI. Arnoldus Carnotensis tract. de septem Verbis Domini, dicit, quòd, dum ad crucis truncum consisteret Maria, *cooperabatur plurimum tantæ matris affectus, ad propitiandum Deum.* (Arn. Carnot.) Quomodo? *Cooperabatur?* Forte in aliquo deficiebat passio Christi? aut forsitan ipse solus non sufficiebat ad placandum Patrem? non; nec hoc, nec illud; sed ut Aristoteles tradit lib. de nat. animalium c. 4. *Naturâ ipsâ duce, filius ex viro robur accipit; ex fæmina venustatem & speciem.* (Arist.) Dum concipitur & generatur creatura, à patre fortitudinem, à matre autem consequitur pulchritudinem. Quia igitur Christus venustissimam parturiebat redemptionis creaturam, voluit, ut à se, tanquam à Patre, redemptio suam acciperet efficaciam: *Ex viro robur*; à Maria verò decorem: *Ex fæmina venustatem. Dividunt*, inquit Arnoldus, *inter se coram patre, mater & filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium.*

XII. Ecce vobis causam, cur Maria baptizata fuerit; Christus forsitan necessitatem habebat baptismi? nequaquam; cur itaque baptizari voluit? Scitisne, quare? ut efficaciam tribueret baptismo; quoniam *ex viro robur*: Maria igitur etiam baptismum subiit, ut eidem conferret decorem, quia *ex fœmina venustatem.* Maria itaque gratiam addidit gratiæ, quia pulchritudinem impertiit baptismo, qui primum fuit redemptionis nostræ remedium & principium gratiæ. §. 8.

XIII. Quis autem crederet ô Auditores! totum hoc, quod huc usque de gratiis Mariæ diximus, omnino nihil esse? scitisne, quousque ascendat Mariana gratia? quidquid Trinitati propriũ est, totũ hoc per speciale privilegium, collatum est in Mariam. Incipiamus à Patre. Quid Mariæ donavit Pater æternus? totum, quod possedit; nihil sibi proprium habuit, quod non totum gratiosissimè impertiret Dominæ nostræ; imò quod Pater Verbo Filio suo nec dedit, nec dare potuit, hoc ipsum per gratiam singularem concessit Mariæ. Patres Theologi, vestrum est axioma: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Totum hoc, quod absolutum est in divinis, est commune toti Trinitati; relatio autem propria est uni soli personæ aut duabus, *per* (M. privilegia &c.)

modum unius principij, quemadmodum est relatio spirationis activæ: Atque ideo divinitas cum omnibus attributis divinis, communis est omnibus tribus personis; paternitas autem ita propria est Patri, ut in generatione æterna, nec communicata fuerit nec dari potuerit ulli alteri personæ divinæ. Sed quid? hanc ipsam paternitatem, quam Pater nec dedit, nec dare potuit Verbo Filio suo, gratiosè impertiit Mariæ, quæ propterea nuncupatur *Matripater*. Quid prætendit hæc nomenclatura? In generatione æterna Pater nominatur *Patrimater*; quia officium facit patris & matris, generando Verbum; ita quoque Maria in generatione temporali, dicitur *Matripater*, quia generando Christum, officio fungitur matris & patris; ita ut pater æternus totum hoc, quod in particulari thesauro suo proprium habebat, gratiosè transtulerit in Mariam. Id quod S. Bernardinus Senensis docere voluit, dum ait: *Beata Virgo Maria ab ipso Patre æterno paternalem fæcunditatem accepit*. Notate particulam istam: *Paternalem*: totum hoc, quod Patri proprium erat, quodque Pater possidebat ut suum, nec Filio communicare poterat, per gratiam accepit Maria. Nunquid Pater æternus majorem poterat Mariæ gratiam præstare? minimè equidem.

XIV. Videamus modò, quid gratiarum Filius contulerit in Mariam? Scitisne, quid? totum hoc, quod non poterat dare Patri: sed quidnam Filius divinus non potuit communicare Patri? dicite mihi, poteratne Verbum divinum sese subjicere Patri? non; quia *subjectio est inferioris ad superiorem*; Filius autem nec fuit, nec esse poterat inferior Patre æterno, cui omnimodè æqualis existit: *Æqualis Patri secundùm divinitatem*; at videte, Filius DEI cum non posset se Patri reddere subditum, se subjecit Mariæ: *Et erat subditus illi*; advertite: Sicuti Pater æternus totam hoc, quod proprium possidebat, & Filio suo communicare non poterat, per gratiam contulit Mariæ; ita & Filius, totum hoc, quod ejus erat neque Patri donare poterat, pariter per gratiam transfudit in Mariam. *Luc. 2. v. 51.*

XV. Audiamus, quid fecerit & Spiritus sanctus circa Mariam; quam ei gratiam impertiit? quam gratiam? Spiritus ille divinus in communicanda gratiâ Mariæ, quasi lusit per omnia. Totum hoc, quod ei proprium erat, neque communicare poterat personis reliquis, gratiosè impertiit Mariæ. Quid fuit proprium Spiritui sancto? Hîc opus est Theologiâ nobis. Vos scitis ô Docti, humanitatem CHRISTI, ut suppositatam à Verbo nec fuisse nec potuisse formatam esse à solo Patre, ut Pater est, quia prima illa persona solummodo relationem dicit ad Verbum suum Filium; neque humanitas CHRISTI formari poterat à solo Verbo; tum quia ut Filius, dicit relationem duntaxat ad Patrem; tum etiam, quia fuit terminus unionis hypostaticæ cum natura humana, adeoque non poterat esse principium productivum humanitatis: Soli igitur competebat Spiritui sancto (*non effectivè, sed appropriativè*) formare humanitatem CHRISTI; cum enim divinus Spiritus, non posset in ipsa Trinitate ad intra producere personam divinam, propter repugnantiam mysterii, obtigit illi veluti officium proprium, ut sese communicaret ad extra in incarnatione, *Cur incarnatio attribuatur Spiritui S.*

natione, in qua producitur persona divina, atque ideo incarnatio soli attribuitur Spiritui sancto, ita ut proprium Spiritus sancti officium fuerit, formare humanitatem Christi. Unde & Angelus ad Virginem ait: *Spiritus sanctus superveniet in te:* q. d. Domina, in hoc incarnationis negotio Divinus Spiritus totam tibi communicabit virtutem suam, tibiq; gratiosè communicabit omne illud, quod habet proprium; quem pariter sensum sanctus Athanasius hisce nobis verbis expressit: *Spiritus sanctus descendit in virginem, cum omnibus essentialibus attributis, quæ illi per rationem divini principatus adsunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratiosa esset.*

Luc. 1. v. 35.

S. Athan.

XVI. Dicite utique; jam attigimus terminum gratiarum Mariæ; si enim tota Trinitas Mariæ impertiit, quidquid possidebat proprium, quidnam poterit ei impertiri gratiosius aut excellentius?

Maria creditrix Dei.

XVII. Ego autem denuncio vobis, insigniorem atque eminentiorem gratiam fuisse communicatam Mariæ; quænam ista? opera exequendi adeo divina, ut propterea ipsamet Trinitas ei fuerit facta debitrix, juxta id quod S. Methodius Martyr ait: *Euge ô Domina, quæ debitorem Deum semper habes.* Exulta ô Domina, quia creditrix es Dei. Sed quid unquam excellens adeo & præclarum operata est Maria, ut sibi debitorem constitueret ipsummet Deum?

S. Meth. M.

XVIII. Scitisne, quid? Respondet sanctus Isichius Jerosolymitanus Episcopus: *Fuit Beata Virgo, totius Trinitatis complementum.* Ad tantam Maria ascendit gratiam, ut complementum dederit Trinitati. Nimium exorbitans videtur hic esse titulus; quomodo? forsitanne quidquam defuit sacræ Triadi, omnis perfectionis & bonitatis origini? non, quomodo ergo dicit ille sanctus, dedisse Mariam complementum Trinitati.

S. Isich.

M. complementũ Trinitatis.

XIX. Dici posset sanctum Isichium loqui de fæcunditate generativa; quamvis enim in Trinitate sit perfectissima fæcunditas, vi cujus Pater producit Filium sibi æqualem, ita ut Filius iste sit solummodo Filius Patris æterni, & non Filius totius Trinitatis; ideoque cum sacra illa trias non habeat Filium aliquem naturalem, procedentem à tota Trinitate, apparet illa sancto Isichio, quasi incompleta; quia verò Maria generavit CHRISTUM, DEUM & hominem; qui, in quantum homo, fuit filius naturalis totius Trinitatis, quæ, *per modum unius principij, efficienter* concurrit ad productionem illius humanitatis; ideò dici potest, Mariam complementum dedisse Trinitati, quia scilicet CHRISTUM produxit, Filium totius Trinitatis. Optima hæc est expositio.

XX. Ast excellentiora ego desidero. Quod nomen aut quis omnium gloriosissimus titulus, qui attribui potest magnæ matri DEI? Scitisne, qualis? titulus sanctæ Mariæ *de succursu*, prout eam nuncupat sancta Ecclesia, dicens: *Sancta Maria succurrere miseris.* Ne autem vobis persuaseritis, Mariæ gloriam consistere in eo, quòd succursum ferat miseris indigentibus? nequaquam: gratiam longè eminentiorem accepit Maria, scilicet quòd etiam succursum dare potuerit ipsi Sancti Trinitati, omnis succursus origini. Quomodo Pater? ergo Maria ad tantam pervenit gratiam, ut ipsi

Quod M. nomen gloriosissimum.

etiam omnis gratiæ auctori succurrere potuerit?

XXI. Explicemus difficile hoc punctum duplici viâ & modo. Pro priori itaque vos interrogo: nunquid non in civitate hac asservatur & colitur Maria, Domina seu Mater *de Itria*? ita pater. Quid hoc sibi vult nomen: Domina *de Itria*? vocabulum est corruptum, dicique deberet; Domina *de Tria*; sicut dum dicimus: *Deipara*: penultimâ syllabam exprimim' ut brevem, propter accommodationen linguæ seu idiomatis; ita pariter dici deberet; Domina *de Tria*; sed propter accommodationem idiomatis Italici, dicitur Domina *d' Itria.* Quid igitur significat Domina sive Mater *de Tria*, sive Domina trium? respondet Theologus, quòd *Trinitas* in latino nuncupetur *Trias*; adeoque dicere: Domina *de Tria*, idem est, quod Domina Triadis seu Trinitatis. Sed quomodo Maria nominari poterit Domina & Mater Trinitatis? quod nuncupetur mater Verbi incarnati, transeat, hoc namque de fide est; sed nominare eam matrem Trinitatis, idem est, ac dicere, quòd Maria generarit Trinitatem; hiccine in sensu catholico sustineri aut affirmari poterit?

Quid Domina de Itria.

XXII. Audite, neque enim mea vobis displicebit expositio. Olim ante incarnationem, non erat plena & communis Trinitatis notitia; hoc siquidem mysterium non erat universaliter manifestatum omnibus; sed certis duntaxat patribus sanctis, veluti Abraham, Isaac, Jacob, David & aliis paucis. Post incarnationem autem omnes profiteri cæperunt Trinitatem; quis hujus professionis exstitit causa? Maria; sed quomodo? Auscultate. Maria in incarnatione, verum genuit Filium Dei: *Concipies & paries Filium, & vocabitur Altissimi Filius.* Itane? inquit Mundus; hic Mariæ filius, est Dei filius? ergò etiam erit in cœlis Pater, quia *Filius dicit relationem ad patrem*: non potest dari sine patre filius, neque sine filio pater, sed filius iste Mariæ, est Filius Dei, ergò in cœlis datur pater talis filii. Et iterum; Pater, infinitè amans filium, & filius infinitè redamans Patrem, necessariò producunt amorem divinum, qui dicitur Spiritus sanctus; ergo in cœlis est Personarum Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Quis hanc mundo apportavit, intulitque Trinitatis cognitionem? Maria, quæ generando Filium Dei, cognitionem præbuit Patris; dando autem cognitionem Patris & Filii, pariter notitiam causavit Spiritus sancti. Maria itaque generavit Trinitatem, id est, cognitionem Trinitatis; ita ut, si Maria non esset, non foret in hoc gratiæ tempore, tam universalis Trinitatis notitia; dicatur itaque Maria, Domina seu Mater *d' Itria*, seu *Tria*; id est, Mater Trinitatis, quia notitiam generavit Trinitatis.

Luc. 1. v. 31.

M. notitiam causat Trinitatis.

XXIII. Quo pariter in sensu intelligi potest illud, quod dicit S. Isichius, Mariam denominans *Trinitatis complementum*: Maria Trinitatis completiva, quia notitiam peperit altissimi istius mysterii; sique Maria non esset, certè in hoc tempore gratiæ, non foret nota & ab omnibus credita Trinitas.

Aug. Pacletti in conc. præsent. B. V.

XXIV. Accipite modò alteram, quam vobis promisi expositionem. Nunquid à Deo missus est Angelus Gabriel in Nazareth? ita. Quo fine? ad requirendum Mariæ consensum, utrùm illa velit esse mater Dei? ad quid? quâ necessitate? dicite mihi per salutem vestram; si Maria non subministrasset suum purissimum

Argum. probans excellentiam gratiæ M.

san-

ſanguinem, ad formandam Chriſti humanitatem, nunquid *ex vi præſentis decreti*, facta fuiſſet incarnatio? non. Si incarnatio conſummata non fuiſſet, forſitan tota Trinitas habuiſſet filium, qui eſſet homo Deus, productus & dependens ab eadem Trinitate, *per modum unius principii*? non; ergo dici poteſt, quòd Maria, quæ conformiter dictis ſuccurſum tulit ad formandam Chriſti humanitatem, adjuverit Trinitatem, ut hujuſmodi haberet Filium. Nunquid non hæc Mariæ, ſuccurſum & complementum Trinitati præſtantis, gratia, vobis eminentiſſima eſſe videtur? ita ſanè.

XXV. Hiſce nihilominus majora vobis exhibebo, argumentum formaturus irrefragabile, quo demonſtrem, gratiam Mariæ fuiſſe quaſi & nonnihil minorem, quàm ſit infinita; pro cujus intelligentia, placebit ante auſcultare diſcurſum quendam, ſubtiliter formatum à præclariſſimis Scriptoribus & incomparabiliter doctiſſimis, præcipuè autem à quodam patre religionis meæ, qui coronam meruit, tot ſuperbam laudibus, quot ſcripſit hiſtorias, quibus ſuos exornavit libros. Taliter itaque argumentantur patres iſti profundiſſimi: gratia Mariæ conceſſa in puncto conceptionis ejus, longè ſuperexcelluit quamcunq; omnium Sanctorũ & Sanctarũ cœli, imò etiam ſupremorũ Seraphinorum Paradiſi gloriam, id quod adeo certum eſt, ut & nos idem in principio hujus ſermonis, cum S. Hieronymo affirmaverimus; operans autem Maria cum hujuſce gratiæ abundantia, perque omne vitæ ſuæ tempus, perfectiſſimos exercens actus amoris, ſemper conduplicabat gratiam; quæ taliter multiplicata (Mariâ virtuosè ſemper & zelosè operante) identidem creſcebat & augmentabatur; atque ita de hora in horam, de momento in momentum, per ſolidum 72. annorum ſpatium, Maria inceſſanter inæſtimabilem hanc gratiæ ſummam & ditiſſimum meritorum ſuorum patrimonium locupletans, auguſtiſſima cœlorum regina, ad tam ſublimes gratiarum gradus aſcendit; ut, ſi totus mundus, incipiendo à cœlo empyreo uſque ad terræ centrum, plenus eſſet arenâ, facilius hanc perſpicaciſſimus quidam Seraphinus numeraret, quàm ſingulos gradus tantæ gratiæ in Maria.

Aug. Paoletti in conc. præſent. B. V.

Argum. probans excellentiam gratiæ M.

XXVI. Ad ſtabilimentum porro hujus diſcurſus, ad dictam Mariæ gratiam, adeo multiplicatam, & continuo 72. annorum ſpatio adauctam, ſuperaddamus eas, quas habuit gratias ſpeciales, quando fuit præſentata in templo, quando perpetuæ virginitatis votum emiſit, quando concepit æternum Verbum, ipſumque peperit & cum eo converſata eſt per tempus adeo longum; dum baptizata fuit, & quotidie ſeſe communicabat; in adventu Spiritus ſancti & tandem in ſui ad cœlos aſſumptione; conjungite omnes haſce gratias cum illa prima, toties & toties multiplicata; ad quam putatis ſummam excreſcere poſſe, gratias adeo eminentes? profectò quicunque etiam, quantumvis Seraphicus intellectus confunderetur in numero hujuſmodi.

Gratiæ ſpeciales M.

XXVII. Argumentum hoc, ut verum fatear, adeo validum & ſtringens eſt, ut abundè perhibeat ſubtilitatem ingenii eorum, à quibus formatum eſt; nihilominus ſi mihi indulſeritis, ut & meam eloquar ſententiam, dico, argumento hoc non evinci, gratiam Mariæ eſſe quaſi infinitam; quia licet numerus horum graduum tantæ gratiæ ſuperet intellectum quemcunque creatum, poteſt nihilomi-

nus recenseri, estque de facto notissimus intellectui divino, & ipsum infinitum attingenti.

XXVIII. Auscultate igitur argumentum meum, & postquam ego adduxero præmissas, vos ipsimet estote judices, ad intentum vestrum illaturi conclusionem. In litaniis Lauretanis B. V. dum fit mentio justitiæ, Maria speculum nuncupatur: *Speculum justitiæ*; quando autem agitur de misericordia, dicitur: *Mater misericordiæ.* Hoc quod dicitur, Mariam esse speculum, exilem habet difficultatem; sic namque intelligi potest: quòd, sicut speculum repræsentat objecta, sed diversum habet esse ab iis; ita quoque Maria repræsentet quidem justitiam, at nullum ejus habeat exercitium; hoc ipsum intellectus est facile. Ast quomodo Maria dici potest, *Mater misericordiæ*? misericordia est DEI proprietas: *DEUS, cui proprium est misereri semper & parcere.* Proprietas, tametsi *formaliter sumpta*, sit uno gradu inferior quàm essentia, nihilominus *radicaliter* valet tantum, quantum ipsa essentia, sicque inter utramque differentia intercedit *in modo prædicandi*; quia essentia *prædicatur in primo modo*, proprietas autem *prædicatur in secundo.* Cum itaque Maria sit mater misericordiæ, quæ est proprietas Dei, dicemusne Mariam esse matrem Deitatis?

Novum Auctoris argum. probans excell. M.

Cur M. speculum justitiæ & mater miseric.

XXIX. Hic mihi imaginor ô Auditores! quòd SS. Trinitas cum Maria discurrens, ita eam allocuta fuerit: Tu ô Maria, tot tantasque inter gratias, tibi concessas, una est cæteris excellentior, quòd scilicet tanquam mater succursus, adjuveris & compleveris, imò generaveris cognitionem Trinitatis; unde tibi convenit nomen Dominæ seu Matris *d'Itria*, id est, quòd nuncuperis mater Trinitatis; ideo quidem conveniens foret, ut tibi daretur Divintas per naturam; quia verò hoc omnino repugnat, quandoquidem impossibile est, creaturam esse Deum per essentiam; ad minus tibi datur, ut Mater sis misericordiæ Dei, quæ valet tanti, quanti ipsa divinitas; quia verò hoc ipso, quo tu mater es misericordiæ, non obtinuisti omne, ad placitum, ideo, cum in effectu propter repugnantiam excellentius tibi dari non possit, reliquis omnibus gratiis tuis perpetim annexa hærebit alia quædam gratia specialis, scilicet quòd ipse Deus tibi manebit debitor; propter quod jure meritissimo gloriari poteris, digna, quæ per Sanctum Methodium, coram toto mundo, creditrix Dei deprædiceris: *Euge ô Domina, quæ debitorem Deum semper habes.* Mandate memoriæ vestræ hanc ultimam gratiam.

Deus M. debitor.

S. Bern. Sen.

XXX. Suppositâ igitur certitudine hac, quòd Maria mater sit divinæ misericordiæ, à vobis requiro, an peccator salutis cupidus, eam reperturus sit in via justitiæ divinæ? non; imò in rigore justitiæ peccator potius damnandus est ad infernale baratrum. Quâ ergo viâ salvabitur peccator? per usum misericordiæ divinæ. Quis usum & maternitatem possidet divinæ misericordiæ? Maria; *Mater misericordiæ.* Ut itaque salvetur peccator, necessariò confugere debet ad gratiosum Virgis tribunal.

Resol. Probl.

XXXI. Si ita res sese habet, inquit Sanctus Anselmus, meritò dixerim ego, quòd Maria *est non solùm quasi Deus, sed plus quàm Deus*: Si illa divinæ mater est misericordiæ, citra ullam controversiam, dictum ei titulum & prærogativam

Deus M. debitor.

vam impertiri potero; quia *quos Deus salvare non potest per suam justitiam, salvat Maria per suam misericordiam infinitam.*

S. Bern. Sen.

XXXII. Ergo inquit Sanctus Bernardus Senensis, *plus potest beata Virgo de Deo, quàm Deus de seipso*; quoniam Maria, per usum divinæ misericordiæ, potest illos salvare peccatores, quos Deus salvare non potest vi justitiæ suæ.

XXXIII. Hîc itaque superingrediatur & residuum adjungat Sanctus Augustinus. Quid fiet ô S. Pater de peccatore, qui Mariam non diligit? quis ejus exitus? *Necesse est, ut pereat.* Ad salutem peccatoris, simpliciter necessarius est usus divinæ misericordiæ, sed hic per gratiam concessus est Mariæ, ergo qui non fuerit devotus Mariæ, salvari non potest.

Resol. Probl.

XXXIV. Nunc tempus est, ut reducatur in formam argumentum meum. Creditor habet, nescio quam, prærogativam & dominium supra debitorem & principaliter quidem, quando debitor nullo modo sese eximere aut liberare potest ab illo debito; quia in tali casu sicuti debitor semper subjectus est & quasi subditus creditori suo, ita quoque creditor, dum suam nunquam assequitur satisfactionem, semper quasi certum & speciale dominium habet super debitorem: major hæc negari neutiquam potest, ita namque docet praxis universalis & quotidiana experientia; nunc itaque superaddo minorem. Omnium gratiarum Mariæ principalissima est illa & maximè singularis, vi cujus evasit creditrix Dei: *Euge ô Domina, quæ creditorem Deum semper habes*: neque Deus potest dictum Mariæ complementum solvendo adæquare, cum impossibile esset, impertire illi divinitatem per naturam; hæc minor pariter probata & concessa est; restat itaque, ut vos in virtute ingenii vestri, ad propositum vestrum, infallibilem deducatis consequentiam, qualis (meo certe judicio) necessariò esse debet, quòd gratia Mariæ sit quasi infinita; si enim aliquo pollet super ipsum infinitum respectu, imò ipsum infinitum sibi detinet obligatum, cur non gratia hujusmodi reputanda erit infinita?

XXXV. Si tanta est, tantumque valet gratia Mariæ, ut ipsiusmet Dei evaserit creditrix, quis è vobis erit, qui non devotissimus vivat huic magnæ Dominæ? an non audistis, quod S. Augustinus tradit & Sanctus Ignatius confirmat? *Impossibile est, aliquem salvari peccatorem, nisi per Virginis auxilium & favorem*: nisi Christianus fuerit Mariæ devotus, salvari non potest. Volebam discursus coronidem terminare exemplo, quod legi in sancta Ecclesia Lauretana, sed, quia video tempus præteriisse, solam vobis enarrabo substantiam; ut in omnibus necessitatibus vestris, & quibuscunque, tam animæ quàm corporis, adversitatibus & angustiis, ad Mariam recurrentes, devotè ipsam cum hac pulcherrima oratione deprecemini: *Sub tuum præsidium, confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.* In virtute hujus orationis, securissimi estote de quocunque adjutorio & consolatione. Si porrò intelligere vultis, utrùm Sancta Maria de succursu per baculum istum, quem manu portat, possit animas liberare ex inferno, inque Paradisum traducere, magno opus erit itinere, ut in abyssum illam descendamus, ideoque tantisper ante respiremus.

SECUN-

SECUNDA PARS.

XXXVI. ET ecce mox in principio, mihi videor à curiosis interrogatus & sollicitatus; si gratia Mariæ de succursu est quasi infinita, poteritne illa cum baculo isto, quem manu gerit, animas eruere ex inferno, inque paradisum transferre? dubium hoc adeo grave est, ut mallem potius à doctioribus audire responsum, quàm meum desuper insinuare judicium. Totus atque universalis doctorum consensus astruere videtur, non esse possibile, ut animæ, semel ad infernum damnatæ, liberari possint ex obscuro illo carcere, quandoquidem inferni est infinita pœna, juxta illa Christi verba: *Ite maledicti in æternum.* Unde & ad portas inferorum inscriptum legitur: *spem exuite, quotquot intratis.* Ratio porro theologica favet, quia cum peccatum sit infinitum *saltem ratione offensæ*, pœnam meretur infinitam, qualis est pœna æterna inferni. Si igitur pœna inferni est æterna quomodo anima in infernum præcipitata, per Mariæ intercessionem liberari poterit ab isto supplicio? præterea in multis conciliis vetitum est, ne pro iis, qui in peccato mortali discesserunt, ullum offeratur sacrificium; quæ decreta illi magni Patris Augustini innituntur doctrinæ, dicentis: *Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti.* Quomodo itaque Maria enervare poterit statuta Dei, liberando damnatum aliquem ex inferno?

An M. possit liberare animas ex inferno.

Mat. 25. v. 41.

XXXVII. Respondent aliqui, Mariam efficaciter liberare animas ex inferno *per anticipationem*; id est, quatenus intercedit pro iis, adhuc viventibus, ne in infernum præcipitentur, rogans Deum, ut dignetur iis lumen impertiri conversionis; qui loquendi modus valde conformis est divinæ providentiæ; quo pariter in sensu intelliguntur illa S. Bernardi verba, inquientis: *A beata Virgine cœlum impletum est & infernus evacuatus*; nec non illa Sancti Germani, lib. de zona Virg. *Agnovi plurimos, sanctissima Deipara intercessionibus ab æterno supplicio liberatos.*

D. Bern.

S. Germ.

XXXVIII. Alii asserunt, Mariam liberasse aliquos peccatores ab inferno, obtinendo iis à Deo gratiam, antequam pedem inferrent flammis infernalibus, ut in vitam redire possent & pœnitentiam agere; habetque sententia ista fundamentum magnum; si enim id alii sancti obtinuêre, cur non impetrasset pariter Virgo Maria? Sanctus Maximus homil. de Sancta Agnete & Sanctus Ambros. ser. 90. tradunt à Sancta Agnete resuscitatum fuisse juvenem quendam idololatram, occisum à diabolo, in medio libidinis ardore; qui certè dici nequit mortuus in gratia. S. Greg. l. 1. Dial. c. 9. memorat, quòd Sanctus Severus pessimum quendam hominem resuscitaverit, dum mortuus à dæmonibus ad infernum traduceretur. Scribunt alii, quòd Sanctus Petrus ad vitam revocarit quendam Ethnicum, consanguineum Cæsaris. Sanctus Joannes Damascenus ser. de defunctis, historiam quasi indubitatam asportat, quòd S. Gregorii lacrymæ à Deo liberationem impetrarint animæ Trajani Imperatoris ex inferno. Si hoc Sancti isti præstare potuêre, cur negabimus idem minimè concessum fuisse Mariæ?

Alius modus asserendi, quòd M. liberet ex inferno.

S. Max.

S. Ambr.

D. Greg.

XXXIX. Dicetis mihi utique; pater, quod hucusque dixistis, credibile nobis apparet, neque difficile intellectu est;

est; scire tantummodo optaremus, utrùm Maria in effectu habeat potentiam liberandi animas, tantum in infernum præcipitatas, & à Deo condemnatas, ad supplicium istud æternalium pœnarum? Huic quæstioni, pro mea & vestra satisfactione, meam consignabo sententiam, ita tamen, ut me semper in omnibus & per omnia submittam sensui catholico Ecclesiæ Sanctæ. Suppono autem tanquam fundamentum omnium dicendorum, quòd, quantumvis conformiter fidei & *de lege ordinaria*, *& secundùm cursum naturæ*, ignis infernalis æternus sit; nihilominus de fide non est, nunquam in hac lege fuisse dispensatum, aut nunquam dispensari potuisse. Sicut de fide est, omnes nos conceptos esse in peccato originali: *Et in peccatis concepit me mater mea*; non tamen de fide est, nunquam in hac pœna cum aliquo dispensatum fuisse; ita ut, si Deus nobiscum dispensare possit, possibile fuerit, ipsum aliquando dispensasse; ita pariter dispensare poterit, ut quis jamtum inferni carceribus inclusus, in mundum redeat, pœnitentiam agat & salvetur.

Non est de fide Deum nō posse dispensare in igne infern.

Ps. 50. v. 7.

XL. Hoc supposito, adjungite insuper, quòd omnia, quibuscunque creaturis concessa privilegia, omnia, inquam, multò excellentius collata fuerint in matrem virginem Mariam; prout S. Anselmus de excellentia Virgin. c. 12. asserit, inquiens: *Te Deus sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donarit*: & Sanctus Bernardus ad Canon. Lugdu. Epist. 174. *Quod vel paucis mortalium, constat esse collatum; fas certè non est, tantæ virgini esse negatum.* Et tandem Sanctus Angelicus Doctor p. 3. q. 27. art. 1. in corp. *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia acceperit.*

D. Ansel.

S. Bern.

S. Th.

XLI. Hocce toto præmisso, taliter discurro. Aliis Sanctis concessa est, aut ad minus oblata gratia, eximendi animas ex inferno, ergo neganda non est magnæ Matri. Respondebitis indubiè, cui unquam Privilegium indultum aut oblatum fuit liberandi animas ex inferno? Traditur in Scriptura sacra, quòd Isaias vice quâdam Regem Achab conveniens, dixerit: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Quære, quidquid volueris, sive signum in cœlo, sive in inferno; quodcunque petieris, obtinget tibi. Hic ego vos interrogo; quid si requisiisset Achab liberationem alicujus animæ ex inferno, nunquid non ejus petitioni satisfecisset Deus? sine dubio; cæteroquin enim dicta per Isaiam Prophetam, ex parte Dei, Regi Achab facta oblatio, omnino frustranea fuisset, ideoque Abulensis in c. 16. Matthæi 9. inquit: *Si petiisset à Deo signum, sicut Deus jubebat, Deus illud faceret, & in hoc appareret gloria Dei*; perversus autem Rex nullum requisivit signum, non quia de ejus assecutione dubitabat, sed ut non cogeretur dare gloriam Deo: *Noluit petere, ut non appareret gloria Dei*; subjungit idemmet Abulensis.

Isa. 7. v. 11.

Abul. in c. 16. Mat. 9.

XLII. Si ad impii Regis votum & voluntatem, Deus liberasset animas ex inferno; abyssalibus tenebris jamtum immersas; quare negabimus, per intercessionem Virginis Matris nullas liberatas fuisse, aut saltem non posse liberari animas ex inferno?

XLIII. Confirmat totum hoc Sanctus Petrus Damianus Ser. 1. de nat. Virg. ubi alloquens V. Mariam, inquit: *Quid*

S. Petrus Dam. Ser. 1 de nat. Virg.

Quid tibi negabitur, cui negatum non est, Theophylum revocare de ipsis faucibus perditionis? Theophylus hic, ad reobtinendum quoddam officium (prout Surius tradit) quo fuerat exutus, sese totum mancipavit diabolo, neque contentus abnegatione Dei, per formalem & expressam Scripturam se dæmonio perpetuum addixit servum, quia autem postea confugit ad Mariam, tandem post multos in orationibus & jejuniis transactos dies, reperit super pectus suum, dictam & à se diabolo consignatam scripturam; ita Eutichianus refert, qui hanc à se historiam in Surio lectam esse attestatur: *Ea Virgo, quæ semper est parata in auxilium eorum, qui affliguntur, detulit chartam, habentem perniciosam confessionem.* Apertissimè autem omnium, ipsamet magna mater, Sanctæ Brigidæ li. 1. c. 9. revelavit, dæmonia ad auditum nominis Mariæ, cessare à cruciandis animabus; ait enim: *Nomen meum, quod est Maria, cum audiunt Angeli, satis exultant; qui verò sunt in Purgatorio, maximè gaudent; dæmones verò audientes nomen Mariæ, statim relinquunt animas damnatorum.*

Eutich.

B. Brig.

XLIV. O Virgo gloriosissima & Cœlorum Regina; quæ mortalis lingua unquam sufficienter exprimere poterit plenitudinem gratiarum tuarum? Tu per singulare privilegium ab originali præservata peccato, tota immaculata es & pura. Uterus tuus virginalis apparet non solùm ipso pulchrior Paradiso, qui a scilicet imensum illum Deum reclusit, quem ipsi nequeunt capere cœli; sed ipsumet æmulatus æterni Patris sinum, particulari incarnati Verbi reverentiâ condecoratur. Quantum in Deo trino & uno fuit & est per naturam, tantundem tibi concessum fuit per gratiam. Tua fæcunda puritas admirabilior videtur ipsâ purissimâ fœcunditate divinarum personarum; sicuti enim per virginitatem soror effecta es SS. Triados, ita per maternitatem evasisti non modò forma, idæa & vivum trini & unius Dei speculum; sed insuper eò ascendisti, ut majorem esse faceres illum, qui infinitè quamcunque superat majestatem Deus. Tanta fuit venustas tua, ut ipse Deus, summè decorus, in mundum venerit, ut tuæ particeps fieret pulchritudinis. Denique gratiarum tuarum plenitudo ad tantam ascendit eminentiam; ut & absolutum habeas dominium misericordiæ divinæ (quæ tantam habet prærogativam, quantam ipsa divinitas) & insuper Dei evaseris creditrix. Et quandoquidem tantâ polles potestate, ut animas ex inferno liberare valeas; multò tibi facilius fuerit, eripere afflictas animas è purgatorio. Si autem piissima es istorum afflictorum spirituum mater, quidni fueris & misericors pariter nobis miseris peccatoribus? ita, ita Domina; aperi abundantem gratiarum tuarum thesaurum, & largam effunde super omnes tibi devotos benedictionem, specialiter autem super eos, qui te immaculatam & puram profitentur. Quia autem illi, qui portant sacrum scabulare ordinis Carmelitarum, sunt speciales servi & famuli tui; sicut & illi, qui quotidie tibi offerunt coronam sancti rosarij, nec non præcincti isti, quibus tu ipsamet, per gloriosæ & sanctæ Monicæ manus, gratiosè cingulum impertiisti; qui a inquam, omnes isti, tui sunt speciales filii, promerentur ut tales, tuam defensionem, adjutorium & consolationem cum gratia speciali. Ego pro termino, in nomine omnium aliorum tibi devotorum, humiliter prostratus, reverenter cum sancta Ecclesia te oro & obtestor:

Apostrophe ad B. V.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillamines, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. Omnibus, qui te cum humilitate invocarint, Matrem de succursu, tuum amicabiliter præbe auxilium; super eos autem, qui quotidie ut minimum in corde dicent: Vivat magna Dei Mater, concepta sine peccato originali: tuas largius & abundantius multiplica benedictiones, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

CONCIO

PRO DIE VENERIS SANCTO

DE FRUCTIBUS GLORIOSORUM ET DOLOROSORUM TORMENTORUM.

DEI CRUCIFIXI.

PROBLEMA

Utra dicenda sit major; an vita gloriæ, quam Deus crucifixus contulit sanctissimæ Trinitati in cœlis; aut verò passio & pœna mortis, quam ipsa Trinitas dedit Crucifixo in terris?

PROOEMIUM.

Ecce vobis, post superatas aquas tormentis.

CEdron, æternitas nocturnis se subjicit horroribus; in angustissimos hortos traducitur immensitas, contristatur lætitia, tædio perfunditur voluptas, expavescit audacia, prosternitur altitudo, minoratur omnipotentia, subsidium efflagitat beatitudo, gratiam exspectat gratia, sanguinem sudat alacritas, pax agonizat. O quæ inordinatio!

Pervertunt accusationibus bonitatem; albis vestimentis deludunt sapientiam, clamoribus obtundunt sanctitatem, cute exuunt divitias, acerbis virgis cædunt disciplinam, acutis spinis lacerant integritatem, infami spectaculo violant modestiam, novis tormentis eviscerant pietatem, sine respectu demoliuntur salutem, justitiam condemnant sine ratione. O quæ inordinatio!

Est gravi onerata trunco debilitas, per duram semitam dux conducitur, armis custoditur securitas, cum despectu pro-

protruditur nobilitas, à duobus latronibus vituperatur gloria, patibulo mortis affigitur vita, in cruce maledicitur benedictio, clavis exanimatur plenitudo, aceto & felle amaricatur dulcedo, crudelitate exstingitur misericordia, corde transfigitur benignitas, sub terra sepelitur Deitas. O quæ disordinatio!

Eum percutit Pater, affligit Verbum, desolatur Spiritus Sanctus, materna cruciat præsentia, angelica contristat confortatio, deserunt Apostoli, fugiunt discipuli, Petrus negat, Judas vendit, magistratus comparant, Ecclesiastici vinculis astringunt, Sacerdotes accusant, Principes illudunt, Præsides condemnant, turbæ confundunt, Judæi refutant, gentiles excruciant, diaboli abhorrent, creaturæ occidunt. O quæ disordinatio!

Caput torquent spinis, oculos sputis, genas alapis, os amaritudine, collum funibus, bracchia catenis, pectus lanceâ, tibias itineribus, manus, & pedes clavis, totum corpus vulneribus. O quæ disordinatio!

Tot inter disordinationes totum immutatur universum; unde viri animosi ab eo profugiunt, fœminæ fragiles ipsum sequuntur; Petrus ad ignem frigefactus, in medio aquarum calefit; Apostolus evadit in furem, & fur officium subit Apostoli; cœlum naturâ suâ mobile firmatur, terra immobilis concutitur; Solis splendor obscuratur, cæcus sine luce lucem habet; vivi moriuntur & expallescunt, mortui resurgunt & revivificantur; monumenta aperta clauduntur, reclusa verò seipsis aperiuntur; lapides intenerescunt & corda mollia indurescunt. O quæ disordinatio!

Quis tantas inter perturbationes mihi spiritum conferet, ut tam sublimia explicem mysteria? in quam me partem recipiam, ut auxilium nanciscar? Si ad Patrem me verto, illum dicentem audio: *Moriatur filius meus.* Si ad Spiritum sanctum; omnis ejus conatus in hoc unicè vergit, ut Christus offeratur in sacrificium; si ad ipsum filium oculos meos converto, hic ultro citroque in mortem inclinatur. Si Angelos intueor, hi tali spectaculo attoniti, lacrymantur & ingemiscunt; Si Mariam quæro, hæc in fletuum mari sepulta jacet. Quò igitur confugiam? ubi vel unde subsidium exspectabo? Indulgete mihi ô devoti Auditores! sanctam crucem illam, in qua peractũ fuit sacrificium immaculati Agni Christi, pro redemptione mundi.

2. Reg. 1. v. 11.

D. Ambr. l. 3. de offic. c. 9.

O Sacrosancta crux, ô sacrum lignum, felicissima arbor, fortunate trunce, clavis Paradisi, sponsa Dei, mater peccatorum, propitia esto nobis in hodierno die; *& rigor lentescat ille, quem dedit nativitas.* Crudelis nimium fuisti afflictæ matri, quia Filium ejus, quem ipsa vivum tibi dederat, tu illi mortuum restituisti; ad minus nobis hodie placabilis esto, in nos compassionem exerce; & me quidem specialiter felici favore prosequere, ut auscultantium cordibus compassionem & dolorem imprimere merear; ideoque te obsecro, & tanquam matri piissimæ supplico & inclinatus oro,

Ave crux, gratiâ plena, doloribus plena; Dominus tecum; benedicta tu inter omnia ligna silvarum, & benedictus fructus, qui pependit in te, Iesus Christus: sancta crux ora pro nobis peccatoribus, nunc & semper. Amen.

INTRO-

INTRODUCTIO.

I.

CErtior factus David, super montes Gelboe occubuisse Regem Saul, teste Scripturâ sacrâ, maledictionem adeo horrendam montibus illis imprecatus est, ut dicere non dubitarit: *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniat super vos, ubi abjectus est Saul, clypeus fortium.* Quâ maledictione, ut inquit S. Ambrosius, pœnam exsolverunt montes, sibi debitam: *Regiæ necis spectaculo, pœnam elementa solverunt.* Sed quam culpam admiserunt montes isti, dignam tali pœnâ? Quid mali fecerunt? quod delictum perpetrarunt? Quod flagitium, inquit David? quomodo? Regem coronatum mori vident, neque compatiuntur neque in gemitus resolvuntur? propter asperitatem & duritiam suam sint maledicti: *Et pro Regiæ necis spectaculo, pœnam elementa solverunt.* Si montes intellectu carebant, quomodo condolere poterant? Si discursu non pollebant, quomodo dijudicare poterant, hanc Saulis mortem, dignam esse lacrymis? Nihil refert, inquit Sanctus; quando contingunt casus adeo afflicti & extraordinarii, omnes creaturę, etiam insensatæ, eos videntes, excedere debent terminos propriæ naturæ. Audite me animæ devotissimæ: si montes Gelboe, creaturæ insensatæ, maledictionem & severum subierunt supplicium, quia non planxerunt mortem Saulis Regis, qui Dei inimicus erat quanta pœna nobis infligetur viventibus, si hodie videntes Deum morientem, non resolvamur toti in lacrymas. Ecce, hodie in passione & morte Christi, omnes insensatæ creaturæ signa exhibent maximę compassionis & doloris. Sol obscuratur & luctum induit; terra tota tremit & commovetur, lapides rumpuntur, velum templi à summo usque deorsum scinditur; & nos creaturæ animatæ ipsisne saxis duriores inveniemur? nequaquam; sed, si oculorum lacrymæ deficiant, ad minus per lacrymas cordis compatientes dolorosæ morti Salvatoris nostri, contemplemur hodie, quòd in eodem tempore, quo Christus in terris, à cruce recepit mortem, quòd, inquam, eodem tempore SS. Trinitas in cœlis ab eadem cruce receperit vitam; quam autem dicemus superexcellere, an vitam gloriæ, quam Deus crucifixus dedit sanctissimæ Trinitati in cœlis; an verò passionem & mortem, quam eadem Trinitas dedit crucifixo in terris? Interim dum ego me accingo ad discursum de Christo patiente & crucifixo, vos languentem sermonem meum animate vitâ devotionis vestræ & silentii favore. Incipiamus

2. Reg. 1. v. 21.

D. Ambr. l. 3. de offic. c. 9.

PRIMA PARS.

De vita gloriæ, quam Deus crucifixus dedit sanctissimæ Trinitati in cœlis.

Nos autem gloriari oportet in cruce. Galat. 6. vers. 14.

II. QUòd mors Dei nostri crucifixi, vitam gloriæ attulerit sanctissimæ Trinitati, ex S. Paulo deduci videtur, qui in Epistola ad Galatas, in nomine divinarum personarum loquens, ait: *Nos autem* Personæ divinæ gloriantur in cruce Christi.

gloriari oportet in cruce Domini Iesu. Sed ô sacratissimæ personę, quam vobis gloriam conferre potuit crux, qui fontes estis omnis gloriæ! & vos dicitis: *oportet?* est necessum? quid si Christus mortuus non fuisset in cruce, quid tunc foret? quid? exspirasset in homine Trinitas.

Crux spiritualis Trinitatis. III. Ad notitiam & intelligentiam dictorum, supponendum est, sanctissimam Trinitatem, ut indesinenter manuteneret beatitudinem suam crucifigi voluisse in cruce spirituali; non poterat illa, propter substantiam suam incorpoream, affigi in cruce lignea, ut igitur foveret gloriam suam, crucifigi voluit in cruce signi. Sed quomodo? Christianus efformaturus signum crucis, dicit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Quid cruci cum Trinitate? audite; non poterat SS. Trinitas propter causam modò dictam, crucem subire ligni, ideoque vult à nobis applicari cruci signi.

IV. Ideoque sancta Ecclesia, quoties meminit SS. Trinitatis, semper Trinitati associat crucem. Baptismum collatura, Trinitatem cruci spirituali affigit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Amen.* (Matth. 28. v. 19.) Completura sacramentum pœnitentiæ, crucifigit Trinitatem: *Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*; populo benedictura, præsenti in missæ sacrificio, Trinitatem adigit in crucem: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus.*

V. Amplius dicam: impotens Trinitas subire crucifixionem in ligno crucis, voluit, ut crux lignea figuram ad minus exprimeret Trinitatis; quot enim ad crucis constitutionem partes requiruntur? tres; nimirum stipes, qui tenditur rectâ per longitudinem; lignum, quod ducitur per transversum, deinde alia pars seu asser superior, cui inscriptus fuit iste titulus: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* (Ioan. 19. v. 19.)

S. Trias obsequiosa cruci. VI. Totum hoc nihilominus exile est; non enim SS. Trinitas voluit duntaxat semper unita existere cum cruce, sed etiam semper voluit obsequiis crucis sese implicare; ad quod probandum, incipiamus à Patre. S. Paulus in Epistola ad Colossenses 2. tractans ex instituto de iis, quæ nobis mortalibus amantissimus Pater exhibuit, ait: *Donans nobis omnia delicta; delens, quod adversùm nos erat, chyrographum decreti, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* (Coloss. 2. v. 14.) Tulit æternus Pater chyrographum, illudq; cruci affixit. O sancte Apostole, ad hoc ut obligatio exspiret, Scriptura deleri, dissipari aut comburi solet; nunquam autem cruci affigitur. Chyrographum, cui inscripta erant omnia peccata mundi, caro Christi erat: *In eo posuit iniquitates omnium nostrûm.* (Isa. 53. v. 6.) Volens igitur Pater æternus remittere nobis omnes culpas nostras; *donans nobis omnia delicta*, quid fecit? delevit ea, quæ scripta erant adversùm nos; utq; omnino scripturam & chyrographum invalidaret: *ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*: apprehendit ipsum Christum filium suum, eumque in crucem sustulit; q. d. Crux tantæ apud me est existimationis & pretii, ut pro totius debiti exsolutione, ipsummet in cruce offeram & donem filium meum. (Pater æternus dat cruci suũ filium.)

VII. Filius pariter non minorem cruci honorem detulit, quàm Pater; quemadmodum idem Apostolus, ad Galat. scribens, apertè affirmat, dum ait: *CHRISTVS, ut liberaret nos à lege peccati, factus est pro nobis maledictum.* (Gal. 3. v. 13.) Quid rei insinuat maledictum? Scriptura resolvit: *Maledictus homo, qui pendet in cruce.* (ib. v. 13.) Ut igitur CHRISTUS nos à pecca- (Filius crucem suo vestit sanguine.)

peccato liberaret, crucem veneratus est, eam proprio suo sanguine vestiendo.

Cui cooperatur & Spiritus S.

VIII. Forte Spiritus sanctus in exhibendis sanctæ cruci obsequiis defecit? audite rem, notatu dignissimam. Tradit Albertus Magnus, præceptor sanctæ Thomæ Aquinatis, in CHRISTI conceptione, aliquot sanguinis guttulas ex Mariæ corde profluxisse: *In conceptione CHRISTI, quædam guttulæ sanguinis stillaverunt ex corde Mariæ Virginis.* At si purissimus Mariæ sanguis erat materia sufficiens ad efformandam Christi humanitatem, ad quid illæ sanguineæ guttulæ ex corde Virginis? respondet Albertus Magnus, quòd juxta sententiam Anatomistarum; *ex sanguinis cordialis fonte, profluunt quatuor rivuli sanguinis, circumstantes in forma crucis.* Itane? inquiebat Spiritus sanctus, ergo in corde Mariæ sanguis asservatur in forma crucis? optimè; formetur ex sanguine isto corpus Christi, ut per operationem meam crux resplendeat in Christi corpore. Quid excellentiæ crux impertiri poterat sanctissimæ Trinitati, quod ei bonum conferre, propter quod divinæ illæ personæ tanto honore & respectu persecutæ fuêre crucem?

IX. Accipiamus resolutionem ab ipsamet Sapientia incarnata, quæ de seipsa per Ecclesiasticum loquens, ait: *Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos; & fructus mei, fructus honoris & honestatis.* Eccl. 24. v. 22. Mirabile profectò negotium in eodem capite divina sapientia se comparat Balsamo, Cedro, Cypresso, Palmæ, & nulla harum arborum est fructifera; sed Terebinthus duntaxat seu quercus, fructus producit in alimentum porcorum. O Deus! arboribus adeo nobilibus, visuq; gratiosis nullum omninò fructum indulges; quercum verò, arborem viliorem fructibus exornas gloriæ & magnificentiæ? Alphonsus Ciaconius in libro, Alph. Ciacon. quem scripsit de insigniis sanctissimæ cruci, dicit crucem Christi ex quercu formatam fuisse, tum quia lignum istud subitò ad manum erat, tum etiam quia cariem non patitur. Porro in hujus sententiæ favorem, citat mirabilem quendam Isaiæ textum, in quò expresse denotatur, crucem CHRISTI fuisse querciam: *Et erit sicut Terebinthus & quercus, semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Isa. 6. v. 13. Crux illa fabricabitur ex quercu, in qua pendebit semen sanctum, id est, Messias. Itane? ex quercu crux parabitur? quid igitur mirum, quòd quercus fructus ferat gloriæ & honestatis?

Crux Christi ex quercu.

X. Vultisne gloriosos gustare fructus, quos Christus tulit in cruce? incipiamus ab inferno, inde postea progressuri usq; ad cœlum empyreum. Quis infernum destruxit, nisi Christus crucifixus? dicente Ecclesiâ sanctâ: *Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit.* Si aliam porrò veritatis hujus probationem requiritis, sanctum Paulum adeatis, docentem: *Misit Deus filium suum in mundum, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis Imperium.* Hebr. 2. v. 14. Ablegavit Pater æternus Filium suum in mundum, ut infernum debellaret morte crucis. Nunquid possibile credemus, in divinæ sapientiæ thesauris nullum alium fuisse repertum modum atterendi infernum & Luciferum, præter Christi mortem in cruce? Nequaquam; sed aliud in hoc latet mysterium. An obliti estis fraudis, quâ serpens infernalis protoparentibus nostris in Paradiso supplantavit? quomodo & per quid eos cadere fecit? per lignum:

Christus in cruce destruxit inferos.

Qua-

Gen.3.v. 11. *Quare de ligno, de quo præceperã tibi, ne comederes, comedisti?* Ideoque concludit cœlum; ligno pariter atteratur infernus, quod est crux Christi; *ut, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.*

XI. In terris quis mortem destruxit, nisi Christus per mortem crucis? attestante ipsâmet Ecclesiâ: *Qui mortem nostram, moriendo, destruxit.* Sed quomodo Christus cruci affixus, potuit destruere mortem? audite inventionem subtilem: toto vitæ suæ tempore, Christus insidiabatur morti, ut attereret ipsam, sed mors semper manus ejus effugit: *Ante faciem ejus ibit mors.* Tandem Christus in crucem adactus fuit, ubi cum mors eum videret clavatum manibus & pedibus, insiliit in ipsum, cor oppressit & occidit. Quid fecit Christus? Advocavit Longinum, ab eoque per ictum lanceæ, suum sibi latus aperiri jussit; cum autem in pectore Christi resideret mors; ideo simul cum Christi morte, occisa mors est.

Christus morte crucis occidit mortem.

Habac.3. v. 5.

IX. Quid obsecro continet Ecclesia militans, quod non emineat splendore & virtute crucis? Forsitan sacramenta suam haberent efficaciam, nisi fuisset in cruce mortuus Christus? nequaquam; imò verò vel propterea Canoni Missæ præfigitur figura Dei crucifixi, neque sancta Ecclesia ullam unquam peragit functionem spiritualem, nisi præmissâ cruce.

Sacramẽta vim habent ex cruce.

XIII. Ab Ecclesia militante transeamus ad Paradisum terrestrem. Quis locus hoc ipso fuit aut erit felicior unquam in mundo? fuit Paradisus iste, deliciosus hortus, immediatè plantatus manu ipsius Dei: *Plantaverat autem Paradisum voluptatis*; advertite, quàm jucundus exstiterit locus iste, utpote qui in oblectamentum deservivit oculis divinis: *Deambulabat ad auram post meridiem.* Quæ tanta potuit esse terrestris Paradisi venustas, ut oculos raperet ipsiusmet Dei? Scitisne, quæ? continebat Paradisus arborem vitæ, adeo pulchram, decoram & deliciosam, ut Deus sibi soli eam voluerit reservari, prohibens, ne ex illâ quidquam manducaret Adam: *De ligno, quod est in medio Paradisi, ne comedas.* Quid poterat reperiri in arbore ista, tantæ æstimationis & pretii, ut ipsi etiam Deo gustum & satisfactionem daret? Magnus P. S. Augustinus docet, arborem eam fuisse ficum; unde & protoparentes nostri sese vestierunt foliis ficulneis; *Consuerunt sibi folia ficus.* Non tamen fuit ficus communis, *sed fuit Ficus Indiæ*, dicit S. Augustinus. Porro juxta traditionem Patris Cassanæi in catalogo gloriæ mundi, fructus iste per medium divisus, figuram exhibet crucis. Itane? igitur inquiebat Deus; arbor vitæ, in medio Paradisi consistens, crucem in se continet? propterea arbor ista mihi soli reservata erit, & in oblectationem oculorum meorum. Fuit ergo Paradisus terrestris felicissimus propter crucem.

Gen. 2. v. 8.

Gen.3.v. 8.

Crux felicitavit Parad. terr.

Gen.2.v. 17.

Gen.3.v 7.

XIV. Quis Ecclesiæ triumphantis sanctus aut sancta non veneratur & recognoscit crucem pro matre sua? Omnes omnino Sancti, nullo dempto, redempti sunt à Christo, per sanctam crucem; vel *ante lapsum*, ut Maria, vel *post lapsum*, sicuti omnes nos. Nunquid & Angeli confirmati fuêre in gratia, *ex meritis Christi prævisis*? Ita; omnes itaque triumphantes isti Spiritus, etiam Angeli, dependentiam habent à cruce.

Crux mater Ecclesiæ triumphan.

XV. In die judicii, quando propter horribilissimos rerum eventus, ipsi etiam Seraphini contremiscent; quod aliud refrigerium & solatium habebunt electi, nisi in sanctissima cruce? audite doctrinam Ecclesiæ sanctæ: *Hoc signum crucis erit in cœlo,*

Crux refrigerium Electorũ in judicio.

cum Dominus ad judicandum venerit. Quam ob causam in die illo tremendo crux apparebit? scitisne, quare? quia in die illo fatali obscurabitur Sol, & exanimati corruent miseri peccatores: *Arescentibus hominibus præ timore.* Quasi igitur statuit cœlum: in tanta obscuritate, quæ pœnam infligit miseris damnatis; compareat clarissimus fulgor sanctæ crucis, in refrigerium electorum.

Luc. 21. v. 28.

XVI. Ideoque attestatur S. Lucas, quòd circa terribilium istorum signorum principium (*his fieri incipientibus*) dicturus sit supremus Judex ad prædestinatos: *Elevate capita vestra.* Quomodo ô tremende Domine, nunquid in die tanti rigoris & horroris, quando decident cœlo, fulgura, flammæ & ignes, nunquid electi tui satius facturi essent, si cum lacrymis oculorum & pœnitenti corde, manus levarent in cœlum, pietatem & misericordiam postulaturi? Non; nunquid consultius foret, si membra sua sacco cooperirent, & facie prostrati in terram, omnes contriti indulgentiam efflagitarent? Non; sed totum, quod agent servi mei, est hoc; scilicet ut elevent capita sua, ad horrenda illa supplicia, quia cùm illi frontem consignatam acceperint in Baptismo, per signum sanctæ crucis, neque istud per peccatum aboleverunt, prout fecerunt reprobi, ideo intuitu illius sanctissimæ crucis, cognoscentur omnes servi mei, & ut tales in regnum introducentur. Audite magnum Patrem Augustinum: *Lumen Christi crux est, quâ nos in frontibus signavit, ut securi essemus in die judicij.*

Ibi. v. 28.

S. Aug.

Crux clavis Parad.

XVII. Quam autem clavem creditis esse, quâ Paradisus reseratus fuit? profectò sola crux. Non diffiteor equidem, ante portam Paradisi Cherubinum consistere, qui gladio evibrato prohibeat ingressum; sed audite, quam in persona Christi, instructionem præbet Chrysostomus, dicens: *Si tibi ingressum gladius igneus prohibuerit, regium crucis signum illi ostende, tibique statim Pradisi portas aperiet.* Et quidem conveniens omnino erat, ut Paradisi clavis crux esset; si enim clavis, quâ Paradisus occlusus fuit, erat lignum istud, ex quo manducavit Adam (*Ejecit Adam Dominus de Paradiso voluptatis, quia comederat de ligno vitæ.*) consentaneum profectò erat, ut non alia clavis, nisi sola crux Paradisum clausum aperiret: *Regium crucis signum ostende, & statim tibi Paradisi portas aperiet.*

Chrys. ho. de desc. Christi ad inf. t. 6.

Gen. 3. v. 24.

XVIII. A rebus creatis ad increatas transitum faciamus. Attributa divina unde suum mutuant splendorem? Si Christus mortuus fuisset, & non *ex vi præsentis decreti*, mors illi fuisset, illata; forsi tanne planè satisfactum fuisset divinæ justitię? minimè equidem; quia cùm peccatũ consummatum fuisset per lignum, consequenter etiam necessarium erat, ut & satisfactio fieret per lignum crucis atque ideo Deus in Paradiso lignum vitæ designavit: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.* Quibus conformiter inquit S. Hieronymus: *Christus pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno, deleret appensus.*

Crux divinæ satisfactoria justitiæ.

S. Hier.

XIX Divina misericordia undenam suum consummatum habet splendorem, nisi à cruce? Audite Prophetam Isaiam: *Ut faciat opus suum, alienum est opus ejus ab ipso.* Deus opera sua completurus, fecit quoddam opus, quod non erat opus ejus. Quomodo? si Deus fecit opus suum, qualiter ergo fecit opus non suum? appellat Propheta opera Dei propria, indulgentiam & misericordiam; *Deus, cui proprium est misereri & parcere;* ut

Isa. 28. v. 21.

ut itaque Deus exerceret opus suum, faciendo misericordiam & pietatem (*ut faciat opus suum, alienum est opus ejus*) debuit operationem exequi, longè alienam ab esse divino; quæ autem fuit hæc tantopere aliena DEo, operatio? respondet S. Gregorius Papa homil. 6. super Ezechielem: *Non enim convenit Deitati, conspui, flagellari, crucifigi.* Non est operatio Deo appropriata, esse sputis, flagellis & crucifixione contortum. Fuit igitur Deus crucifixus, ut in nos suam exerceret misericordiam & pietatem; nunc autem edicite vos, nunquid misericordia idem est, quod *miserum cor habere*? ita; quantò magis quis miserum cor habet, tantò amplius dicetur misericors. Ubi autem Christus cor habuit magis miserum, quàm in cruce, in qua per Longini lanceam apertum est sacrum ejus pectus? Nunquam igitur divina misericordia pulchrior & venustior apparuit, quàm in cruce.

S. Greg.

Misericordia venustissima in cruce.

XX. Si porro divina omnipotentia consistit in indulgentia (*Deus, qui omnipotentiam tuam, parcendo & miserando, maximè manifestas*) quandonam obsecro, divina miseratio in totum genus humanum, innotuit evidentior, quàm dum in cruce sparsus est sanguis divinus, *in remissionem omnium peccatorum*?

Item omnipotentia.

XXI. Sapientia divina ad tantam nunquam pertigit exaltationem, neque perfectius unquam cognita fuit, quàm in cruce; ipso Christo, qui vera erat sapientia Patris, ita attestante, dum ait: *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Et in effectu quidem illa ipsa incarnata sapientia, quæ 33. annorum spatio nunquam agnita fuit in cruce fuit cognita pro divina: *Verè Filius DEI erat iste.*

Joan. 8. v. 28.

XXII. Ast quid ego de divinis attributis discurro? quandoquidem ipsa sanctissima Trinitas illustrata, imò vivificata fuit per crucem; dicite mihi ô sapientes, ubinam magis viva expressa est imago Trinitatis, quàm in homine? certè in nulla creatura, ipsis sacratis personis in creatione hominis attestantibus, dum inquiunt: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Hæc pulcherrima Trinitatis imago, homini impressa, ab ipso homine per peccatum deleta fuit; ita ut, cum homo ante existens in gratia, viva esset Trinitatis imago, per peccatũ postea, similitudinem non modò perdiderit Trinitatis, sed insuper æqualis evaserit brutis animantibus; perque omne tempus, quo homo per peccatum mortuus fuit, semper Trinitatis imago in eo sepulta jacuit; subitò autem, ut ad vitam gratiæ resuscitatus fuit homo, pariter & Trinitatis imago in homine resuscitata fuit. Quis hominem à morte peccati ad vitam gratiæ revocavit? Respondeat Ecclesia sancta: *Hæc est arbor dignissima, quæ vitam nobis cœlitem præparavit.* Sanctissima crux homini contulit vitam gratiæ; ergò sanctissima crux fuit illa, quæ in homine vivificavit imaginem Trinitatis.

Crux vivificativa Trinitatis.

Gen. 1. v. 26.

Rom. 8. 32. Gal. 2. v. 20. Sap. 2. v.

XXIII. Propterea igitur divinæ personæ adeo sese implicarunt crucis obsequiis, meritòque per os sancti Pauli dicere potuerunt: *Nos autem gloriari oportet in cruce.*

XXIV. Si autem mors Christi in cruce sufficiens fuit, ut vitam gloriæ impertiret ipsi SS. Trinitati, quanto magis sufficiens exstitit ad conferendam vitam gratiæ nobis mortalibus? Quid quæris, quid desideras ô anima fidelis? Forsitan ut fidei augmentum capias? audi Ecclesiam: *Fides CHRISTI rutilat, dum crux ab omnibus adoratur.* Vis, ut mors profugiat

giat à te? *In cruce salutis auctor, propriâ morte mortem omnium superavit.* Cupisne à morte peccati ad vitam gratiæ resuscitari? *Ad crucis contactum mortui resurgunt, & DEI magnalia referantur.* Optas denique vitam cœli intelligere? *In ligno crucis pendens, nostræ salutis semitam Verbum Patris invenit.* Me interim tantisper respirante, vos oculis animorum vestrorum contemplemini DEUM crucifixum.

Crux vivificativa Trinitatis.

Gen.1.v.16.

SECUNDA PARS.

De dolorosis tormentis, quæ Christus passus est ab horto, usq; ad crucem.

XXV. EOdem tempore, quo DEUS crucifixus vitam gloriæ præstitit SS. Trinitati in cœlis, ipsa eadem Trinitas pœnam mortis intulit Deo crucifixo in terris. Primò quidem Pater: *Qui proprio Filio suo non pepercit*; deinde Filius *tradidit semetipsum propter nos*; nec non Spiritus sanctus, quia *benignus est Spiritus sapientiæ, qui non liberabit maledicum à labiis suis.*

Rom. 8. v. 32. Gal.2.v.20. Sap.1.v.6.

XXVI. Quanta autem potuit hæc esse pœna mortis, quam sanctissima Trinitas inflixit Deo crucifixo in terris: Juxta diligentem ponderationem meam, tribus specialiter in locis, Christus pro nobis pœnam subiit mortis. In horto Gethsemani, per tristitiam & captivitatem; in tribunalibus per colaphum, flagellationem & coronationem spineam; & in monte Calvariæ per crucifixionem. In horto mortem passus est in anima, multò truculentiorem aliâ, quam postea perpessus est in corpore; in tribunalibus præter mortem; supplicia subiit quasi infernalia; in Calvario denique quid sustinuit? Abyssum omnium tormentorum.

XXVII. Incipiamus ab horto. Cum tribus, ex undecim residuis, discipulis benedictus Dominus ingressus est funestum hortum; cum ecce vobis, utprimùm coram illis experiri cœpit primos mortis assultus, confestim expalluit facie, corde elanguit, vita contremuit: *Cœpit pavere tædere & mœstus esse*; ita ut vix eloqui posset verba illa: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* O brachium fortissimum DEI unde tanta tibi in horto tristitia? Nunquid non ex centenis & millenis capitibus, est tibi lætitia & exultatio? ita sanè; tum propter unionem hypostaticam; quia verus DEUS es, (repugnat autem DEUM esse, & non esse infinitè beatum) tum propter visionem beatificam, quia *ab instanti conceptionis* fuisti perfectè beatus; repugnat autem esse beatum, & non esse summè contentum; unde igitur tanta tibi tristitia? Et insuper quare in horto Gethzemani initium cæperunt supplicia tua?

Marc.14. v.33. v.34.

XXVIII. In horto suam CHRISTUS inchoavit passionem, & quidem in horto Gethzemani, quod nomen abundantiam significat, ad docendum, passionem ejus futuram abundantem in doloribus, abundantem in effusione sanguis, abundantem in indulgentia & satisfactione. *Meritò ad vallem pinguem venit, ut intelligamus*, inquit Paulus de Palatio, *ex ea holocaustum medullatum exiturum.*

Cur Christus passionem inchoarit in horto.

Paul. de Pal.

XXIX. Ad tantam autem tristitiam CHRISTUS redactus est in horto; quia

quia cum viveret in nobis per amorem, omnem à nobis in se suscepit tristitiam, ut suam nobis indulgeret lætitiam; dicente S. Ambrosio: *Tristitias nostras in se volvit Christus, ut suam nobis lætitiam largiretur.*

S. Ambr.

XXX. Contristatus est in horto, ut timore suo fortitudinem in nobis causaret & constantiam; sicuti per suam mortem, in nobis operaturus erat resurrectionem & vitam; unde S. Bernardus in serm de S. Andræa, inquit: *Tristis est, ut, quos ejus mors vivicabat, illos etiam robustos faceret trepidatio.*

S. Bern.

XXXI. Mœstitiâ Christus oppressus fuit in horto, quia considerabat, Apostolos suos omnes fore perturbandos & necem ejus uberrimis lacrymis persecuturos. *Turbatur Dominus*, inquit devotus Drutmarus, *non propter mortem, quam voluntariè subibat; sed propter tribulationem Apostolorum suorum.*

Drutm.

XXXII. Cruciabatur in horto Christus, quia cum per mortem suam esset transiturus è mundo; magis ingemiscebat propter suum à nobis discessum, quàm propter passionem & mortem suam; ità nos S. Ambrosius docuit, inquiens: *Tristis est, quia per mortis transitum, erat à nobis recessurus; & sic doluit non tam propter mortem suam, quàm propter absentiam à nobis.*

S. Ambr.

XXXIII. Tristitiâ contabescebat in horto Christus, quia contemplabatur, Judam, tempore copiosæ adeo redemptionis, moriturum esse in impœnitentia; ita Interlinearis asserit: *Tristatur anima Christi non pro morte subeunda, sed pro Iuda damnando.*

XXXIV. Tristitiâ absorptus fuit Christus in horto, non quia mori timebat, sed quia à malo nostro abhorrebat; juxta S. Augustini verba: *Tristis est anima Christi, non timore patiendi, sed dolore peccatorum nostrorum.*

XXXV. Quàm porrò intensa potuit hæc esse Christi tristitia in horto? Angelicus Doctor sustinet, eam fuisse infinitam; quia non solùm doluit propter peccata totius mundi; sed insuper in se suscipiendo omnes omniũ peccatorũ dolores, sese afflixit & contristavit, ut infinitas placaret offensas, Deo illatas: *Christus doluit pro peccatis omnium, qui dolor in Christo excessit omnem dolorem cujusque contriti, quia pro omnibus peccatis simul doluit, juxta illud omnes dolores nostros ipse tulit.*

Mœror Christi in horto quasi infinitus.

S. Thom. p. 3. q. 46. a. 6.

XXXVI. Unde & afflictissimus Dominus, effundens triplicatam illam orationem ad Patrem suum, *procidit in faciem suam*; corruit cum facie super terram, quia nimirum humeros ejus pondus premebat infinitè grave omnium peccatorum totius mundi. *in eo posuit iniquitates omnium nostrûm*; & quia considerabat, sibi impositam esse peccati fabricam (*supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*) ideo erubescebat faciem elevare in cœlum; prout contemplatur Isidorus Clarius, dum ait: *Referebat Christus genus humanum, cujus peccata sibi ante oculos proponens, ita horrentia ei visa sunt, ut nec auderet faciem in cœlum levare.*

Matth. 26. v. 39.

Isa. 53 v. 6.

Psal. 128. v. 3.

Ibid. Clar.

XXXVII. Quis autem crederet, tristitiam, quam Christus subiit in horto, mortem fuisse magis pœnosam & longè acerbiorem ipsâ morte, quam passus est in Calvario? Genuflexus in horto Salvator, & ad Patrem conversus, eum rogavit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Æterne Pater, transeat à me acerbus iste calix, si ita fieri potest; ponderate mecum ô devoti hanc CHRISTI orationem. Dic nobis ô affli-

Tristitia dicta atrocior cruce. & §. 48.

Matth. 26. v. 39.

ô afflicte Deus, quorsum abiit intrepidum cor tuum, quomodo evanuit ardens desiderium tuum, impulsu cujus dicebas: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Omes exspectant mortem tuam. Pater æternus ordinavit, ut moriaris, quia cum tu sis fortissimum ejus brachium, te mediante, declarare vult potentiam suam in Calvario, ad debellandos dæmones, mortem & infernum. Tua pariter genitrix Maria vult, ut moriaris; quia cum præservata fuerit à peccato originali, tantasque gratias receperit, in virtute prævisorum meritorum tuorum, omnino decens est, ut tanta debita Patri solvat sanguine tuo. Denique Adamus, in nomine totius generis humani, te præstolatur sepultum in Calvario; ut super illa ossa, super quæ crux erigetur, effusus divinus sanguis tuus, eadem à cujuscunque admissæ culpæ macula eluat & mundet; quare igitur mori recusas, Patremque obtestaris, dicens: *Transeat à me calix iste?*

Variæ explic. super: Calix iste transf.

XXXVIII. *Calix iste transeat,* inquit Christus, q. d. Æterne Pater, præparatus mihi in monte Calvario, calix flagellorum, spinarum, clavorum & crucis, fellis & lanceæ, est nimis exilis, multòque inferior desiderio meo; atque ideo transeat à me calix iste, tam dulcis; optarem, alium mihi præparari tormentorum asperiorum, mortis crudelioris; ita Christus per Theophylactum discurrit: *Iste calix jam præparatus jam transeat, quia est valde dulcis, da mihi alium magis amarulentum.*

Theoph. in Matt. 26.

XXXIX. *Calix iste transeat:* q. d. Æterne Pater, tu non solùm Pater es misericordiæ, sed etiam Deus consolationum: *Qui consolaris nos in omni tribulatione nostra:* Scio ego, te paratum esse, ut dulcedinem succursus tui amaritudini admisceas passionum mearum; ideoque te rogo, quatenus passio illa, consolationibus tuis permixta, transeat à me; optarem ego calicem bibere tormentorum, sine ulla interveniente satisfactione, calicem passionis sine omni consolatione. Est insignis hæc speculatio Pauli de Palatio, dum ait: *Christus sua oratione Patrem detinuit, ne suum dolorem mitigaret; & ideo ait transeat calix iste.*

Paul. de Pal. in Matt. 26.

XL. *Calix iste transeat,* inquit Christus, q. d. Æterne Pater, hæc mea passio & mors sufficiens erit, etiam ad salvandos centum & mille mundos; sed quia ego prævideo, post mortem meam, multos, imò plurimos damnandos fore, ideo rogo te, ut passio & mors illa, post quam homines peccabunt, transeat à me; cuperem ego passionem & mortem adeo acerbam, ut post eam nullus omnino peccaret. Audite discursum Didaci Stellæ: *Oravit ad Patrem, ut calix transiret ab eo, id est, ut post passionem ejus & mortem, nullus hominum damnaretur, sed omnes salvi fierent.*

Did. St. l. 1. tr. de pass. & or. in horto.

XLI. *Calix iste transeat,* ait Christus, q. d. Æterne Pater, prævideo ego, matrem meam morti meæ præsentem astituram in Calvario; si autem substiterit ad pedem crucis, adeò abjecta, afflicta & miserabilis, ego vel ad solum ejus intuitum exspirare cogar; propterea si est possibile, *transeat calix iste;* non enim possem ego sustinere spectaculum adeo dolorosum. *Transeat calix iste,* inquit S. Bernardus, *quia dolores amaros, quibus mea mater afficienda est, prævideo, & tantum doloris spectaculum sufferre non possum.*

D. Bern. apud auctorem, cui titulus: anima fidelis.

XLII. *Calix iste transeat,* inquit Christus. q. d. Æterne Pater, iste tristitiæ calix in horto me vitâ privat; sique hîc

 mmor-

immortuus fuero isti tristitiæ, non potero postea pati in Calvario; ideoque te obsecro, quatenus calix adeo acerbus, plenus tot horrendis doloribus, transeat à me. Ecce vobis sententiam S. Catharinæ Senensis: *Calix iste tristitiæ transeat, ut bibere possim calicem crucis.*

S. Cat. Sen.

XL. Tantum obsecrabat Christus in prima sua precatione; quâ finitâ sese omnino resignans in voluntatem Patris, rediit alterâ vice & ait: *Pater, si non potest transire hic calix, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si vis, ut carnes meæ per flagella lacerentur ad columnam, ut indulgentiam consequantur omnes peccatores sensuales: *Fiat voluntas tua.* Si jubes, caput meum coronari spinis ad reparandas omnes superbas præsumptiones Adami: *Fiat voluntas tua.* Si præcipis pedes meos & manus affigi cruci, ut redintegrem indignos hominis passus & actus: *Fiat voluntas tua.* Denique si imperas, ut vilissimis vestimentis illudar, ut aceto & felle poter, latusque meum lancea transfodiat, ut dignum luam supplicium pro præfaricatione Adami: *Fiat voluntas tua.*

Secunda oratio Christi. Mat. 26. v. 42.

XLIV. Vix Christus verba hæc absolverat, cum ecce vobis cœlitus descendit Angelus, portans secum calicem atrocibus tormentis plenum, qui Christum consolaturus, talibus eum verbis allocutus fuisse videtur aut similibus. O beata facies, cœlum beatificans, quomodo ego te adeo pallidam & afflictam intueor? cur doles & cruciaris? Forsitan quia futuris tormentis te prosternendum atque exanimandum vides? Morieris equidem, sed morte tuâ vitam imperties peccatoribus omnibus; si unus te cruciat & condemnat Judas, consoletur te econtra salvatio latronis: Si te affligit negatio Petri, confortet vicissim confessio Centurionis. Porro si mille desideraveris vitas, offerendas in servitium hominis, certus esto, tot tibi tantasque pœnas & cruciatus præparandos fore, quot suffecerint ad centum, imò millenas tibi mortes inferendas.

Christus confortatur ab Ang.

XLV. Hoc intellecto, Salvator agonizare cœpit; sicque eo agonizante, sanguinem sudarunt omnes totius corporis partes: *Positus in agonia, factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis, decurrentis in terram.* Quò, quò citatis adeo cursibus abriperis sacrosancte sanguis? cur non potius vadis, consoleris cor Christi, agonizantis & præ dolore morientis?

C. in agone sanguinē sudat. Luc. 22. v. 44.

XLVI. Sanguinem sudavit Christus in horto, ut declararet, se quidem tunc temporis mori, at non per violentiam Judæorum; ideoque priusquam crudelia instrumenta, ad eliminandum sanguinem, sacro & divino eius corpori applicarentur, ante voluntariè suum ipse sanguinem è venis profudit. Audite amorosum Sancti Bernardini Senensis ser. 55. de Pass. art. 1. c. 2. discursum, dicentis: *Quantum anima Christi, charitatis igne, in intimis bulliendo ferveret, scaturitio sanguinis clarius manifestat.*

Et quare?

XLVII. Sudavit sanguinem Christus, quia tunc temporis voluntariam subibat mortem, amore hominis, quia autem impatiens moræ, quam mors trahebat, pro eo momento expirare non poterat, statuit secum, per poros suum violenter extrudere foras sanguinem, in quo vita asservatur. *Sudat Christus,* inquit Simon de Cassia, *quia mors ventura erat in crastinum; & sanguis decurrens in terram, signum erat profusionis animæ Christi; in sanguine enim dicitur esse vita.*

Sim. de Cas. in Ev.

XLVIII. Quis

XLVIII. Quis igitur negabit, mœstitiam Christi in horto, pœnam fuisse mortalem? imò mortem, magis pœnosam longèque crudeliorem ipsâ crucifixione? In Calvario quidem mortuus est Christus, citra omne dubium; sed secundùm corpus duntaxat, sine agonia, sine sudore & dolore mortis; ideoque nec confortatione ei opus fuit, & divinus sanguis per atrocia instrumenta eductus fuit è venis: in horto autem mortuus est præ tristitia animæ, taliter angustiatus, ut necessariam habuerit consolationem angelicam; in horto mortuus est agonizans cum sudore sanguineo & pœna, cujus atrocitas ipsam excedat mortem: *Positus in agonia; factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

XLIX. Interim benedictio Christo taliter sese abluente in sanguine proprio, supervenit Judas cum turba, captivitatem inchoaturus. Illis obviàm processit JESUS, dicens: *Quem quæritis? Iesum Nazarenum. Si me quæritis, sinite hos abire.* Quandoquidem resolvistis vos in comprehensionem mei, dimittite ad minus liberos Apostolos meos. Ergone mi Domine, tu solus in mortem abibis?

Iudas exorditur compræhensionē. Ioa. 18. v. 4

L. Solus voluit Christus subire mortem, quia dolores passionis ejus adeo debebant esse intensi & acerbi, ut nullus alius sufficiens foret ad tolerandos eos, dicente Hugone Cardinali: *Fuit passio CHRISTI adeo acerba & dolorosa, quòd nullus potuisset cum eo transire & eum sequi.*

Hu. Ca. in c. 13. Ioa.

LI. Solus voluit CHRISTUS capi, ligari & ad mortem duci, quia nullus omnino, quantumvis sanctissimus, potuisset de toto rigore justitiæ divinæ satisfecisse; ita S. Cyrillus: *Quia unum mori oportebat, sufficientem pro omnium vita, ideo noluit ligari discipulos.* D. Cyr.

LII. Solus voluit ligari Christus, ne sibi persuaderet mundus, Christum solum insufficientem fuisse pro peccato generis humani: *Noluit ligari discipulos*, inquit Sanctus Ambrosius, *quia noluit consortium passionis.* S. Ambr. in Matt. 26.

LIII. Deinde Dominus ad Judam conversus, ad eum ait: *Amice, ad quid venisti?* O Judas, tu cum sis amicus meus, quare deseruisti comitatum meum? ut forsitan te adjungeres isti vilissimæ turbæ? Si me vis vendere pro ter tuum interesse, ego te proprio sanguine meo comparare volo; si tu me volueris tradere in manus inimicorum, ego paratus sum te assumere in numerum beatorum. Mat. 26. v. 50.

LIV. His & similibus verbis summè exacerbatus impius Judas, Christo vicinior appropiavit, inque traditionis signum, *osculatus est eum. O Sacrilegum signum*; inquit Sanctus Augustinus, *ab osculo incipit bellum, & per pacis signum, pacis rumpitur Sacramentum.* Quis unquam audivit, quòd osculum, signum pacis, principium sit crudelissimi conflictus? ibi. v. 49. S. Aug. ser. 121.

LV. Accedunt post hæc Judæi cum gladiis, lanceis & fustibus, capiunt mansuetum CHRISTUM, catenâ collum ejus gravant, manus in dorso colligant: *Apprehenderunt eum & ligaverunt.* Ioa. 18. v. 12.

LVI. Opportunè huic sese loco insinuat oraculum Davidicum, quod exponentes Doctores, in persona Christi inquiunt: *Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me.* Quando me invaserunt Judæi, quando me Ps. 17. v. 5.

me ligatum per tribunalia duxerunt, visus mihi fui dolores subire non modò mortis, sed tormentis potius excruciari infernalibus. Domine mi, persuadeo mihi equidem, Judæos, dum te cœperunt & ligarunt, gravissima tibi intulisse tormenta; sed appræhendere nequaquam valeo, quomodo ipsi in hac occasione dolores mortis tibi intulerint, quandoquidem tu in comprehensione, flagellatione & coronatione mortuus non fuisti. Multò minus intelligere possum, quomodo conqueraris te pœnam incurrisse inferni; quia pœna infernalis, est pœna damnatorum, cujus ministri sunt dæmones; dicemusne igitur, à dæmoniis Deum cruciatum fuisse?

LVII. Videamus, quę Christo compræhenso illata fuerint mala? Ligatus bonus Jesus, ductus est ad tribunalia quatuor; quæ autẽ lingua sufficienter exprimere poterit, quæ tristo tempore, crudeles ministri injuriarum, insolentiarum & malitiarũ genera excogitarunt & moliti sunt, adversus innocentem Dominum? S. Vincentius Ferrerius serm. in Parasc. ait, quòd, Christo ad tribunalia dicta procedente, ad civitatis Jerosolymitanæ ingressum, statuæ Imperatorum Romanorum, inibi erectæ, miraculosè sese inclinarint; forsan ad significandum, Christum adeo malè fuisse tractatum, ut ipsa etiam inanimata saxa fuerint ad compassionem inducta: *Dicunt aliqui, quòd, quando Christus captus, intravit per civitatem Ierusalem, tunc imagines lapideæ Imperatorum Romanorum, quæ erant ibi sculptæ, inclinaverunt se Christo.* (S. Vinc. Fer. Ser. in Parasc.) Et Jacobus de Voragine ser. 90. de Quadr. inquit: *Si possibile fuisset, flevisset etiam Deus, videns, filium suum tam ignominiosè tractari.*

LVIII. Fuit ductus Dominus ante Caipham, ubi improbus quidam minister, ferreâ armatâ manu, terribilem adeo impegit Christo alapam, ut totum ab ejus fragore insonuerit palatium: *Vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu.* (Ioa. 18. v. 22.) Fuit alapa ista admodum terribilis, ut suffecerit ad exsatiandum infinitum desiderium Christi, quod habebat patiendi pro nobis; teste Ruperto Abbate, dum ait: *O immanissima servi manus, quæ exples inexplebilem Domini sitim; & quàm bonus est Iesus, qui saturatus est opprobriis, dans se percutienti maxillam.* (Rup. Abb.) Quàm putatis terribile fuisse hoc alapæ tormentum, quandoquidem Christum satiavit propriis? nec crucifixio, nec mors explevit voluptatem Christi patiendi pro nobis; quin imò circa finem magis magisque in Christo exardescebat desiderium & sitis graviorum tormentorum. Alapa autem adeo Christi appetitum explevit opprobriis, ut secundam maxillam percutienti non exhibuerit, quia *saturatus est opprobriis*; (Thren. 3. v. 30.) majorem igitur pœnam intulit Christo dicta alapa, quam ipsa mors.

LIX. A Caipha traductus est Dominus ad palatium Herodis, qui summè affectabat eum videre, propter maximam ipsius famam. Herodes oblatum pluribus sollicitavit curiositatibus: *Interrogavit eum in multis sermonibus*; (Luc. 23. v. 9.) sed Christus *non respondit ei ad ullum verbum.* Quomodo ô Domine, corã Caiphâ, te interrogante de doctrinâ tuâ, te justificas, inquiens: *Vt quid me interrogas? interroga eos, qui me audierunt.* (Ioa. 18. v. 21.) Pilato pariter, circa deitatem sciscitanti, respondisti: *Ego sum, tu dixisti*; coram Herode autem, adeò te audire cupido, obmutescis? (Cur Christus non responderit Herodi.) *Cur ante Herodem taces, qui aliis pontificibus respondisti?* non poterat coram Herode loqui Christus, quia in domo Herodis nõ habebat vocem; vox namque Christi Joannes Baptista erat: Ego

Luc. 3. v. 4 *Ego vox clamantis in deserto*: qui ab Hero-
Mat. 14. de occisus fuit: *Quem Herodes decollavit in*
v. 10. *carcere*; ideoque Christus in præsentia Herodis nihil respondit. Ita D. Augu-
S. Aug. stinus: *Meritò ante Herodem tacet, quia Herodis causa deperdiderat vocem, id est, Ioannem.*

LX. Dum hæc ita agerentur, memor impius Judas tradimenti sui, videnſque quòd ipse causa esset tantorum, Christo illatorum, malorum, quamvis cor haberet caninum, nihilominus animo confractus & miserabile adeo spectaculum ulterius sustinere impotens, pœnitentiâ ductus, restituit argenteos, & deinde sese suspendit; quam tragœdiam D. Chrysostomus nobis repræsentat, dum ait: *Non po-*
S. Io. Chrys. *tuit Judas supplicium videre damnati, & ideo pœnitentia ductus, dixit: peccavi, tradens san-*
Mat. 27. *guinem justum, & rejectis 30. argenteis in*
v. 3. *templo, in fine laqueo se suspendit.* O miserabilis, ô infortunata creatura! post agnitionem erroris, post restitutionem famæ
v. 4. & pecuniarum (*peccavi, tradens sanguinem justum*) cur te in damnationem præcipitas?

LXI. Damnatus est Judas, quia confessus est sacerdotibus impiis & ignoran-
Rich. de S. Vict. tibus, ut inquit Richardus de S. Victore: *Pœnituit apud scelestissimos Pharisæos, & propterea nihil ei pœnitentia profuit.*

LXII. Damnatus est Judas, quia in finē distulit pœnitentiam agere pro flagi-
Chrys. tio suo. *Nota*, inquit D. Chrysostomus, *quòd Iudas tunc pœnituit, quando scelus ad exitum pervenit.*

LXIII. Periit Judas, quia sibi specialiter vendicavit Deum illum, qui venerat
Rup. Abb. in salutem omnium; ut ait Rupertus Abbas: *Vniversalem nostræ salutis hostiam, faciens suam; quasi suum peculium possessorem mundi venalem proposuit.*

LXIV. Condemnatus est Judas, quia diffidit de clementia divina, existimans, nullam superesse spem indulgentiæ consequendæ in pectore Christi; quia juxta S. Ambrosii sententiam: *Putabat à tanti scele-* S. Ambr.
leris reatu non posse absolvi.

LXV. Indignatus Christo Herodes, albis eum vestimentis induit, & veluti stultum dimisit: *Indutus est veste alba; & remi-* Luc. 23.
sit ad Pilatum? Præsentatus fuit Christus v. 11.
in palatio seu prætorio Pilati, qui ut populi furorem sedaret, jussit Christum flagellari: *Tradidit eum illis, ut flagellaretur.* Mat. 27.
Hic opus esset linguâ angelicâ, ad explicā- v. 26.
dos mortis dolores & pœnas inferni, quas ad columnam ligato Christo intulerunt 666. milites cohortis Romanæ omnes cū invaserunt atque excruciarunt, primò fu- Christus
nibus, deinde fustibus & tandem catenis; flagell.
finaliter autem 6666. plagas ei intulerunt. Quàm horrendum creditis hoc fuisse tormentum Christo, ligato ad columnam & tot excarnificatum flagellis?

LXVI. Adeo excessivus fuit iste dolor, ut S. Augustino teste in catena S. Thomæ, plagarum violentia divinam ruperit pellem, sanctam diviserit carnem, & insuper carnem, & insuper pectus, humeros, imò & totum corpus dilacerarit: *Rupit* S. Aug. in
sanctam cutem violentia flagellorum, repetitis cat. S. Th.
ictibus, crudelia verbera scapularum terga conscindunt.

LXVII. Tam dolorosa fuit Christi flagellatio, ut piissima Mater & Virgo Maria, ad sonitum & conspectum primi ictus, exanimata corruerit in terram; postea autem resumpto spiritu, vidit unigenitum suum adeo malè tractatum & excarnificatum, ut omnia ejus ossa apparerent; prout ipsa beatissima Virgo Sanctæ Brigittæ in hæc verba revelavit; *Ad primum ictum* S Brig. in
ego, quæ astabam propinqua, quasi mortua revel.

corrui in terram; & reassumpto Spiritu, vidi corpus ejus vulneratum usque ad costas; ita ut costæ ejus viderentur.

Flagellationis horror. LXVIII. Tormentum fuit adeo excessivum flagellatio Christi, ut post flagella formam amiserit humanam; ideoque necessum fuit, ut Pilatus veritatem attestaretur coram universo populo, dicens: *Ecce homo*; quasi dicere voluisset: O Judæi! quantumvis vos excruciaveritis istum tot horribilissimis tormentis, ut figuram amiserit humanam, nihilominus ego vobis juro, quòd verè homo sit: *Ecce homo*; ita Paulus de Palatio in c. 27. Matthæi discurrit, inquiens: *Homo est, non lapis, non ferrum; flagella quæ sustinuit, vix credibile est, quomodo potuerit sustinere.* (Joa. 19. v. 5; Pau. de Pal. in Matt. 27.)

LXIX. Fuit flagellatio Christi tormentum adeo crudele, ut suffecerit ad interimendum eum, nisi miraculosè vitam suam conservasset; quemadmodum Sanctus Laurentius Justinianus discurrit, agens de triumphali Christi agone cap. 14: *Utique debuit Christus planè mori, tanto transfixus dolore; se tamen servavit ad vitam, ut his graviora perferret.* (S. Lau. Iust. de triump. Christi agonia c. 14.)

Christus illusus. LXX. Non exsatiarunt impiam Judæorum tyrannidem hæc tanta Christo inflicta flagella, unde nova superaddita sunt plagis tormenta. Purpurâ eum derisoriâ vestierunt: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Caput perfoderunt coronâ spineâ; *Plectentes super caput ejus coronam de spinis.* Vice sceptri fragilem manibus ejus imposuêre arundinem: *Et dederunt arundinem in dextera ejus.* Regiam majestatem illusoriâ salutarunt adoratione; *Illudebant, dicentes: ave Rex Judæorum*; denique divinum ejus vultum plurimo sputo conspurcarunt, *exspuentes in faciem ejus.* Quàm horrenda pœna, quàm crudele tormentum fuit hæc Christo facta illusio & spinarũ coronatio?

Corona Christi 72. habuit spinas. LXXI. Pœnam ei & tormentum mortis causavit; fuit siquidem corona illa composita ex 72. spinis, disposita ad formam pilei, ita ut totum cooperiret caput, neque aliquam venerandi capitis partem relinqueret illæsam. Ita S. Bernardus in serm. de pass. Dom. in hæc verba: *Nec putes, coronam hanc fuisse parvulam & rotundam, sed latam & amplam. 72. spinis contextam ad modum pilei, ita ut totum corpus undique contegeret.* (S. Bern.)

LXXII. Hæc ignominiæ purpura, illa spinea capitis corona & vilis in manibus Christi arundo, lacrymabilem adeo speciem præ se ferebant, ut Pilatus Salvatorem videns, sibi à lacrymis temperare neutiquam potuerit; ideoque volens placare furorem populi, Christum oculis omnium objecit, cum dicto: *Ecce homo.* O Judæi, videte miserandam hanc figuram, contemplamini triste spectaculum, considerate in quas angustias devolutus sit Christus. Spinæ istæ, quæ caput ejusdem transfigunt, corda vestra non penetrabunt, ut commisereamini? Sanguis iste & nimia quæ videtis sputa, corpus ejus totum cooperientia forte non sufficient, ut vos ad pietatem & compassionem inducant? (Exhibetur populo.)

Ad crucem deposcitur. LXXIII. Sed ô crudelitas inaudita; ecce omnes rabie pleni, Sacerdotes, Pharisæi, negotiatores, senes & juvenes, omnes elevatis vocibus exclamant: *Tolle, tolle, crucifige eum.*

LXXIV. O afflictissime Deus, nihil in hac hora auditur aliud, præter *Crucifigatur.* Pater æternus, quia sibi vult satisfieri per sanguinem divinum, clamat: *Crucifigatur.* Angeli, qui Paradisi sedes reimpleri desiderant, dicunt: *Crucifigatur.*

tur. Justi, ut glorificentur, urgent; *Crucifigatur*; peccatores ut redimantur, ingeminant: *Crucifigatur.* Dæmones, sacrilegium, nunquam aliàs commissum, videre cupidi, vociferantur: *Crucifigatur.* Patres sancti, ut è limbo eripiantur, sollicitant: *Crucifigatur*; Adamus in peccato mortuus, ut vitam gratiæ recipiat, instat: *Crucifigatur.* Maria Mater tua quantumvis conformiter suo in te affectui, rogaret: *Liberetur*: nihilominus ut divinæ sese confirmet voluntati, & ipsa inquit: *Crucifigatur.* Vade ergo Domine mi, vade in mortem; prius tamen, quàm discedas, permitte mihi, ut te huic populo exhibeam.

LXXV. Vide ô devote popule: *Ecce homo.* Ecce in quas angustias pro nobis redactus sit Christus. Superbe, caput hoc propter superbiam tuam spinis transfixum est; & tu hodie ne semel quidem vel unico suspirio cor tuum transfigeres? Lascive sensualis; caro hæc propter lascivias tuas omnino dilacerata est, & tu ne vel unicâ saltem vice corpus tuum pœnitentiâ affligeres? Vindicative, Christum hunc tuæ cruentarunt vindictæ, & tu ne unicam quidem lacrymam ab oculis tuis profunderes? Peccatores, Christus iste totaliter plagatus est propter peccata nostra, & nos amore Christi, ne unicam quidem apprehenderemus disciplinam? ita,
Ps.2.v.12. ita sanè: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.*

LXXVI. Et tu clementissime Deus, propter tot ac tanta, tibi inflicta flagella, ignosce nobis; omnes nos pœnitentes indulgentiam efflagitamus: Intuitu tot spinarum, quæ caput tuum transfixerunt, ignosce nobis miseris peccatoribus. Per sanguinem istum, quem è toto corpore tuo profudisti, aperi & expande super nos thesaurum clementiæ tuæ. Misericordia Domine mi, misericordia, misericordia.

PARS TERTIA.

De tormentis Christi in crucifixione.

LXXVII. PRæses Pilatus illâ judaicâ voce commotus atq; perterritus (*Crucifigatur*) rediit ad tribunal; *& tradidit eum illis, ut crucifigeretur.* Apprehenderunt itaq; crudelissimi ministri mansuetum Jesum colloque ejus durum iniicientes funem, humeris ipsius gravem imposuêre crucem, sicque ad montem Calvariæ perduxerunt: *Et bajulans sibi crucem, ducitur ad eum, qui dicitur Calvariæ locus.* Citra omne dubium, pœnam mortis sustinuit in horto Dominus, & pœnam inferni ante tribunalia, sed à tempore sententiæ latæ in mortem, usq; ad finem vitæ, abyssum perpessus est dolorum omnium; ita ut Isaias meritò dixerit: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem, & reputavimus eum virum dolorum.* Quàm intensum fuisse arbitramini cruciatum istum, quem Christus pertulit, dum mortem adiit, ipsemet in humeris crucem bajulans? pœna fuit ipsi dãnatorum supplicio assimilis; ideoq; S. Bernardinus Senensis inquit: *Tantùm Christus doluit, bajulans sibi crucem, quantùm erant tormenta, quibus erant æternaliter cruciandi.*

Ioa. 19. v. 17. — *Isa. 53. v. 2.* — *S. Ber. Sen. t. 2. ser. 49. a. 4. c. 2.*

LXXVIII. Progrediens bonus Jesus cum cruce in humeris, Calvarium versus, comites habuit, plurimas mulieres Jerosolymitanas, quæ videntes spectaculum adeo lacrymabile, in amaros planctus resolutæ fuêre: *Sed & mulieres lamentabantur flentes.* Plangebat vidua Naimitica, & lacrymans, dicebat: ô divine mortui filii mei resuscitator, quomodo tu nunc in tam probrosam mortem abstraheris? Ingemiscebat

Christus cum cruce obvius fæminis plangentibus. — *Luc. 23. v. 27.*

Samaritana, flensque ajebat: O fons aquæ vivæ, qui ardorem libidinis meæ extinxisti, quomodo nunc video, ex omni parte canales à te profluere vivi sanguinis? lacrymis indulgebat conversa adultera, & gemens dicebat: O liberator vitæ meæ, ergone deliqui ego, & tu supplicium luis? Plorabat Cananæa, totaque dolens, inquiebat: O potens dæmonij conculcator, si ego in Tyro & Sydone, ubi infimo apud te pretio esse videbar, juravi, me unam esse de tuis fidelissimis catellis, quid modò faciam, quando te video cum cruce in humeris? ibone in mortem, & redimam me & totum genus humanum? Tandem una mulier, cæteris devotior, sancta Veronica, videns sacram Christi faciem, sanguine plenam, compassione mota, velo quodam vultum Christi abstersit; & ecce tibi, subitò sacra Salvatoris imago, velo isti impressa remansit.

Et Veronicæ

LXXIX. Post harum mulierum lacrymas, imaginor mihi, quod benedictus Christus gemitus audierit suæ afflictæ matris, unde corde commotus, pioque ad eam vultu conversus ait. O piissima mater, ingentem mihi pœnam infert crux ista, quam porto; ast dum te adeo mœstam video & afflictam, ipsâ mihi videor exui vitâ. Et eò quidem magis, quia modò oculis tuis conspicis, crucis bajulum filium istum, quem tu tanto tempore in utero tuo portasti. Intueris modò manus istas cruci clavis affigi, quas tu toties amicabilissimè amplexata fuisti; jam jam intueberis os illud felle potari, quod tu toties lacte tuo satiasti. O mater, ô sponsa, ô filia à te tanquam matre benedictionem efflagito; te velut sponsam corde amplexor; te ut filiam hæredem constituo omnium dolorum meorum. Quid obsecro respondere, quid fari poterat Maria ad spectaculum adeo horrendum & dolorosum? crediderim ego illam tunc temporis in integro lacrymarum mari tumulatam fuisse, sique aliquod forte verbum edicere potuerit, suspiriis potius, quàm voce eam locutam fuisse hæc aut similia. O fili animæ meæ, si ego mater, si ego filia & sponsa tua sum; ut filia te reverenter adoro, sicuti sponsa à vertice usque ad plantam pedum, toto corde & animo te exosculor; & tanquam tibi benedictionem impertior: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis tuæ, protegat te nomen Dei Jacob, mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificii tui & holocaustum tuum pingue fiat: tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.* His peractis, in mutuos ruerunt amplexus; filialis porrò à matre discessus, credo ego, quòd diruperit cor utriusque.

Et Mariæ V.

Benedicit Matri. Ps.19.v.4.

LXXX. Pertigit tandem Dominus, doloribus plenus, ad verticem montis Calvarii. Tunc equidem crudelissimi satellites, solito atrociores, eum invaserunt, invasum in terram prostraverunt, prostratum super crucem extenderunt, tribusque acutissimis clavis manus & pedes ejus transfigentes, tantum Christo spasmum intulere, ut ipsemet, Christus attestatus fuerit, dicens: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Ps.21.v.17

LXXXI. Deinde anteriorem crucis partem, terram versùs inclinarunt, ut clavos infixos repercuterent solidèque firmarent, quia verò inibi sepultus

Alloquitur Adamum. jacebat Adam, imaginor mihi, quòd Christus eum in momento isto ita fuerit allocutus. O Adam te amplector, ô Adam te exosculor; si per peccatum mortuus es, ego tanquam novus Elisæus, supra te artus meos extendo, & vives: si surdus es, ego me tibi approximo & voco. Audi ô Adam; ego te amo, & propterea morior; ego tibi ignosco, ideoque patior; ego te quæro, atque ideo me inclino: corresponde & da mihi osculum ô Adame, ecce jam discedo. Vale.

LXXXII. Crux elevatur in altum, in conspectu totius populi; vixque Christus emiserat Spiritum, cum ecce tibi, Sol, videns DEUM crucifixum & mortuum, quasi intellectu polleret, vultum suum velo cooperuit caliginis & tenebrarum. Unde Glossa interlinearis inquit: *Gl. int. in c. 16. Marc.* *Sol refugit, quia non potuit videre mortem Christi, & collaborat laboranti.*

LXXXIII. Velum templi non aliter ac si ratione dotatum fuisset, videns Deum suum exstinctum, & ipsum pariter mortuo intimè compatiens, sese rupit à summo usque deorsum; prout Theophylactus insinuat, inquiens: *Theoph. in c. 15. Marc.* *Quod in calamitatibus facere solebant Judæi, cum vestes dilacerabant, hoc & templum fecit quasi animatum esset, compatiens conditori suo patienti, & vestes suas disrumpens.*

LXXXIV. Terra quoq; ut & suum extremum contestaretur dolorem, totiq; mundo mortem annunciaret DEI, tota terræmotu concussa fuit: *Matth. 27. v. 51.* *Terræmotus non immeritò factus est*, inquit S. Bernardinus Senensis, *S. Bern. Sen. ser. 55. De pass. Do.* *cum terræ factor moreretur in terra; tremuit terra, moriente Christo, ut sentiretur in universo orbe terrarum, injustitia mortis ejus.*

LXXXV. Omnia denique monumenta seu sepulchra reclusa fuêre: *ib. v. 52.* *Monumenta aperta sunt.* Quo fine? Respondet Rupertus Abbas, *Rup. Abb. l. 1. c. 6. in Deuter.* sepulchra, quasi sensu dotata, advertisse, Christum in eas redactum fuisse miserias, ut præ inopia, ne unicum quidem terræ palmum obtinere potens, in aëre pendulus exspirare debuerit; ideoque tantæ compatiendo egestati, ne mortuus quoque relinqueretur insepultus, veluti commune omnium inimicorum suorum ludibrium, certatim sese aperuisse, & proprium sinum suum Christo singula obtulisse. *Monumenta,* inquit dictus auctor, *ad suscipiendum Christum, certatim & avidè aperta sunt.*

LXXXVI. O DEus! quomodo cor meum modò non dissipatur & resolvitur? Non audis ô Christiane? quia in Christi morte, omnes creaturæ compassionem perhibent & dolorem maximum. Angeli plorarunt amarissimè: *Angeli pacis amarè flebant*; *Isa. 33. v. 7.* Luctum induerunt cœli: *Tenebræ factæ sunt super universam terram.* *Matth. 27. v. 45.* Sol & Luna obscurati fuerunt: *Sol obscuratus est, & Luna non dedit lumen suum.* *Luc. 23. v. 45.* Terra commota fuit: *Terra mota est*; lapides dissipati; *petræ scissæ sunt*; patuêre sepulchra, *monumenta aperta sunt.* Ipsi Judæi post Domini crucifixionem, omnes pœnitentes, percusserunt pectora sua: *Revertebantur, percutientes pectora sua.* Tu verò beneficiorum immemor & ingrate homo, tu solus mortem Redemptoris tui inaudiens, non compungeris, non ingemiscis? O quæ est ista cordis tui duritia, hæc ipsa Christum torquet gravius præ quocunque alio tormento, prout ipsemet per S. Bernardum graviter conqueritur, *S. Bern. l. de pass. c. 4.* dicens: *Vide homo, quæ pro te patior; vide plagas, quibus afficior; & cum sit tantus dolor interior & exterior; plus tamen crucior, quòd te ingratum semper experior.*

LXXXVII. Ecce, ecce anima ingrata, ecce illum, quem tanto tu odio prosequeris; ecce eum in optata tibi forma. Voluisti eum vulneratum? ecce vulneratum. Desiderasti eum tibi prædam? ecce eum prædam tibi. Optasti eum denique mortuum? Ecce, tolle ipsum occisum & mortuum. Quandoquidem verò tu illum adeo tibi benevolum & misericordem esse conspicis, cur non totus in lacrymas resolveris? Heus heus animæ devotæ: *Respicite in faciem Christi vestri.* Inspicite plagas istas sanctissimas, omnes vobis apertas, ex quibus totus ille profluxit sanguis, qui abluit animas vestras. Nunquid resoluti estis, nunquam peccare amplius? ita Pater; nunquid omnium præteritorum criminum vestrorum efflagitatis veniam? ita Pater; agedum igitur, omnes cœlum versùs exclamemus ad Patrem æternum, dicentes: Pater æterne, ecce non vitulos, non hircos aut agnos, quales utique aspernari posses, sed ecce unigenitum Filium tuum, pro peccatis nostris in cruce mortuum.

Respice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.

Si nos peccatores per crimina nostra ei mortem intulimus, ecce modò omnes pœnitentes, misericordiam imploramus, omnes pro indulgentia supplicamus: misericordia ô Domine.

Adeamus modò omnes monumentum, corde & animo nos associantes mortuo Redemptori nostro; ubi cùm accesserimus, devotè recitemus unum *Miserere*, & sanctissimos illos pedes deosculemur, securi & certi, nos ab eodem benedictionem esse recepturos.



PRO-

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE IN DOMINICA RESURRECTIONIS.

DISCURSUS

De duello & triumpho, inter mortem & vitam CHRISTI.

Mors & Vita duello conflixere mirando; Dux vitæ mortuus, regnat vivus. In sequentia Missæ.

PROBLEMA

Cui major debeatur gloria & corona; an morti, quæ mortem intulit vitæ; an verò vitæ, quæ morte mulctavit mortem?

INTRODUCTIO.

I.

INgenuè me nescire profiteor, utrùm subtilissimus conceptus, an verò paradoxum potius sit istud, quod quondam dixit magnus Pater meus Augustinus, loquens ex proposito de Christi resurrectione. Ego, inquit Augustinus, scire percuperem, quàm magnus sit hodiernus dies, quandoquidem audio Ecclesiam sanctam, canentem: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea?* Sibique ipsi respondens, ait: *Sicut Maria mater Domini, inter omnes creaturas principatum tenet, ita hic dies inter reliquos.* Statuendum itaque, & intrepidè quidem; quòd sicuti tot ac tanta sunt encomia, gratiæ atque excellentiæ, magnæ Matris Dei; ut superet & superexcellat omnes sanctos & sanctas cœli; ita quoque hodiernus dies, juxta dictum S. Gregorii Nazianzeni, inquientis: *Est festivitas festivitatum & celebritas celebritatum.* Magnus equidem fuit dies nativitatis Christi, quia in illo Verbum divinum sese nobis associavit: *Se nascens, dedit socium*: ast dies iste morti subordinatus fuit; quia ut dicit S. Gregorius Papa: *Quid nasci profuit, nisi redimi profuisset.* Dies mortis ejus pariter magnus fuit, quia per mortem suam Christus nos liberavit à mortuis: *Mortem nostram, moriendo destruxit*; nihilominus dies iste lacrymis permixtus fuit. Dies verò resurrectionis *est festivitas festivitatum*; hodie Ecclesia sancta in gaudiis & jubilis tripudiare debet, omnesque servi Dei cantare: *Alleluja*: hodie namque cœlum placatum est, hodie mysterium Redemptionis nostræ completum, &, quod majus est, sicuti mors mortem intulit vitæ, ita vita morte peremit mortem: *Qui mortem nostram, moriendo destruxit*; Et

S. Aug.

Ps. 117. v. 24.

D. Naz. or. 2. de pasc.

S. Aug.

Probl. *Et Dux vitæ mortuus, regnat vivus.* Verùm enimvero si ita est; cuinam gloria, palma & victoria erit attribuenda? An morti, quæ occidit vitam; an verò vitæ, quæ confodit mortem? Ne mihi mortem inferatis per fabulas & somnolentias vestras; præstate mihi, obsecro, vitam per vigilantiam & devotum silentium vestrum: & incipiamus.

II. O quanta est hujusce diei gloria & magnificentia! *Est festivitas festivitatum & celebritas celebritatum.* Sed quam ob causam? scitisne, quare? *Quia*, inquit S. Chrysostomus, *communis est hæc festivitas, inferis pariter & superius.* Magna fuit nativitatis Christi solemnitas, sed in hac duntaxat infima terra, celebrata; Ascensio suam quoque habuit festivitatem, sed in solo cœlo solemnisatam: at verò resurrectio, *communis est festivitas inferis pariter & supernis;* hæc in cœlo & terra suum sortita est triumphum.

S. Chrys.

III. Sed in quo consistit triumphus iste? Notate: *Pascha*; dictio est hebraica, & in latino significat *transitum.* Si studiosè advertistis; tota hodie natura immutata est; tota hodie de statu transiit inferiori, ad statum gloriosum & sublimem. Terra, cœlum, infernus, Maria, vita & mors, omnia meliorem consecuta sunt statum & conditionem.

IV. Incipiamus à terra. Quænam est inferior pars terræ? Sepulchrum. Quis sibi persuadere posset, sepulchrum Christi hodie ipso Mariæ utero gloriosius evasisse? Notat gloriosus sanctus Bernardus, quòd, quantumcunque sacra & veneranda sint omnia loca ista, quæ Christus Dominus noster, aut præsentiâ suâ honoravit, aut pedibus suis vel exemplis consecravit; nihilominus quòd sepulchrum, in quo repositus est Salvator mortuus, sanctitate & gloriâ suâ longè superet reliqua loca omnia. Id quod Isaias Propheta clarè expressit, quando de Salvatore loquens (postquam omnes & singulas seorsim divinas operationes in Spiritu contemplatus esset) ad solum sepulchrum subsistit, inquiens: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* q. d. Omnia loca, in quibus degit & conversatus est Christus, magna mihi & gloriosa apparent; ast umbræ sepulchri hujus adeo claræ sunt & relucentes, ut præ reliquis aciem oculorum meorum perstringant, & affirmare cogar, tumulum istum electum & deputatum fuisse, non ad recludendos exiles pulveres aut frigentes cineres, sed ad conservandam recentem semper ac vivam unius exsanguis Dei memoriam. Quis non videt, sepulchrum præ omnibus aliis locis à sublimissimis dignitatibus excultum fuisse, à populis atrocissimis honoratum, selectissimis linguis celebratum, ab Angelis & ipso denique cœlo adoratum, veneratum, privilegiatum? jure itaq; meritissimo dico: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.*

Sepulchrũ Christi omnium gloriosissimum.

Isa. 11. v. 10.

Laudes sepulchri Christi.

V. Indulgete ô Auditores! ut ortam hâc super re difficultatem meam, vobis breviter proponam. Dignum utique est, sepulchrum Christi summo affici honore; ast nimiam omninò prærogativam arguere videtur superexcellens ista veneratio & honorificentia, quæ ipsi exhibetur præ omnibus aliis locis. Ut enim Christi paupertatis obiter meminerimus, nunquid gloriosum fuit tuguriolum, in quo natus est Salvator? nunquid gloriosum præsepium, in quo locatus fuit redemptor? Spiritus illi cœlestes ubinam visi sunt tripudiantes; an ad præsepium, an ad sepulchrum? Si in sepulchro Christus dimoratus est mortuus, in reliquis autem locis vivus, quomodo Isaias affirmare pe-

potuit; *Et erit sepulchrum eius glorio-sum?*

S. Aug. comparat sep. cum utero M.

VI. S. P. meus Augustinus verba loquitur magis stupenda, inquiens; quid equidem existimatis, forsitan quòd sepulchrum Christi minus gloriosum sit, quàm uterus Mariæ? nequaquam; etenim si pectus virginale exstitit domus Dei: *Mons, in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo;* sepulchrum quoque fuit domus Dei: *Elegit eam Deus, & prælegit eam.* Si uterus Mariæ fuit sanctificatus à Deo: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* Sepulchrum pariter Christi à Deo honoratum fuit: *In eo viderunt juvenem in vestibus albis.* Sed objicietis: Pater, quænam poterit comparatio institui inter uterum virginalem & sepulchrum Christi? Pectus enim virginale fuit domus viva Dei vivi, sepulchrum autem fuit domus mortua Dei mortui; iterum: in utero Virginis Christus suscepit esse & vitam, in sepulchro autem esse suum deseruit & vitam. Totum hoc verum est, respondet S. Augustinus; sed sciendum, in Christi sepulchro quandam fuisse specialitatem, nunquam in pectore virginali repertam: Siquidem ex Maria Christus natus fuit mortalis, ab ea recepit suum esse ac vitam, sed ut eandem post 33. annorum spatium desereret; in sepulchro autem natus est immortalis, natus est impassibilis, nullo unquam tempore moriturus amplius. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Unde & S. Augustinus ait: *Gloriosior est illa sepulchri nativitas, quàm ista Mariæ; illa enim corpus mortale edidit, hæc edidit immortale; post illam descendit ad inferos, post hanc remeavit ad cœlos.* Ecce vobis immutatam terram.

Psal. 67. v. 17.
Psal. 45. v. 5.
Ioan. 20. v. 12.
Et discernit.
Rom. 6. v. 9.
S. Aug. ser. 33. de temp.

VII. Cœlum quoque immutatum, fuit, quia ab Occidente transiit in Orientem, & ab Occidente ad Meridiem. Scitisne ô Auditores! quot diebus Christus fuerit in sepulchro? tribus diebus & tribus noctibus, inquit Ecclesia: *Et tertiâ die resurrexit à mortuis. Sicut fuit Ionas in ventre cetæ, tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Ego equidem rem ita sese habere credidi, sed computemus tempus, aliquem enim defectum animadverto. Quandonam mortuus est Dominus noster Christus? die Veneris sancto, circa meridiem. Quando autem fuit resuscitatus, in die dominica summo mane. Non igitur tres, sed duo duntaxat sunt dies, ipsique non completi; dies Veneris sanctus, ecce vobis unus dies; sabbatum sanctum, ecce vobis alius dies; & Dominica, in qua ipse fuit resuscitatus. Idem omninò affirmabo de noctibus, scilicet non tres, sed duas tantummodo fuisse; nox prima fuit diei Veneris sancti, altera Sabbati sancti; ecce duas. Quomodo igitur dicit Ecclesia, Christum tribus diebus totidemque noctibus fuisse in sepulchro?

Christo resurgente mutatum cælum.

VIII. Audiamus, quid afferat sanctus Evangelista Matthæus? tractans ille ex proposito de resurrectione Christi, ita scribit: *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati.* Vespera Sabbati sancti, quæ fuit matutina Dominicæ. Quis est iste loquendi modus? Quando etenim unquan vespera unius diei, fuit tempus matutinum alterius diei? Vespera mater est noctis, & non diei. *Vespere tenebrescit, non lucescit* (verba sunt D. Chrysologi) *finit diem, non inchoat.* Respondet Evangelista; verum est, naturaliter loquendo, vesperam semper esse matrem noctis, & non diei; ast

Matth. 28. v. 1.
S. Petr. Chrys.

ast contrarium imperante Auctore naturæ, oppositum accidit. Quia ergo in tempore resurrectionis CHRISTI, luce non vero tenebris opus erat; ideo vespera Sabbati sancti, non tenebrosam addidit noctem sed claram parturiit lucem. *Vespera mater noctis*, inquit D. Chrysologus, *valde clarum parturit diem, suum dum cognoscit authorem.* Ita ut, sicuti tempore mortis CHRISTI, medius dies mutatus fuit in noctem; *tenebræ* enim *factæ sunt super universam terram.* Ita in tempore resurrectionis CHRISTI nox conversa fuit in diem; quia in media nocte Sabbati sancti visus est Sol exoriri; ideoque sanctus Evangelista inquit: *Valde mane, orto jam Sole.* Atque ita in die Veneris sancto à matutino tempore usque ad meridiem fuit dies naturalis; à meridie autem, quando exspiravit CHRISTUS, usque ad vesperam nox fuit artificialis; *tenebræ* enim *factæ sunt universam terram*: nox diei Veneris sancti & dies Sabbati sancti, aliam constituerunt noctem, aliumque diem; & in nocte Sabbati sancti, à vespera usque ad mediam noctem fuit nox naturalis: ecce vobis completas tres noctes integras. A media pariter nocte, quando CHRISTUS resurrexit, usque ad tempus matutinum fuit dies artificialis, transmutato cælesti ordine, dum nox effecta est dies. Audite subtilem sancti Chrysologi conceptum: *Sicut Sol, ut suo commoretur authori, meridianam mortificaverat claritatem, ita ut suo consurgeret Creatori, evictis tenebris, antelucanus erupit.* Tempore itaque resurrectionis Christi, cœlum quoque immutationem pertulit.

Et nox vertitur in diem.

Marc. 16. v. 2.

S. Chrys. ser. 75.

IX. Mutationi pariter subjectus fuit & infernus, quantumvis enim carcer esset, millenis obseratus clavibus, hodie nihilominus totus patens & apertus fuit: *Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreas confregit.* Erat infernus obscurus totus & tenebrosus, ast hodie totus inclaruit & resplenduit, dicente Prophetâ: *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Erat infernus carcer, mancipiis repletus, ast hodie mancipia omnia plenæ libertati donata fuēre: *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu.* Denique obscura illa infernalis custodia, dum CHRISTUM suscepit, in Paradisum transiit. *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Psal. 106. v. 16.

Isa. 9. v. 2.

Et mutatur infernus.

Luc. 23. v. 43.

X. A creaturis inanimatis ad animatas transeamus, postea redituri ad intentum nostrum. Mariis hodie, insigni transacto itinere, negotium commissum fuit, principalissimum Christianæ fidei nostræ. Quod fuit officium istud? ministerium, ut irent annunciatum & prædicatum gloriosam Christi resurrectionem; sed audite rei gestæ seriem & modum. Abeuntes Mariæ ad monumentum, ut divini magistri sui corpus investigarent, dum terminum præfixum attingerent, duos invenerunt Angelos, qui eis dixerunt: *Quem quæritis? JESUM Nazarenum; non est hîc, sed ite & dicite discipulis ejus & Petro.* Textus iste ô Auditores, diversa continet notabilia; primum est, fuisse Angelos repertos in sepulchro, candidissimo vestitos amictu, sedentes in ipso sepulchro. Ad hos conversus D. Chrysostomus, inquit; ô Spiritus cœlestes quid facitis? jam resusci-

Et mulieres. & §. 11.

Marc. 16. v. 6. v. 7.

Cur Angeli ad sepulchrum.

suscitatus est Dominus universi, vosque ipsimet Mariis dixistis: *Surrexit, non est hic:* cur itaque vos pariter non discedi-tis? quomodo? respondent Angeli; nosne locum istum desereremus, in quo mortuus dimoratus est Salvator? nequaquam, absit ut hoc faciamus. Monumentum istud tanti æstimandum est, quanti ipsum cœlum, & ne hilo minoris. Sed quam ob causam Angeli tanto in pretio habuêre sepulchrum istud?

Psal. 106. v. 16.

Isa. 9. v. 2. Et mutatur infernus.

Fœminæ hodie prædicatrices.

XI. Progrediamur ulterius: quid Angeli dixêre ad devotas Marias? *Ite & dicite discipulis ejus, & Petro.* Itote ô fortunatæ mulieres, itote per mundum, & Salvatoris resurrectionem annunciate omnibus; ita ut hodie mulieres effectæ fuerint prædicatrices altissimi mysterii fidei nostræ christianæ, siquidem à resurrectione Christi totum pendet salutis nostræ negotium, dicente sancto Paulo: *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Dum igitur mulieribus commissa fuit prædicatio resurrectionis Christi, maximum iisdem delatum est officium, & principalissimum Christianæ fidei impositum negotium. Sed quanta hæc fuit gratia singularis, Marias constitutas esse prædicatrices? Scitisne, quanta? fuit maxima, quæ iis conferri poterat dignitas; vetuerat namque Deus per Apostolum suum, ne mulieres docerent: *Mulierem docere non permitto:* nolo ego, ut fœminæ magistrali aut doctorali munere fungantur. Unquamne vidistis mulierem aliquam in pulpito, aut magistram agere in schola, aut doctricem in lege? non; quare? Scitisne causam? dicit Deus: *Semel docuit, & omnia pervertit.* Voluit quondam mulier officium subire doctorale, fuitque ruina universi. Cum itaque mulieres, quibus erat inhibitum prædicandi officium, hodie evaserint prædicatrices altissimi fidei nostræ mysterii, scilicet resurrectionis CHRISTI, maximam omnium, mulieribus conferibilium, assecutæ sunt dignitatem.

Luc. 23. v. 43. Et mulieres. & v. 11.

1. Cor. 15. v. 14.

1. Tim. 2. v. 12.

Marc. 16. v. 6. v. 7. Cur Angeli ad sepulchrum.

Sed unde tantum meruêre favorem istæ Mariæ? Scitisne originem? dum hodie prodierunt ex ædibus, instar Solis comparuêre venustæ; quid enim sanctus Evangelista? *Et valde mane, orto jam Sole.* Summo mane, quando jam tum Sol illuxerat. Videtur mihi, quòd sensus iste contradictionem involvat; Si enim erat matutinum, quomodo ortus fuerat Sol; & si Sol affulserat, quomodo adhuc erat tempus adeo matutinum? Advertite: illud *valde mane* refertur ad tempus, quia in rei veritate mulieres sese commiserunt viæ admodum maturè; aliud autem, scilicet *orto jam Sole* refertur ad fœminas, quæ è domo procedentes Solis præ se tulerunt pulchritudinem; id quod expressit Ecclesiasticus, dum ait: *Sicut Sol oriens mundo, sic species bonæ mulieris in ornamento domus ejus.*

Et pulchræ Solis instar.

Eccl. 26. v. 21.

XII. Sed undenam mulieres tantam sibi, ipsiusmet solis æmulam, comparavere pulchritudinem? legite Evangelium, & reperietis, attestante Evangelistâ, quòd mulieres istæ *emerunt aromata, ut venientes ungerent* JESUM. Vendiderunt totum suum mundum muliebrem, quem possidebant, muneraque compararunt ad fovendum & honorandum corpus istud divinum; ideoque solis instar evaserunt venustæ, & prædicatrices effectæ sunt resurrectionis Christi.

Quare pulchræ.

Marc. 16. v. 1.

XIII. Ast hîc nova sese ingerit materia & dubium gravius; quamobrem Mariæ fuerunt adeo bene inclinatæ & devotæ mortuo Christi corpori? observastisne aliquando singularem quandam commendationem, quâ Christus extulit quondam B. Magdalenam? Audite, vos obsecro; duabus vicibus felix hæc pœnitens unguentis unxit personam CHRISTI; unâ vice, in domo Pharisæi, & alterâ intra ædes Simonis leprosi; ast magnam advertite differentiam. Prima unctio, quam executa est Magdalena in ædibus Pharisæi, in nullo Evangelii textu commendata fuit. Dum verò secunda perageretur, commorante Salvatore apud Simonem, ipse Dominus, insignem hanc dilectæ pœnitentis suæ contemplans actionem, ad circumstantes conversus, cæpit laudare eam, in tantum quidem, ut elatâ voce protestaretur, dicens: *Amen, amen dico vobis; ubicunque prædicatum fuerit hoc evangelium, & quod hæc fecit, narrabitur in memoriam ejus.* Juro vobis omnibus, quòd nullum unquam sæculum hujus egregiæ adeo obliviscetur actionis, imò semper & in omni loco honorifica ejusdem habebitur memoria; ipsumque unguentum balsamum erit, quod æternitati consecrabit famam hujus mulieris. Adeste ô Auditores! & vestris me suffulcite judiciis; si utrumque hoc obsequium debitè & accuratè discutere voluerimus, reperiemus utique, dictas laudes & commendationes primæ potius, quàm secundæ unctioni debitas fuisse; primâ namque vice, Magdalena, præter capacissimum vas alabastri, quod effudit, insuper tot sparsit oculorum suorum lacrymas, ut pedes abluerit Salvatoris; neque hoc contenta, non ordinarium quodcunque assumpsit mantile, sed aureum sustulit capitis sui velum, ut pedes abstergeret divinos. Quare igitur de prima quoque unctione non dicitur: *Prædicabitur hoc evangelium in universo mundo?* Cur non ad perpetuam quoque memoriam transituræ sunt tot tamque egregiæ, quas inibi Magdalena consummavit actiones? Plurima sunt expositorum diversorum responsa ad dubium istud; ast hodie acquiesco illi, quòd à subtilissimo quodam ingenio exhibitum invenio, dicente; quòd Magdalena in prima vice *Stans retro secus pedes DOMINI,* effuderit vas unguenti more ordinario, sine ulteriori operatione aut additamento; at in secunda vice sanctus Evangelista Lucas singularem quandam & notabilem scribit contigisse particularitatem, scilicet quòd *fracto alabastro, effudit super caput ejus.* Ita ut omni absque mensura, pretiosum abundè profluxerit unguentum, heroica manu dissipato alabastro; quasi igitur diceit CHRISTUS: quandoquidem unguentum modò profunditur sine ulla mensura, imò confractis vasis unguentum cum incomparabili abundantia offertur (*fracto alabastro*) ideo *hoc Evangelium prædicabitur in universo mundo.*

XIV. Verum enimvero Auditores! quare Magadalena in prima vice medietatem tantummodo divitiarum suarum voluit dispensare, in secunda autem adeo fuit liberalis, ut vas fregerit ad effundendum unguentum in majori copia? Eadem omnino fuit Magdalena, idemque Christus in utroque loco. Intellexistis utiq; &, ut opinor, observastis, pia

Margin notes: Bis sparsit unguentum M. Magd. — Marc. 14. v. 9. — Primâ vice. — Secundâ. Luc. 7. v. 38. — Marc. 14. v. 3. — Explicatio primæ.

Et secundæ. ibi. v. 8. pia ista officia, in secunda vice, Christi sepulturæ consecrata fuisse; *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam*; ast in primâ vice dicta servitia Christo vivo exhibita fuere. Modò itaque ad sufficientiam vobis exposui & repræsentavi obsequia singularia, Christo mortuo ejusque monumento exhibita.

XV. Nihilominus festinanter adeò obsequia ista transilire, fuerit inconveniens, quoniam, ni fallor, ipsemet Salvator vivaeius nobis exemplum proponet. Pro cujus notitia supponamus primò, Christum nullo unquam tempore respectum habuisse dignitatis divinæ personæ suæ, imò semper potius omne illud contēpsisse, quod aliquem ei poterat conciliare splendorem. Etenim in mundo natus est, ac sicuti Theodotus Ancirensis notat, *pauperculam elegit matrem, omnia vilia, omnia mediocria & plurimum obscura.* Potuisset equidem tanquam persona realis nasci in superbo palatio; quique pauper reclinatus & positus fuit in præsepio, an non pretiosis potuisset involvi fasciis? citra omne dubium; unde apposite S. Cyprianus inquit: *Panniculi pro purpura, pro byssino in ornatu regio, laciniæ eliguntur.* Si deinde vitam ejus contemplemur: *Omnia vilia & plurimum elegit obscura.* Discipulos elegit solummodo duodecim, vestibus usus est vulgaribus & mensâ admodum pauperculâ; ita ut tam nativitate, quàm vita sua semper fuerit pauper: at in morte sua quid sibi deputavit? Audite rei gestæ seriem. Postquam spiritum emisisset, instante necessitate sepeliendi mortuum illud ac sacrum pignus, juxta historiam Sancti Joannis, venit ditissimus quidam homo, dictus Nicodemus: *Ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum.* Inuncturus exstinctum corpus, debitèque conditurus, attulit centum libras aromatum. Ecce vobis difficultatem meam: quæ erat Salvatori necessitas, ut pretiosis adeo unguētis sese præmuniret contra corruptionem? an non sanctissima ejus membra, omnino inalterabilia erant & incorruptibilia? forsitan balsamo opus erat Divinitati? nunquid dicit ipse Christus: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem?* Atque insuper, si ipse, dum viveret, semper elegit abjectiora & viliora, cur modò, spretâ vulgaris hominis conditione, vult, mortuum corpus suum ultimis sepulturæ honoribus affici atque tractari, ritu magni cujusdam Principis? O Domine, quare permisisti, ut supra exstinctum cadaver tuum effunderentur centum libræ aromatum? quandoquidem vivus extremam semper continuasti paupertatem, cur mortuus tantam admittis magnificentiam?

Theod. Anc. — S. Cypr. — Christus semper in vita pauper. — Ioa 19. v. 39. — Ps. 15. v. 10 — Cur moriens, tot admittit obsequia.

XVI. Ecce vobis, metam attigimus intenti nostri. Quam ob causam tanta præstantur obsequia Christo mortuo, tantique exhibentur honores sepulturæ ejus? Advertite per salutem vestram; nunquid paulo ante diximus, sepulchrum Christi, publicatum fuisse omnium locorum gloriosissimum, in quibus unquam moratus est Salvator in vita sua? ita: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Nunquid ipsimet Angeli sepuchrum tanti æstimarunt, quanti ipsum cœlum? ita sanè supra probavimus cum D. Chrysostomo. Christus mortuus tantâ odoramentorum atque aromatum copia delibutus fuit; idem omnino hodie practicarunt dictæ Mariæ: *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum.* Nunc reassumo punctum totius difficultatis. Ad quid tot habuit honores sepultura, cur tanta expertus est obsequia Christus mortuus? Accipite, quam

vobis exhibeo, speculationem meam, præclarissimi cujusdam Scriptoris roboratam auctoritate. Undenam originem traxit omne bonum nostrum? Quidquid Sancta Ecclesia boni possidet, unde ortum habet? à resurrectione Christi; quis Christo vitam impertiit? profectò non alius, nisi sola mors; quia *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sed quomodo mors potuit Christo conferre vitam? scitisne, quomodo? nunquid Christus occidit mortem? ita; *qui mortem nostram moriendo destruxit*: quid autem fecit Christus, ut mortem dederet morti?

Rom. 6. v. 9.

XVII. Ascendamus montem Calvarium, resolutionem accepturi à Scriptura sacra. Hærens in cruce Salvator, totus exanimatus atque exsanguis, modò hàc, modò illac sese vertebat; tandem autem elevatis in cœlum oculis, clamorem edidit tremendum: *Clamans voce magnâ*; deinde inclinans caput, desolatam efflavit vitam: *Inclinato capite, tradidit spiritum.* Quæ fuit vociferatio ista, ô DEUS immortalis? quæ hæc capitis inclinatio? quorsum suspiria ista & lamenta? In eo ipso momento Salvator morte mortem peremit, conferens illi vitam suam.

Ioa. 19. v. 30.

XVIII. Sed quomodo quis potest alteri inferre mortem, dando ei vitam suam? Reminiscamini in præsenti illius, quòd in cap. 34. Deuteronomii commemoratur; ut enim ibidem traditur, volente Domino, dilectum amicum suum Moysen mori, absque eo, quòd ulli innotesceret (inquit textus) *Mortuus est Moyses, jubente Domino.* Alia quædam versio legit: *Mortuus est Moyses ad osculum Domini.* Ad osculum, quod dedit illi Deus, mortuus est Moyses; ergone Deus occidit osculis? non; sed veniat vobis in mentem, ô curiosi indagatores, consuetudo illa antiqua, tam apud Hebræos quàm apud Gentiles, olim frequentata. Quando quis filius jam jam agebat animã, indesinenter moribundi lecto assistebat ille, qui præ reliquis amabat agonizantem, Pater scilicet, aut mater, aut quispiam alius, qui in ultimo illo dilecti pignoris amplexu, dulcissimo cum osculo, in sese recipiebat vitam illius, qui exspirabat; significans per hoc, se velle vivam semper in pectore suo fovere memoriam sui dilectissimi defuncti. Idem quoque observabatur, moriente patre, tunc enim filius, omnium charissimus, hoc pietatis officiũ subire debebat; cujus rei evidens nobis testimonium perhibet Scriptura sacra in libro Geneseos: Jacob enim Patriarcha moriente, Joseph, præ reliquis filiis magis charus & dilectus, *ruit super faciem Patris, flens & deosculans eum.* Gentilium pariter infinita possunt exempla adduci, sed sufficerit vobis unicum istud, ab Ovidio citatum, quando de morte Drusi tractans, scribit, quòd in ultimis suspiriis, matrem suam obsecrans, dixerit: *Excipias hanc animam ore pio.* Rogo te, dilectissima mater, ut extremum mihi osculum impertias, inque virtute ejus, pio ore & materno pectore excipias hanc animam meam, quam efflo; hunc spiritum, quem exhalo: *Excipias hanc animam ore pio.*

Deut. 34. v. 5.

Mos Hebræorum circa mortuos.

Luc. 23. v. 46.

Gen. 50. v. 1.

Sicut & Gentilis.

XIX. Ex his facile est intelligere vim citati textus Deuteronomii: *Mortuus est Moyses ad osculum Domini.* Exspiravit Moyses osculante Domino; cum enim Moysi moriendum esset, nullo amicorum suorum astante, ipsemet Deus devoto voluit fungi officio amantissimi patris, & Moysi ultimum dare osculum, ut in pe-

Ps. 118. v. 131. Mors vitã accipit à Christo.

ctore

ctore Dei suam Moyses exspiraret animam: *Mortuus est ad osculum Domini*: q. d. Ego recipio in meipsum vitam Moysis, velut dilecti & amantissimi filii mei.

XX. Ita pariter affirmandum; quòd agonizans Dei Filius in lecto crucis, cum vellet ultimum Vale vitæ suæ mortali impertiri, videretque afflictissimam matrem suam omnino impotentem, ad ultimum dandum morienti amplexum ad Patrem

Luc. 23. v. 46. suum conversus, ait: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*: æterne Pater (quasi dicere voluisset) *Excipias hanc animam ore pio.* Recipe tu hanc animam meam in pectus tuum. Sed & ipso renuente Patre, ingemuit: *Clamans voce magna.* Quasi expostulaturus cum tanto rigore paterno, diceret: *Ut quid dereliquisti me?* ergone & tu me deseruisti? Circum itaque circa cœpit oculos suos in omnem partem conjicere Christus, vidensque, quòd sola mors, quæ erat inibi præsens, posset in se recipere vitam ejus, quid fecit? *Inclinato capite*; inclinans caput, advocavit mortem. Paruit hæc è vestigio, subitòque accurrens, aperuit os suum; & CHRISTUS *tradidit spiritum.* Id quod diu ante prævidisse videtur David, quando in persona mortis, dicebat:

Ps. 118. v. 131. *Os meum aperui & attraxi Spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Aliud dicebat

Mors vitā accipit à Christo. mors, non præstolabar ego, nisi nutum & citationem tuam: *Mandata tua desiderabam*; subitòque, ut me vocasti, ego accurri & veni: *Os meum aperui*; ut tibi darem extremum illud osculum, quod tibi mater tua dare non poterat, & Pater impertiri recusabat: *Et attraxi spiritum*; Spiritum illum ego in me suscepi, quem tu in me transfudisti, *Quando spiritum emisisti.*

XXI. Atque ideo in testimonium, quod mors in se recepisset vitam, resur-

rexerunt mortui ad vitā: *Multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt.* Hocque ipso, mors omnino victa fuit atque destructa neque aliter everti poterat, nisi vitam in se recipiendo. Vos utique novistis ô Metaphysici, non posse rem aliquam destrui, nisi à suo contrario; unde Philosophus quoque ait: *Contraria mutuò se expellunt ab eodem subjecto.* Albedo à quo expellitur & destruitur, nisi à nigredine? neque frigus abigit & prosternit nisi calor. Sed mors & vita sibi contrariantur; sicut ergo vita per nihil aliud poterat destrui, nisi per mortem; ita nec mors, nisi per solam vitam. Hoc Christus attendens, ait: vita mea mortem invadat, ut sic mors vincatur & destruatur; atque ideo, dum *emisit spiritum, mortem nostram, moriendo destruxit.* Matt. 27. v. 52.

XXII. Resumamus modò dictum mortis vitæque duellum. Cui palmam dabimus, utri victoriam attribuemus? an morti, quæ mortem intulit vitæ? an verò vitæ, quæ morte mulctavit mortem? clara est responsio. Totus triumphus vitæ Christi attribuendus est, nisi enim Christus vitam suam dedisset morti, nunquam potuisset mortem inferre morti: & quomodo mors potuisset vitam conferre vitæ, nisi Christus vitam suam dedisset morti? Resol. Probl.

XXIII. In tam gloriosi itaque triumphi die, quid aliud restat, nisi ut cum Ecclesia sancta dicamus: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea?* Ast quam nos festivitatem meliorem celebrare poterimus, quàm mutando vitam

nostram?

nostram? quàm transeundo à peccato ad gratiam? Gloriosissimus est hodiernus dies, tota namque natura transitum facit de esse inferiori ad statum supremum & gloriosum. Si vos omnes confessionis & communionis obligationi satisfecistis, qui transitus maximè divinus est, quem Christianus complere potest, altissimus Deus impertiat vobis felicissimam præsentium sanctorum paschalium fruitionem, plenam gaudio & lætitiâ, tam corporali quàm spirituali; principaliter autem repletam gratiâ, quæ gloriæ est securitas. Ite in pace.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

PRO DIE LUNÆ POST RESURRECTIONEM Christi.

DISCURSUS

De Valore & merito eleemosynæ; specialiter autem quando applicatur pro animabus Purgatorij.

Tu solus Peregrinus in Ierusalem? *Luc.* 24. *v.* 18.

PROBLEMA

Uter debeat æstimari locupletior & ditior; an Pater æternus, quando Mortalibus nobis divinas dispensat misericordias: aut verò charitativus, qui facit eleemosynam pauperibus?
Et utrùm aqua eleemosynæ, in mortuorum beneficium, exstinguere possit flammas Purgatorij?

INTRODUCTIO.

I.

DOminantes in regnis Toletano & Granatensi Æthiopes, heroes nobilissimi, superbissimas instituerunt pugnas umbratiles, quas nuncupabant veloces amoris: vestibus autem induti gradiebantur, ad hunc effectum præparatis nõ modò decoris, pretiosis & pomposis; sed etiam ænigmaticis

maticis & significativis. Procedebat Princeps, totus viridi indutus amictu, cor habens vulneratum in medio pectoris, cum tali inscriptione: *Assy el my corazon salienta*; volens his verbis significare, se non alio pasci, nisi vivâ spe. Ferebatur alius in medium, gerens vexillum in manibus, in quo depicta erat columna marmorei caloris, cum inscriptione sequenti: *Primero quebrar, que blandear.* Quasi dicere voluisset; adeo se immobilem esse & constantem in actionibus suis, ut multò citius rumpendus foret, quàm flectendus. Idem æmulabantur & fœminæ. Unde vidisses hinc incedentem viraginem, fimbriatâ fluctuantem chlamyde, argenteis contextâ plumis, cum hujusmodi epigraphe: *El viento se las llieva*; significando verbis istis, quòd in ventum seminaret ille, qui spem suam collocaret in amore talis fœminæ. Vidisses isthinc heroinam aliam insigni stupendam silice, vivis scintillante flammis ignis, cujus inscriptio erat: *Para quisien las quisere.* q. d. Quantumvis ex oculis meis flammæ erumpant amorosi ignis, ad inflammanda incautorum amantium corda, ego tamen nihil hujusmodi in meipsa experior; atque ita consequenter nobiles reliqui suos exprimebant variè varios amorosos conceptus.

II. Hodie ô Auditores, dies est inprimis festivus Ecclesiæ sanctæ; unde videbitis, S. Petrum V. G. cum ramo amaranthino in manibus, hâc epigraphe adjectâ: *At lacrymis mea vita viret*; volendo significare: quòd, sicut Amaranthi vigor & vita conservatur per aquas, ita ipsum pariter, vivum & sincerum Christi amatorem foverent aquæ lacrymarum. Observabitis Stephanum, pretioso fulgentem in amictu, variis distincto gemmis & lapidibus pretiosis, cum inscriptione: *Mihi dulces fuerunt*: Laurentium obstupentes intuebimini, toto combustum corpore, cum addito: *Assatum est, jam versa & manduca.* Contemplabimini Augustinum patrem meum, situatum in medio duorum fontium, sanguinis scilicet Christi & lactis magnæ Matris, cui inscriptio: *Quò me vertam nescio.* Idem omnino hodie à mulieribus sanctis practicari notabitis: magna etenim Domina nostra Maria, quæ paulò ante sepulta squalebat in mari lacrymarum & cruciatuum, hodie tota alacris comparet, manibus gestans turbinem solarem Orientis Phœbi; habetque inscriptionem talem: *Exaltavit caput.* Magdalena pariter, tota nimio præ amore veluti insaniens ad monumentum, sparsis in auras capillis, nec suâ caret epigraphe, dum ait: *Tulerunt Dominum meum.* Super omnes autem graditur hodie summus Princeps Christus, centone indutus, funiculo præcinctus, cum abolla pellicea & pileo, forsitan ex paleis facto, necnon cum baculo in manibus, hanc præferens epigraphen: *Et peregrinus.* Quis iste extravagans vestibus, ô magne Domine? quomodo in die adeo festivo & solemni amictum induis alicujus peregrini? Equidem non sunt hæ primæ vices, in quibus formam Peregrini cujusdam assumpsit. Descendens namque de cœlo in terram, ad instar peregrini venit, habitu mendicato ab hominibus: *Habitu inventus ut homo*; ideoque tunc non fuit cognitus ut Deus ab omnibus; imò Jerosolyma ipsi mortem intentavit: *Futurum est enim, ut quærat puerum ad perdendum eum.* Matt. 2. v. 13. Per 33. annos, quibus nobiscum vixit, semper circuivit ad instar peregrini, suum panem mendicans: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis* Ps. 68. v. 9.

matris meæ; neque tunc pro Deo agnitus fuit: *Si eum non receperunt.* Moritur in cruce, ordinatque, sanguinem suum divendi pro emendo agro, *in sepulturam peregrinorum*; & multò minus tunc pro Deo reputatus fuit: *Quid ad nos? tu videris.* De terra in cœlum veluti peregrinus conscendit: *Peregrè profectus est.* *Quis est iste*, inquit S. Gregorius, *qui peregrè profectus est, nisi redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abiit in cœlum?* Forsanne tunc temporis, ab Angelis cognitus fuit? nequaquam; *Quis est iste Rex gloriæ?* Hodie tantummodo, dum in specie peregrini comparet in Emaus (*tu solus peregrinus*) agnitus est pro Deo: *Cognoverunt eum in fractione panis.* Cur obsecro, Dominus ille, qui nunquam, quamdiu in peregrini habitu comparuit, cognitus fuit, quòd esset Deus; hodie duntaxat in Emaus manifestatus est talis? Respondeat S. Gregorius homil. 23. *Ecce, Dominus non est cognitus, dum loqueretur, dignatus est tamen cognosci, dum pasci-tur.* Fuit agnitus peregrinus pro vero Deo, quia non peregrinans, eleemosynam peteret, subitò eam impetravit: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Ex hoc ipso singulare ego dubium elicio. Si pauper peregrinus, quando eleemosynam accipit, reputatus est & cognitus Deus; quis igitur erit ille, qui ipsemet charitatem faciet? quid de eo statuendum erit? Respondet Chrysostomus, talem assimilandum fore Patri æterno; ipse namque Pater est misericordiæ: *Pater misericordiarum.* Ille igitur, qui misericordiam exercet in egenos, similis evadit Patri luminum: *Nihil nos usque ad Dei similitudinem sic extollit, quemadmodum libera & copiosa collatio.* Si ita est, ergo veniam date & permittite, ut hoc grave vobis exhibeam problema: Uter dicendus sit ditior & locupletior; an Pater æternus, dum nobis divinas suas impertit misericordias; an verò charitativus, dum eleemosynam dat pauperibus? quantum pro responsione ad hoc problema dicetur, tantundem deserviet ad publicandas laudes S. Thomæ de Villanova, qui sicut per nimiam charitatem suam sibi acquisivit nomen eleemosynarii, ita & à S. Ecclesia cognominatus est pauperum Pater. Discutiemus postea in secunda parte, utrùm aqua eleemosynæ, ad animarum cruciatarum consolationem, possit exstinguere flammas Purgatorii? Miseri pauperes magnâ premuntur refrigerii necessitate; atque ideo me, hodie de eleemosyna, quæ peregrinis dari debet, tractantem, devoto foveatis silentio. Incipiamus.

Ioa. 1. v. 11. — *Matt. 27. v. 7.* — Christi divinitas non cognoscitur — *Mat. 21. v. 33.* — *S. Greg.* — Nisi in Emaus. — *S. Greg.* — *S. Chrys.* — *Probl.* — *Matt. 13. v. 44.* — Eleemosyna thesaurus Paradisi. *S. Chrys. ser. 8.*

III. Et ut planum mihi tramitem sternam omnium, ad præsentis problematis responsum dicendorum, inprimis in medium voco S. Apostolum Paulum, qui de thesauris, ipsum Deum locupletantibus, tractans, inquit: *Deus, qui dives est in misericordia.* O quàm locuples est Deus in misericordia. Vestram hîc resolutionem exquiro ô patres theologi; nonne vos docetis, omnia divina attributa esse infinita & infinitè perfecta? ita; ratio autem, quam mihi assignatis, est Doctoris angelici, Sc. omne attributum divinum, essentialiter & realiter esse ipsum Deum; ita ut dici nequeat, divinam misericordiam majorem aut minorem esse divinâ justitiâ; neque quòd unum attributum divinum sit magis proprium Deo, quàm aliud; realiter loquendo. Hoc supposito (quod nemo negat) ecce vobis dubium magnum, ortum ex assignato S. Pauli textu; quare Deus dicitur locupletior in misericordia, quàm in justitia aut

Eph. 2. v. 4. — *Matt. 25. v. 35.* — *§. 22.*

quo-

quocunque alio attributo? pro tanti autem dubii resolutione, necessum est, ante dignoscere quidditatem eleemosynæ; quid nimirum sit, quæque subsidia præstet, tam corporalia, quàm spiritualia.

IV. Quod ad primum punctum attinet, quid esse existimatis eleemosynam, nisi thesaurum aliquem cœlestem, qui est tanti valoris, quanti ipsummet cœlum? Audite S. Matthæi testimonium: *Simile est Regnum cœlorum, thesauro abscondito.* Sed quomodo? ergone Paradisus similis est thesauro terreno? quis erit iste tantus in terris thesaurus, qui regno beato assimilari possit? scitisne, qualis? respondet S. Chrysologus, quòd sit eleemosyna: *Thesaurus cœli est manus pauperis; quod suscipit pauper, ne in terram pereat, reponit in cœlum.* Et apertius ad tyrannum Sanctus Laurentius: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros, manus pauperum deportaverunt.*

Matt. 13, v. 44.

Eleemosyna thesaurus Paradisi. *S. Chrys. ser. 8.*

V. Et quare non statueremus, eleemosynam thesaurum esse cœlestem, siquidem, si per impossibile vendibilis esset paradisus, sola eleemosyna sufficiens esset ad comparandum eum. Est equidem abundè frequens, nimiumque in pulpitis vulgata historia de finali & tremendo judicio; nihilominus, quia ad præsens intentum, singularem suppeditat animarum doctrinam, permittite mihi, ut eadem vobis re exhibeam. Omnes omnino simul congregati assistent augustissimo Judicis throno; justi quidem, ut recipiant præmium; præsciti verò, ut sententiam suam audiant condigni supplicii; & ad electos justus Monarcha conversus, dicet: *Quia esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; nudus eram, & cooperuistis me; propterea venite benedicti Patris mei percipite regnum;* deinde contra præscitos severam feret sententiam, dicens: *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare; propterea ite maledicti in ignem æternum.* Estne possibile ô Auditores! in tremendo illo judicii die, in toto illo beatorum exercitu, nullam aliam virtutem compariturам esse præter eleemosynam? convenient electi omnes, divinorum præceptorum observantiâ ornati, perfectaque divinæ voluntatis adimpletione decori; quomodo igitur regnum cœlorum soli eleemosynæ in præmium cedet? nunquid non videbuntur Apostoli, omnibus sanctis operibus pleni? nunquid in medium procedent Martyres, copiosâ proprii sanguinis effusione laureati? nonne prodibunt Virgines, puritatis suæ candore exornatæ? ita sanè; cur itaque nulla horum sanctorum operum fiet mentio? Respondet S. Petrus Chrysologus ser. 4. In extremo judicii die comparituros Apostolos, veluti excelsos sanctæ Ecclesiæ athletas; & Martyres, quasi invictissimos Christianæ fidei defensores; Virgines autem, ut dignas ipsiusmet Christi sponsas; nihilominus in die illo solam eleemosynæ futuram esse mentionem, ad docendum nos, quòd virtus ista sit omnium sanctarum operationum prima & regina, quòdque illâ deficiente, pereat virtus quæcunque alia. Audite Sanctum Chrysologum: *Hoc solum Deus clamat, quod comedit pauper, quia in cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo; erogatio pauperis,* prima divinis scribitur in divinis. Si ita est, an non meritò dicetis, eleemosynam thesaurum esse sufficientem, ad comparandum cœlum?

Matt. 25. v. 35.

Et regina omnium bonorum operum.

S. Chrys. ser. 14.

VI. At curiosum quempiam audire mihi videor, interrogantem & dicentem: Si tantum est eleemosynæ pretium uter igitur thesaurus majoris est valoris;

an regnum cœleste beatorum, an verò eleemosyna ? si pietas mihi christiana permittat, ut eloquar; dicam, quòd si in vna divinæ trutinæ parte collocaretis omnes virtutes imaginabiles, omnes omniũ Sanctorum Sanctarumque cœli pœnitentias; imò ipsum pretiosum Christi sanguinem & sacrosanctum altaris sacrificium, & tandem ingentem nimis thesaurum omnis istius, quidquid Deus possidet in Paradiso; ex altera autem parte tantummodo reponeretis frustulum panis, ex amore Dei, pauperibus erogati, quid crederetis eventurum ? magis Deo placeret illa pars eleemosynæ, quàm totum residuum. Neque auderem ego tam insolita asserere, nisi ipsemet Christus, per S. Matthæum hanc nobis veritatem tradidisset, inquiens: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Plus mihi placet aliquis pietatis actus in pauperes exercitus, quàm sacrificium. Difficultas hujus textus consistit in eo, quòd scilicet duplex sit sacrificium in Ecclesia sancta; alterum mors Christi in cruce, alterum Eucharistiæ sacramentum. Mors Christi cruentum fuit sacrificium, & ab ipso Christo, pro peccatis mundi, æterno Patri oblatum; hocque sacrificium fuit infinitum, utpote ab ipsomet unigenito Dei Filio oblatum. Aliud est sacrificium altaris, in quo pariter, sub speciebus panis & vini, offertur pretiosum corpus & sanguis Christi, unde & S. Ecclesia in quadam oratione secreta dicit: *Sacrificium Domine, tibi illud offerimus, de quo principium sumpsit omne martyrium.* Hoc supposito, qualiter verificari poterit, Deo gratiorem esse actum misericordiæ, quàm sacrificium? Magis igitur tibi placet ô Domine, quando pauperi dedero quid panis, quàm si reciperem sanctissimum corpus tuum?

Matt. 9. v. 13.

Fer. 5. do. 3. quadr.

VII. Dubii istius gravitas me inducit, ut quendam vobis casum proponam. Si quis nostrûm, in Paradisum translatus, & gaudens immensæ istius abysso, sollicitaretur ab aliquo paupere pro danda eleemosyna, quid ei in tali casu faciendum esset? deberetne talis supremæ illius felicitatis visionem deserere & egeno subvenire?

VIII. S. Petrus indubiè nos ex angustiis eripiet. Juxta historiam Actuum Apostolorum, morabatur in civitate Joppen, sancta quædam vidua, nomine Tabitha, quæ post plurimam in pauperes exercitam charitatem, demum mortua fuit. Principaliores itaque istius urbis, qui Catholici erant, scientes, pontificem sanctum Petrum non procul inde abesse, scripserunt ad eum tenore sequenti: *Ne pigriteris venire ad nos*; Pater sancte, lectâ hâc epistolâ, sanctitas sua dignetur venire ad hanc urbem, ratione magni cujusdam negotii. S. Petrus literas acceptas ut legit, subitò sese ad iter accinxit & profectus est; ut autem Joppem pervenit, ductus est ad ædes, ubi morabatur corpus defunctæ; reperitque inibi multas viduas pauperes, omnes plangentes mortem Tabithæ. Una dicebat: Pater sancte, hanc vestem mihi donavit sancta illa mulier; alia dicebat: dedit mihi hunc amictum; omnesque lacrymantes, rogabant S. Petrum, ut resuscitaret eam. Ad hæc D. Petrus jussit omnes è cubili exire, quo facto ad defunctam conversus, ait: *Tabitha surge*, & subitò *illa aperuit oculos.* S. Petrus exporrectâ manu *erexit eam, & cum vocasset Sanctos & viduas, assignavit eam vivam.* Tres ego ponderationes instituo circa factum præsens, unamque digniorem alterâ. Prima est circa humilitatem summi Pontificis; si namque duo principaliores hujus civitatis

Act. 9. v. 38.

v. 40.

Egenis subveniat & Papa cum incõmodo suo.

v. 41.

civitatis nobiles scriberent ad Papam, ut lectis eorum literis, subitò properaret, huc propter urgens aliquod negotium; ipseque sanctus Pater indilatè se itineri committeret, quid utique diceretis? O magnum Prælatum! ô insignissimum infimæ humilitatis actum! ast S. Petrus erat summus Pontifex, eique scripsêre duo cives: *Ne pigriteris venire ad nos*; subitòque comparuit. O gloriosum Petrum! Ecclesiæ sanctæ caput, quem unica charta seu literula movit duorum ordinariorum seu communium civium! Respondet D. Petrus; ita omnino justum est ut faciam, negotium est de pauperum refrigerio, ideoque nec possum nec debeo subsistere. Sed quis fuit iste defunctos resuscitandi modus? *Tabitha surge.* Nunquid dormiebat Tabitha? An non Christus, Lazarum resuscitaturus, ingemuit, turbatus fuit & Patrem æternum in subsidium vocavit, tu verò S. Petre sine omnibus illis circumstantiis, unico solo verbo Tabitham resuscitas? Ita, dicit Petrus, resuscitavit Christus Lazarum ad instantiam sororum ejus, ego autem ad petitionem pauperum viduarum; & quantumvis virtus mea longè minor & inferior sit potentiâ Christi, nihilominus dum sese pauperes interponunt, aliquam quasi omnipotentiam induere videtur. Ast dicito nobis Apostole sancte, ubinam moratur Tabitha? aut enim est in Purgatorio aut in cœlo (in inferno namque torqueri nequit eleemosynaria sancta) si est in purgatorio, divinæ satisfacit justitiæ; Si autem in cœlo degit, ibi gloriâ potitur supremâ. Quidquid sit, inquit S. Petrus, ad subveniendum pauperibus, debet supersedere satisfactioni justitiæ, imò & possessionem deserere ipsiusmet gloriæ.

Egenis opitulans omnem acquirit potentiã. In pauperum gratiam, cœlum deseri potest.

IX. Cur factum esse creditis, ut mortuus mendicus Lazarus, ab Angelis in Abrahæ sinum fuerit deportatus, prout S. Lucas attestatur, dicens: *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ?* Intelligo equidem, quomodo & qualiter Abraham, dum in terra viveret, officium hospitalitatis & eleemosynæ exercuerit in pauperes, cœleste exspectans præmium beneficentiæ suæ; at, quòd jam existens beatus & sanctorum operum suorum præmio potitus, eadem adhuc velit frequentare charitatis obsequia (quasi non contentus se excepisse peregrinos in terris, vellet etiam iis hospitium præbere in cœlo) hoc utique summè considerandum est. Forsitan Abraham, Paradiso fruens, incompletam atq; imperfectam reputavit esse beatitudinem suam, nisi & in cœlo, iisdem pietatis officiis sese implicaret, quibus deditus fuerat in terra? Ita sanè, inquit S. Chrysologus Ser. 121. *Parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria, ab hospitalitatis pio cessasset officio.* Admiranda profectò hæc est sententia ô Docti; beatus igitur majoris æstimat felicitatis, vacare officiis charitatis, quàm gaudere beatitudine? Philosophi, nunquid juxta Aristotelis assertum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis?* Causa majoris est æstimationis & pretii, quàm effectus, dum igitur eleemosyna est causa meritoria beatitudinis, in hoc sensu, majoris facienda est eleemosyna, utpote causa, quàm beatitudo quæ est effectus.

Luc. 16. v. 22.

Abraham non se reputat beatum sine operibus charitatis.

S. Chrys.

X. Ad nostrum nihilominus propositum, discuti opto subtili cum acumine, quandam magni Patris Augustini sententiam, qui in homilia 29. dicit: *Eleemosyna in pauperes, sacrificium est Christianorum.* An eleemosyna sacrificium est? Christianorum sacrificium est mors Christi in cruce,

S. Aug.

ce, vi cujus fuit redemptus mundus. Deinde sacrificium Christianorum dicitur, sacrosanctum altaris mysterium, in quo offertur sacrum Christi corpus & pretiosus sanguis ejus; quomodo eleemosyna igitur dici potest Christianorum sacrificium? forsitan, quia per eleemosynam anima redimi potest à peccatis? idipsum in bono sensu sustineri potest, dicit namque
Dan. 4. v. 24. Regi Nabuchodonosori Propheta Daniel: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas miseriis pauperum*; & Angelicus
S. Thom. Doctor S. Thomas dicit, quòd actus eleemosynæ *quò ad grati substantiam*, semper bonus sit, Deoque placeat, sive fiat in statu gratiæ sive in statu peccati; quantumvis *quò ad modum* non sit idem; quia si est in gratia exercitus, meritorius est gloriæ, cum è converso adimpletus in peccato, non sit meritorius, sed disponat tantummodo cum efficacia ad ju-
Eccl. 29. v. 15. stificationem, Unde Eccles. inquit: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo*; ita ut nō sit, contra sensum catholicum, dicere, quòd eleemosyna sit sacrificium, sicut mors Christi ad redimendam animam à peccatis.

XI. Hoc supposito, ego vos interrogo: utrum è duobus majus est, recipere sanctissimum sacramentum, communicando, vel pascere pauperem? quando quis communicat aut se conspergit pretioso Christi sanguine, tunc Deus præbet cibum homini; at quando quis eleemosynā impertit egeno, tunc homo est, qui cibat Deum; quidquid enim datur pauperi, to-
Matth. 25. v. 40. tum accipit Christus: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; pluris itaque
Homo per eleem. cibat Deum. æstimandus est actus misericordiæ seu eleemosynæ, quàm quodcunque aliud à Deo proveniens; si enim non fallit principium istud Philosophicum, scilicet: *Quod recipitur, per modum recipientis recipitur*; ergò quando DEUS dat alimentum homini, cum homo non habeat capacitatem nisi finitam, licet donum Dei in se sit infinitum, nihilominus ex parte hominis recipientis evadit finitum; econtra verò, quando homo per eleemosynam alit Deum, cum Deus dignitatem habeat infinitam, licet actus eleemosynæ in se sit finitus, nihilominus ex parte Dei recipientis efficitur infinitus, atque ita concludere possumus, in trutina divina plus ponderare eleemosynam, quàm quodcunque aliud donum cœleste, quandoquidem thesauro divinorum bonorum ditatur homo, & thesauro humanæ eleemosynæ locupletatur Deus. Atque ideo optimè Christus ait: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Non quod ipsi displiceat sacrificium, sed quia in actu eleemosynæ quodcunque includitur sacrificium

Eleem. actus quomodo infinitus.

XII. Quam propter causam, ut mihi ego persuadeo, omnes sancti & illustriores tam veteris, quàm novi testamenti personæ, toto animo omnique conatu sese dederunt hujus sanctæ virtutis exercitio. Nunquid sanctus Loth Gen. 19. v. 1.
affectuosis cum instantiis viatores inducebat, ut diverterent ad ædes ejus? Sanctus Patriarcha Abraham quid non fecit Gen. 18. v. 2.
ad solatium & subsidium peregrinorum? Meus gloriosus sanctus Nicolaus Tolentinas continuò victum suum, quem religiosa ei paupertas subministrabat, in pauperes distribuebat, propriâ contemptâ fame; volens in hoc opere sancto, vestigiis inhærere sancti Nicolai Myrensis Episcopi, qui tribus auri massis tres pauperes dotavit puellas; paratas, urgente extremâ necessitate, propter vilissimum pretium suam prostituere virgini-

Exempla SS. qui charitati fuêre dediti.

ginitatem. Charitatis specula, sancti Martinus & Antonius de Padua, ut primum in pietatis notititiam devenêre, tantâ in proximos exarserunt charitate & affectu, ut propriis sese vestibus & palliis spoliarint, ad cooperiendam nuditatem aliorum. Magnus Pontifex sanctus Gregorius nonne continuò in mensa sua pauperes pavit? & quid equidem dicam de imflammato illo magni P. mei S. Augustini corde, qui nimiâ exardescens & contabescens præ charitate, cum nihil aliud, in pauperes erogandum superesset, sacra vasa confregit, ut sustentaret eos? ita namque in ejus vita scribitur: *Tantâ benignitate fuit in pauperes, ut, cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sustentandam.* Sanctus Paulinus nunquid voluntarium factus est mancipium, ut alium liberaret pauperis cujusdam mulieris filium, postulantis opem à S. præsule? ita sane commemorat sanctus Gregorius in hæc verba: *Ut filium tuum recipias me vice illius in servum trade.*

Eleem. actus quomodo infinitus.

In vita S. Aug.

S. Gr. l. 3. dial. c. 1.

XIII. Si autem exempla hujusmodi debiliora sint, quàm ut valeant aliquem vobis instillare amorem exercendæ in pauperes pietatis; nunquid saltem obligatio; quâ DEO obstringimini, sufficiens erit, ut panem ex ore vestro eripiat & in pauperes eroget? Omnia vestra, quæ possidetis bona, nonne sunt DEI? id utique negari non potest; quia ut sanctus Paulus ad Corinthios scribens, ait: *Quid habes, quod non accepisti?* Omnia dona, tam naturalia quàm supernaturalia data sunt à DEO, & quidquid est in universo, totum DEI est; quemadmodum ipse per Psalten Regium in hæc verba protestatur: *Audi populus meus, Deus Deus tuus ego sum; meæ sunt omnes feræ sylvarum, meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus.* Omnia mea sunt; feræ, silvæ, boves, montes, possessiones; quidquid creatum est, totum meum est. Nunc autem, qui sunt pauperes? exactores sunt mandatorum Dei, veniunt requirere & exigere à vobis illud, quod DEI est, pauperes ergo, quatenus repræsentant personam DEI, jus habent & jurisdictionem in substantias vestras; atque ita vi justitiæ vos obligati estis illud dare pauperibus, quod DEI est; si autem debitum negaveritis, magna erit iniquitas. Audite sanctum Basilium homil. 1. *Panis, quem tu tenes, est famelici; tunica, quam in conclavi conservat, est nudi: sicut argentum, quod possides, non est tuum sed indigentis. Cur ergo tu abundas, & ille mendicat? Da igitur pauperi, quod est Dei, ut justitiam compleas.*

Christianus obligatur ad eleem.

Gen. 19. v. 1.

Gen. 18. v. 2. Exempla SS. qui charitati fuêre deliti.

1. Cor. 4. v. 7.

Psal. 49. v. 10.

S. Basil. hom. 1.

XIV. Vultisne clarius intelligere, quanta sit uniuscujusq; obligatio, ad succurrendum egenis? Audite, quid Deus per Isaiam dicat: *Frange esurienti panem tuum; cum videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne despexeris.* Subintrat hîc magnus P. Augustinus Serm. 6. de tempore, mirabilē quandam instituens speculationem. Advertite, inquit, sanctus, quòd *Deus non dixit, ut integrum panem daret, ne forte alium pauper non haberet, sed: frange, inquit, hoc est: & si tanta sit paupertas, ut non habeas nisi tuum panem, ex ipso frange & esurienti tribue.* Non dicit Deus, ut totum panem dones pauperi; posset enim fieri, ut quis adeo inops esset, ut non nisi unicum duntaxat panem ipse haberet. Sed quid dicit: *Frange esurienti panem tuum.* Id est, si tam pauper es, ut nihil habeas præter unicum panem, divide eum, & mediam illius partem da pauperi. Quis hæc audiens non exhorreat & contremiscat?

Isa 58. v. 7.

S. Aug.

Nullus pauper exemptus à danda eleem.

Si

Si vult Deus, ut mendicus, non habens nisi panem unicum, hunc ipsum dividat cum aliis famelicis, quis à charitatis implendæ debito dici poterit exemptus? Quanta igitur erit obligatio divitis alicujus? Sed ô casum lacrymabilem, inquit S.
S. Basil. hom. 7. Basilius: *Dives parietem vestit, & hominem pauperem sinit nudum evadere; equos phaleris ornat, & fratrem suum, laceris amictum*
S. Ambr. *vestibus, aspernatur.* Et S. Ambrosius subjungit: *Pecuniam pauper quærit, & nec habet panem; & equus divitis aurum sub dentibus mordet.* O crudelitas inaudita! pauper in domo divitis, ne minimam habere potest buccellam panis; & in ejusem stabulo videbis equos, masticantes aurum.

XV. Si autem neque Sanctorum exempla, neque obligatio, quâ Deo obstricti estis, satis efficaciæ habent, ut vos ad charitatem in pauperes inclinent; moveat vos saltem proprium interesse, & utilitas, tam corporalis quàm spiritualis, quæ acquiritur per eleemosynam. Vultisne divitiarum & bonorum temporalium abundantiam? charitas in pauperes hanc vobis conciliabit. Propheta David in Psal. 48.
Ps. 48. v. 11. de divitibus tractans, ait: *Relinquent alienis divitias suas*; dives, quando morietur, omnia bona sua relinquet extraneis. Quare? *Quia cum interierit, non sumet omnia*: dives moriens, non portabit secum totũ hoc, quod possidebat; subinfert S. Ber-
S. Bern. nardus: *Si non sumet omnia, ergo aliqua.* Quid conferet dives post mortem, quandoquidem nudus est transiturus ex hoc
Iob. 1. v. 21. mundo? nunquid enim dicit S. Job: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*? S. Ambrosius ad difficultatem hanc responsurus, ait, divitem, qui non fuit eleemosynarius, nihil omnino secum portaturum post mortem; divitem verò, in pauperes charitativum, infinitos secum delaturum esse thesauros in Paradisum. Si probationem exigitis: ecce vobis Salvatorem, in S. Luca nobis suadentem, ut divendamus facultates nostras, & pretium venditarum in eleemosynam distribuamus pauperibus: *Vendite quod possidetis, & date eleemosynam*; & deinde imme- Luc. 12. v. 33.
diatè subjungit: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Postquam totam substantiam vestram erogaveritis in pauperes, providete vobis de sacculis, qui non senescunt. Domine, manifesta hæc est im- §. 19.
plicantia: totâ substantia in pauperes distributâ, quæ est sacculorum necessitas? quandoquidem nihil est residuum, quo repleantur.

XVI. Advertisne aliquando ô Auditores! illud, quod apud S. Lucam, Zachæus refertur dixisse? Videns magnus hic Princeps, tanto se honore cumulatum per præsentiam Christi, ait: *Domine, ecce* Luc. 19. v. 8.
dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquid defraudavi, reddo quadruplum. Experior ô Domine, adeo fortiter me tuâ constrictum clementiâ, ut amore tui, in egenos dispensare velim medietatem totius substantiæ meæ, & quartam partem totius mihi residuæ facultatis restituere illi, cui injustitiam intuli. Ad debitè intelligendum totius hujus à Zachæo formati, discursus efficaciam, supponere oportet duo; primum est, Zachæum opes sibi illicito modo & per viam usuræ acquisivisse. Alterum est, quòd tota Zachæi possessio ad determinati numeri summam ascenderit; ponamus v.g. ad centum mille scuta. Hoc supposito, non jam discepto de eo, quòd Zachæus primò fecerit eleemosynam, quæ est de consilio, & postea bonorum executionem, quæ opus est justitiæ; Sed ita duntaxat dico: si Zachæus ex centum mille scutis, mediam

partem

partem dedit pauperibus, id est, quinquaginta millia scutorum, quomodo postea potuit per residua alia quinquaginta millia, restituere quartam partem eorum omnium, quæ abstulerat aliis? §. 29. & ut clarius sensum meum aperiam; si furatus fuit centum mille scuta, & quinquaginta eorum dedit pauperibus, quomodo potuit cum quinquaginta millibus, quæ restabant, quadruplum restituere totum bonum ablatum, cujus summa erat, centum mille scuta? ad hoc sanè faciendum, opus illi fuisset quadringentis mille scutis. S. Petr. Chrysol. ser. 25. Respondet sanctus Petrus Chrysologus Ser. 25. *Usura mundi est centum ad unum, sed Deus unum accipit ad centum.* Longè omnino diversum est negotium mundi & §. 18. Dei: Mundus ex centum acquisitis, non dat nisi unicum; Deus autem pro unico nummo, quem ipse recipit, tibi dat centum: *Centuplum accipietis.*

Eleem. facta ditat dantes. & §. 19. XVII. Stabiliamus totum hoc per experientiam. Magnus ille Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sacerdos, nomine Martianus, videns die quâdam pauperem nudum, proprio se pallio privavit & inopi dedit; quod factum DEO ita placuit, ut ipsi miraculosè alium amictum reddiderit ex auro, quo duntaxat utebatur, quando ad altare accedebat, Ab. Bzov. missam dicturus. Ita Abraham Bzovius: *Cum pauperi nudo suam vestem dedisset, aureâ veste divinitus est indutus.* De Adriano summo Pontifice legitur; quòd 40. tantùm scuta illi residua manserint in bursa, cæteris omnibus erogatis in pauperes; fecit autem Deus gratiam, ut quantumvis sanctus Pontifex quotidie plurima expenderet in subsidium pauperum, semper nihilominus bursa iisdem manserit repleta pecuniis quò ad numerum. Bonifacius Episcopus Ferentinus per nimias factas egenis eleemosynas, totum evacuaverat granarium frumento, quod cum mater vidisset, fuit turbata & conquesta plurimum; sed postridie accurrens reperit granarium vel horreum multò abundantius & repletius granis, quàm fuisset ante. Ita S. Gregorius Papa in hæc Gr. l. 1. dial. c. 9. verba tradit: *Ita horreum tritico plenum inventum est, sicut antea plenum non fuerat.* Ast silentio involvamus quemcunque alium charitatis actum, unicum adhuc duntaxat commemoraturi, qui sufficiet pro multis. Magnus ille Prælatus, Archiepiscopus Valentiæ, religionis meæ gloria, admirandus S. Thom. de Villanova, per Antonomasiam pater pauperum nuncupatus, in principio Archiepiscopatus sui, alios census non habuit nisi 18. mille scutorum; intra breve tempus summam adauxit, ut accresceret ad 22. mille scuta, & tandem in fine vitæ suæ pertigit ad 30. millia scutorum. Neque hoc duntaxat, dum inter cæteros unum quendam annum extraordinaria premeret annonæ caritas; ordinavit Sanctus, ut reliquas inter eleemosynas, fieret etiam grani provisio pro tribus paupercculis mulieribus; ad hæc dispensator: Domine, granarium omnino evacuatum est. Itane? dicebat sanctus, veni mecum & reclude horreum. Reserata fuit porta, & granarium repertum plenum frumento. Tribus diebus ante mortem, vocatis eleemosynariis suis præcepit & rogavit, ut abeuntes per totam civitatem, pauperibus distribuerent totam residuam censuum monetam, absque quòd vel unicus solidus referretur. Circumierunt itaque eleemosynarii omnes urbis parochias, neque ullam prætereuntes domum, cui non abundas impertirent eleemosynas, experti sunt, se nunquam tan-

Mira operatur S. Th. Vill. vi eleemosynæ.

tantum elargiri, quin semper sacci viderentur pleni. O Deum! quàm impigrè & industriè operatus fuit S. Thomas, quas ille negotiationes & mercaturas non exercuit? quàm mercaturam? omnium certè electissimam, quam facere potest Christianus in terris. Census suos tripertiebat in nihil, parum & abundè satis. Nihil reservabat sibi, parum amicis, & abundè satis pro pauperibus & Ecclesia. Pars, quæ pauperibus obtingebat, tam felicem sortiebatur negotiationem, ut sine mora ingens adderet censuum incrementum, ita ut videantur certatim quasi contendisse, Sanctus Thomas in dispensando pauperibus, & Deus in locupletando S. Thomam; sanctus Thomas in evacuando bursam & granaria, Deus in replendo illa. Optimè ad propositum discurrit magnus P. S. Augustinus de septem verbis Domini Serm. 25. *Si vis optimus esse mercator & fænerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere: da modicum, ut accipias centum; da possessionem temporalem, ut simul consequaris æternam.* Et sanctus Petrus Chrysologus Serm. 8. *Manus pauperis est gazophylacium Christi; quidquid accipit pauper, Christus acceptat; da ergo pauperi vitam, ut accipias totum.*

S. Aug. — *S. P. Chrys.*

XVIII. In hoc ipso sese fundabat Zachæus; primò largitus est eleemosynam: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*; atq; exinde firmam concipiebat fiduciam, fore ut Deus ita multiplicaret ista quinquaginta millia scuta, ut ipse postea quadruplũ posset restituere, scilicet 400. millia Scutorũ; neq; aberravit in computu suo, quia teste S. Leone: *Qui pecunias & opes suas multiplicare in modicis optat, hoc tantum facinus exerceat, & hâc usurarum arte ditescat.*

v. 16. — *S. Leo ser. 13. de jejun.*

XIX. Tantam porro nobis, eleemosynas exercentibus, Christus promisit copiosorum redituũ affluentiam, ut admonendos censuerit, quaten⁹ nobis provideremus de saccis: *Facite vobis sacculos.* Volebat namque insinuare, quòd quis largiens pauperibus eleemosynam, non modò nihi perdat, sed etiam centies amplius recipiat, quàm in pauperes distribuerat; Deo per vias incognitas & nobis minimè cogitantibus, restitutionem faciente omnis illius, quod erogatum fuerat, imò & multò copiosiora superaddente. Audite S. Petrum Chrysologum Serm. 22. *Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit, non perire; & perpetuari, non evacuari sacculos imperavit.* Et S. Gregorius Papa hom. 40. in Evang. *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur; non est donum, sed est mutuum; quia quod datur, sine dubio multiplicato fœnore compensatur.* Ecce vobis, thesaurum tantum eleemosynarius dives secum portat in Paradisum, divite non charitativo, deferente secum nihil omnino. Magnus Pater Augustinus in illa Psalmistæ verba (*Dormierunt somnum suum*) ita inquit: *Quia nihil posuerunt vivendo in manibus Christi, nihil invenerunt moriendo in manibus Christi.*

v. 15. — *S. P. Chrys.* — *S. Gr. Pap.* — *D. Aug. Psal. 75. v. 6.*

XX. Forsitanne etiam vobis persuadetis, ulterius se non extendere bona temporalia, quæ eleemosynarius seu charitativus acquirit in vita præsenti? Audiamus, quid dicat Propheta regius: *Beatus homo, qui intelligit super egenum & pauperem.* Beatus ille, qui in pauperes charitatem exercet. Quid igitur boni illi obtinget? *Dominus conservet & vivificet eum*; dabit illi Dominus vitam & dies multos. Quid amplius? *Beatum faciet eum in terra*; efficiet eum beatum & felicem

Alia Eleemosynariorum bona. — *Psal. 40. v. 2. &c.*

licem in mundo. Quid ulterius? *Non tradet eum in animas inimicorum ejus*; defendet ipsum contra quoscunque, tam visibiles quàm invisibiles adversarios. Quid ultra? *Dominus opem feret illi, super lectum doloris ejus*; Dominus plenam ipsi conferet salutem, & ægrotanti omne præstabit adjutorium & succursum. Pro
Matth. 19. v. 29. complemento autem, quid ei dabit? *Centuplum accipiet.* Illud ly *Centuplum* in præsenti sumitur pro numero indeterminato, idemque est, ac si dicerem: charitativum per eleemosynam acquisiturum, quantum voluerit. Sed hoc ipsum nimis esse videtur, quomodo enim intelligi poterit, charitativum omnia pro libitu & beneplacito suo obtinere per eleemosynam?

Eleem. vincit opera miraculosa.

XXI. Auscultate: quantumvis eleemosyna naturæ ordinem non transcendat, nihilominus extollitur & sublimatur super omnia opera miraculosa; quo modo? Si quis deberet resuscitare mortuum, non posset utique præstare illud per virtutem & vires suas naturales, sed necessarium foret, ut communicaret Deus suam illi virtutem; tuncque is omnino Deo obligaretur, illi talem gratiam concedenti: at dum quis, ex amore Dei, eleemosynam dat pauperibus, quantumvis DEus nulli obligari possit ex justitia, utpote supremus omnium creaturarum Dominus, nihilominus motu ultroneo nimii beneplaciti, sese obligat & debitorem constituit eleemosynarii; prout sanctus Joannes Chrysostomus homil. 36. ad populum Antiochenum in hæc verba Scriptum reliquit: *Alere pauperes propter DEUM, major est gratia, quàm mortuos resuscitare; nam tu resuscitando mortuos, Deo debes; in eleemosyna verò Deum habes debitorem.* Et S. Petrus Chrysologus Ser. 42. *Manducat Deus panem in cœlo, quem perceperit pauper in terra; da ergo panem, si Deum debitorem, non judicem vis habere.*

S. Chrys.

S. Chrysol.

Charitativus est creditor Dei. §. 3.

XXII. Atque ideo Deus nuncupatur ditior in misericordia, quàm in quocunque alio attributo; quia actus misericordiæ singulari hoc privilegio pollet, ut charitativum efficiat creditorem illius, in quem exercet misericordiam.

XXIII. Statuere itaque possumus & certò concludere, charitativum in pauperes, locupletiorem æstimandum esse ipso patre æterno, qui fons est misericordiæ; quando enim nos à summo Patre DEO thesaurum accipimus divinæ misericordiæ, nos debitores constituimur ipsius Dei; quando verò charitatem exhibemus pauperibus, ipsum Deum nobis efficimus debitorem, siquidem quod datur pauperi, donatur Deo. Poteritne aliquid excellentius dici de eleemosyna?

XXIV. Et nihilominus nulla hodie habetur ratio thesauri tanti; non obstante excessivâ adeo eleemosynæ utilitate, nimia duri cordis fovetur crudelitas & detestandæ avaritiæ frequentatur impietas. Imò hodie pecuniæ & substantiæ dilapidantur in lusibus & prostibulis potius, cum præsentissimo animæ & propriæ reputationis dispendio, quàm ut cum fructu & lucro consignarentur in manib⁹ pauperũ.

XXV. Scitisne, quibus assimilandi sint divites avari? pulchro & elaborato grammatophilacio ex ebore. Videbitis v. g. locupletissimum aliquem, qui reliquas inter arcas asservat unum grammatophilacium, monetâ repletum; adeo nihilominus morosè & fortiter occlusum pauperibus, ut nullâ omnino clave Simile.

 aperiri

aperiri possit; tandem moritur ille, tunc hæredes substantiæ & bonis mortui inhiantes, certi, quòd in dicto grammotophilacio pecunia plurima asservetur, quid faciunt? primò tentant aperire ordinariâ viâ, probantque omnes in domo repertas claves; videntes autem, nullam omnino aptam esse, tandem ferri violentiâ aditum parant; tuncque qui potest capere, capit. Ita pariter sese habent divites avari, nulla invenitur clavis idonea ad aperiendam illorum bursam, pro danda eleemosyna. Eunti per plateas diviti occurrit v. g. pauper & eleemosynam petit; at pertransit ille, nullâ ratione habitâ lamentorum talis egeni; ecce vobis unam clavem, grammatophilacium dictum reserare impotentem. Adeunt ejusdem divitis domum duo religiosi, eleemosynam sollicitantes; sed respondet dives: ite in pace, Deus vos adjuvet; ecce aliam clavem, quæ aperire nequit grammatophilacium. Vadit sacrista illius parochiæ, petens subitò apparatum pro festivitate Ecclesiæ, subitòque ille se excusat, qui conjux foras exivit: Ecce vobis aliam clavem, quæ non servit pro grammatophilacio. Accedit paupercula aliqua mater, in angustiis constituta, petit subsidium pro se & filiis suis, quos habet neque de vestimentis neque de victu provisos, at dives asperis cum verbis eam domo ejicit. Videtis modò, nullâ omninò clave aperiri posse grammatophilacium divitis. Deus itaque contra tantam excandescens crudelitatem, quid facit? mortalem aliquam immittit infirmitatem, facitque crepare divitem; ecce vobis totaliter ruptum & dissolutum grammatophilacium? tuncque rapit & decipit unus ex hac, alter ex illa parte. Quæ fuit prima clavis, impotens aperire grammatophilacium? pauper; hic modò advocatur, ut faces portet aut feretrum, bonamque exigit laboris sui mercedem. Quæ fuit secunda clavis? nunquid religiosi? & ipsi citantur, ut cadaver comitentur, & hi suum exigunt solarium. Si tertia clavis fuit sacrista istius parochiæ, inidonea aperire morosam arcam, & illi modò incumbit funus insinuare & convocare cœtum, sed interim necessum est, omnibus solvere accuratè. Ultima clavis erat paupercula mater, pluribus gravata filiis; & hi, veluti hæredes, suam quoque partem accipiunt. O miserrime dives quid cogitas? nonne vides, quòd substantia illa, quam sponte pauperibus dare nolebas, per mortem tibi violenter surripiatur, inque despectum tuum dispensetur inter extraneos? Audi, quid tibi sanctus Petrus Chrysologus dicat: *Homo dando pauperi, das tibi, quod pauperi non dederis, habebit alter.* Ast hîc repauso, breviter vobis declaraturus, an aqua eleemosynæ, in mortuorum beneficium, exstinguere valeat flammas Purgatorii? *S. Petr. Chrys. ser. 41.*

SECUNDA PARS.

XXVI. Cras ultima erit laborum nostrorum concio. Quandoquidem autem Christus per S. Lucam, nobis annunciat pacem: *Pax vobis:* per S. Matthæum verò apertè protestatur, se non venisse in mundum, ad dandam pacem, sed potius ad inferendum bellum: *Non veni mittere pacem, sed gladium;* duo gratiosa vobis polliceor problemata, quorum unum erit: utra pax & unio sit beatior; an hæc fidelium, dum in

in Christianismo vivunt super terram; an verò illa beatorum spirituum concordia in Paradiso? alterum erit, an ad communitatis vel Reipublicæ alicujus conservationem, potius pax aut bellum conducat?

XXVII. Pro discursus termino videamus, utrùm aqua eleemosynæ possit, in mortuorum subsidium, ardentes exstinguere flammas Purgatorii? *Sicut aqua exstinguit ignem*, inquit Ecclesiasticus, *ita eleemosyna exstinguit pecccatum.* (Eccl. 3. v. 33.) Duo insignia puncta continentur in hac sententia; primum est, eleemosynam assimilari aquæ: *Sicut aqua, ita eleemosyna*: aliud, notatu dignius, est, eleemosynam esse destructivam peccati: *Sicut aqua exstinguit peccatum, ita eleemosyna peccatum.* (Eleem. similis aquæ.) Hic secundus punctus magnam habet dependentiam à primo; atque ideo conveniens erit indagare, cur eleemosyna assimiletur aquæ. Nonne igni satius comparata fuisset, charitatis symbolo? (S. Petr. Chrys. ser. 41.) Notate duas singulares observationes. Quinque sunt aquarum species in Ecclesia sancta; prima est Jordanis, in quo baptizatus est Christus, sancti baptismatis nostri figura. Secunda est aqua nuptiarum, in vinum conversa; symbolum sacrificii altaris. Tertia est aqua piscinæ, in qua sanitatem recepit paralyticus, passionis Christi simulachrum. Alia est aqua Samaritanæ, quam Dominus petiit à muliere ista: ultima est, quæ fluxit de latere Salvatoris, in redemptionis nostræ complementum. Eleemosyna itaque assimilatur aquæ, quia omnium istarum aquarum continet virtutem.

XXVIII. Incipiamus à prima. Est eleemosyna veluti aqua baptismalis, imò majorem præ illa virtutem habet; teste S. Ambrosio Serm. 2. in hæc verba: *Salvâ fide dixerim; indulgentior est eleemosyna, quàm lavacrum; hoc enim semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* (Efficacior Baptismo.) Aqua sancti baptismi non nisi unicâ vice abluit animam, eleemosyna autem non semel tantùm, sed toties, quoties charitas exercetur.

XXIX. Est quoque similis eleemosyna aquæ nuptiarum; sicuti enim illa conversa fuit in sacrum vinum, ita & charitativus per virtutem eleemosynæ, convertitur in gratum Deo sacrificium: audite probationem. (Similis aquæ nuptiarum.) Dicenti ad Christum Zachæo (*ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*) respondens subjunxit Christus: *Nunc cognovi, quòd sis filius Abrahæ.* (Luc. 19. v. 8. v. 9.) Quomodo? Zachæus, filius Abrahæ? Zachæus gentilis erat; ergo non poterat esse de stirpe Abrahæ. Respondet dicitque sanctus Augustinus: (S. Aug.) quid fuit filius Abrahæ? nonne fuit sacrificium, Deo oblatum? ita; optimè igitur: Zachæus quidem secundùm naturam Gentilis erat, in virtute autem eleemosynæ factus est sacrificium. *Zachæus*, verba sunt sancti Doctoris, *filius Abrahæ dicitur non stirpe, sed merito; nam si ille obtulit filium, hic substantiam consecravit.*

XXX. Eleemosyna forsitan aquæ piscinæ pariter similis erit? Aqua hæc virtutem habebat sanandi omnes infirmos: *Qui prior descendebat in eam, sanus fiebat à quacunque infirmitate.* (Ioan. 5. v. 4.) Quæ autem est infirmitas aut morbus adeo gravis, quem non tollat & omnino sanet aqua eleemosynæ? Audite seniorem Tobiam: *Eleemosyna est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam.* (S. Max.) Et sanctus Maximus homil. 1. de Eleemosyna dicit: *Magna planè &*

nè & cunctis ambienda est aqua eleemosynæ, quæ hominibus pene jam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis redivivum quoddam beneficium pollicetur.

XXXI. Aquæ etiam Samaritanæ similis est aqua eleemosynæ. Quis etenim aquam istã à Samaritana requisivit? non-
Joa.4.v.7. ne Christus? *Mulier da mihi bibere.* Eleemosynam, pro qua tibi supplicat pauper, quis petit? nunquid ipsemet Christus sub
S. Chrys. ser. 42. specie mendici? ita sanè tradit S. Chrysologus, inquiens: *Sibi datum clamat, quod petiit pauper; quia Deus manducat panem in cœlo, quem perceperit pauper in terra.* Si eleemosynæ tuæ aquam recipit Christus, quid credis ab eo tibi restituendum in vicem eleemosynæ? vivam tibi dabit aquam gratiæ suæ: *Dedisset tibi aquam vivam.*

Similis aquæ lateris Christi. XXXII. At si aqua divinæ gratiæ in Christi pectore est reclusa, quis cor illud divinum nobis aperiet, ut divinæ pietatis aqua inde profluat in utilitatem nostram? hîc sese insinuat comparatio inter eleemosynam & aquam, quæ manavit ex latere Salvatoris. Requiescente Lazaro in sinu Abrahæ, infelix Epulo vocife-
Luc.16.v. 24. rari cæpit: *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremũ digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Pater Abraham, fac misericordiam & ablega Lazarum, ut digitum suum vel unicum saltem minimâ aquæ guttâ madefaciens, refrigerium præstet linguæ meæ. Respon-
v. 25. dit Abraham: *Fili, recepisti bona in vita tua.* Transiit pietatis & miserationis tempus. Quomodo? Pater iste Abraham adeo in pauperes beneficus, ut in ipso etiam cœlo hospitalitatis officium voluerit exercere, modò adeò est durus contra divitem Epulonem? Nihil refert; dicite namque mihi, quis erat in sinu Abrahæ? Lazarus; quid autem rei accidit Lazarum inter & Epulonem? paupere Lazaro humiliter aliquam petente charitatem, durissimus quamcunque ei negabat Epulo, ita nullam omnino ipsi misericordiam præstiterit, quis rerum exitus? idemmet ille pauper Lazarus, in corde Abrahæ reclusus, fecit, ut nulla pietatis aqua daretur Epuloni. Audite S. Petrum Chrysologum Serm. 113. *Sed quid* S. Chrys. *dicis dives? Pater Abraham miserere mei? bene diceres, si Lazarus in sinu residens, ipsum pectus Judicis non teneret; bene diceres, si Lazarus justissimi Conditoris tota non possideret arcana.* Audisne hoc ô Christiane? pauper in sinu Christi moratur, si tu illum deseras sine ullo Charitatis obsequio, idem ille pauper sacrum Christi pectus obserabit neque ullam ex eo, divinæ pietatis guttulam in usum tuum sinet effluere. Econtra verò si in pauperem charitativus exstiteris, idem ille pauper viscera aperiet divini illius cordis, tibique divinæ misericordiæ aquam impetrabit. Atque ita concludere possum, quòd, sicut aqua elementaris exstinguit ignem, ita & aqua eleemosynæ deleat peccatum: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum.*

XXXIII. Formemus modò validum & pro intento nostro firmum argumentum. Aqua eleemosynæ sufficientissima est, ad abolendum ex anima peccatum; id quod jam probavimus, & Tobias apertè profitetur, dicens: *Eleemosy-* Tob.12.v.
na à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat 9.
peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam. Cur igitur eadem quoque eleemosyna sufficientissima non fuerit, ut exstinguat Purgatorii ignem, in bene-

Delet ignem Purgat.

beneficium & refrigerium afflictarum ibi animarum? Peccatum ardentium istarum flammarum originaria causa est; dum igitur eleemosyna exstinguit peccatum, quod est causa ignis Purgatorii, facilius poterit exstinguere ipsum ignem, qui effectus est peccati.

XXXIV. Ast neutiquam acquiescendum judicio hucusque dictus, sed demonstrandum vivacius, quòd aqua eleesynæ efficacissima sit ad exstinguendum ignem & penitus abolendas Purgatorii flammas. Doctores quinque assignant suffragia, in subsidium animarum Purgatorii efficacissima, nimirum: sanctum altaris sacrificium, indulgentiam plenariam, orationes fidelium, opera pœnalia & eleemosynas; suntque omnia hæc quinque suffragia, fluvii abundantissimi, qui Purgatorium penetrantes, flammas illas suffocant; at, si ex omnibus unicum duntaxat assumere voluerimus, cæteris efficaciorem & fortiorem, hic citra omne dubium sola est eleemosyna, quæ omnium aliorum suffragiorum compendium nuncupari potest.

El. compendium est omniũ suffrag.

XXXV. Sed qualiter hoc ipsum demonstrari potest? qualiter? audite sollicitè. Sanctum altaris sacrificium & pretiosus Christi sanguis, non modò virtutem continet cujuscunque alterius suffragii, sed insuper mare est sine fundo, sufficientissimum atq; efficacissimum ad exstinguendum totum illum Purgatorii ignem, & transferendas afflictas animas istas in Paradisum. Hoc adeo certum est, ut de fide sit. Nunquid non paulo ante vobis dixi, eleemosynam Deo gratiorem esse, quàm sacrificium? ita: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Nunquid non insuper addidi, quòd eleemosyna

Matth. 12. v. 7.

charitativum constituat Dei creditorem? ita: *Da pauperi panem*, inquit S. Chrysologus, *Si Deum debitorem, non judicem vis habere.* Christianus itaque, in virtute eleemosynæ, acquirendo sibi efficaciam veluti sancti sacrificii, & evadendo in creditorem sanguinis Christi, poterit indubiè omnes illas ardentissimas Purgatorii flammas restinguere.

S. Chrysol.

XXXVI. Discursui huic coronidem imponet quidam casus, transumptns ex Chronicis Ordinis Minorum. Duo Religiosi servi Dei, diverterant hospitii gratiâ ad ædes cujusdam viri nobilis; qui à multo tempore flagitiosam vitam suam nullâ expiaverat confessione. Infelix iste dictis pauperibus Religiosis quietem assignaturus, ipsemet propriis manibus lectũ de paleaiis accommodavit: *Stipulas manibus suis detulit, quibus lectulus conficeretur, in quo servi Dei, nocte illâ requiescerent.* Eâdem istâ nocte infortunatum istum virum accidens oppressit repentinæ mortis, ita ut exspiraret. Interim in agonizantis animam, propter peccaminosam vitam transactam, jus sibi magnum vendicabat diabolus; cumque vellet eam sibi appropiare, inque æterna supplicia jamjam præcipitare, accurrens obstitit ei sanctus Archangelus Michaël, eique dixit: quid prætendis o temerarie in animã istam? forsitan quia malè vixit infelix? Asportentur huc paleæ istæ, quas propriis ipse manibus accommodavit pro lecto pauperũ servorũ Dei; ponantur paleæ istæ in una hujus trutinæ meæ parte; ex altera verò collocentur omnia ejus peccata, de quibus heri contritionem habuit, cum proposito eadem confitendi dictis Religiosis. Attentus assistit diabolus, & S. Michaël trutinam elevare incipit: *Et gravius appende-*

Exempl.

In Chron. Ord. Min. *penderunt paleæ, quàm universa scelera, quæ in tota vita sua commiserat, sicque anima illa à diabolis liberata fuit, & à sancto Angelo in salvationis locum deducta.* Idque ipsum fuit in eadem nocte revelatum duobus illis servis Dei.

XXXVII. Si exigua palea, pauperibus egenis ex charitate applicata, sufficiens fuit, ut salvaret animam; quæ in vita peccatorum sordibus immersa squalebat; quomodo pariter non foret sufficientissima eleemosyna vestra, pro animabus Purgatorii dispensata, ut eas ab ardentibus illis flammis eripiat? Concludam itaque cum S. Gregorio Orat. 16. *Facite calamitoso bonum, ut sitis veluti Deus, misericordiam imitando.* Idque sufficiat vobis pro hoc die.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

DIE MARTIS POST RESURRECTIONEM CHRISTI.

DISCURSUS

De pace & modo conservandi eam.

Stetit JEsus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: pax vobis. Luc. 24. v. 36.

PROBLEMA.

Utra pax & unio sit beatior; an hæc fidelium, dum Christianè vivunt in hac humili terra; an verò illa spirituum beatorum concordia in Paradiso?
Et utrum ad communitatis conservationem, pax potius aut bellum conducat?

INTRODUCTIO.

I.

Quid omnium maximum & minimum.

CHristus igitur hodie nos deserit & pacem donat? ita. Nonne auditis, quid dicat? *Pax vobis.* Quid rei est pax illa, quam ipse tantopere nobis recommendat? est unio fidelium in traducendo vitam Christianam. Si

Probl. Si ita eſt; ecce vobis hodie problema, quod ſicuti eſt ultimum, ita pariter (ni fallor) inprimis excellens. Utra pax & unio in laude & beatitudine præeminet? An hæc fidelium in vita præſenti, an verò illa beatorum Spirituum concordia in Paradiſo? dubii hujus gravitas memoriæ meæ ſubitò ingerit difficillimam quæſtionem quandam, quæ in famoſo quondam illuſtriſſimi collegii Athenienſis theatro propoſita fuit; quantumvis autem quæſtio videretur eſſe admodum ænigmatica & Paradoxa propoſitio, nihilominus non defuerunt ſubtilia ingenia, quæ pro viribus ſuis quæſito ſatisfacere attentarunt. Dubium igitur reſolvendum erat hujuſmodi; cui creaturæ deberetur titulus, quòd eſſet cæteris major & ſimul cæteris minor. Huic difficultati reſponderunt aliqui; omnium minimam & maximam, eſſe pupillam oculorum; ſi enim conſideretur ejus quantitas, vix apparet viſibilis propter exilitatem ſuam; ſi autem reſpiciatur qualitas, adeo hæc patens eſt, ut in unico ictu oculi, videat cœlum, terram, aquam, aërem, ignem, ſolem, lunam, ſtellas, mare, flumina, montes, prata &, ut ita dicam, quaſi mundum totum.

Quid omnium maximum & minimum.

II. Replicarunt alii, neutiquam. Neque tam parva, neque tam magna eſt oculorum pupilla, ſicut intellectus hominis. Hic equidem adeo parvus eſt, ut, quantitate carens, ſit purus Spiritus indiviſibilis; & ipſe iterum adeo magnus eſt, ut in ſe res omnes colligat non modò viſibiles, ſed etiam inviſibiles; unde Ariſtoteles inquit; *Scimus, animam quodammodo eſſe omnia, ſive ſenſibila, ſive intelligibilia.*

Ariſt.

III. Succumbat pariter, dixerunt alii, intellectus & oculus materiæ primæ, hæc namque ſola, eſt maxima & ſimul minima omnium. Eſt minima, quia neſcitur, quid ſit, atteſtante Philoſopho: *Materia non eſt quid, nec quale, nec quantum.* Et juxta mentem ſancti Auguſtini quodammodo nihil eſt: *Materia eſt prope nihil.* Eſt quoque omnium maxima, utpote mater univerſalis totius terræ, aquæ, aëris, ignis, neque duntaxat omnium rerum terreſtrium & ſublunarium, ſed etiam ſupremorum cœleſtium corporum & rutilantium ſphærarum.

IV. Si mihi autem ô Auditores! licentia daretur ſubintrandi & quartum locum obtinendi; quantumvis magnorum Theologorum ego ſim minimus, & minimorum Philoſophorum maximus; dicerem nihilominus, rem omnium minimam & omnium maximam, eſſe dictam unionem. Eſt unio maximè parva, utpote omnino indiviſibilis: *Unitas eſt carentia diviſionis*; inquit Philoſophus. Eſt quoque ſummè magna, quia attingit & accedit, imò exprimit eſſentiam DEI. *Dominus DEus tuus unus eſt.* Si autem unio, quæ pacis eſt conſtitutiva, tantam habet magnitudinem, cuinam nos beatitudinis palmam impertiemur? An unioni & paci fidelium, in hac terra humili degentium; an verò illi beatorum ſpirituũ concordiæ in Paradiſo? Hoc punctum primo loco diſcutiemus, deinde tranſituri ad aliud; ſcilicet utrùm pax, an verò bellum magis conducat ad conſervationem alicujus Reipublicæ? Pax Soror eſt quietis, quies autem amica ſilentii; me igitur ratiocinantem de pace & unitate fidelium vos quieto ſilentio fovete. Incipiam.

V. Paradisi mentionem feci, ideoque nec abs re fuerit à Paradiso initium deducere mei problematis. Dicite vos mihi ô docti, quid est Paradisus? Respondet Areopagita: *Est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Est Paradisus status, omni repletus bonitate. Si ita est (ut est verissimum) liberè & intrepidè affirmare poteritis, unionem fidelium, quæ est status pacis, vivum esse Paradisum; quia non modò ubi pax est, ibidem omnium bonorum est plenitudo; sed ipsa bonitas & Paradisi decor, imò ipsemet DEUS, trinus & unus, omnino fundantur in pace: ita ut, si per impossibile nulla prorsus esset unio, cum vinculo pacis, auderem dicere ego; quòd neque foret Ecclesia militans, neque triumphans; imò nec ipsa Trinitas. Priusquam me ad horum probationem accingam, statuo tanquam certum & infallibile principium, quòd CHRISTUS nullam omnino rem tanti fecerit, quanti pacem. In mundum natus, indilatè præcepit Angelis annuntiare pacem: *Et in terra Pax.* Per totum vitæ spatium, quo dimoratus est in mundo, nil nisi pacem prædicavit: *Pacem habere, quod est vinculum charitatis.* Modum Hebræis præscribens redeundi domum, voluit, hujusmodi reditum institui cum pace: *Revertatur unusquisque in domum suam in pace.* Præcipiens Apostolis peragrationem mundi, voluit, ut omnibus ædibus annuntiarent pacem: *In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui.* Resuscitatus, mox, sicuti hodie, discipulus apparens, iis dixit. *Pax vobis.* Tandem ad cœlos redux, tanquam speciale munus omnibus nobis impertiit liberaliter pacem: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* O DEUM immortalem! Ergo possibile est, quod adventus DEI in mundum, nihil aliud terræ conferat præter pacem? Quare non potius dixerunt Angeli, quod DEO veniente in terram, esset mutata terra in cœlum? postea pariter, quando cœlum conscendit CHRISTUS, fortasse nullam aliam pretiosiorem gemmam possidebat, quam suis dilectis relinqueret, præter pacem? Nunquid poterat largam iis relinquere benedictionem? Nonne poterat certum ipsis pignus Paradisi donare? Scitisne, quid Glossa ordinaria dicat? *Qui pacem dedit, uno verbo contulit omne bonum.* Subsistite. *Omne bonum?* Forsitan quia pax Paradisus est? ita, dicit Glossa; quomodo namque gloriam Paradisi intitulat sancta Ecclesia: *Urbs beata Ierusalem, dicta pacis visio.* Sicuti ergo gloria nominatur pax, ita & pax idem est, quod gloria. Id quod confirmat Pater Labbatta in apparatu concionum, Verbo pax puncto 5. in hæc verba: *Ideo Dominus pacem reliquit, quia sub nomine pacis comprehenduntur omnia bona; adeo enim magnifica & tanta res est pax, ut nomine suo omnia bona conjungat.*

VI. Atque ideo credo ego, in libro Sapientiæ, ubi Martyrum fit mentio, dici: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Quomodo? *Sunt in pace.* Nunquid non satius dictum fuisset? *Illi autem sunt in gloria vel sunt in lætitia sempiterna.* Respondet idem Pater: *Est pax tantum bonum, & bonum ita cœleste, ut tantùm valeat, quantum retinet sempiterna vita.* Nulla est

Marginalia: Dion. Ar. — Pax status est Paradisi. — Exod. 18. v. 23. — Luc. 10. v. 5. — Ioa. 20. v. 21. — Ioan. 14. v. 27. — Gl. in c. 24. Luc. — P. Labb. — Sap. 3. v. 3. — Pacificus est in Paradiso.

la est pacem inter & vitam æternam differentia.

Ioan.14.v. 27.

VII. Quam equidem causam esse judicatis, quòd Ecclesia, recitans officium defunctorum, roget divinam misericordiam, ut dignetur miserandas illas animas collocare in pace? *Requiescant in pace.* Si animæ Purgatorii, post liberationem ab atrocibus iis pœnis, nihil sperant nisi gloriam Paradisi, cur igitur Ecclesia rogat, ut pace fruantur? quid? creditisne aliquam esse differentiam inter pacem & Paradisum? nequaquam. Idem est dicere: *Requiescant in Pace*; quàm: *Vivant in æterna gloria.*

Utraque Ecclesia fundatur tota in pace. Gl. in c.24. Luc.

VIII. Hoc supposito principio, quis crederet, quòd, quidquid bonitatis & pulchritudinis continet Ecclesia militans & triumphans, imò ipsemet DEUS, trinus & unus, quòd inquam, totum hoc dependeat & oriatur à pace? Incipiamus ab Ecclesia militante. Quid est omnium præstantissimum & nobilissimum in Ecclesia sancta? Sacramenta sanctissima; inter sacramenta autem, scitisne, quodnam sit cæteris commendabilius? Matrimonium; quomodo? status maritalis? ita sanè, optima hæc portio est in Ecclesia sancta; unde Apostolus inquit: *Qui matrimonio Virginem ducit, bene facit.* Maritatus es? ita; bene tibi prosit, optimè fecisti. At quanta poterit hæc esse matrimonii bonitas? quanta? si non esset status maritalis, neque Ecclesia hodie esset, neque sacramenta, neque beatorum gloria. Deficiente namque conjunctione maritali, deficerent pariter Ecclesiastici, Religiosi, Episcopi, Pontifices, imò & Ecclesia cum suis sacramentis. Tota igitur Ecclesiæ militantis venustas originem trahit à matrimonio.

P. Labi.

1. Cor. 7. v. 38. Matrimonii excellentia.

Sap. 3. v. 3. Pacificus est in Paradiso.

Undenam autem status maritalis hanc assequitur bonitatem? ex unione, symbolo pacis; Sponsi namque, quantumvis duæ sint personæ, nihilominus unum corpus & una sunt caro: *Sunt duo in carne una.* Gen. 2. v. 24.

IX. At non ita subitò Ecclesiam prætergrediamur. Duo corpora habuit CHRISTUS Dominus noster, unum naturale, quod accepit à Maria, & aliud mysticum, quod est Ecclesia. Ita sanctus Bernardus docet, inquiens: *Duo corpora habuit CHRISTUS Dominus; unum naturale, desumptum ex Virgine; aliud mysticum, quod est Ecclesia.* Duorum horum corporum nobilius, Christoque gratius exstitit corpus mysticum: *Et hoc charius habuit benignitas Salvatoris*, dicit idem sanctus Bernardus, causamq; mox subjungit sequentem: *Quia si corpus mysticũ non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico.* Videte & auscultate, quantum in nobilitate & pretio excellat corpus mysticum Ecclesiæ sanctæ, supernaturale Christi corpus. Anima corporis ejus naturalis creata est & finita; sed anima corporis mystici quænam est? Ecclesiæ sanctæ sese in animam dedit Spiritus sanctus: *Credo in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem*; vivificare autem proprium est animæ. Quare Ecclesiæ anima esse voluit Spiritus sanctus, cùm corpori Christi naturali obtigerit anima creata tantùm? Notate mysterium? corpus naturale debebat dividi, ferris atque clavis discerpi & dilacerari; cum divisione nequit subsistere DEUS, sed ibi anima creata sufficit. Corpus verò sanctæ Ecclesiæ potius consistit ex membris unitis cum vinculo pacis;

S. Bern.

Cur Eccl. nobilior corpore Christi naturali.

Pax est Spiritus S.

& quia Spiritus Sanctus, veluti vinculum & duarum divinarum personarum nexus, ibi semper sese ingerit & moratur, ubi pacem invenit, ideo anima Sanctæ Ecclesiæ est Spiritus Sanctus.

X. Atque ex his intelligere poteritis, quare Mariæ fuerint tantæ concessæ gratiæ excellentiæ & privilegia? Habuit illa per gratiam, quidquid Deus possedit per naturam; imò ad talem perfectionis gradum pertigit, ut ipsum etiam, infinitè magnum, plus magnificaverit Deum: *Magnificat anima mea Dominum.* Ne autem innumeras alias ejus prærogativas atque excellentias attingam, breviter dico; Maria traxit, inque se descendere fecit Spiritum Sanctum cum omnibus ejus divinis attributis; *Spiritus Sanctus descendit in Virginem cum omnibus essentialibus attributis.* Unde Maria tantam consecuta est præcellentiam? scitisne, unde? nunquid illa fuit domus pacis? ita profectò; in ejus namque utero facta est mirabilis illa duarum naturarum unio in uno supposito. Ex hoc ipso fonte ortum est, quidquid bonitatis & pulchritudinis copiosè concessum fuit Mariæ.

Maria ut domus pacis Sanctum attraxit Spiritum.

Luc. 1. v. 46.

S. Athan.

XI. Videte, quantum possit, quantumque valeat pacis virtus; si hæc esset in inferno, vi pacis subitò in Paradisum mutaretur infernus. Semper me in admirationem & stuporem rapuit osculum illud, quod Judas dedit Christo in horto. Osculum, ut Durandus ait, pacis est symbolum: *Dant homines sibi invicem osculum, id est, in signum pacis.* Quomodo signum pacis, Judæ servit ad instrumentum belli? quam habebat Judas necessitatem, ut Magistrum suum traditurus, hoc ei daret osculum? crediderim ego, basium istud ex Christi potius voluntate, quàm ex intentione Judæ processisse. Auscultate rationem: Opinio multorum sustinet auctorum, Christum in cœnaculo, dum pedes Judæ lavisset, eosdem fuisse deosculatum, sicuti & cæterorum Apostolorum; atque ideo hodie Episcopi, qui omnes personam Christi repræsentant, ad eius imitationem in septimana sancta, duodecim pauperum pedes abluentes, finaliter eos exosculantur. Cum igitur Christus osculum, pacis signum, pedibus Judæ in cœna impressisset, voluit, ut ipse in horto Gethzemani restitutionem faceret. Ita S. Paulinus Episcopus Nolanus in bibliotheca Sanctorum Patrum: *Osculum non ideo accepit, ut pacem proditoris acciperet, sed ut suam à Juda reciperet.* Sed quo fine voluit Christus hanc sibi pacem restitui, quam ei per osculum dedit Judas? Ego hanc mihi imaginor fuisse causam; prævidens Christus, impium istum moriturum esse impœnitentem atque damnandum, taliter secum ipse discurrit. Pax in se continet omnia bona cœli, estque eadem cum gloria Paradisi; si Judas osculum istud, quod ego ei dedi in signum pacis, secum tulerit ad infernum, ipse infernus in Paradisum transmutabitur, istaque tormentorum abyssus, ubi discordia regnat, accedente pace, transformabitur in quoddam perfectæ beatitudinis empyreum; quia, ut Joannes Viguerius ait: *Vbi pax est virtute charitatis ibi, Deus est ac etiam Paradisus.*

Dur. de div. offic. L. 4. c. 53.

Cur Iudas osculetur Christum in horto.

Osculum, pacis signum.

Quid si Judas cū pace intrasset infernum.

Io. Viguer.

XII. Sed quid mirum, pace infernum mutari posse & converti in Paradisum? videtur, quòd ipsemet Deus neque gloriam neque excellentiam ab ullo alio attributo recipiat majorem, quàm à pace

à pace sive ex eo, quòd sit pacificus. Citemus in medium adhuc semel, & pro ultima vice, fœlicissimam pœnitentem, Magdalenam, ut audiamus, quomodo illa Angelos viderit in monumento? S. Joannes de ipsa loquens, dicit: *Inclinavit se & prospexit in monumento duos Angelos sedentes.* Notate situm angelicum; *Sedentes*; quis fuit rerum exitus? Loquens Magdalena cum Angelis, vix aliquod verbum protulerat, & subitò se vertit: *Cum hæc dixisset, conversa est retrorsum.* O Magdalena, quæ est hæc tua tanta inurbanitas? cum Angelis loqueris, & subitò iis dorsum obvertis? Ne admiremini, dicit S. Thomas in catena; ne Magdalenam reputetis incivilem. Vertit se Magdalena, quia observabat, quòd Angeli sese elevarent in pedes: *Vidit Maria Angelos assurgentes, & figura & motu novum alicujus ingressum notantes.* Quæ fuit persona ista, Angelis appropians? Christus in forma hortulani. Ecce vobis in præsenti dubium quoddam, inprimis notabile. Nunquid Angeli intra monumentum existentes, Deum clarè & intuitivè videbant? ita; *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Quare igitur, Deum videntes, sedent; postea autem intuentes CHRISTUM, assurgunt in pedes? ergone major Christo, quàm ipsi Divinitati exhibenda est veneratio? Non capitis mysterium. Maxima etenim differentia est inter hoc, quod est videre Deum sine humanitate, & videre Deum, humanitate vestitum. Deus sine humanitate est Deus vindictarum: *Deus ultionum Dominus.* At Deus hominem indutus, Deus est pacificus; *Rex pacificus magnificatus est.* Quia Christus Rex fuit pacis, præ ipso Deo gloriosior evasisse videtur; notate etenim, verbum istud: *Magnificatus est*, suo neutiquam carere mysterio; hic loquendi modus nobis declarat atque manifestat, pacem donum esse adeo magnum & excellens, ut ipsum etiam Deum quodammodo majorem faciat.

[Margin: Cur Iudas osculetur Christum in horto. — Ioa. 20. v. 11. — osculum; pacis signum. — v. 14. — Quid si Iudas cum pace intrasset infernum. — Mat. 18. v. 10. — Viguit. — Ps. 93. v. 1. — Pax exaltat Deum. — 3. Reg. 10. v. 23.]

XIII. Verùm enimverò transeamus sursum tandem etiam ad Ecclesiam triumphantem, visuri, quid inibi cæteris melius sit & venustius. Idem dubium movet & resolvit Zacharias Propheta, inquiens: *Quid est bonum & pulchrum ejus, nisi granum frumenti & vinum germinans virgines?* quodnam existimatis optimum atque pulcherrimum esse in Paradiso, nisi vinum & frumentum? quæ assertio extraordinarium inprimis dubium movet in animo meo. Paradisus nihil pulchrius, nihilque melius possidet supra frumentum & vinum? nunquid inibi attributa sunt infinita, perfectionem, infinitam habentia? quis dubitat? in cœlo infinitæ sunt perfectiones & infinita bonitas. Est in eo bonitas infinita simpliciter & bonitas infinita in genere, ibi bonitas est absoluta & relativa, bonitas essentiæ & bonitas Personarum, bonitas transcendentalis & modalis. Et si nihil aliud foret in Deo, nunquid ibi viget unitas essentiæ in tribus personis? ita. Quo igitur fundamento asserit Zacharias, quod super omnem Paradisi bonitatem & decorem emineat granum & vinum? Glossa ordinaria dicit, per granum & vinum non intelligi aliud à Zacharia, nisi sacramentum Eucharistiæ in quo sub specie panis est corpus Christi, & sub specie vini, pretiosus Christi sanguis delitescit? *Quid est bonum & pulchrum ejus, ait Glossa, nisi corpus Christi consecratum in pane frumenti?* ita ut in Paradiso nihil sit pulchrius aut melius, quàm sacramentum Eucharistiæ. Unde sacramentum hoc tantam habet venustatem? quis crederet, quòd eam accipiat à pace? gratiam mihi facite specia-

[Margin: Zach. 9. v. 17. — Nihil in Paradiso melius, quã Euch.]

lissimam ô Auditores & rationem date, quare Christus Sacramentum Eucharistiæ sub specie panis & vini instituere voluerit? *Cur hoc Sacramentum in pane & vino institutum est?* Doctus quidam interrogat. Respondetque magnus P. Augustinus tract. 20. in Joannem, dicens; ex quo fit panis? ex farina; & hæc unde componitur? ex multis granis, quæ contusa atque molita in unam substantiam reducuntur. Vinum pariter unde consurgit? ex musto; unde mustum? ex plurimis acinis, qui bene comminuti in unum resolvuntur liquorem. Itane? dicit Christus, ergo in pane & vino conservatur figura pacis, quæ est unio? agedum itaque, instituatur Sacramentum altaris sub specie panis & vini, ut intelligant sciantque omnes, Sacramentum Eucharistiæ bonum & pulchrum esse, utpote fundatum in pace. *Commendavit Dominus*, inquit Sanctus Augustinus, *corpus & sanguinem suum in his, quæ ad unum aliquid reducuntur; & quia ex multis granis conficitur unus panis; & ex multis racemis confluit unum vinum; ideo hoc mysterium sub pane & vino celebratum est.* Atque ita inter pulcherrima Paradisi pulchrius est Sacramentum Eucharistiæ, quia in pace fundatum est.

Et quare

S. *Aug. tr.* 20. *in Ioan.*

XIV. Et quia totum hoc Sacramentum in pace fundatur, dicere non reformido, Eucharistiam, quantùm ad hunc præcisè punctum, ipsâ Trinitate videri esse pulchriorem. Elevemini mecum ô Docti, & in virtute altissimæ intelligentiæ vestræ, docete & informate me, quot sint res in SS. Trinitate? sacre conformiter fidei respondebitis utique, esse duas, scilicet unitatem essentiæ & trinitatem Personarum; benedixistis, at nostis insuper, quòd unitas essentiæ non impediat trinitatem personarum; sunt quidem sacræ illæ personæ in pace per unitatem essentiæ, sed inter seipsas nihilominus adeo distinctæ, ut sit *alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*; neque una persona potest converti aut identificari cum alia: Pater æternus dat se totum ipsi Filio, sed non dat illi esse Patris; similiter Pater & Filius dant totum suum esse Spiritui sancto, non tamen ei dant spirationem activam. Atque ita Trinitas infinitâ quidem pace gaudet in essentia, non tamen in personalitate.

Euch. venustior ipsâ Triade. & §. 21.

XV. Signate adhuc aliam notam & contemplationem admirandam. Quare Deus semper nuncupatur Deus pacis? ita namque S. Apostolus inquit, ad Corinthios scribens; *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscum.* Imò ipse æterni Patris Filius, princeps magis appellatur: *Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quare Deus potius pacis, quàm cujuscunque alterius divini attributi titulo voluit insigniri?

2. *Cor.* 13. *v.* 11.

Cur Deus dicatur Deus pacis.

XVI. Immisceamus hic subtilissimam quandam Theologiam. Principalis differentia à Doctoribus assignata, inter absoluta & relativa *in divinis*, hæc est; quòd absoluta *dicunt perfectionem simpliciter simplicem*; relativa autem *per se & præcisè non dicunt perfectionem neque imperfectionem.* Ita Doctor Angelicus p. 1. q. 28. art. 2. in responsione ad 3. Cujus rationem hanc assignat Cajetanus: *Si relatio præcisè sumpta diceret perfectionem, vel imperfectionē, tunc vel imperfectio esset in Deo, vel aliqua perfectio esset in una Persona divina, quæ non esset in alia.* Absoluta autē omnia dicunt *perfectionem simpliciter simplicem*, quia *non distinguuntur realiter, nec inter se nec à divina essentia.* Et licet relationes *nec minus distinguuntur realiter à divina essentia*, nihilominus *inter se realiter distinguuntur*; atque ideo *non dicunt perfectionem.* Quod idem est, ac si dicerem; in proprietatibus personalibus, *in divinis*, reperiri duo, perfectionem

Relatio in Deo non dicit perfectionē, nec imp. S. *Th.*

Cur relationes non dicant perfect.

nem scilicet ac distinctionem; quatenus identificantur cum divina essentia, dicunt perfectionem, quatenus autem inter se distinguuntur realiter, non dicunt perfectionem.

XVII. Ex hac tam egregiâ, quàm certissima Theologia, validum hujusmodi formo argumentum. Si in Deo & sanctissima Trinitate, ubi intervenit distinctio realis, non est perfectio, neq; illa, quæ sunt distincta realiter, dicunt perfectionem; ergo Deus & Trinitas in tantum est perfecta & pulchra, estque Deus, in quantum est una; quia præcise, quatenus trina est, neque pulchra, neque perfecta, neque Deus est; statuamus itaque, quòd Deus sit Deus pacis, id est, Deus unitatis, non tamen dicitur Deus Trinitatis.

Cur Deus pacis mũdum constituit in bello.

XVIII. Percipite & cordibus vestris penitus imprimite asserti hujus infallibilitatem, quòd scilicet divinitas duntaxat consistat in vinculo unitatis? ubi autem distinctio intervenit, nullo modo possit esse Deitas. Observastisne aliquando punctum quoddam, admodum memorabile, in mundi dispositione? Auscultate per salutem vestram: Deus ille, qui gloriatur seque denominari facit, Deum pacis, totum voluit creare mundum in bello; an non videtis, totum universum in medio elementorum ignis, aëris, aquæ & terræ situatum, quæ mutuis continuis conflictibus mutuam sibi invicem corruptionem inferre moliuntur? homo pariter ex quibus componitur, nisi ex contrariis qualitatibus & discordantibus humoribus? nonne videtis mundi hujus habitatores omnes terræmotibus concuti, fremitibus maris percelli, nubium tonitribus exanimari, impressionibus ignitis & cometis dissolui? cur obsecro Deus pacis totum mundum in discordiis & bellis voluit versari?

XIX. S. Joannes Chrysostomus homil. 7. in c. 1. Genes. respondet, ideo mundum taliter fuisse à Deo febricatum, quia prævidebat Deus, homines in tantam fore devolvendos insipientiam, ut elementa & creaturas pro Diis adorarent: *Multò eorum in tantam amentiam debebunt incidere, quod lapides & ligna Deos appellaßent, & Deos hæc visibilia elementa dixissent.* Ut igitur Deus illuminaret omnes, totumque mundum ab hoc errore eximeret, quid fecit? disposuit, ut omnes creaturæ starent in armis, litigiis & contentionibus, ad instructionem omnium, quotquot judicio pollent, ut intelligerent; in mundo, ubi elementa sibi invicem contrariantur, & in homine, tot discordantibus subjecto humoribus, non posse esse Deitatem, quæ in unione duntaxat, discordia & pace reperitur. *Elementa*, inquit Sanctus, *ideo sibi invicem sunt infesta, ut omnes sciamus, quòd, quæ bello impetunt & impetuntur, Dij esse non possunt.* Nequit cum discordia morari Deitas; atq; ideo, dicit Deus, distinctio & discordia prævaleat in mundo, ne homo sibi persuadeat, in mundo dissonantiis pleno, esse Deitatem.

S. Chrysost.

Nescit Deitas discordiam.

XX. Cum his præmissis redeamus ad Sacramentum; tanta est in Eucharistia unitas, ut, quidquid in ea reperitur, totum fundetur in pace; imò, quidquid caret pacis symbolo, repudiavit Christus, ne deserviret pro materia Sacramenti. Reingeramus secundâ vice solemnem illam Sanctæ Ecclesiæ cæremoniam, quâ vino aquam admiscet in calice. Dixi vobis in alia quadam occasione, opinionẽ probabiliorẽ esse, quod aqua *ex vi consecrationis*, nunquã convertatur in sanguinẽ, nisi prius conversa fuerit in vinũ, quia *materia proxima sanguinis, tantũ est vinum vitis*; atq; ideo si aqua non fuerit ante consecrationem conversa in vinum, non

Cur in sacrif. aqua admisceatur vino.

non mutabitur in sanguinem, sed potius in propria remanebit substantia; neque hoc inconveniens foret, quia totum *continge-ret per accidens.* Videte, quantam Deus in sacramento exigat unitatem.

XXI. Itane, dicit Zacharias, quidquid igitur est in sacramento, totum fundatur in pace? vel ex hac sola parte sacramentum pulchrius est & venustius ipsa Trinitate, quantumvis enim Trinitas sit infinitè pulchra per unitatem essentiæ, non tamen est bona aut pulchra per distinctionem personarum; sacramentum verò Eucharistiæ undequaque pulchrum est, quia quidquid est in Eucharistia, totum in pace fundatum est; & iterum, quod secum non importat symbolum aut figuram pacis, excluditur à ratione materiæ tam nobilis sacramenti.

Resol. Probl.

XXII. Nunc mihi tempus adesse videtur, propositum resolvendi problema, utra scilicet beatior dicenda sit, an unio & pax fidelium in terra, an verò concordia spirituum beatorum in Paradiso? ex his, quæ hucusque diximus facillima deducitur responsio. Nunquid causa semper est nobilior effectu? ita; cum igitur pax & unio fidelium in terris, sit origo illius concordiæ, quâ beati perfruuntur in cœlis, sine formidine & metu concludi poterit, majorem inesse felicitatem & beatitudinem paci nostræ in terris, quàm illorum beatorum spirituum concordiæ in paradiso.

Pax in terris origo est pacis cœl.

XXIII. Insuper adjungere possumus, hanc pacem nostram in terris, utpote liberam, indubiè meritoriam esse; at unio beatorum in cœlo, naturalis est & omnino necessaria propter visionem illius summi boni.

XXIV. At si tanta est terrenæ pacis nostræ magnificentia, quid faciemus pro conservatione ejus? ecce vobis secundum punctum. Nunquid vobis usque modò demonstravi, Deum esse inescatum amore pacis? ita. Auscultate; idem Deus apud S. Matthæum protestatur, se nolle pacem, sed potius eligere bellum: *Non veni mittere pacem, sed gladium*; & quod magis est, bellum meditatur consanguineos inter & amicos: *Veni enim separare filium adversus Patrem, & filiam adversus matrem.* Quomodo ò Domine, tu bellum urges? etiam inter cognatos? quis tibi adhærere volet?

2. Punctũ. *Matt. 10. v. 34.*

XXV. Vult Deus, ut duplex geramus bellum, pro pace ejus obtinenda. Primum bellum movendum est contra mundum, carnem & vitia; si enim cum peccatis & mundo pacem iniverimus, fœdus hujusmodi crudelissimam semper pugnam inferet animabus. Admirandum ego mysterium observavi in passione Christi. Asservabatur velum templi in Sanctis Sanctorum, custoditum clavibus diversis; in passionis tempore nihilominus in varias partes ruptum fuit: *Velum templi ruptum est in duas partes, à summo usque deorsum.* Ast vestis inconsutilis, manibus Marianis elaborata, inter ipsas Judæorum manus, nequaquam divisa fuit, sed ipsi fortunam aleis commiserunt, ludentes, cui tunica hæc cederet integra? *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam, miserunt sortem.* Mirabilis sanè tragædia. Quare Judæi isti, qui crudeliter & sine ullo respectu carnem Christi dilacerarant, ipsam quoque inconsutilem vestem non dissiparunt? Audite, inquit S. Cyprianus Martyr lib. de unitate Ecclesiæ. Velum templi populum significabat Hebræum, qui tempore passionis Christi pacem composuit cum mundo: *Facti sunt amici Herodes & Pilatus.* Vestis verò inconsul-

Pacem fovet bellũ cum vitiis. *Mat. 27. v. 51.* *Ps. 21. v. 19.* *S. Cypr.* *Luc. 23. v. 12.*

consutilis christianam designabat Ecclesiam, pro qua Christus sanguinolentas conseruit dextras cum peccato, mundo & morte. Quasi igitur dicit cœlum: in tempore passionis rumpatur velum templi, figura populi Hebræi, discordia dividat Judæos, omnesque profugi dispergantur per orbem; ut discant omnes, ex mundi pace crudelissimum semper oriri bellum: sed integra perseveret vestis inconsutilis, figura Ecclesiæ Christianæ, quandoquidem enim Christus in ejus defensionem pugnavit cum peccato, ratio exigit, ut conservetur indivisa, in testimonium, quòd ex Christi bello, sit pax perpetua orta in Ecclesia Sancta. *Tunica Domini nostri Iesu Christi non dividitur,* inquit dictus auctor, *nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque individua tunica possidetur; si ergo pacis victoria placet, nequaquam displiceat mundi conflictus.*

Pax bello fovetur politico.

XXVI. Attamen ad perfectam pacis possessionem, nequaquam sufficit prælium spirituale cum mundo & peccato, sed bellum insuper aliud requiritur politicum. Quale est bellum istud? debet quisque in sua persistere statione, suis invigilare rebus, & non immiscere se negotiis aliorum. Unde originem trahunt omnes civitatis, conventus aut domus alicujus pugnæ & contentiones & dissensiones? scitisne unde? quia unus vult locum occupare alterius. Duabus vicibus asperam Petro repræhensionem dedit Christus; primam in monte Tabor, quando dicebat: *Faciamus hic tria tabernacula.* In hoc namque casu omnes Evangelistæ, qui historiam referunt, S. Petrum ignorantiæ labe afficiunt: *Erat nesciens, quid diceret.* Quid mali fecit aut dixit S. Petrus, ut me-

Mat. 17. v. 4.

ruerit redargui nescius & ignarus? quid mali? audite responsum à S. Timotheo, Antiocheno, qui S. Petrum ita alloquitur: *O Petre, quid tibi in mentem venit? retia didicisti texere, & tabernacula vis ædificare?* O rudis & insulse Petre, tu piscatores, & fabrum vis agere lignorum? ô stupide.

S. Tim. Ant.

XXVII. Alia quadam in occasione, audiens Petrus Christum conclusisse abire in mortem, præ omnibus aliis intrinsecè commotus, Christum vocavit seorsim, illique dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ad quæ Christus: *Vade retro Satanas, scandalum mihi es.* Subintrat hîc S. Augustinus, dicitque: *Cur modò Satanas, qui antea beatus?* Paulo ante Petrus ab ipso Christo fuit nominatus beatus: *Beatus es Simon Baryona:* quomodo igitur in præsenti nuncupatur Satanicus? Respondet autem D. Augustinus, nescitisne, quid Petrus fecerit Christo? *Assumpsit eum Petrus, & cœpit increpare eum;* Petrus repræhendit Christum. O stulte Petre, quid facis? quid dicis? *Vis ducere ducem, docere magistrum? vis jubere Deo, Domino imperare? retrocede;* apage ô Satana; quomodo? creatura reprehendit Deum? omne alicujus Reipublicæ malum, quæcunque cujusdam civitatis discordiæ, cuncti conventuum rumores & alia rerum dispendia undenam oriuntur? certè non aliunde, nisi quia unus vult se implicare actionibus & officiis alterius. Optatis itaque tranquillam animarum vestrarum pacem? primò bellum inferte mundo & vitiis, deinde suam quilibet curet servare stationem, certi, quòd, sicut verè oritur *ex bello pax*, ita quoque verissimè affluat *ex pace ubertas.* Pauca adhucdum mihi verba restant, quibus facultatem vestro impertiar discessui; Sed ante respiremus.

Cur S. Petrus bis repræhensus.

Mat. 16. v. 22.

v. 23.

Mat. 16. v. 17.

D. Aug.

SECUNDA PARS.

XXVIII. AUditores benevolentissimi, appropinquavit tandem dies iste, in quo cum S. Paulo dicere possum: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Inchoavi conflictum & ad finem perduxi; conflictum nomino meam adversus vitia prædicationem, in qua, ut spero, gladius linguæ meæ, à Spiritu Sancto protectus, miserandam, Deoque placentem ediderit stragem. Atque ita *bonum certamen certavi.*

XXIX. *Cursum consummavi.* Finivi cursum meum, si non servivi conformiter debito meo & desiderio vestro, veniam date infirmitati meæ. Jam tempus est, ut vobis facultatem faciam abeundi; sed eheu, quantum ex discessu concipio dolorem! ubi enim terrarum, feliciorem aucupari potero sedem & locum cordi meo, quàm in urbe hac, quæ tantis me favoribus & honoribus affecit? at quia hîc subsistere nequeo, statui mecum ex urbe hac unam mihi fabricare crucem, quam semper sim gestaturus in pectore, quantumcunque absens.

XXX. Ad initium hujus crucis dicam semper: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* Ad pedes ejusdem crucis incessanter dicam: *Quàm pulchri sunt pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem?* Ad dextrum latus dicam: *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.* Ad sinistrum: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Denique ad cor ejusdem crucis dicam: *Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas filios filiorum tuorum pacem super Israël.*

XXXI. Porro ut evidentiora pandam affectus mei signa, sequentes vobis augurabor Psalmistæ benedictiones sigillatim, atque ideo inprimis:

Conjugatis dico: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.*

Patribus & matribus familias: *Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.*

Viduis desolatis: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis tuæ, protegat te nomen Dei Jacob.*

Omnibus Reverendis Ecclesiasticis: *Memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.*

Singulis Magistris: *Tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.*

Cuicunque in generali: *Det tibi Dominus de rore cœli & de pinguedine terræ.*

XXXII. Nihilominus inconveniens reputo, quòd, dum ego vivam adeo hujus civitatis memoriam mecum defero, vos mei, vestri reverentis servi, omnino obliviscamini; atq; ideo ut vos ligem & obligē ad vivam mei memoriam fovendam, locupletissimum vobis relinquo thesaurum. Quem istum? cingulum magni patris & Patriarchæ mei Augustini; thesaurus iste dici potest infinitis plenus indulgentiis; tunc itaque cognoscam, mei, vobis tantopere devoti memoriam in vestris vigere præcordiis, quando intellexero, unumquemque vestrum magni Patris mei cingulo præmunitum esse.

XXXIII. Quid ultra restat ô summe Deus, nisi ut tu, extento omnipotente brachio tuo, largam impertias populo huic benedictionem? tu scis Domine mi, quia *non solum bonum certamen certavi & cursum consummavi*, sed etiam *fidem servavi.* Nolim ego, quidquam in hoc pulpito dictum, nisi Sanctæ catholicæ fidei nostræ conforme; si tamen casu & per inadvertentiam, verbum aliquod inordinatum ex ore meo

elapsum fuisset, quod sinistrum in audientibus sensum generasset, hoc ipsum nunc semel pro semper retracto, annihilo & volo, simile quid nunquam à me dictum fuisse; neque hujusmodi quidquam malitiæ aut pertinaciæ, sed lapsui linguæ & nimiæ ignorantiæ meæ ascribendum esse censeatis. Sicque ô Domine *fidem servavi.* Scio, quòd *in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddes mihi in illa die justus judex.* In hujuscemodi, laboribus meis reservatæ, coronæ pignus, te rogo, ut hodie omnipotente manu tua, benedictionem impertias populo isti.

XXXIV. Videte ô animæ dilectissimæ, quantus sit Dei in vos amor; videns namque, benedictonem meam, utpote ab infelicissimo peccatore procedentem, parum aut certè nihil vobis profuturam, propriâ dextrâ suâ ipse vobis benedicere dignatur.

XXXV. Ita Domine, at largam prius benedictionem confer igni, ut semper sit elementum obediens in extensione virtutis & caloris sui; semperque propitium, nec unquam nocivum patriæ meæ: *Ignis, benedicat te Deus Pater, benedicat te Deus Filius, benedicat te Deus Spiritus Sanctus. Amen.*

XXXVI. Deinde benedic & aëri, ut pluvias in tempore debito, & calorem reddat in tempore opportuno, ut nunquam sit contagiosus, sed amœnus semper & sanus: *Aër benedicat te Deus Pater, benedicat te Deus Filius, benedicat te Deus Spiritus Sanctus.*

XXXVII. Post hunc benedicas & aquæ, ut semper sit clara, lympida & crystallina; nunquam damnosa, sed proficua semper corporibus humanis: *Aqua, benedicat te Deus Pater, benedicat te Deus Filius, benedicat te Deus Spiritus Sanctus.*

XXXVIII. Tandem benedicatur à te & terra, ut semper abundet floribus, herbis & fructibus, ut copiosè suppeditet panem, vinum, oleum, lac, mel & quidquid ad victum requiritur humanum. *Terra, benedicat te Deus Pater, benedicat te Deus Filius, benedicat te Deus Spiritus Sanctus. Amen.*

XXXIX. Demum ô Domine, per sanguinem, quem fudisti in cruce, perque lac dulcissimum, quod tibi dedit mater tua, digneris liberare civitatem istam à fame, peste & bello, à traditionibus, malis linguis, infirmitate, mala & improvisa morte, & ab omnibus spiritualibus & corporalibus malis. Fac ô pientissime Deus, ut communitas hæc à te benedicta in terris, tuam quoque benedictionem obtineat in cœlis. Assistant huic benedictioni tuæ omnes chori Angelorum, omnes Sancti & Sanctæ Paradisi. Genuflectatis omnes & singuli eliciatis actum contritionis: *Benedicat vos Deus Pater, ex quo sunt omnia; benedicat vos Deus Filius, per quem sunt omnia: Benedicat vos Deus Spiritus Sanctus, in quo sunt omnia. Amen.*

XL. In gratiarum actionem unusquisque dicat unum Ave Maria & unum pater noster; deinde sit laudata sanctissima Trinitas; sit gratia perpetim sanctissimo Sacramento, & vivat magna Dei Mater sine peccato originali concepta.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

IN SOLEMNITATE GLORIOSI SANCTI JOSEPHI, SPONSI VERI MAGNÆ DOMINÆ MARIÆ, ET PATRIS PUTATIVI DEI INCARNATI.

Cum eßet desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. Matth. 1. v. 18.

PROBLEMA

Quâ dignitate & excellentiâ magis glorietur Sanctus Josephus? an quia verus est sponsus magnæ Dominæ Mariæ; an verò quia putativus Pater est Dei incarnati?

INTRODUCTIO.

I.

SI sub immenso unquam meritorum pondere oppressa, uspiam visa fuit sublimitas; tum imprimis vel hodie, ita ut, immensa inter spatia laudum Sancti Josephi, penitus sim devolvendus in confusas nimium viarum ambages & sub gravi sublimis materiæ mole tumulandus, neutiquam tamen discursui supersessurus. Grave dubium meum in hoc consistit; quare Christus per mundum proficiscens, & miracula atque mirabilia operans, nunquam sibi comitem elegerit sanctum Josephum? ô Deum! Christus sine Josepho? Impertiit sanè, ô Auditores, secreta naturæ virtus minorem fortitudinem pretioso magneti (ut amando attrahat ferrum) quàm contulerit cordi amanti, in attrahendo quodcunque cor amatum. Herculeus equidem magnes, interno spiritu, occultam spirans virtutem, imò simul cum anima, quâ ipse informatur, vitam communicans & motum annulo ferreo (qui ad concipiendum amoris pretium inhabilis, & omnis incapax est affectus) facit, ut tanta inter eos mutua coalescat amicitia, ut nova & incomparabilis cognatio in ordine naturæ, sese ad effectum amoris disponens, affectum conjungat voluntati, partes uniat, publicet nuptias & consensus declaret; quatenus ferrum amans in forma sponsi, cor suum replendo flammis & pedes suos pennis, contra omnem naturam suam leve & ponderis expers, à terra se sublevet, per aërem volitet atque charo se lapidi uniat, imò taliter se ei astringat, ut in domo ejus hospitium capiat, communicante ei dilectâ sponsâ (magnetem dico) flammas, ardores, qualitatem & affectus.

[Margin: Cur Christus miraculis suis nunquam voluerit adesse Josephum.]

II. Nunc itaque quandoquidem Christus

ctus Josephum plus dilexit, majorq; ejus amator exstitit, quàm ferri magnes, & Josephus ardentiori Christum prosecutus est amore, quàm seipsum; quare Christus, varia per mundum mirabilia operans, nunquam sibi associari voluit gloriosum Josephum? Hugo Cardinalis mysterii hujus rationem assignans, ait: *Erat Ioseph sic similis Christo, tum in facie, tum in omnibus dispositionibus corporalibus, ut qui Ioseph videbant, ipsum Christum cernere videbantur.* Tantam habebat Joseph similitudinem cum Christo, ut, qui Josephum intuebatur, ipsum omnino conspiceret Christum; *& ideo ex divina dispensatione factum est, dum Christus divina perageret, nunquam voluerit, Ioseph esse præsentem, ne homines putarent, illum verè supra hominem esse.* Si Christus, dum prodigia & mirabilia operabatur, habuisset sibi præsentem & comitem S. Josephum, quid conclusisset mundus? certè alterutrum ex duobus; aut quòd Christus patraret miracula in virtute Josephi, aut quòd Josephus opera uteretur Christi. Non, non, dicebat divina providentia; nunquam gradiatur Joseph in Societate Christi, quandocunque Christus faciet miracula: *Ne homines putent, Ioseph verè supra hominem esse.*

Joseph simillimus Christo.

Hug. Card.

III. Unde tanta oriri potuit similitudo Josephi cum Christo? vultisne, ut vobis edicam? Fuit gloriosus hic sanctus non modò verus Sponsus illius Mariæ Virginis, quæ & Sponsum habebat Spiritum sanctũ; sed insuper Pater putativ⁹ & nutritius illius incarnati Dei, cui Pater in cœlo erat ipse summus æternus Pater; atque ex hoc duplici respectu tantã induit Josephus similitudinem cum Christo. Ecce vobis in præsenti problema, curiosum inprimis & difficile: utram dignitatem & excellentiam pluris æstimavit gloriosus Josephus; scilicet quòd esset verus magnæ Dominæ Mariæ Sponsus, aut verò quòd esset verus, sed putativus, Pater Dei incarnati? Magna est, quam moveo, difficultas, neque eam sine adjutorio enodare potest lingua mortalis; atque ideo ô Auditores! quò ego rudis ingenii & balbutientis linguæ meæ exilitate pertingere non potero, sublimitas suppleat devotionis & silentii vestri. Incipiamus.

Sponsus Mariæ & Pater Christi.

Probl.

IV. Sed ecce me vel in ipso limine gravi immersum dubio; quod ego gravissimum reputo. Quare Maria jam electa in divina mente, in Spiritus sancti Sponsam, postea nihilominus in tempore, data fuit sancto Josepho in Sponsam? Quòd unus vir diversas sæpe duxerit mulieres, vel ipsa Scriptura sacra authenticè attestatur, dum ait: *Apprehendent septem mulieres virum unum*; sed unam virginem duobus sponsis fuisse desponsatam, de nulla traditur, nisi de Domina nostra; neque in eo tota consistit difficultas; sed aliud dubium restat, & difficilius quidem: cui, existimatis, Mariam Virginem primò desponsatam fuisse? Forsitan Spiritui sancto? Non; sed primò S. Josepho desponsata fuit. Ecce vobis in promptu Scripturam sacram. Spiritus sanctus se desponsavit Mariæ, sed quando? in puncto incarnationis, quando dixit Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Quando autem S. Josephus sponsalia contraxit? diu ante incarnationem; accipite sancti Lucæ testimonium: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, desponsatam Ioseph.* Factum hoc mihi ansam præbet, sublimem vobis proponendi quæstionem. Uter sponsus fuit Mariæ gratiosior, an ille Spiritus divinus, qui eam fæcundavit ad generationem divinam; an verò gloriosus JOSEPHUS, qui ad

Isa. 4. v. 1.

Ante Maria desponsata Joseph, quàm Spiritui S.

Luc. 1. v. 35.

v. 26.

divinæ prolis partum nullatenus concurrit?

Locus S. Josephi in cœlis.

V. Omnia hæc dubia me usque in cœlum sublimando, occasionem præbent indagandi, quem locum in Paradiso obtineat sanctus Josephus? Sanctissima Virgo consistit ad dextram CHRISTI: *Astitit regina à dextris tuis*; Christus ad dextram Patris: *Sede à dextris meis*! Pater æternus in medio Spiritus sancti & CHRISTI; sanctum Josephum quo loco residere dicemus? Quis crederet, gloriosum hunc sanctum, per speciale sibi à DEO concessum privilegium, nobiliori Paradisi loco potiri in cœlis? Notate probationem; dixerant sancti Jacobus & Joannes: *Dic ut sedeamus in Regno tuo unus ad dextram & alius ad sinistram*; quibus Christus: *Nescitis, quid petatis*. Quomodo ô magne Domine? cognati tui sollicitant & instant pro occupandis regni tui sedibus & tu dicis, quòd nesciant? Respondet Christus per Rupertum Abbatem: *Et quibus paratæ sunt sessiones illæ, nisi gloriosæ Matri, quæ stabit à dextris, & Patri sancto Ioseph, qui mihi præerit à sinistris?* Ignoratis meam in cœlis dextram præparatam esse Matri meæ, & sinistram sancto Josepho? Moratur itaque in cœlis S. Josephus in medio Patris æterni & Christi; quis locus est iste? nobilissimus sanè Paradisi.

Psalm. 44. v. 10. *Psal. 109. v. 1.* *Matth. 20. v. 21.* *Rup. Abb.*

VI. Unde sanctus Josephus tantum potuit mereri honorem? Scitisne unde? quia dum Mariam duxit in conjugem, strictissimam cum SS. Trinitate contraxit consanginitatem. Consultabant ad invicem divinæ personæ, dicentes illud Cantici: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est.* Glossa ordinaria legit: *In die, quando est in thalamum introducenda*; quam dotem dabimus Mariæ sorori nostræ in die, quando nubet? Duo occurrunt consideranda in præsenti; primum est, Mariam nuncupari sororem divinarum personarum; secundum, divinas personas sollicitè investigare dotem pro Maria: *Sorori nostræ.* O sacratissimæ personæ, Maria soror vestra est? Illa creatura est, vos autem personæ increatæ: quæ igitur consanguinitas esse potest inter vos & illam? Vos utiq; novistis ô Docti! quòd in sanctissima Trinitate *ad extra*, duo dentur gradus consanguinitatis inter Mariam & Personas divinas; alter affinitatis, quia Maria sponsa fuit Spiritus sancti; & alter consanguinitatis, eadem namque Maria fuit vera Verbi incarnati mater. Maria itaque consanguinea fuit SS. Trinitatis; dicunt ergo & inter se consultant personæ divinæ: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando est in thalamum introducenda?* Quam dotem assignabimus Mariæ, consanguineæ nostræ? perscrutatæ sunt divinæ personæ thesaurum divinarum opum, nullum autem sanctum reperisse videntur, in meritis locupletiorem, neque sponsum Mariæ magis assimilem, quàm sanctum Josephum. Non dico ego, Josephum Mariæ fuisse æqualem in gratiæ & gloriæ gradibus; non: sed assero duntaxat, non fuisse inventum in cœlis sanctum aliquem Josepho digniorem, qui sponsus fieret consanguineæ sanctissimæ Trinitatis; prout hisce verbis attestari videtur beatus Insulanus: *Si sanctissimi Ioseph sanctitatem consideres & sponsalitii cum Virgine dignitatem; statim dices, non esse inventum similem illi, qui conservaret legem excelsi.*

Cant. 8. v. 8. *S. Joseph affinis Trinitatis.* *Mariæ obtigit in dotem.* *B. Insul.*

VII. Sed in cujus specialis virtutis valore, sanctus Josephus meruit, ut sponsus fieret illi, quæ consanguinea erat sanctissimæ Trinitatis? Fuit hæc virtus quædam adeo

adeo singularis, ut ne in ipsis quidem supremis Angelorum choris fuerit reperta unquam. Turbavit Virginem Mariam ingressus Paranymphi cœlestis, incarnationis mysterium annunciantis: *Turbata est in in Sermone ejus.* Pater subtilitatis sanctus Chrysologus causam hujus turbationis assignans, ait: *Obstupuit Virgo, quia in ingressu Angeli, sentiit divinitatis ingressum.* Visum fuit Virgini, quòd simul cum Angelo intraret ipsemet Deus. Quò vadis ô summe Deus? quem ob finem te associas Angelo: quo fine? respondet S. Chrysostomus; intrante Angelo domum Mariæ, fuisse absentem S. Josephum, foris occupatum; si enim præsens fuisset tunc temporis sanctus Joseph, utique postea non dubitasset de mysterio, videns Mariam utero ferentem. *Ioseph tunc*, inquit S. Doctor, *non erat præsens; nec enim putare licet, fuisse conveniens; præsente Iosepho, Angelum ad Virginem introisse.* Quia à domo Mariæ aberat sanctus Josephus, ideo sese Angelo comitem præbuit Deus.

Luc. 1. v. 29.

Chrys.

Quanta Josephi puritas.

VIII. At quæ est necessitas, ô Domine, ut simul gradiaris cum Angelo? Forsitan malum aliquod eventurum times? nunquid macula poterat esse in Maria? minimè equidem; erat namque Maria creatura, super ipsum cœlum elevata; fortè ex parte Angeli malum metuis? neque hoc; ipse enim est confirmatus in gratia; quare igitur Angelum comitaris? Respondet Verbum divinũ; sciatis, Mariam inter domesticos parietes solã esse, & sponsum ejus Josephum absentem & foris extra ædes; inconveniens autem est, Angelum loqui Mariæ, soli solum. Qomodo Domine? tu inconvenies judicas, quod unus Angelus cum Maria solitariè agat & loquatur, quare igitur permittis, ut Maria cum Josepho, sola cum solo moretur & degat? quomodo Virginem Mariam concredis socio viro? Respondet Deus: tanta est Josephi puritas, ut Maria magis sit secura in consortio Josephi, quam Angeli: *Amplius dixerim*, inquit beatus Insulanus, *Ioseph virginitatem fuisse nobiliorem, gratiorem & admirabiliorem, quàm fuerit virginitas Angelorum.* Id quod manifestè patet, quia puritas Angelorum est per naturam, hæc autem Josephi per gratiam; puritas Angelorum est in Spiritu, hæc Josephi in carne; & ut dicit S. Chrysologus: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* B. Insul.

IX. Ab his glorias, encomia, honores atque excellentias sancti Josephi inchoemus; tanta sancti Josephi puritas dignitatem ei contulit, ut loco tenentem ageret Spiritus sancti. Nunquid divinus ille Spiritus in viscera Mariæ descendit? ita; sic namque attestatur Angelus, inquiens: *Spiritus sanctus superveniet in te.* In qua forma descendit? Veniens super caput CHRISTI, formam induit columbæ: *In specie columbæ visus est*; super Apostolos comparuit in forma linguarum: *Linguæ figuram detulit.* Descendens autem in Mariam, quam formam assumpsit? non dubito ego, quin invisibilis descenderit, ut divinis attributis suis Dominam illam fœcundaret: at si mihi licentiam feceritis loquendi, dicam, & quis credet? Spiritum sanctum formam assumpsisse sancti Josephi, aut ut melius exprimam, sanctum Josephum exstitisse Locotenentem Spiritus sancti? nequaquam præsumerem ego asserere simile quippiam, nisi me magnus Rupertus Abbas præcessisset. Nunquid divinus ille Spiritus fuit sacer Mariæ sponsus? ita; nunquid ille humanitatem CHRISTI formavit in Maria? ita; erat

Jos. locum tenens Spiritus sancti.

Luc. 1. v. 35.

Luc. 3. v. 22.

igitur

igitur ipse pariter obligatus ad subsisten-dum in mundo, tum ut Mariam custodiret, tum ut Jesum educaret; at propter certas, Theologis notas, rationes, conveniens minime erat Spiritum sanctum visibilem dimorari in mundo; quid ergo fecit? in locum suum substituit sanctum Josephum. Tu ô Josephe, dicebat Spiritus divinus, tu meas age partes, tu meo fungere officio; atque ideo videbitis, quòd, sicut Spiritus sanctus humanitatem Christi formavit intrinsecè in Mariæ visceribus; ita & sanctus Josephus eandem Christi humanitatem augmentarit & sustentarit in extrinseco. *Ad omnes ærumnas*, inquit dictus Author, *quas Spiritus sanctus sufferre non poterat, pignoravit sanctissimum Ioseph. Pignoravit?* Pignus majoris semper est valoris, quàm res, pro qua datur; Si igitur sanctus Josephus fuit à Spiritu sancto relictus in pignus, vos consequenter inferatis, quantum sanctus ille valorem in se contineat & pretium.

Rup. Abb.

Jos. ignovit Mariæ, cui nequibat ignoscere De⁹.

X. Quid autem consecutus est S. Josephus ex dignitate illa, quâ Spiritus sancti Locotenentem egit? Scitisne, quid? tantam scientiam, virtutemque tantam, ut ignoscere didicerit magnæ illi Dominæ Mariæ, cui, ob defectum materiæ, ipsemet nequibat ignoscere Deus. Advertit S. Josephus gravidam esse sponsam suam: cujus rei novitate adeo perculsus fuit, ut, teste hodierno evangelio, *voluerit occultè dimittere eam.* Quid hoc sibi vult: *Voluit occultè?* Duæ circumferuntur opiniones circa hanc Josephi turbationem; dicentibus aliis, sanctum non dubitasse quidquam de integritate Mariæ, neque unquam suspicatum fuisse, Mariam esse adulteram. Ita Origenes tradit: *Si suspicionem habebat, quomodo ergo justus erat, ut immaculatam desereret?* Josephus erat justus; adeoque si puritatem Mariæ in suspicionem adduxisset, neutiquam impunitum reliquisset tale crimen. At magnus P. S. Augustinus in epistola ad Macedonium, apertè docet, Josephum suspectam habuisse puritatem Mariæ, tanquam adulteræ; quòdque ideo cœlitus ipsi fuerit submissus Angelus, qui eum ab errore isto liberaret: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*; atque ita dicit S. Augustinus, quòd Joseph *intelligens Mariæ uterum gravidari, æstuabat intra se; æstuabat, dicens: quid faciam? si prodidero, adulterio non consentiam, sed tamen vitium crudelitatis incurram; si non prodidero, malo consentiam & portionem meam cum adulteris ponam, quid ergo faciam? tacere malum est; adulterium prodere, pejus est, occultè igitur eam dimittam.* O sancte Joseph doce nos, obsecro, modum, quem servasti in negotio adeo difficili; delictum Mariæ tu neque occultare vis, neque publicare; quid ergo facturus?

Matth. 1. v. 19.

Orig.

S. Aug.

idem Ser. 14. de nat. Dom.

Discursus Josephi intra ipsũ.

XI. Auditores! optimus aliis ignoscendi modus est, si læsus seipsum profiteatur offeratque ut reum; prout fecit Christus respectu mundi, ipse namque offensus erat nihilominus *cum impiis reputatus est.* Joseph igitur, qui offensus erat, aut potius se offensum esse præsumebat, quid fecit, ut ignosceret Mariæ? quid dixit? Non volo accusare eam apud justitiam, ajebat, quia infallibiliter lapidaretur; ulterius etiam cum ea dimorari detrecto, ne videar consentire in adulterium; neque eam domo propulsare aut exterminare volo, quia vi justitiæ adactus, eam ad me resumere compellerer; quid facies ô Josephe? nimium te video angustiatum. Scio quid faciam: ego ipse è domo recedam,

Quis optimus ignoscendi modus?

Isa. 53. v. 12.

dam, sicque totus mundus me reputabit reum & delinquentem; apud omnes ego desipiens habebor, mulierem deserendo; atque hoc est, quod hisce verbis expressit S. Augustinus: *Voluit occultè dimittere eam, id est, clanculum ab ea divertere.* O divinum ignoscendi modum! Scivit Josephus ignoscere Mariæ, cui non poterat ipse ignoscere Deus, non propter ignorantiam suam, sed propter omnem culpæ defectum in Maria.

Aug.

Quomodo Jos. ignoverit Spiritui S.

em Ser. . de nat. om. iscursus sephi tra ipsũ.

XII. Ignoscendo porro sanctus Josephus Mariæ, pariter condonavit & auctori istius imprægnationis. Non dicam ego unquam, minimam fuisse in Spiritu sancto culpam aut quidpiam veniâ dignum; nequaquam: potius me cœlum fulmine percutiat, quàm simile quid asseruerim; sed audite, qualiter Josephus, ignoscendo Mariæ, pariter ignoverit illi, quem hujus impraegnationis præsumebat auctorem. Nunquid Josephus impraegnationem Mariæ animadvertens, se reputavit offensum à Maria? ita; utpote non conscius mysterii; eodem igitur tempore pariter existimavit se offensum ab auctore illius impraegnationis; dum igitur ut justus, insignem illum excogitavit modum ignoscendi Mariæ, tunc sponsæ suæ ignoscendo, simul ignovit & auctori, nesciens se ignoscere Spiritui sancto, qui impraegnationis Marianæ auctor erat. O excellentem Josephi gloriam!

uis o- mus i- oscendi odus?

. 53. v. 12.

Jos. substitutus duarum divinarum Person.

XIII. Hic porro adeo præclarus actus, quantam, putatis, dignitatis sublimitatem contulit Josepho? Scitisne quantam? Ideo substitutus fuit & generalis Vicarius duarum divinarum personarum designatus. Nostis vos ô Docti, non posse in Trinitate unam personam supplere locum alterius; dat equidem Pater totum suum esse Filio, non tamen in Filio potest esse Pater; iterum, Filius simul cum Patre dat totum suum esse Spiritui sancto; non tamen potest esse in Spiritu sancto Pater aut Filius; & quamvis *Patris & Filij & Spiritus sancti una sit divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas*; non tamen Pater potest supplere locum Filii, nec Filius Patris aut Spiritus sancti. Josephus autem non modò locum supplevit Spiritus sancti, sed & locum occupavit Patris. Audite obsecro egregiam Origenis speculationem. Sanctus Matthæus catalogum texens genealogiæ Christi, incipit ab Abrahamo & terminat in Joseph: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ*; ubi Origenes ait: *Hic altius inquiri potest; cur in ordine generationis Christi, ille Ioseph nominatur, qui Pater non exstitit Salvatoris?* Certum est, quòd, quantumvis Joseph Pater esset putativus Christi, verusque Mariæ sponsus, nunquam tamen ad Christi generationem concurrerit; cur igitur genealogiæ Christi cum reliquis admiscetur? respondet Origenes, notandum esse, quòd in serie & catalogo progenitorum Christi, simul nominari debuerit Pater æternus, utpote Pater Christi *secundùm divinitatem*; debebat quoq; mentio fieri Spiritus sancti, qui tanquam sponsus Mariæ in visceribus ejus humanitatem Christi efformavit; at quia omnino indecens erat Genitoribus carnalibus personas annumerari divinas, apponatur (inquiebat cœlum) Josephus in catalogo Genitorum Christi, Josephus locum occupet Patris æterni & Spiritus sancti; si namque Pater æternus est Pater Christi *secundùm divinitatem*, certè & Josephus est Pater Christi, saltem putativus, *secundùm humanitatem*; & si Spi-

Matth. 1. v. 2.

Orig.

Spiritus sanctus fuit Mariæ sponsus, in visceribus ejus humanitatem Christi formans, sanctus quoque Josephus eandem augmentavit & sustentavit humanitatem, in domo Mariæ. O excellentiam!

Nimia Josephi sublimitas.

XIV. Si porro finem & terminum urgetis discursus mei, ô Auditores! indulgete mihi, ut supra cœlum conscendere, ibique in dulci quadam temeritate sepultum, mihi liceat requiescere. Josephus non modò Spiritus sancti locotenentem & substitutum duarum egit divinarũ personarum; sed etiam (ô Deus, nescio si dicere audeam) veniam nihilominus date & permittite, ut dicam, sed cum pietate Christiana. Josephus, juxta rudem nostrũ discurrendi modum, ipsâ Trinitate sublimior oculis nostris objici videtur. Vultisne, ut in sensu jam dicto, eum vobis exhibeam æterno Patre admirabiliorem? Dicite vos mihi ô Docti, status maritalis est bonus? ita; quia ut Apostolus inquit: *Si quis matrimonio Virginem ducit, bene facit; & si quis non ducit, melius facit.* Bonum est esse conjugatum, melius autem, non esse maritatum sed stare in puritate. Nunc autem si quæ persona intrasset statum maritalem, in eoque suam illibatam conservaret puritatem, talis citra omne dubium, perfectione polleret longè admirabiliori; sed reperite, si potestis, vel unicam tam in terris, quàm in cœlis personam, quæ simul vivat in statu maritali & simul in eodem integerrimam coluerit virginitatem? Nullus in mundo sponsus, purus est; & quotquot puri sunt, sponsi nõ sunt; & in cœlo omnibus Angelis existentib⁹ puris, nullus eorũ maritatus est. Dicetis utique, Patrem æternum esse purum & simul Patrem fœcundum, & cum sit Pater, non tamen desinere esse purum; sed quid mirum, purissimam substantiam; spiritum simplicissimum, infinitâ pollentem naturâ, simul purum esse & fœcundum? singularem hoc non meretur admirationem; sed Josephum in carne mortali, creaturarum omnium, quotquot unquam cœlum vidit, pulcherrimæ desponsatum, perpetuam servasse puritatem, excellentia tanta est, ut major nequeat excogitari aut affirmari de sancto Josepho; unde sanctus Petrus Chrysologus inquit; *Si scire vultis, puritatem acquirere majus est, quam habere.* Admirabilior est puritas, quam contulit gratia, quàm illa, quâ quis fruitur per naturam. Pater æternus puritatis possidet abyssum, sed vi naturæ; sanctus autem Josephus puritate gaudet per virtutem meriti. Josephus itaque in statu maritali existens, simulque purus, admirabilior est; sed quo? vos resolvite, me enim insufficientem reperio ad exprimendum excessum tantum.

Jos. matrimonium & puritas, res mira.

S. Chrysol.

XV. Contemplari vultis Josephum, conformiter ad sensus nostros, ipso pariter altiorem Filio? scitis, Verbum Incarnatum Josepho fuisse subjectum: *Erat subditus illi.* Scire percuperem, quid fecerit Joseph, propter quod Filius Dei ipsi subditus fuerit & obligatus? dubium hoc me urget, ut à vobis requiram; utrùm, si Maria non mansisset Virgo, concepisset nihilominus Filium Dei? non; sed omnino necessarium erat, ut fœmina, de qua nasciturus erat Messias, pura foret ac virgo: *Ecce Virgo concipiet.* Unde & quomodo Maria se conservavit puram? Scio & suppono tanquam certum, Mariam suam semper possedisse puritatem intemeratam, vi sancti propositi & solemnis voti sui, quod emisit, perpetuæ puritatis. Sed dicite mihi, nunquid *matrimonium consistit in indivisibili conjunctione animorum,*

Causa puritatis Mariæ quæ?

Isa. 7. v. 14.

pers

per quam unusquisque conjugum fidem alteri servare tenetur? Hoc ipsum certissimum est. Maria itaque (præscindendo à sancto ejus proposito) vi matrimonii, obligata erat parere voluntati Josephi, similiter & sanctus Josephus *ex vi matrimonij* (abstrahendo pariter ab eo, quod ille emiserat votum virginitatis) obstrictus erat & debitor voluntati Mariæ; unde igitur oritur, quòd Josephus toto matrimonii tempore cum Maria, nihil præter puritatem & sanctitatem pensitarit? nonne ex benignitate atque humanitate Josephi? ita; conferendo igitur supradicta de custodia Josephi erga Mariam, concludi potest, Mariam, præcisè ut sancti Josephi sponsam, in sua continua perstitisse puritate & Verbum concepisse; id quod humanitati sancti Josephi debetur, atque ob hanc causam crediderim ego, Christum se subjecisse Josepho. Neutiquam ego tale quid asserere ausus fuissem, nisi ducem secutus fuissem sanctum Augustinum, qui in Serm. 14. de nativit. Domini, Josephum alloquens, ait: *Habe ô Ioseph cum Maria conjuge tua virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum, ut tu Pater Christi, cura castitatis; sit & Maria, mater Christi, servatâ virginitate.* S. Aug.

XVI. Si deniq; optatis exhiberi vobis Josephum, in puritate sua quasi admirabiliorem ipso Spiritu sancto; exequar, sed necessum est, dicatis mihi ô docti: nunquid Spiritus sanct' Christi Pater dici potest? sæpius hæc difficultas mota est à pluribus, & respondebitis utiq; cum sacris Doctoribus, quòd non; quia *ad rationem Patris, requiritur similitudo in natura.* Cum igitur Spiritus divinus non sit Christo similis quò ad naturam humanam, consequens est, sacram illam personam non posse dici Patrem Christi. Optima hæc est atque catholica responsio; sed figite gradus: *Ad rationem Patris non solùm requiritur similitudo in natura, sed etiam necessarius est concursus ad prolem*; requiritur, ut Pater cooperetur ad generationem filii; si Joseph igitur nunquam partem habuit in humanitatis Christi formatione, quomodo dicitur Pater Christi? Videte, inquit Gerson, privilegium singulare sancto Josepho concessum; quantumvis non concurrerit ad generationem Christi, nihilominus dicitur Pater Christi; divinus autē ille Spiritus, qui in Mariæ visceribus humanitatem Christi formavit; non dicitur Pater Christi. *O sancte Ioseph*, exclamat Gerson, *magnum privilegium in te recognosco, quod nondum concipio in Spiritu sancto; etenim tu non concurrens ad generationem Christi, Pater es Christi; ille verò concurrens, non est Pater Christi.*

Spiritus S. nequit dici Pater Christi.

Gerson. Ingens Josephi privilegium.

XVII. Itane? inquiebat cœlum; Joseph verus est sponsus consanguineæ sanctissimæ Trinitatis; tantâ pollens castimonia, ut Locotenentem agere meruerit Spiritus sancti, esse duarum divinarum personarum substitutus, imò ut in certo quodam humano loquendi modo, admirabilior evaserit ipsis divinis personis? itane? Veni igitur Josephe, veni, ascende in cœlum, ibique locum occupa nobilissimum totius Paradisi.

XVIII. Ecce vobis præsentem & apertā corū, quæ supra insinuavim⁹, dubiorum solutionem. Utrùm sponsum dicem⁹ fuisse gratiosiorem Mariæ, an illum infinitum Spiritum divinum, an verò hunc gloriosum S. Josephum? Audite: nunquid Spiritus sanctus persona est increata? ita; sanctus verò Josephus nonne est creatura? ita; *Finiti ad infinitū potest esse proportio?* non. Quæ igitur comparatio unquam institui pote-

poterit inter Josephum & illum Spiritum divinum? hic Deus est, ille autem creatura. Nihilominus ex hujusque dictis, dignoscite ad quantam gloriam pertigerit Josephus, qui quamvis pura esset creatura, sponsus nihilominus fuit Virginis adeo gratiosus, ut Spiritus sanctus (replico cum Ruperto) *ad omnes ærumnas, quas sufferre non poterat, pignorarit sanctissimum Ioseph.* Atque ideo Maria Virgo prius desponsata fuit nostro Sancto, & postea cum Spiritu illo infinito, qui perfectè Deus est.

XIX. Id quod confirmat singularis quædam S. Petri Chrysologi subtilitas, qui illum S. Matthæi textum (*cum esset desponsata Mater Iesu, Maria Ioseph*) contemplans ait: *Suffecerat dixisse; cum esset desponsata Maria. Quid sibi vult sponsa mater? si mater, non sponsa; si sponsa, non adhuc mater.* Si mater est, quomodo igitur sponsa? & si sponsa, quomodo dicitur mater? respondet dictus sanctus Doctor, reliquas inter excellentias, Mariam possedisse prærogativam virginitatis simul & maternitatis? majoris fecit Maria virginitatem, quàm maternitatem; atque ideo Angelo sibi dicenti; *Ecce concipies & paries filium*; respondit: Angele sancte, si agitur de maternitate obtinenda cum periculo amittendæ virginitatis, dignetur Dominus excellentiam istam alteri cuipiam mulieri impertiri; ita ut Maria Virginitatem prætulerit divinæ maternitati. Hoc supposito, reminiscamini ejus, quod paulo dixi, scilicet Mariam prius fuisse sponsam, & postea matrem; quando sponsa erat Josephi, quid ei contulerunt sponsalia? Forte maternitatem? non, sed solàm virginitatem; quando autem sponsa fuit fœcundata à Spiritu sancto, consecuta est maternitatem; quandoquidem igitur Maria pluris æstimat virginitatem, quam maternitatem; consequenter concludendum, majoris eam duxisse sibi sanctum Josephum, qui ei virginitatem contulit, quàm Spiritum divinum, à quo acceperat donum maternitatis.

Matth. 1. v. 18. Cur M. sponsa & mater.

Isa. 7. v. 14.

XX. Porro si adeo se reputavit felicem Maria propter sanctum Josephum, quàm beatus dicendus erit quicunque alius, huic glorioso sancto devotus? Si itaque ô Christiane angustiis premeris, animæque succursum expostulas, audi & sequere beati Insulani consilium, dicentis? *Curre ô Christiane ad sanctum Ioseph, per Ioseph pervenies ad Virginem, per Virginem ibis ad JESVM; & si gratiosus fuisti Iosepho, gratiam consequeris à JESV.* Ut denique majorem consequamini certitudinem, ad sancti Josephi glorios perveniendi, amore ejus, largam date pauperibus eleemosynam, interim nos tantisper respirabimus.

B. Insul.

SECUNDA PARS.

XXI. AUdistis usque modò glorias sancti Josephi, quatenus sponsus est Virginis Mariæ; ne igitur pigeat in præsenti breviter quoque & succinctè contemplari palmas ejusdem gloriosi Patriarchæ, ut Pater est putativus CHRISTI. Sed quid dixi? Josephus Pater CHRISTI? Nunquid CHRISTUS ipse apud sanctum Matthæum prohibet, dicens: *Nolite vobis Patrem vocare super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est?* Quomodo itaque Josephus, qui pura est creatura, dici potest Pater Christi, veri Dei? Respondet Lyranus in catena Divi Thomæ & supra 2. caput S. Lucæ, quòd *Ioseph meruit*

Matth. 23. v. 9.

Lyr. in cat. D. Th.

meruit vocari Pater Christi, eò quòd nutritius eius fuit; Origenes dicit, quòd *honoravit eum Spiritus Sanctus nomine patris, eò quòd puerum Iesum educavit*. Alii asserunt, nomen istud *Pater* desumi à *pascendo*; atque ideo cum Sanctus Josephus per tot annos alimenta præbuerit Iesu, meritò denominari patrem. Angelicus Doctor S. Thomas in cathena super cap. 1. Matthæi considerat, quòd S. Josephus, *quamvis non fuit necessarius conceptui, fuit tamen utilis procurationi; quia Virgo peperit Filium, & tunc Matri & Filio fuit necessarius Ioseph*. Atque ita ratione hujus necessitatis, nimirum ad præstanda servitia tam Filio Dei, quàm Mariæ; convenienter admodum titulum obtinuit patris. Cardinalis Toletus annot. 51. in cap. 2. Lucæ suum pariter sensum insinuat, dicens: *Dicamus ergo, Joseph dictum esse patrem Christi, tum quia nutritius erat, tum quia communi opinione Pater reputabatur, tum denique quia vir & maritus erat beatæ Virginis, Matris Christi.*

Orig.

Tol.

XXII. Ultima hæc Toleti verba singularem mihi movent difficultatem, dicit enim, totam causam, cur Sanctus Joseph fuerit Christi Pater nuncupatus, hanc esse, quia scilicet sponsus Virginis erat: *Quia vir & maritus erat beatæ Virginis, Matris Christi.* Quomodo hoc verificari potest? fortasse, quia Joseph copulam habuit cum Maria? Absit, nequaquam; si igitur nullam in Christi generatione partem habuit, quo fundamento asserit Toletus, Josephum Christi Patrem dici ex eo, quia sponsus erat Mariæ?

Cur Iosf. Pater Christi.

XXIII. S. Joannes Chrysostomus ulterius progressus videtur; dicit namque, Joseph nuncupandum esse verum & legitimum Christi patrem respectu omnis illius, quod non contradicit puritati Mariæ. Audite, qualiter ipsemet in homil. 4. in Matth. discurrat, ubi introducit Angelum, taliter loquentem ad S. Josephum: *Non quia ex Spiritu Sancto est, idcirco à tanto ministerio te æstimes dispensationis extraneum, nam etsi nihil habeas in hac generatione commune, tamen quod proprium patris est, quodque nihil lædit Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo.* Quis hæc non admirabitur & obstupescet? Duo dicit Chrysostomus; primum est, quòd Josephum nominet verum & legitimum Christi patrem; secundum est, Joseph verum esse patrem in omni eo, quod puritatem non offendit Mariæ. Quomodo Joseph verus & legitimus Christi Pater dici potest, nisi cum præjudicio integritatis Mariæ?

Iosf. dicitur verus Christi Pater.

XXIV. Notate insignem quandam speculationem nostro veraciter dignam proposito. Duobus in locis Scriptura sacra mentionem facit S. Josephi, ut sponsi Mariæ; primò cum Virgo necdum esset Mater Dei, neque à Spiritu Sancto fœcundata; idque contigit, dum Angelus mysterium annunciavit incarnationis: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Luc. 1. v. 26. 27. Secundò ejus meminit, postquam Maria jam utero ferret; apparuit enim tunc Angelus Josepho, dixitque ei: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod in ea natū est, de Spiritu Sancto est.* Mat. 1. v. 20. Quæ differentia, quodue mysterium latet in hoc & priori textu? scitisne, quale? primâ vice Josephus nominari potuit sponsus Mariæ, sed necdum Pater Christi, quia sponsam ejus Mariam tunc temporis nondum fœcundarat Spiritus Sanctus; ast in secunda vice potuit Joseph nuncupari non modò sponsus Mariæ, sed etiam Pater Christi, quia in hoc loco Joseph dicitur

tur sponsus Mariæ, jam gravidæ; Maria ut divino fœtu fœcundata *erat sub potestate sui viri*; atque ideo Joseph jus habebat in prolem, ex Maria nascituram; propter quod & Angelus ad Josephum inquit: *Vocabis nomen ejus Iesum.* Nunquid nostis omnes, solius patris officium esse, filiis imponere nomen? cum igitur Joseph nomen dederit Christo, ipsius consequenter exstitit pater, quia si Spiritus Sanctus incarnationis mysterium operatus fuisset in Maria, nondum desponsata Josepho, nullum utique jus habuisset Joseph in partum hujusmodi; quia sicuti Maria pro eo tempore non fuisset sponsa Josephi, *nec sub viri potestate*, ita nec Joseph habuisset jus ullum in Mariam, nec in filium ejus. Concludo itaque, Josephum verum fuisse Christi patrem, quia juxta Scripturæ sacræ testimonium, Josephus fuit sponsus Mariæ, jam fæcundatæ Christo.

Gen. 3. v. 16.

Luc. 1. v. 31.

Dubium grave.

XXV. Facili mihi negotio excidisset dubium istud, commune quidem & nimis tritum, necdum tamen plenè ab omnibus explicatum; quare scilicet Pater æternus Christum concipi voluerit in utero Mariæ, post desponsationem cum Josepho? *Quare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur*? Communis responsio est, ut Virgo concipiens liberaretur à suspicione adulterii, & pariens à violenta lapidantium morte? ita inter alios Hieronymus asserit in cap. 1. Matt. *Ne lapidetur à Iudæis ut adultera.* Sed audiamus: nunquid ad minus parvo aliquo tempore, V.G. unâ horâ aut mediâ, vel certè unico instanti desponsationem præcedere potuisset conceptio Christi? cur sponsalitiis omnimodè successit neutiquam præcessit, conceptio Christi? seu ut magis distinctè dubium proponam; quare voluit Deus, conceptionem Verbi in utero Mariæ, ne unico quidem momento præcedere sponsalia, sed potius sponsalia præmittit conceptioni? Notate & obstupescite Josephi gloriam. Si Christus in utero virginali ante sponsalia conceptus fuisset, Christus ut homo, cujus fuisset filius? fortasse Spiritus Sancti? non; quia *ad rationem Patris requiritur similitudo naturæ*; neque Patris æterni, propter eandem rationem. Infantulus ergo Jesus cujus filius esset? ergone, ajebat Pater æternus, Christus in terris erit sine patre? non, non; nequaquam hoc conveniens est; primò itaque desponsetur Maria Josepho, & deinde fiat incarnatio; ita ut ne minimum detur instans imaginabile, in quo Christus caruerit Josepho patre.

Responsio notanda.

XXVI. Postquam paternitatem Christi in S. Josepho stabilivimus, facile nunc erit ad ulteriora gradi, in glorias & excellentias, quibus magnus ille Dei incarnati Pater supereminet, declarando. Sed quid dicam? nollem ego hodie linguam meam devolvi eò, quò non præsumo nos consensuros; nihilominus ad gloriosi Josephi honorem, indulgete mihi, ut edicam illud, quod totum cedet in gloriam sic volentis Dei. Hinc statuo Patrem æternum, illinc autem sanctum Josephum, & quæro; uter ex his majori cum proprietate Christum possit appellare filiũ suum.

Cujus patris Christus magis fuerit filius.

XXVII. Pro difficilis adeo dubii solutione, mihi omnium prima in memoriã venit quædam Sancti Pauli propositio, dum inquit: *Pater à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Quis est magnus hic Pater; à quo dependet omnis tam cœlestis quàm terrestris paternitas? resolutionem audiamus ex alio Scripturæ textu, sed singulari cum attentione. Titulus

Eph. 3. v. 15.

tulus

-tulus Dei, communis omnibus tribus divinis personis, fuit etiam creaturis concessus, ipso Deo testificante: *Ego dixi, Dij estis*; & clarius ad Moysen: *Ecce constituo te Deum Pharaonis.* Paternitas autem, quæ specialis est Patris æterni proprietas, nusquam reperitur communicata Angelis, nec Spiritui Sancto; unde & quando vox illa insonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; à quo creditis eam prolatam fuisse? Respondeat Sanctus Matthæus: *Paterna vox audita est.* Ipsemet Pater locutus fuit.

Ps. 81. v. 6. Titulus Dei communicatur creaturis. *Exod. 7. v. 1.* At paternitatis soli Josepho. *Mat. 3. v. 17.*

XXVIII. Quandoquidem in discursum incidimus de Patre æterno, Christum suum filium esse declarante, scire desidero, quo loco & tempore Pater æternus dicta verba protulerit? vivebatne tunc temporis Josephus? S. Epiphanius in lib. de hæresibus, hæresi 78. S. Vincentius Ferrerius Serm. de S. Josepho & Magister historiarum scholasticarum cap. 38. dicunt, Josephum obiisse, antequam Christus attingeret ætatem 30. annorum; id quod satis probabile videtur, quia cum Christus 30. haberet annos, fuit ad nuptias invitatus cum discipulis suis: *Vocatus est ibi Iesus, & discipuli eius*; dumque S. Joannes historiam postea persequitur, Virginem Mariam etiam inibi præsentem fuisse attestatur: *Deficiente vino, dixit Mater Iesu ad eum; vinum nō habent.* Incredibile autem videtur, Josephum, si superstes fuisset pro eo tempore, neglecturum fuisse societatem suæ unicæ sponsæ; pro cujus porro asserti majori stabilimento addere licet; quòd ipse Christus, in cruce pendulus, nulli alteri matrem suam recommendasset, præterquam Sancto Josepho, utpote dilectissimo sponso ejus, & non Sancto Joanni, si ille adhuc vixisset.

S. Epiph. S. Vinc. Ferr. *Ioa. 2. v. 2.* Quando obierit. S. Iof. *v. 3.*

XXIX. Hoc supposito ut vero, nuspiam invenio ego in Scriptura sacra, quod Pater æternus Christum declaraverit suū esse filium, nisi postquam 30. attigisset ætatis suæ annos; eo autem elapso tempore, eum attestatus est suū esse filium in duabus occasionibus, scilicet ad flumen Jordanis & in monte Tabore; quare non citius, ante 30. scilicet annos, eum declaravit suum esse filium? scitisne causam? ne præjudicaret paternitati Sancti Josephi; si enim Josephus, adhuc in vita superstes, audiisset verba illa: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: quid ipse dixisset? infallibiliter dicere potuisset: quis est iste, qui tanta cum pompa gloriatur se Christi esse patrem? Christus ille, est Filius meus; & ego præ omnibus aliis patris hujusmodi possideo proprietatem; Pater æternus est quidem Christi illius Pater, sed quò ad solam divinitatem; cùm enim quo ad humanitatem sit ei omnino inæqualis, non potest ei ullatenus ratio competere paternitatis; ego autem Christi pater sum, quò ad totum ejus esse, quia sum Pater Christi quò ad humanitatem, quæ cum hypostaticè supposita sit à divino supposito, liberè & sine timore assero, me Christi esse patrem quò ad totum eius esse; si igitur ille homo Deus, qui est Christus, meus est filius, quis alius præter me dicere potest: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Vivente S. Josepho Christus non declaratur Filius æterni Patris.

XXX. Quis ex dictis non intelligit, quisve non admiratur, Josephum potius Christi patrem dicendum esse, quàm ipsum Patrem æternum? Hoc ipsum igitur vobis sufficiat, ad manifestandas Josephi glorias, in quantum Dei incarnati Pater est.

XXXI. Permittite, ut discursum terminem humano & ingenuo cum joco. Si in Ecclesia hac istinc videretis Principem

pem aliquem, variis circumseptum ordinariorum nobilium servitiis, illinc verò alium quempiam Dominum, famulitiis stipatum Magnatum Hispaniæ; quid diceretis? utrum ex his duobus majorem esse judicaretis? indubiè illum, cui servitia deferunt ipsi Magnates. Nunc ergo edicite mihi; qui famulantur magno Patri luminum? soli profectò nobiles ordinarii: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* S. Josepho autem quis servivit? quis sua ei obsequia consecravit? ipse Principum Princeps, æternus Deus: *Erat subditus illi.* Vos igitur inferte consequentiam, ex parte namque mea nequeo progredi ulterius.

Dan. 7. v. 10.

Luc. 2. v. 51.

Resol. Probl.

XXXII. Unicum duntaxat pro emblematis resolutione adiiciam; si Josephus fuit Pater Christi, quia sponsus fuit Mariæ; consequenter mihi statuendum videtur, omnes Sancti hujus glorias in hoc præscisè punctum resolvi, scilicet S. Josephum gloriosissimum esse, quia fuit sponsus magnæ Dei Matris.

Apostrophe ad S. Ios.

XXXIII. Quid ultra restat, nisi ut ad te ô gloriose Josephe convertamme? tu à sanctissima tota Trinitate honoratus fuisti; à Patre, proprium suum tibi communicante nomen, teque creatorem, id est, nutritium efficiente ipsiusmet Creatoris. Exaltavit te Filius, officium tibi impertitus Salvatoris, dum sollicitudo tua eum iræ surripuit herodianæ. Nobilitavit te pariter & Spiritus Sanctus, te sponsum constituens propriæ suæ sponsæ. Quandoquidem igitur tantæ sunt excellentiæ tuæ, aperi nobis thesauros gratiarum tuarum; & sicut in terris potum cibumque subministrasti Deo Creatori, ita quoque & nunc miseris nobis peccatoribus de alimentis provide, corpori animæque necessariis; & sicuti Christum salvasti contra iram Herodis, ita & omnes nos à quibuscunque, tam visibilibus quàm invisibilibus inimicis liberare digneris. Sicuti denique custodiisti magnam illam Dominam, sponsam tuam, ita & animas nostras immunes præserva à quibuscunque malis. Præ omnibus autem indulgentiam nobis impetra omnium peccatorum nostrorum, ut intercessionis vestræ merito, in terris recipientes gratiam, possimus finaliter in cœlis, tecum gaudere in gloria. Amen.



PRO.

PROBLEMA SACRUM PRÆDICABILE

IN DIE FESTIVO SANCTISSIMÆ ANNUNTIATIONIS

Unius Matris, quæ post partum mansit Virgo; unius Virginis, quæ cum Mater esset, facta est ancilla; & unius ancillæ, quæ Domina tanta est, ut ipsi imperet Deo.

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem, inquit hodie Sanctus Lucas. *Cap.* 1. *v.* 26. *Concipies & paries filium*, ait Angelus ad Mariam. *v.* 31. *Ecce ancilla Domini*; respondit Maria Angelo. *v.* 38.

PROBLEMA

Utrùm Maria ut Mater, quæ Virgo est; ut Virgo, quæ serva est; ut serva, quæ Domina est, generans Christum Deum in tempore, possit & valeat tantum, quantum potest & valet increatus & summus Pater, generans Verbum divinum in æternitate?

INTRODUCTIO.

I.

LAudent & obstupescant alii, quantum ipsis placuerit, cœlestem illum Paranymphum, missum hodie in Nazareth, ut mysterium incarnationis Verbi annunciaret. Ut verum profitear & edicam, quod sentio, tot neutiquam meretur laudes, quot ordinariè in eum conferri solent. Non assero ego, ingressum, propositum replicas & contrareplicas Angeli, non fuisse cœlesti & supremâ Rhetoricâ plenas & prolatas cum supernaturali doctrina; sed, per salutem vestram, auscultate finem. Descendens ex cœlo Empyreo, seque Mariæ Virgini sistens Archangelus Gabriel, quantumvis in principio paveret, timeret & contremisceret, postea tamen reverenti cum inclinatione, sequentia, pauca quidem, sed mysteriosa expressit verba: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum.* *Luc.* 1. *v.* 28. *&c.* Deus te salvet ô magna Domina, gratiis plena hospitium Dei; ad hanc Angeli salutationem turbata fuit Maria: *Turbata est in sermone ejus.* Quid agis, inquit Ange-

lus, ô Domina? ne conturberis. *Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum*; tu es chara æterni Patris filia, dilectissima Spiritus Sancti sponsa; & paulo post digna insuper eris mater Verbi æterni: *Concipies & paries filium.* Ad hæc Maria: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* si negotium hoc consummandum est cum damno puritatis meæ, precor, quatenus Deus gratiam hanc alteri cuipiam fœminæ concedere dignetur. Ne dubites, respondit Angelus, ô magna Domina: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virt⁹ Altissimi obumbrabit tibi* non fiet hoc usu & more humano, sicuti fit in aliis fœminis, quæ, dum fructum producunt, florem amittunt; longè aliter hoc mysterium peragetur; etenim Spiritus Sanctus tuam fœcundabit puritatem, ita ut virgo existens, Mater evadas; factaque Mater, virgo permaneas. Maria hisce Angeli verbis plenam adhibens fidem, prostrata in terram, oculis dimissis, humillimè ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* In hoc ipso momento Verbum incarnatum fuit: *Verbum caro factum est.* In eodem pariter temporis puncto, ad angelicas sese catervas recipiens cœlestis nuntius, dorsum obvertit neomatri, & nullo ulterius verbo prolato, *continuò discessit Angelus ab ea.* Subsiste ô immorigerate Angele, quomodo? Mariam, cum nondum esset Dei Mater, tu salutasti, reveritus es ac tantis honorasti cæremoniis, jam autem eandem, postquam Dei Mater effecta es, nec respicis, nec adoras? Respondet Angelus: Loqui & discurrere cum muliere, quæ non est, sed Dei Mater esse debet, negotium est impossibile hominibus, ab Angelis nihilominus attentari potest: laudare autem & subsistere coram Virgine jam sacrata & exaltata in Dei Matrem, negotium est, ipsis etiam, quibuscunque & quantumcunque elevatis impossibile spiritibus. Quòd si ita est, ô Auditores quid igitur ego facturus sum hodie? Non possum tantum dicere, quantum Angelus, hoc enim foret assimilare me Oratori Angelico; dicere minus omnino est indecens, hoc enim non esset aliud, quàm Mariæ glorias obscurare. Dicere eminentius, est impossibile; quid itaque faciam? audite omnes. Tres ego hodie personas contemplor in sacro evangelio, aut, ut melius dicam, unam personam cum tribus titulis; Matrem, Virginem & servam. Matrem: *Ecce concipies & paries filium.* Virginem: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* Servam: *Ecce ancilla Domini.* Matrem adeo puram, ut post partum remanserit Virgo: *Post partum Virgo inviolata permansisti.* Virginem, adeo fæcundâ pollentem maternitate, ut parturi erit altissimum: *Paries Filium, & vocabitur Altissimi Filius.* Servam, tanto exaltatam dominio, ut ipsimet imperet Deo: *Erat subditus illi.* Instantissimè itaque vos obsecro omnes, ut singuli trutinam sibi comparent, in una parte collocaturi personam Matris, quæ virgo est; Virginis, quæ serva est; & servæ, quæ domina est. Ex alia verò parte, maximam Paradisi personam, æternum scilicet patrem, qui purissimus Spiritus est, infinitâ fæcundus naturâ; tuncque trutinam, vestræ relinquam potestati & libertati, ut vos ipsimet probetis, utra pars prævaleat in pondere: Pater æternus, purissimus existens Spiritus & increatus Dominus, in æternitate divinum generans Verbum, per excellentiam divinitatis suæ; aut Virgo Maria, sese ancillam reputans, cum Mater esset, quæ in tempore genuit Christum

Cur in puncto incarnationis, discedat Angelus.

M. mater, & virgo, & ancilla.

Probl.

D. Aug. laud. V.

stum Deum, per exilitatem humilitatis suæ? Quandoquidem autem hodie sermo est de ancilla, quæ magna est Domina; vos officium explete magnorum dominorum, sublimantes me, servum vestrum, devoto silentio. Incipiamus.

II. Jam imposuistis uni staterae parti Matrem, quæ Virgo est; virginem, quæ ancilla est; & ancillam, quæ domina est, in altera quoque parte jam sustinetis increatum illum & summum Patrem, purum Spiritum, infinitè fœcundum; sed nolo, ut confestim adeo libram in altum extollatis, ut enim possitis me certiorem reddere, utra pars præponderet, an magnus Pater luminum, Verbum generans per divinitatis suæ præstantiam; an vero Maria, Christum pariens per exilitatem humilitatis suæ? permittite, ut prius hac de materia quippiam discurram, primum locum daturus Mariæ, ut Matri; secundum eidem, ut Virgini; & tertium Mariæ, ut ancillæ, suâ contentissimæ humilitate.

M. mater, virgo, ancilla.

III. Inchoemus à primo puncto. Quanta est Maria, quantumque pondus ut matris purissimæ? nemo certè hoc melius potest scire, nec doctius exprimere, quàm Sanctus Augustinus; auscultemus itaque illum cum attentione. Per Apostrophen magnus ille Pater ad Dominam conversus, ait: *O Virgo beata, quid de te dicam pauper ingenio; cum de te quidquid dixero, minor laus sit, quàm dignitas tua mereatur?* O magna Regina, quid vis, ut de tuis ego laudibus disseram, ingenio destitutus? quidquid dixero, semper aut nihil erit, aut certè adeo exile, ut ad tuam nunquam pertingat sublimitatem: *Si cœlum te vocem, altior es.* Si te cœlum appellaverim, gloriâ plenum, dicerem equidem bene, sed exile admodum. *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Dicatur etiam, te Dei esse formam. O Augustine, quid dixisti? nonne forma Dei, juxta sensum Apostoli, est idem, quod essentia Dei? ita: *Qui cum in forma Dei esset.* Ergone Maria, est ipsa essentia Dei Philosophi, quid est forma? nunquid dicit Aristoteles vester: *Forma est illa, quæ dat esse rei?* ita; dicendumne igitur, Mariam dedisse esse Deo? instruite me ô Docti, nunquid formæ, quæ reperiuntur in Deo, sunt omnium imaginabilium rerum idææ? ita. Nunquid etiam idææ in mente divina sunt primum principium rerum omnium, quarum habentur idææ? ita. Quomodo igitur Maria dicitur forma Dei? ergone Maria primum erit principium illius Dei, qui omni caret principio?

D. Aug. de laud. Virg.

M. forma Dei.

IV. Mandetis memoriæ vestræ difficile hoc Augustini assertum, audituri interim patrem subtilitatis, Sanctum Petrum Chrysologum, in serm. 2. de Annunciatione Virginis, ita discurrentem: *Tanta est Virgo, tanta est Mater, ut, quantus sit Deus, satis ignoret qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* q. d. Sanctus Pater: Vultisne debitam mensuram, ad commensurandam Dei majestatem? vultisne scire, quantus, quàmque sublimis Deus sit? intueamini & consideretis Mariam, ut Matrem, certi, quòd *quantus est Deus, tanta est Mater.* Heus Pater sancte, nequaquam hoc dictum subsistere potest, in bono sensu sustineri nequit, Mariam Dei esse mensuram: *Mensura nonne est æqualis mensurato?* ita; sed Maria, creatura est finita, & DEUS finitus, & *finiti ad infinitum nulla est proportio:* MARIA igitur dici nequit mensura Dei.

S. Chrys.

M. mensura Dei.

D. Th. Tribus nequit Deus facere majora.

V. Hîc opus est Theologiâ Doctoris Angelici, qui p. 1. q. 25. art. 6. ad 4. dicit, tria esse, quibus Deus nequit efficere majora; scilicet gloriam paradisi, humanitatem Christi & maternitatem Mariæ; cujus asserti hanc tradit rationem, quia nimirum *hæc tria habent quandam bonitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus.* Visio beata, quæ est Paradisi gloria, habet pro objecto Deum, sed Deus est infinitus, ergo gloria Paradisi est infinita. Unio hypostatica habet pro termino divinum suppositum Verbi, sed hoc est infinitum, ergo humanitas Christi est infinita; maternitas Mariæ respicit filium Dei, sed hic est infinitus, ergo maternitas Mariæ est infinita. Hanc D. Thomæ doctrinam, veluti coronam colloco in capite; at si humano permittitur ingenio *aliquid inventis addere*; dicerem ego, inter omnes res creatas unicam duntaxat esse, quâ Deus nequeat producere majorem, hæcque sola est maternitas Mariæ.

VI. Sublimius equidem & majus dari potest gloriâ Paradisi, utpote Unio hypostatica; in visione namque beata, unio potentiæ cum objecto beatifico separabilis est; quia posset Deus sese subtrahere oculis Beati, inque tali casu beatus desineret esse beatus; at unio hypostatica naturæ humanæ cum supposito Verbi est inseparabilis, quia *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*; & ut S. Leo inquit: *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte dissolvi.* Unione pariter hypostaticâ dari potest aliud majus, nimirum Maria ut Mater Dei. Norunt Metaphysici, quòd relatio, quam dicit natura humana Christi ad divinum suppositum, sit realis *ex parte naturæ*, non tamen aliter realis *ex parte suppositi*; natura quoque humana Christi realiter dependet à supposito Verbi, at divinum suppositum non dependet à naturâ; & relatio humanitatis Christi cum supposito Verbi non est mutua *ex parte utriusque extremi*, sed tantummodo realis est *ex parte naturæ*: relatio autem matris & filii est relatio mutua *ex parte utriusque extremi*; ita ut non minus mater in esse matris dependeat à filio, quàm filius in esse filii dependeat à matre; nec enim potest sine filio dari Mater, nec sine Matre filius; *in his creatis.* Maternitas ergo Mariæ longè major fuit, quàm unio hypostatica.

Unio hyp. major gloriâ.

S. Leo

Maternitas major est unione hyp.

VII. Si porro de altissima hac maternitatis Mariæ dignitate sublimiora intelligere avetis, audite quendam doctissimi temporum nostrorum ingenii discursum. Non possidet virgo, inquit ille, titulum excellentiorem magisque honorificum, quàm maternitatis divinæ, ita ut huic dignitati nulla sit comparabilis alia, in prærogativa, decore & sublimitate; illa namque quasi divinitas participata, veluti divina est, attingens ordinem unionis hypostaticæ, vi cujus ad similitudinem accedit æterni Patris, ita ut eundem cum ipso terminum habeat & eundem filium.

Maternitas est dignitas quasi infinita.

VIII. Si pariter ad comparationem maternitatis Marianæ cum gloria paradisi transire voluerimus, quâ nec majus nec sublimius quidquam Deus creare potest, experiemur, eam ad instar pedissequæ aulicæ, subservire maternitati Mariæ, huicque sua deferre obsequia. Prædestinatio nostra pro fine & termino suo gloriam habet & visionem beatam, non autem gratiam, utpote ignobiliorem gloriâ. In Christo autem gloria illa, quæ respectu nostri est finis, fuit proprietas, consequens unionē personalem, utpote hujus-

modi,

modi, quæ citra omne dubium longè dignior est; unde Christus Dominus non dicitur prædestinatus ad gloriam, sicuti nos, sed ad filiationem naturalem & unionem hypostaticam, quam necessariò sequitur gloria. Atque ideo Apostolus inquit:

Rom. 1. v. 4. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm sanctificationem Spiritus.* Eodem pariter modo de virgine statuendum est, scilicet visionem beatam & gloriam Paradisi in Maria, ut matre, non fuisse finem ultimum, sicuti in nobis; sed quid consequens ad dignitatem matris; & consequenter Maria non fuit ad gloriam prædestinata, sicuti quispiam nostrûm, sed potius ad maternitatem, veluti digniorem magisque supernaturalem, quàm sit ipsa gloria. Concludere itaque possumus, maternitatem Mariæ longè esse majorem unione hypostaticâ & Paradisi gloriâ.

Maternitas est dignitas quasi infinita.

IX. Interrogari mihi videor, utrum res aliqua dari possit, quæ major sit Maria, ut Mater Dei est? Accipite responsum: impossibile est, ita ut nec ipsemet Deus per omnipotentiam suam, possit aliam creare matrem excellentiorem Mariâ, quæ modò est mater Dei; quia maternitas essentiam & perfectionem suam accipit à filio, atque ita quantus est filius, tanta & mater est; ast nunquid alius forte filius dari poterit, illo Deo major, qui filius est Mariæ? non, hoc omnino impossibile est: ergo neque omnipotentia Dei aliam poterit producere matrem, sublimiorem & perfectiorem Maria, matre Dei.

Maternitas Dei, maxima rerum.

S. Chrys. X. Itane? inquit Chrysologus, tanta est Mariæ, ut matris Dei, excellentia, ut ipse Deus non possit eam efficere majorem? ergo *tanta est Maria mater, quantus est Deus.* Concludite ergò liberè, Mariam, veram esse mensurâ ad commensurandam Dei excellentiam & majestatem.

XI. Atque hoc est, quod S. Augustinus, ut diximus, in his verbis expressit: *O Maria, si formam Dei te appellem, digna existis.* Dicatur itaque, te formam, idæam, similitudinem, vivam imaginem & prototypon Dei esse.

XII. At dicito mihi ô magne Pater Augustine; si Maria forma Dei est seu similitudo Dei; vel est effigies & forma Dei, ut unius in essentia, aut ut trini in personis? Respondet Augustinus: prout volueritis. Si vultis, ut Maria, Christum in tempore generans, pondus & valorem tantum habeat, quantum æternus Pater, generans Verbum divinum in æternitate, Theologiam consulatis oportet. Gravissima à Doctoribus movetur quæstio, quare Spiritus sanctus non dicatur genitus, sicut Filius? prout legitur in Symbolo Divi Athanasii: *Pater à nullo est factus; Filius à solo Patre, non factus, nec creatus, sed genitus.* Notate hoc ultimum verbum: *Sed genitus.* Forsitan & de Spiritu sancto idem affirmatur? non; quomodo itaque dicitur? *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Quare Spiritus S. non dicitur genitus, sicut Filius? Communis responsio est, Filium dici genitum, quia procedit similis Patri; atque ideo Spiritum sanctum, cum non procedat Patri similis, non dici genitum. Ita communiter asserunt Theologi; sed resolutio hæc tantam in se difficultatem continet, ut ipsos etiam faciat sudare doctos. Quare Spiritus sanctus non est similis Patri, sicut Filius? Forsitan aliqua reperitur in Patre perfectio, quæ deficiat in Spiritu sancto? non. Quomodo igitur Filius Patri similis dicitur, & non Spiritus sanctus? Solus mihi in præsenti satisfacit S. Augustinus, d um inquit; Spiritum sanctum

Maria assimilatur Patri.

Cur Spiritus sanct. non dicitur genit.

ctum non esse similem Patri, quia non generat neque producit aliam personam divinam, sicuti facit Pater; Filius autem dicitur Patri similis, quia sicut Pater generat personam divinam, nempe Filium; ita pariter & Filius simul cum Patre, aliam producit personam divinam, scilicet Spiritum sanctum.

XIII. Ex altissima hac sancti Augustini Theologia, solidum formemus argumentum, proposito nostro accommodũ. Filius Dei dicitur similis Patri, quia producit unam personam divinam sicuti & Pater; quandoquidem igitur Maria, tanquam vera mater, generavit & produxit unam personam divinam, scilicet Christum, verum Deum; per necessariam consequentiam deducitur, Mariam genitricem Christi, pari cursu ferri, tantumque ponderare, quantum æternus Pater, generans Verbum. Auscultate ipsummet S. Augustinum libr. 6. de Trinit. relatum à Patre Baezza to. 1. de Beata Virgine, ita discurrentem: *Illam ergo germanitatis affinitatem Patris ad Verbum, quam Spiritus sanctus non habet; habet sanctißima Virgo, ut & soror Domini sit atque germana, & summo Patri permaximè similis.*

S. Aug.

XIV. Nunc pariter optatis Mariam contemplari, quæ ut mater, similis existit Filio? ipsamet veritatem docebit; ex ore ejusdem resolutionem capite, dum ait: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Ego, inquit Maria, fructum unigeniti filii mei, velut vitis produxi. Quænam est ista extravagans comparatio, ô Domina mea? Vitis plantarum omnium maximè rudis, impolita & inepta est; de qua opprobrosè dicitur: *Serpit humi.* Tu autem è converso adeo pulchra es & decora, ut, si per impossibile in Paradiso non esset

Eccl. 24. v. 23.

M. ut mater filio Dei similis.

Deus, tu sola inter omnes creaturas sufficiens fores ad beatificandum Paradisum; quomodo itaque te adeo venustam assimilas viti informi? Notate conceptum inprimis gratiosum. Omnes plantæ & arbores suam habent determinatam magnitudinem. Quantæ est altitudinis cupressus? summæ; nihilominus terminum non excedit, sibi à natura præfixum. Cedrus quoque alta est, sed ubi terminum attingit, non extendit se ulterius. Vitis autem singulare habet privilegium, ut tantum se sursum sublevet, quantum crescit fulcimentum ejus; ita ut si fulcrum ascenderet usque ad tertiam regionem aëris, eò pariter sublevaretur & vitis; & si fulcrum transcenderet cœlos, supra cœlos pariter se extenderet vitis. Iterum: ubi terminatur fulcrum, ramos dimittit vitis & folia; si autem eam interrogaveritis, quare ô vitis non te extendis ulterius? respondebit illa; non est culpa in me; exaltetur fulcrum meum, & ego pariter me ulterius exaltabo; sufficit mihi tantum crescere, quantum crescit fulcrum meum. Audite, si comparatio deserviat proposito nostro. Omnes sancti in Paradiso, arbores sunt horti divini: *Tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, & unusquisque suam habet limitatam magnitudinem. Quantus est S. Petrus? collegii Apostolici princeps; poteſtne progredi ulterius? non, hic ejus est terminus. Joannes Baptista quantus est? sanctificatus in utero matris; quid amplius? maximus sanctorum omnium. Ultrane ascendere potest? non; hic ejus se finit terminus. Sanctus Augustinus quantus est? omnium Religionum Patriarcha. Nunquid sublimius forte scandere potest? non; sed hoc ipsum est ejus *maximum quod sit.*

Vitis proprietas.

Psal. 1. v. 3.

sic. Atq; ita deinceps discurrendo de quibuscunq; aliis sanctis. Sed magna mater quid ait? *Ego quasi vitis.* Tantum crescit Maria, quantum incrementi capit fulcrũ ejus. Quod est ejus fulcrum? Filius ipsius, verus Deus: *Innixa super dilectum suum.* Quantus est Deus ille? cœlos exsuperat: *Excelsior cœlis factus*: quid autem Maria? & ipsa pariter cœlos transcendit: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.* Si Deus ascendit usq; ad dexteram paternam: *Sedet ad dextram Patris?* Maria quoque dextram occupat Filii: *Astitit Regina à dextris tuis.* O magna mater cur non procedis ad sublimiora? Non est, inquit Maria, penes me defectus; exaltetur porro Deus, & ego pariter me exaltabo. Sufficit mihi, si tantum crescam, quantum crescit ipse Filius meus. Audite S. Andream Cretensem: *O virgo, vitis excelsa, quousq; verticem erexisti? usque ad sedentem in throno? dicam amplius: usq; ad solium Deitatis.*

Quæ convenit Mariæ. Cant. 8. v. 5. Hebr. 7. v. 26. Hebr. 10. v. 12. Psal. 44. v. 10. S. Andr. Cret.

XV. Vultis denique intueri magnam hanc matrem, Spiritui sancto æqualem? dicite mihi ô docti, quomodo potuit Maria esse mater Dei? utique intelligibile est, potuisse dari Christo humanitatem à Maria; sed quæro, quomodo illa Christo tribuere potuerit humanitatem divinizatam, id est, divino terminatam supposito? Gravis adeo vel ipsi Mariæ visa est hæc difficultas, ut eandem ipsa Angelo proponendam censuerit, inquiens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* qualiter ego, cum creatura sim, meum potero generare Creatorem? Cui Angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Nequaquam tu sola eris tanti mysterii actrix, sed fœcundata à Spiritu sancto; tu quasi sponsam, Spiritus sanctus veluti sponsum aget. Itane? Maria ergo sponsa fuit Spiritus sancti? fuit consequenter similis isti increato Spiritui. Nescitisne, diversimodè matrimonia contrahi humana & divina? Homines matrimonia ineunt, aut quia pulchritudo allicit, vel quia aurum eos inescat; Deus autem in sponsis perfectam duntaxat exigit similitudinem. Meministis utique, quid fecerit Deus, mulierem seu conjugem assignaturus Patri nostro Adamo; docente namque textu eam fabricavit ex latere ejus: *Tulit unam de costis ejus, & ædificavit in mulierem.* Quomodo mi Domine? ut mulierem efformes, virum difformas? pereant omnes mulieres, dummodo conserventur viri. Respondet Deus, fœminam dare volo Adamo, non qualitercunque, sed talem, quæ sit ei omnino similis. Unde igitur sponsa hujusmodi desumetur? forsitan ex terra, aqua, aëre aut igne? nequaquam, quia nihil horum similitudinem habet cum homine; desumatur itaque & fabricetur ex membro aliquo viri, sicque ei assimilabitur quo ad nomen: *Vocabitur virago, quia de viro sumpta est*; nec non quò ad materiam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Videte, quantam DEUS sponsos inter requirat similitudinem. Nunc autem sicuti Maria fuit æterni Patris filia & Verbi incarnati mater; ita quoque & sponsa exstitit Spiritus sancti. Atque ideo sanctus Augustinus ad Dominam hanc augustissimam conversus, ait: *Si formam DEI te appellem, digna existis.* Tu in quantum mater DEI es, ejus forma & imago es, non modò ut unus est in essentia, sed etiam ut trinus in personis; tu ut mater generans CHRISTUM, tantundem ponderas, quantum ipse Pater æternus, generans Verbum.

M. similis Spiritui S. Luc. 1. v. 34. Gen. 2. v. 21. v. 23.

XVI. For-

XVI. Forsitanne excellentiora dici poterunt de Maria, ut mater est? ita sanè; longè sublimior maternitas graditur Mariæ. Ad quam igitur eminentiam conscendit sublimitas hujus magnæ matris? Vultisne, ut dicam? ne subducatis supercilia. Maria, quatenus mater est, non est duntaxat unius trinique Dei forma & viva imago; sed etiam in sensu, jamjam explanando, aliquam, nescio qualem confert perfectionem; cui? ipsimet uni trinoque Deo. Non dico ego, neque unquam asserere intendo, Deum quò ad divina sua attributa ullum unquam augmentum, novam excellentiam aut perfectionem capere posse; nequaquam, Deus avertat blasphemiam, & potius me cœlum annihilet, priusquam advertenter quippiam eloquar, sanctæ & catholicæ fidei nostræ difforme; sed dico, quòd respectu creaturarum & quò ad divinorum attributorum manifestationem, Virgo, ut Mater est, videatur quandam, nescio quam, perfectionem afferre ipsi Deo, uni & trino. Solidam dictorum veritatem ab ipsamet magna Matre audiamus, in gratioso illo Cantico, quod ab ipsa compositum, S. Lucas
Luc. 1. v. 46. literis consignavit; quid illa in primo istius Cantici versu asserit? *Magnificat anima mea Dominum.* O quantam magnificentiam & perfectionem Deo attulit anima mea? Ignosce mihi ô magna Domina: *Laus in ore proprio sordescit.* Existimo ego, tantæ majestati minimè competere ostentationem & jactantiam hujusmodi, dicendo, à se magnificatum esse Deum; ast hoc non discussurus, ad aliud
M. magnificavit Deum. transeo, teque interrogo: quomodo tu, pura creatura cum sis, magnificentiam impertiri potuisti summo illi Deo, qui cum infinitæ sit majestatis, neque crescere, neque augeri aut perfici potest in ullo? igiturne infinito superaddi poterit perfectio aliqua? non; quia *infinitum est id, cui non potest fieri additio.* Nunquid etiam Deus infinitus est? ita sanè, quis dubitat? qualiter itaque tu magnificare potuisti Deum infinitum?

XVII. Superaddamus insuper illud, quod sanctus Paulus, de DEo incarnato tractans, insinuat; hunc scilicet per incarnationem adeo minoratum fuisse, ut à summo dominio ad infimam transierit servitutem: *Exinanivit semetipsum, formam* Philip. 2. v. 7.
servi accipiens. Ampliusne minorari poterat summum illud & infinitum bonum, quod cùm increatum esset, factum est homo, impassibile & immortale millenis sese subjecit passionibus, dominium & imperium totius universi mutavit cum humillima creaturarum servitute & subjectione? Forsitan magis exinaniri poterat? minimè equidem. Quandoquidem igitur DEus assumendo carnem in visceribus Mariæ, adeo exinanitus & veluti in nihilum redactus fuit; quomodo Maria veraciter asseverare poterit, se majorem fecisse DEum: *Magnificat anima mea Dominum?*

XVIII. Agentes te Deo exinanito in utero Mariæ, neutiquam recedamus à sinu illo, ubi non tam res magnæ minorantur, quin potius minimæ evadunt & apparent magnæ, prout de facto exitus edocuit. Probemus itaque primò, in Mariæ utero ipsam magnificatam fuisse Trinitatem; exinde namque facile fuerit intelligere, qualiter ipsa magnificarit Deum.

XIX. Vultisne audire, æterno summoque Patri à Maria magnificentiam collatam fuisse? ne igigitur fastidiatis intelligere, qualiter Verbum Incarnatum, per Prophetam David, alloquatur Genitorem suum, dum ait: *Ab uberibus matris* Ps. 21. v. 11.
M. novum dedit titulum P. æterno, & §. 21.

meæ Deus meus es tu. O summe æterne Pater, ego tuus sum filius, & tu Pater meus es, à tempore, quo natus sum ex Maria: *Ab uberibus matris meæ Deus meus es tu.* Hîc ego vos ô docti ad altissimam invito speculationem. Suppono autem primò, Christum non fuisse æterni Patris filium quò ad naturam humanam, quia secundùm hanc non viget æqualitas inter Deum Patrem & Christum Redemptorem; sed Christus quò ad naturam divinam duntaxat est increati Patris filius; hoc supposito, ecce vobis dubium, judicio meo gravissimum. Christus antequam incarnationem & ante suam ex Maria nativitatem, nunquid erat æterni Patris filius secundùm naturam divinam? ita sanè; quis hocce negare poterit? Similiter Pater æternus ante Verbi incarnationem nunquid fuit, sicut & modò est, verus Pater Christi, ut Dei? citra omne dubium; quomodo igitur DEus incarnatus asserit: *Ab uberibus matris meæ Deus meus es tu?* Si ab æterno cum suo esse divino, omnia quoque à Patre accepit attributa & cunctas perfectiones, quomodo itaque dicit, se eum pro suo recognoscere Deo & Patre, tunc prius, quando natus est ex Maria? *Ab uberibus matris meæ, Deus meus es tu?*

XX. Pro resolutione horum, sciendum est primò, divinas personas tantâ inter se mutuâ gaudere æqualitate, ut una dici nequeat major alterâ; neque enim Pater major Filio, neque Filius Patre minor nominandus est: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt & coæquales.* Quid fecit Maria? Verbum æternum carne vestivit, sicque illud Patri subjecit: *Minor Patre secundùm humanitatem*; ita ut Verbum divinum, quod ante incarnationem, nequaquam recognoscebat æternum Patrem, sese majorem, post incarnationem & nativitatem suam ex Maria, eundem Patrem pro suo recognoverit Deo.

XXI. Ecce vobis sensum verborum Christi: *Ab uberibus matris meæ, DEUS meus es tu.* q. d. Verè equidem ô summe Pater, antequam ego ex Maria conceptus essem, verus eram Deus & tuus unigenitus filius, tuque verus meus Pater; neque pro eo tempore ego te inferior, aut tu me superior dici poteras; quòd autem Deus meus & Dominus meus sis, id acquisivisti à tempore nativitatis meæ ex Maria, quæ dum me carne vestivit, me constituit inferiorem tibi. Ex hoc itaque fundamento asserere licebit, Mariam novum æterno Patri contulisse titulum, quem ipse ante Verbi incarnationem non possidebat, constituendo namque Deum incarnatum Patre inferiorem, effecit, ut Pater Filio major, ejusque Dominus potuerit appellari.

XXII. Insuper in incarnatione dicere poterat Christus: æterne Pater, priusquam ego nascerer ex Maria, non eram agnitus pro vero filio tuo, neque ulla erat notitia tui, ut Patris mei, imò nec ulla erat divini Spiritus cognitio; post meam verò nativitatè, mundus me pro filio tuo & te pro Patre meo agnoscere cæpit, quando scilicet lac suxi matris meæ, quæ in mundo generavit SS. Trinitatis notitiam; atque ita verè asserere possum, quòd *ab uberibus matris meæ Deus meus es tu.* Optimè proinde Tertullianus inquit, tractans de vera carne Christi: *O quàm fælicissima prædicanda sunt excelsa ubera matris, à quibus DEus Pater agnoscitur, & Patris Verbum cunctis mortalibus revelatur.* — M. notitiã generat Triados. — Tertul. de vera carne Christi c. 20.

XXIII. Faveret mihi pariter in præsenti

M. Filio Dei novū dedit titulum.

senti singularis quædam alia consideratio, quâ vobis demonstrarem, Mariam, ut matrem, novos & Filio contulisse titulos majoremque excellentiam; veruntamen ne vobis nimia prolixitas tædium causet, permittite saltem, ut unum à vobis requiram. Nunquid ad esse Redemptoris exigitur inferioritas? ita; satisfaciens necessariò debet esse inferior illo, cui fit satisfactio; forsitan Verbum divinum ante incarnationem inferius erat? non, sed omnimodam cum eo habebat æqualitatem; ante incarnationem igitur Verbum divinum non possedit titulum Redemptoris, neque satisfactionem exhibere Patri æterno pro genere humano. Quid fecit Maria? vestivit Verbum amictu humanitatis, sicque ipsum Patre constituit inferius; Maria itaque magnum DEI Filium titulo decoravit Redemptoris, & potestate Patri satisfaciendi. Audite beatum Alcuinum: *Vterum tuum ô Domina, velut sacratissimum DEI templum, totus mundus veneratur, siquidem in eo salus mundi initiata est, ibi decorem indutus est DEI Filius.* Notate ultima ista verba. Maria contulit Filio Dei aliquam, nescio qualem, majorem venustatem, dando ei titulum Redemptoris.

Et Spiritui S.

XXIV. Superest denique, ut vobis probem, Mariam quoque Spiritum sanctum singulari quâdam sublimasse excellentiâ; sed quânam istâ? discamus eam à magno illo Ruperti Abbatis Tuitiensis ingenio, qui doctissimus Pater acutè observat, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam, nunquam nominari Spiritum sanctum, nisi quando in Maria mysterium operata fuit incarnationis. Incipiendo namque à creatione mundi, audimus, quòd Spiritus divinus modò dicatur *Spiritus Domini*, modò *Spiritus DEI*, quandoque *Spiritus fortitudinis* & aliquando *Spiritus sapientiæ*. Nuspiam reperietis, eum ante incarnationem dictum fuisse *Spiritum sanctum.* At verò dum cœlestis paranymphus mysterium incarnationis Virgini esset annunciaturus, tunc primùm dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Cur obsecro noluit Altissimus, tertiam sanctissimæ Trinitatis personam insigniri titulo Spiritus sancti, nisi post completum incarnationis mysterium? Respondet Rupertus hoc ideo factum fuisse, ut intelligeremus, tantam fuisse sanctitatem Mariæ, quatenus DEI mater est, ut, si per impossibile Spiritus divinus non foret sanctus per essentiam, vel hoc solo sanctus evasisset, quia in Mariam descendit. Accipite ipsamet Ruperti verba: *Maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic divinus Spiritus DEI, quòd verè sanctus sit.* O gloriam, ô incomparabilem *Mariæ excellentiam?*

Isa. 11. v. 2. Matth. 3. v. 16. Isa. 11. v. 2. Luc. 1. v. 35. Rup. Abb. in c. 1. Matth.

XXV. Quandoquidem igitur virgo, quatenus Dei mater est, majorem effecit Filio æternum Patrem, Filium insignivit titulo Redemptoris & Spiritu divino titulum *Sancti* adjunxit in tempore, quidni jure meritissimo, in gratioso suo Cantico gloriabitur: *Magnificat anima mea DOMINUM?* Ita, ita; resolvamus intrepidè, Mariam, ut Dei matrem, in sensu jam explicato, excellentiam quandam contulisse divinis personis.

Diversitas perspiciliorum.

XXVI. Veruntamen si DEUS, teste divo Paulo, minoratus est in incarnatione: *Exinanivit*: & adeo quidem, ut se servum fecerit: *formam servi accipiens*; quo fundamento asserit Maria,

à se

à se magnificatum esse DEUM? quid? quo usque ambigitis? an nunquam vidistis certum quoddam perspiciliorum genus, objecta repræsentantium in minori formâ, quàm realiter sint? DEUS unus & trinus, adeo sublimis, magnus & infinitus est, ut ne quidem animo nostro imaginari nobis possimus quidquam, majus aut excellentius; at quando divino Verbo complacuit in uterum descendere Mariæ cum SS. Trinitate, quid creditis contigisse? Dum Verbum increatum carnem assumpsit Mariæ, ipsum & duæ aliæ divinæ personæ multò majores coram oculis nostris comparuerunt, quàm revera inibi essent; atque ideo Maria inquit: *Magnificat anima mea Dominum.*

Isa. 11. v. 2. Matth. 3. v. 16. Isa. 11. v. 2.

Luc. 1. v. 35.

XXVII. Superesset modò Mariam pariter contemplari, ut matrem, quæ Virgo est, sed integerrimæ puritatis ejus mentionem fecimus in Sabbato quarto Quadragesimæ. Quantumvis autem ex hucusque dictis, sufficienter dignosci possit, utra pars staterae præponderet, scilicet Mariæ, ut matris, in tempore generantis CHRISTUM, aut verò summi illius Patris, in æternitate divinum generantis Verbum; nihilominus neutiquam speculari omittamus Mariam, ut servam, quæ domina est; hoc enim eidem Mariæ veluti novum adjicietur libramentum, quod sicut stateram ejus in terram usque depressurum est, ita pariter sublimissimè eandem exaltabit in cœlo; ut autem majori cum fructu atque utilitate vestra, magnæ hujus ancillæ contemplatione fruamini, largam amore ejus præstato pauperibus charitatem, me interim tantisper respirante.

Rup. Ab. in c. 1. Matth.

SECUNDA PARS.

Diversitas perspiciliorum.

XXVIII. Contemplati sumus Mariam, ut matrem, fœcunditate præstantem; consideremus eam modò ut servam, dominio angustam. Sed quomodo Pater, nonne vides vel in ipso principio manifestam in verbis contradictionem? si enim Maria serva est, quomodo igitur domina est? qui servit, non dominatur; quique imperat & Dominus est, non servit. Et ego replico vobis ac dico, Mariam famulam esse: *Ecce ancilla Domini.* Per ancillatum ad tantum pertigit dominium, ut ipsi etiam imperet DEO. S. Bernardus in quodam loco discursum aliquem efformat, notatu imprimis dignissimum; inquit enim: *Maria inde felix, inde beata, quia humilis, non quia mater.* Mariam ego beatam, felicem & magnam deprædico Dominam, non propter maternitatem sed propter humilitatem ejus. Nequaquam Pater sancte, imò verò totum potius oppositum dicendum esse existimaverim ego, Mariam scilicet felicem & beatam esse, non propter humilitatem, sed ob maternitatem suam; nunquid enim post divinitatem, ulla reperiri poterit dignitas, Mariæ maternitate superior? non; quin potius paulo ante probavimus, tanti esse valoris & ponderis maternitatem Mariæ, quanti est ipsa divinitas Patris; quia verò Patris æterni paternitas est infinita, maternitas pariter Mariæ infinita erit; consequenter igitur dicendum erit: *Maria inde felix, inde beata, quia mater; non quia humilis.* Minimè equidem, respondet S. Bernardus, nolo meam ego retractare sententiam: *Maria inde felix, inde beata, quia humilis, non quia mater.*

Luc. 1. v. 38.

S. Bern. ser. 3. sup. missus est.

Cur M. beata.

XXIX. Quanta igitur hæc esse potuit humilitas Mariæ, quandoquidem ipsi præponitur maternitati? Advertite. Bis fuit generatus FILIUS DEI, primò à Patre, deinde à Maria; à Pa-

à Patre in æternitate, à Maria in tempore, in æternitate à Patre cum actu excelsissimo, adeoque sublimi, quanta est ipsamet divinitas Patris; à Maria in tempore per actum infimum, adeoque abjectum, quantus fuit ille, quo Maria suam protestata est servitutem. Cur, obsecro, DEUS ille, qui actu adeo sublimi, quanta est divinitas, ab æterno generatus fuit à Patre, cur, inquam, idem ille postea in tempore nascitur ex Maria, per actum infimum? Accipite responsum: divinum Verbum à Patre genitum, infinitè æquale & coæquale Patri natum fuit, atque ideo dicto tam sublimi actu, quanta est ipsamet divinitas, generatum fuit; at verò natum ex Maria, ad instar servi progignitur: *Formam servi accipiens*; atque ideo per actum ita humilem, quantus fuit ille, per quem Maria sese recognovit ancillam.

XXX. Sed utrum ex his duobus actibus majorem sublimioremque fuisse existimabitis? illum scilicet, vi cujus Verbum divinum genitum fuit, coæquale Patri, aut verò alium Mariæ, quo natum fuit ad instar Mariæ? fidemne dictis adhibebitis, si asseruerim, æqualis utrumque ponderis & valoris esse? Dicite mihi, per salutem vestram, quare actus ille Patris est infinitus? aliam mihi rationem assignare non poteritis, nisi quia per talem actum persona generatur infinita, quæ Deus est; an non etiam per actum humilitatis Mariæ, persona generatur divina! ita sanè; tantundem igitur valet & ponderat exiguitas humilitatis Mariæ, quantum excellentia divinitatis æterni Patris.

XXXI. Vultisne etiam, ut adhuc extraordinariæ cujusdam laudis splendorem adjiciam? Videtur mihi actus humilitatis Mariæ admirabilior actu illo sublimi, per quem Verbum divinum generatur à Patre, quia causa semper nobilior & major est suo effectu, quæ autem fuit causa, quòd Verbum divinum sese exinanierit usque ad servitutem? humilitas Mariæ; si enim Maria non dixisset: *Ecce ancilla Domini*; non fuisset incarnatus Filius Dei; major itaque est humilitas Mariæ, quàm excellentia Verbi incarnati.

XXXII. Porro si tanta fuit humilitatis Mariæ eminentia, quod ejus præmium præstolabimur, collatum divinitus? in præsenti ego vos attentos velim, quandam etenim insinuabo amplificationem, quam vos talem esse judicabitis, quæ in effectu tamen est ipsa sincerissima veritas. Admiranda adeo coram cœlo humilitas comparuit Mariæ, ut sacrum sanctissimæ Trinitatis consistorium, verba illa: *Ecce ancilla Domini*: contemplans, substiterit veluti suspensum & dubium, considerando, qualiter sublimi adeo humilitatis actui correspondendum foret; finaliter autem omnino expediens esse determinavit, ut in ejus solutionem actus reponeretur humilitatis, subjiciendo illi divinitatem incarnatam. Luc. 1. v. 38. Lo. cit.

XXXIII. Permittite, ut difficile hoc punctum per Scripturam sacram elucidem. In Canticis sacris, inter se discurrentes divinæ personæ, *Quid faciemus*, inquiunt, *sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Nimiam equidem venustatem Mariæ obtinuit in sua conceptione, dum ei cum gratiarũ omniũ plenitudine, simul etiam immaculatam contulimus innocentiã; sed quando hæc soror nostra proferet illa verba: *Ecce ancilla Domini*: quam ei gratiã aut remuneratione persolvere poterim9? officina cœlestis nimium est inops & impotens, quàm ut debitum ei ornatum & præ- Cant. 8. v. 8.

M impe- rans Deo

præmium retribuere valeat; quid igitur consilii? Docet S. Ildephonsus, de Virgin. S. Mariæ agens, Verbum divinum, post illa à Maria prolata verba: *Ecce ancilla Domini*: fuisse non modò incarnatum, sed voluisse insuper ad tantæ sublimitatis fastigium elevare Mariam, ut eam superiorem constitueret eâdem illâ naturâ, quæ per unionem hypostaticam erat deificata; sed qualiter hocce adimpletum fuit? advertite successum. Divinitas Christi & hypostatica unio, quæ constituebat Christum omnino liberum & ab omni exemtum paterna potestate, nulli subjectum, sed supremum potius cujuscunque creaturæ dominum; non exemit eum, quò minus subjectus esset Mariæ matri suæ, sed potius effecit, ut Maria ancilla denominata, eundem sibi subditum haberet Deum, qui Dominus est rerum omnium; ita ut Deus & supremus ille Dominus, cui subiiciuntur creaturæ omnes, quique in humilitatis suæ præmium, ad altissimum Paradisi solium sublimatus fuit, subjectus & subditus fieri voluerit Mariæ, juxta illud S. Lucæ testimonium: *Erat subditus illi.* Ecce vobis aurea ipsiusmet S. Ildephonsi verba: *Vt per hanc Virginem Deus fieret homo, Verbum fieret caro & Filius Dei, factor omnium, fieret Filius Mariæ, quam ipse formaverat, essetque dominator subditus ancillæ, quam ipse condiderat; sicque haberet ancilla in subdito Dominum, ancillam Dominus in Prælato; dum humanis humiliantur divina, & in divinis sublimantur humana.* O quæ humilitatis Mariæ sublimitas, utpote cui ipsemet subiicitur Deus!

Luc. 2. v. 51. Lo. cit.

XXXIV. Optimè igitur dixit Sanctus Bernardus: *Maria inde felix, inde beata, quia humilis, non quia mater.* Omnes Mariæ excellentiæ, imò & ipsa maternitas originem trahunt ab illa profundissima humilitate & consequenter ego quoque bene asserui, Mariam, ut servam, tantum possidere dominium, ut ipsi etiam imperet Deo.

M. impe-rans Deo.

XXXV. Permittite, ut modò solidum quoddam ex dictis efformem argumentum. Maternitas Mariæ est dignitas quasi infinita, quia Maria, ut mater generans Christum, tantundem ponderat, quantum Pater æternus, generans Verbum; hæc est major propositio, jam stabilita in superioribus; sed humilitas Mariæ longè excedit maternitatem; ecce vobis minorem, pariter solidatam: elevate nunc stateram & dicite mihi, utrius pondus gravius est? an Mariæ, ut matris quæ dum se ancillam reputat, in tempore generat Christum Deum; aut verò æterni Patris, qui purissimus Spiritus & increatus Dominus existens, in æternitate generat divinum Verbum? resolvite ex parte vestra, quidquid vobis placuerit, vestræ semper ego lubens subscribam conclusioni.

XXXVI. Quid restat ô magna Domina? nisi ut memineris, tantas tibi glorias, tamque sublimes excellentias, profundissimæ humilitati tuæ in præmium concessas esse, prout ipsamet attestaris, inquiens: *Fecit mihi Dominus magna, qui potens est; quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: ne igitur dedigneris hodie quoque actum subire humilitatis, te, qui magna Dei Mater es, piam pariter matrem nobis exhibitura peccatoribus: *Tu peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna Filio.* Si non fuissent peccatores, ex vi præsentis decreti, neque Filius Dei incarnatus fuisset; si autem Deus non assumpsisset carnem tuam, nec tu Dei Mater esses. Videris igitur mihi ô magna Domina, habere, nescio quam, erga nos

Luc. 1. v. 49.

nos peccatores obligationem. Aperi itaque ô mater pietatis, aperi thesauros divinarum misericordiarum & gratiarum, easque divide inter nos servos tuos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

PROBLEMATA SACRA PRÆDICABILIA

AD VESPERAM V. DIERUM VENERIS Mensis Martij.

IN QUIBUS TRACTATUR

DE CHRISTO EXINANITO IN PASSIONE ET MORTE CRUCIS

Super illud dictum Apostolicum ad Philipp. 2. v. 7. 8.

Exinanivit semetipsum Dominus Iesus usque ad mortem, mortem autem crucis.

DISPOSITA IN FORMA PRÆDICABILI A. R. P. M. F. RAPHAELE BONHERBA à S. PHILIPPO, Ordinis S. Augustini.

SERMO

IN PRIMO DIE VENERIS MENSIS Martij

De Christo exinanito in horto Gethsemani, per tristitiam, agoniam mortis & sudorem sanguineum.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matt. 26. v. 38.

PROBLEMA

Utrum fuerit tormentum crudelius; an tristitia Christi in horto, an verò trunculenta ejus passio, in monte Calvario?

INTRODUCTIO.

I.

ERgone Filius Dei in vita sua, pœnam & passionem verè subiit ita: *Passus sub Pontio Pilato.* Fortè ex hujusmodi passione mortuus est? utique; imò post mor-

mortem in monumento collocatus; *Mortuus & sepultus.* In quo autem loco casus iste accidit adeo singularis atque extraordinarius? in Calvario supra lignum crucis. O Deum! quid obsecro supremum illum Monarcham, ad infamem adeo & opprobrosam mortem subeundam inducere potuit? Audite, per salutem vestram, audite & obstupescite.

II. Postquam Pater noster Adam per esum vetiti pomi, divinæ legis prævaricator factus esset, ecce tibi, residentibus in Divinitatis trono tribus sacris personis, divina comparuit justitia, quæ comite cœlo, vindictæ cupida, in has similesque voces prorupit. Ergone ô summe Deus, pietas & indulgentia exercebitur in Adamum transgressorem? Si delictum dimittatur impunitum, ubinam igitur justitia? si non est justitia, ubi ergo Deus? siccine igitur obtenebrescet gloria tua? ergo nullus erit, qui Majestatis tuæ causam agat? Ego, ego justitia hocce ferro tutabor honorem tuum & efficiam, ut te severum cognoscant judicem qui te neglexerunt benignum patrem. Agedum, agedum itaque, puniatur Adam, inque propriorum appetituum mari submergatur iste, qui, ut mulieri satisfaceret, temerario ausu, sese præsumpsit assimilare Deo.

Iustitia divina agit contra Adamum.

III. Necdum suos terminaverat sermones Justitia, cùm ecce vobis Misericordia pariter in medium processit, ita orsa discurrere. Non ego, ô Clementissime Deus, enormitatem nego criminis Adami; imò profiteor, quamcunque demum pœnam nimis exilem esse, quàm ut condignè plectere possit flagitium istud: sed nunquid propter unicum duntaxat peccatum totus mundus destruetur? Uniuscujusq; attributi glorias patefecisti, & solius misericordiæ occultabis effectus? Ad quid tibi unquam proderit, patrem esse misericordiæ, nisi in præsenti gravem istum hominis casum optatè restaures? Incredibile est ô Auditores, qualem causarint effectum tam illæ rationes justitiæ, quàm hæc misericordiæ argumenta, in pectore justissimi simul & misericordissimi Dei; stabat itaque suspensus, hinc perpendens prætensiones justitiæ, illinc rationes discutiens misericordiæ, cum ecce subitò sese divina quoque ingessit Sapientia, suam pariter resolvens linguam in discursus sequentes. Summe judex, justitiæ equidem plene satisfiat opportet, inconveniens nihilominus erit, justis Misericordiæ rationibus injustè aures negare; mei est officii, ut inter utramque, pacem & concordiam stabiliam. Assumat Persona Verbi humanam naturam, & impeditâ propriâ subsistentiâ creatâ, utramque naturam, indissolubiliter unitam, terminet divina; nascatur deinde iste homo Deus ex Virgine Matre, & tandem, pœnosâ per 33. annorum spatium transactâ vitâ, moriatur in cruce; atque ita in ipsa cruce, & moneta reperietur ad plenam exhibendam divinæ justitiæ satisfactionem, &, reparato homine, suum pariter obtinebit intentum Misericordia.

Divina misericordia intercedit pro eo.

Consiliũ divinæ Sapientiæ.

IV. Ecce vobis causam ô Auditores, quare Christus in vitæ suæ epilogo, tantùm exinaniatur, modò per tristitiam in horto, modò per tot ac tantos insultus coram tribunalibus, modò per flagellationes & coronam spineam in prætorio, & tandem per mortem crucis in Calvario; circa quæ meos ego discursus instituam in quinque proximis diebus Veneris hujus mensis Martii; incipiendo autem à pri-

à primis horti successibus, discutiamus hodie (si ita lubet) utra fuerit & dici debeat major, scilicet tristitia & agonia Christi in horto, aut verò crudelis mortis passio, Redemptori inflicta in Calvario? Nisi vos hoc vesperi me crucifigere volueritis cruce fabularum, consolemini me, obsecro, devotâ attentione & silentio vestro; Incipiamus.

Probl.

V. *Exinanivit semetipsum Dominus Jesus usque ad mortem.* Semper & indesinenter Filius Dei, postquam ex paterno sinu descendit, *exinanivit semetipsum.* Dominus totius universi, in incarnatione se servum prostituit: *Formam servi accipiens.* Homo Deus, in cœnaculo sese constringere voluit sub minutissimis panis accidentibus; in horto autem Gethsemani quid de illo affirmat S. Matthæus? *Cœpit contristari & mœstus esse.* S. autem Marcus quid dicit? *Cœpit pavere & tædere.* S. porro Lucas quid superaddit? *Positus in agonia.* Casus iste est, nunquam visus alias; Christus etiam ut homo, summè erat beatus & compræhensor, & ut talis divinam contemplabatur essentiam, ac consequenter summâ perpetim lætitiâ abundabat; quomodo igitur hujusmodi excogitavit inventiones, ut simul conjungeret res adeo distantes & disparatas, quales sunt beatitudo, quam importat visio beata, tantique dolores & amaritudines, quales nulla unquam lingua mortalis exprimere potest? quis fuit stupendorum adeo prodigiorum inventor? quis potuit (ut ita dicam) unum idemque cor violentare, ut hospitio exciperet simul lætitiam cœli & cruciatus inferni? satisfactionem Angelorum & defectum peccatorum? lucem innocentiæ & tenebras culpæ? bonæ conscientiæ serenitatem & pectori criminum conscii tempestates? Filii Dei pacem, & Dei inimicorum agonias? Si Christus est beatus, quomodo igitur in horto usque ad mortem angustiatus fuit? *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Si Deum videt, quid Deum desiderat, ejusque succursum & opem implorat in præsentibus periculis? *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Si eum gloria & immortalitas vestit, quomodo ergo ipsum proprii sanguinis purpurâ coopertum videmus? *Factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis, decurrentis ad terram.* Si ille est virtus & confortatio Angelorum, qualiter hodie ab Angelo consolationem accipit? *Apparuit ei Angelus de cœlo, confortans eum.*

Mat. 26. v. 37. Mar. 14. v. 33. Luc. 22. v. 44.

Ps. 87. v. 4.

Enumerantur.

VI. Animam peccatricem obrui angustiis, tristitiis, cruciatibus & doloribus, pœna est cuicunque debita cordi, quod sentina est vitiorum, conformiter illi expressæ sententiæ apostolicæ: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis, operantis malum.* Sed quomodo tam crudeli doloris flagello benedicta illa innocentissimi Salvatoris nostri anima extenuatur? *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Qualiter tristitiæ nebula serenum istum innocentiæ obtutum obnubilavit? quomodo inter dolorum tenebras obscuratur candidissimus iste puritatis fulgor? quomodo melancholiæ impetus pacificum adeo tantarum virtutum & perfectionum mare impetunt? quomodo pœnam peccatorum sustinet, qui ab omni semper remotissimus fuit peccato?

Rom. 2. v. 9.

1. Pet. 2. v. 22.

VII. Non una duntaxat, ô dilectissimi, causa fuit tristitiæ tantæ, quæ cor invasit Redemptoris nostri; sed diversæ simul, quæ veluti armatus exercitus, atrocissimum fecerunt impetum in illud sacratissimum pectus, omni dignum gaudio &

Diversæ causæ tristitiæ Christi.

&satisfactione; ita ut ipsemet afflictus Christus per os Sancti Davidis, loquens, dicat: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* q. d. integra dolorum cohors me obsedit, cruciatuum mare me jam suffocat, tristitiæ abyssus me totaliter opprimit. Ast quænam fuêre mala ista, quæ tantam in Christo causarunt afflictionem. Audite ô animæ devotissimæ, sed speciali cum dolore. Cruciavit eum multitudo offensarum, quas adversus æternum Patrem commiserat mundus, quæ omnes vivaciter in Christi imaginatione repræsentabantur. Contristavit eum, tormentorum suorum atrocitas, quæ pro eo tempore omnia in corde suo depicta contemplabatur. Afflixit ipsum nimius ille excessus populi Hebræi, innocentissimum seditioso homicidæ postpositurì; angustiavit ipsum Apostolorū scandalum, qui non obstantibus tot tantisque magistri sui visis miraculis, postea lucem erant amissuri fidei; percelluit eum horrēda illa Judæ traditio, à quo per osculum fictum, consignandus erat in manus inimicorum; ingemuit imbecillitati Petri, à quo tribus vicibus in palatio Pontificis negandus erat. Condoluit opprobosæ omnium Apostolorum fugæ qui in ejus captura sese adeo pusillanimes & viles erant exhibituri. Mærore eum affecit benedictæ matris afflictio cui tota cruciatuum ipsius series infinitum erat illatura dolorem. Opprimebatur denique, prævidens, mundum ex tanta tamque pretiosa mortis suæ medicina, exilem adeo utilitatem capturum esse.

Ps. 87. v. 4.

Enumerantur.

VIII. Verùm enimverò non ego hodie investigare intendo, quod qualesque causæ exstiterint doloris & tristitiæ Christi in horto, sed ad problema duntaxat vos invitavi; scilicet uter major fuerit & dicendus sit, mœror quem Christus habuit in funesto horto; an verò cruciatus, quem subiit in Calvario? ut igitur ad intentum scopum collimantes, rectâ gratiamur conformiter desideriis mutuis, favete mihi & acquiescite, ut brevi temporis spatio mecum in calvario demoremini, exinde subitò descensuri ad hortum. Quidnam Christus in montis illius vertice perpessus fuit? negari nequit, quin ipse in dicto loco asperrimis maximisque subjectus fuerit angoribus; imò parum dixi, asserere volebam, Christum infinitis quasi tormentis inibi excruciatum fuisse; ita ut Jeremias in hæc dolorosa meritò prorumpat verba: *A planta pedis usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* Et ipse Christus, dum actualiter crucifixus hæreret, longe ingemiscat sensibilius, dicens: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus?* Fuitne unquam visa vel audita ulla mundi pœna, æqualis istis tormentis Christi in Calvario? non; totum hocce verum est; audite nihilominus quandam speculationem meam, ex qua solidum postea formabitur argumentum. Invenio ego, Christum, in cruce existentem, tanto fruitum fuisse gaudio, & exultatione adeo singulari atque immensa, ut ipsa etiam anima, ejus asservandi aut capiendi sufficientes non possederit vires.

Isa. 1. v. 6.

Thren. 1. v. 12.

IX. Veritati huic testimonium perhibeat Longinus, qui, quantumvis cæcus esset, in sacrato nihilominus Redemptoris pectore vulnus seu aperturam illam efformare noverat, unde plura promanant sacramenta, quàm elementa. Obierat in cruce auctor vitæ, necdum tamen saturi neque contenti impii Judæi sese sacratas Domini crucifixi carnes dilacerasse, volue-

voluerunt insuper post mortem, lanceâ
Ioa. 19. v. 33. divellere latus ejus: *Vt viderunt eum jam mortuum, unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* O inauditam crudelitatem! quo fine, tanta cum sævitia, mortui Jesu latus apertum fuit?

X. Retrogradiamur tantisper, ita tamen ut crucem minimè deseramus. Videbat Deus crucifixus, sanctissimam animam suam jam jam à corpore separandam, ideoque ad Patrem conversus, dicebat: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* (Luc. 23. v. 46.) O æterne Pater tibi recommendo illam, quam spiro animam. Dicite vos mihi ô docti, nunquid anima Christi hypostaticè unita erat divino supposito? ita; quæ ergo necessitas, ut Christus moriens suam Patri recommendaret animam? Sanctus Ambrosius (S. Ambr. in c. 23. Lucæ.) causam inquirit, cur tempore passionis Christi, tot fuerint sepulchra aperta? *Monumenta aperta sunt.* Forsitan unum insufficiens erat, ut sancti illius defuncti corpus suscipere posset? non, respondet idemmet sanctus; quia sacrum istud corpus, per virtutem passionis, adeo evalerat in cruce magnum, &, licet mortuum, ita tamen augustum atque exaltatum, ut ab unico tumulo comprehendi nequiret. (Cur aperta sepulchra. Mat. 27. v. 52.) *Monumenta aperta sunt,* inquit S. Doctor, *quia unum, totum non capiebat Christum.* Ita pariter & anima Christi ad tantam fuerat gloriam exaltata in cruce, tantique gaudii & lætitiæ plenitudine perfusa, ut majoris incapax, in tam angusto loco, qualis erat Redemptoris pectus, se suffocari videret, ideoque incunctanter cœlum ordinavit, ut sacri illius pectoris apertio exitum patefaceret animæ beatæ; quia tamen nullus erat reperibilis locus, in quem Spiritus ille gratiosus, tantâ redundans lætitiâ, recipi posset, ideo paternis manibus consignata fuit; *Tunc commendat Spiritum in manibus Patris, quandò totum alius non capit Christum.*

XI. Memoriæ vestræ tradite ingens hoc Christi gaudium & nimiam exultationem, quam in calvario possedit, pendulus in cruce; & ne hodie in montem hunc reverti cogamur, subsistamus adhucdum inibi tantisper, aliam quandam contemplaturi sacræ passionis particularitatem. Citra omne dubium, tormenta Christi in Calvario, atrocia fuêre & incomparabilium causativa dolorum, unde & Christus coactè & violente eadẽ exantlavit; non dico ego, Christum involuntariè passum aut mortuum fuisse; sed assero tantummodo, omnes illos cruciatus, quos in cruce pertulit, non ab ipso, sed à judæis inflictos fuisse. Atque ideo Albertus M. in iis inæstimabilibus Salvatoris nostri torturis, duo asserit considerandam esse, nimirum passionem (quæ fuit actus quidam generosus, imò magnanima & heroica Christi sufferentia) & actionem, consistentem in crudelissimo & enormissimo Hebræorum deicidio: (Actio & passio in passione Christi) *Passio grata fuit,* inquit Albertus M. *Sed fuit actio odiosa.* (Alb. M.) Passio summè fuit accepta, actio verò extremè invisa; quia ergo duo hæc, scilicet magnanima Christi passio & pessima Judæorum actio, in Calvario inseparabiliter unita erant; æternus Pater divinam nequibat contemplari sufferentiam Christi, nisi simul etiam malignitatem intueretur Judæorum, hinc considerans, totam hanc passionem & mortem, vi obedientiæ, ex qua tolerabatur, pretiosissimam esse; illinc verò discutiens, summè eam execrandam esse propter eam, à qua inferebatur, sævitiam & atrocitatem.

Atque

Atque ideo ex hoc motivo passio Christi in Calvario absolutè mirabilis non erat, sed propter infinitam Redemptoris tolerantiam erat dignissima laude, sicut è converso propter malitiam & perversitatem tortorum maximè execranda.

XII. Cum hisce duabus contemplationibus, in Calvario acquisitis, sine mora in funestum modò hortum descendamus, & passionem CHRISTI in Calvario, ejusque tristitiam in horto comparaturi ad invicem, taliter discurramus. In monte Calvario incomparabiles CHRISTUS subiit dolores, sed in solo corpore; at mœror & tristitia in horto ipsam pariter afflixit animam: *Tristis est anima mea*: quanto igitur anima superior est corpore, tantò & tristitia in horto gravior dici debet quibuscunque cruciatibus, in Calvario illatis.

XIII. In quo monte quantumvis Christus excruciaretur secundùm carnem, anima nihilominus eius tanto replebatur gaudio, jubilo & tripudiis, ut eorum incapax, Patri debuerit commendari. In horto autem, quid aliud afflictissimus Jesus expertus est, præter mærores & angustias, adeo quidem graves, ut ipsemet dixerit: *Tristis est anima mea?*

Actio & passio in passione Christi

Alb. M.

XIV. In Calvario fuit crucifixus Deus Redemptor; ast corpus ejus non modò non fuit minoratum, tot ac tantis in tormentis, sed potius adeo evasit augustum & magnum, ut ad illud mortuum recipiendum diversa opus fuerit aperiri sepulchra; in horto autem fortissimus iste gigas, quem non incurvat aut premit totius, quod portat, mundi pondus, adeo fuit exinanitus, ut in terram corruerit: *Procidit in faciem suam.*

XV. In Calvario ipse passionem, imò post innumera tormenta, ipsam denique subiit mortem; qui autem tantorum cruciatuum fuêre ministri, nisi sævissimi Judæi? In horto autem ipse & in anima mortuus est præ tristitia, cujus angoris ipsemet minister erat.

XVI. Quantumvis Christi passio in Calvario, quatenus tolerata est ab ipso infinitam meruerit laudem; eadem nihilominus, ut causata & illata per Judæos, summè fuit detestabilis; In horto autem quid fodes, fuit in afflicto isto Christi corde, quod totum & secundùm omnem sui partem, ipsiusmet Dei oculos in singularem non raperet admirationem & stuporem?

XVII. Sed videte porro, quantùm passionem in Calvario vincat & superexcedat tristitia in horto. In Calvario pientissimus Jesus Patrem æternum rogavit, sed pro quo forsitan pro se? non; sed pro crucifixoribus suis; *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* An exauditus fuit? ita; quidquid petiit, indilatè impetravit: *Exauditus est pro sua reverentia.* Numquid & in horto Patrem supplex obtestatus est? ita: *Oravit ad Patrem.* Pro quo interpellavit? pro seipso; quid petiit? liberationem à tanto angore & mœstitia: *Transfer à me calicem istum.* q. d. Pater æterne nimium gravat hæc tanta tristitia humeros meos, ipsiusmet tortura animæ; exerce in me pietatem, memineris me tuum esse Filium: *Transfer à me calicem istum.* Annuitne Pater huic Christi supplicæ? non; ô admirandam catastrophen! in Calvario, intercedens pro aliis, subitò exauditus fuit; in horto autem orans pro se, nihil obtinet; tristitia igitur in horto gravior fuit & atrocior, quàm tormenta in Calvario.

Luc. 23. v. 34.

Hebr. 5. v. 7.

XVIII. Ast non adeo festinanter illam in horto factam orationē pertranseamus, circa quam plurima adhuc restant dicenda. *Pater*, inquiebat afflictus Jesus, *Si possibile est, transeat à me calix iste.* Quid audio mi benignissime Salvator? an non hæc est illa, tot innumeris à te votis concupita & desiderata hora? nunquid vel in ipso conceptionis tuæ instanti, heroico actu, tuo te Patri obtulisti in victimam & mortis angores? nonne hoc est baptisma, ad quod cordialiter adeo anhelasti, ut quæcunque eius remora te affligeret; nunquid non iste est calix, tibi à Patre oblatus, quem cum Petrus à te epotari nollet, acriter eum perstrinxisti? quomodo igitur modò Patrem rogas: *Transeat à me calix iste?*

XIX. Sudant omnes sancti Patres & Scriptores in investigandis causis & rationibus admirabilium mysteriorum, in dicta oratione contentorum; omnesque concludunt, horribile nimis objectum Redemptori, in illo temporis puncto, repræsentatum fuisse; vos concludetis forsitan terribile hoc objectum mortem fuisse, in cruce tolerandam: non; aberratis longè: non enim verisimile est, Christum in illo tempore timuisse mortē, quam magnanima cum generositate acceptarat *ab æterno*; quamque per totius æternitatis cursum, considerando & inconnivo obtutu contemplando, sibi perquàm reddiderat domesticam. An obliti estis, inquit S. Bernardus, Christum, cum adhuc puerulus in ædibus degeret sui patris Josephi, sæpe sæpius aliquam fabricasse crucem ex assulis seu particulis lignorum; circa quæ occupatur ipse Joseph? nunquid & matrem suam ab ipsis incunabulis assuefecit, ut eum in brachiis gestaret ad formam crucis? Si igitur Christus, adhuc infantulus, tantam habuit in cruce satisfactionem & complacentiam, ut ei serviret in animi relaxationē & ludum, quomodo postea in ætate adulta poterat exhorrescere eam? fortasse infanti cor inerat generosius, quàm viro? forsan puerulus min⁹ expavescebat, quàm homo consummatus? Non reformidabat igitur Christus in horto mortem crucis; quid ego? ipsemet illud Christus in verbis sequentibus expressit, dum ait: *Pater, transfer à me calicē istum.* q. d. æterne Pater, scio ego, mortem mihi crucis in Calvario præparatam esse; sed hîc in horto alia mē mors angustiat, quæ sicut animam cruciat, ita eandem ego multò acerbiorem reputo; illa autem in Calvario mihi omnino dulcis & beneplacita est, istā ego quæro, desidero, neutiquam pertimesco; veniat & appropiet illa: *Et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Luc. 12. v. 50. Hæc autem mors, quæ me in præsenti excruciat horto, quantam continet amaritudinem! non possum ô Pater, non possum supportare, eam aufer, obsecro, aufer ipsā ab anima mea: *Iste calix transeat*: hæc, hæc mors in horto abeat, ut alterâ fruar, quam mihi disposuisti in Calvario. Ita quondam contemplata fuit Catharina Senensis, loquens in persona Christi: *Iste calix in horto transeat, ut pervenire possim ad calicem crucis.* S. Cath. Sen. Fuit igitur tristitia Salvatoris in horto, asperior & pænosior quibuscunque aliis cruciatibus in Calvario.

Non recusat mori in Calvario.

XX. Videte, quàm ista Domino nostro pænosa exstiterit tristitia in horto, adeo scilicet, ut cœlū se quasi obligatū reputaverit ad confortandū eum; atq; ideo *descendit Angelus de cœlo, confortans eū.* Luc. 22. v. 43. Aliquamne in Calvario consolationē accepit? nullā omnino; circūspicite bene, si forte quempiā reperire possitis confortatorē Christi; nullū pœnitus: *Consolantē me quæsivi, & nō inveni.*

Nimium

Nimium mihi hæcce tragœdia injicit stuporem; mortales Christus patiebatur in cruce dolores, pluribusque ex locis abundantem sanguinem cum ipsa vita profundebat in Calvario, cur igitur inibi defecit consolator Angelus? Vix in horto terroris aut tristitiæ signa edere cæpit, cum ecce vobis, pientissimus quidam accurrit Seraphinus, eumque confortans, ait: quomodo ô magne Domine, tune etiam metuis? cur divinam virtutem magnanimumque pectus tuum non manifestas? quid? tene spinæ, flagella, ignominiæ, injuriæ, ferrum aut crux exanimant? quid te percellit? an mortis horror? ergone non vides, spinas tibi futuras coronam, & flagella tuos esse sulcatura humeros, ad excolendas victoriæ tuæ palmas? non cognoscis, ignominiosa verba magnificas tibi causatura laudes & applausus trophæorum tuorum? cur non consideras, te clavis istis rotam firmaturum humanarum fortunarum, inque arbore crucis publicas repullulaturas spes totius mundi? nunquid vel ipsa mors summæ sibi gratiæ ducet, sese à te superatam esse? Agedum igitur, exhortare teipsum, excita cor tuum, serena frontem.

Luc. 22. 50.

XXI. Ast ô gratiose Angele, hîc ego discursum meum ad te convertere cogor & quærere: ubinam Christo magis necessariæ erant consolationes tuæ, an in horto, an super Calvarium? in Calvario certè, ubi luctabatur cum morte, ubi generoso in pectore mortale excepit vulnus; inibi profectò tua debebat operari eloquentia & charitas in consolando eum. Reddite vos mihi rationem ô Auditores! cur Christus fuerit animatus confortatusque in horto, & ne minimam quidem consolationem obtinuerit in Calvario? Respondet quidam contemplativus, non requiri consolationem in angustiis exilibus & supportabilibus; sed ibi opus esse solatiis, ubi pœnæ infliguntur graves & mortales. Verè equidem in Calvario pessimè fuit tractatus & crucifixus Dominus noster; sed quid inde? omnia hæc tormenta visa fuere optimo Jesu veluti ludus, ideoque non eguit consolatore; in horto autem tantus fuit afflicti cordis mæror, ut sibi mori videretur; unde agonizans inquit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

S. Cath. Sen.

XXII. Sed ô miserum me! ergone in horto agonizavit Christus? ita; an non auditis S. Lucam dicentem: *Positus in agonia.* Hîc vobis repræsentetis ô Auditores! in imaginatione vestra hominem aliquem, qui ex ultimis mortalibus angoribus procedens, in atroci versetur conflictu & agonia mortis; quis cogitationibus suis assequi poterit aliquem, pluribus gravioribusque angustiis & tormentis immersum, quàm est agonizans? Hic actibus externis, totam patefacit internam animi turbationem; Spiritus tantis angustiis sufferendis impar, sæpe sæpius anhelando, exitum moliri videtur; oculi graves & turbidi, inque semetipsis reclusi, vix aut ne vix quidem induci possunt, ut vel exili & languida cum luce tantam respiciant mortis sævitiam; pallidus vultus frigidos enititur sudores, in testimonium crudelis luctæ; nunquam subsistit, nunquam quiescit, sed nimio prævalente dolore, modò in hoc, modò in latus volvitur aliud, quantumvis semper incassum. Denique non aliis agonizans circum circa cingitur comitibus & sociis, nisi deliquiis mortis, spiritibus formidolosis, suspiriis debilitatis, debilissimis vocibus, frequenti anhelitu, deliquiis & terroribus. Talis omnino erat conditio Christi in horto: *Positus in agonia.*

Luc. 22. 43.

XXIII. Quid existimatis huic Salvatoris agoniæ successisse? respondeat S. Lucas: *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram.* Agonia hæc ex omnibus sacrati corporis partibus guttas expressit sanguinis. Scitisne quare? respondet Maldonatus, quia erubescebat, considerans opprobrosam illam, quam erat subiturus mortem: *Naturaliter sudavit sanguinem, apprehenso ignominioso mortis genere.*

Maldonat.

Hier. Pinctus.

XXIV. Vel etiam sanguinem sudavit, inquit Pater quidam, quia timor totum sanguinem cordi misit in subsidium; sed videns obedientia, totum istum sanguinem à Patre æterno requiriri ad redemtionem mundi, subitò omnem rejecit à corde, propriisque restituit venis: *Factus est sudor ejus, vi obedientiæ, timorem superantis.*

Causæ sudoris sanguinei.

S. Epiph.

XXV. Aut juxta S. Epiphanii mentem, sanguinem sudavit, ut timorosâ sub specie illuderet diabolum, qui cæteroquin nunquam ausus fuisset appetere Christum, nisi eum humanæ carnis infirmitate vidisset indutum: *Provocat per hunc modum Christus adversarium, id est, diabolum, ut eo opinante, timere Salvatorem, inferret illi mortem.*

S. Bern.

XXVI. Vel tandem, ut S. Bernardus ait, sanguinem sudavit ex compassione; videns enim peccata mundi, neutiqum sufficere judicavit oculos duos ad lacrymandum; ideoque in planctum resolvi voluit, toto vitæ suæ spatio: *Non solis oculis flevisse videtur, sed omnibus membris; ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius corporis lacrymis lavaretur.*

XXVII. Indulgete mihi, ut aliam vobis in præsenti asportem hujus sanguinei sudoris rationem, manifestius exhibiturus, quantum tristitia in horto superexcedat quæcunquæ alia tormenta in Calvario. Nemo negare potest, quin Christus innumerabiles in Calvario subierit cruciatus; sed quis nescit, ipsum eodem in loco felicem illum latronem sibi cœloque acquisiisse, qui ei servivit ut restauratio & omnium torturarum balneum suavissimum; forsitan in horto pariter aliquod sibi lucrum comparavit? nequaquam; imò potius se perditurum prævidit, quid? ne me edicere compellatis illud, quod meum mihi pectus disrumpit. An nescitis, inquit idem sanctus Bernardus, quare Christus sanguinem sudarit in horto? Causa hæc fuit; quia nimirum in particulari considerabat, sese pro vilissimo pretio vendendum à Juda; quia ergo pro hujusmodi excessu deflendo non sufficiebant oculi duo & lacrymæ ordinariæ, voluit ipse flagitium istud deplorare, lacrymas effundendo sanguineas ex omnibus totius corporis venis: *Factus est sudor ejus*, inquit S. Bernardus, *ut membris omnibus flevisse videretur, quòd à Iuda venditus erat.* S. Bern.

XXVIII. Sed heu mihi! quid audio? ergone venditus est Deus? ita; à quibus? primò à Juda, postea verò à peccatoribus, pro quanto pretio? pro vilissimo. Quis hæc audiens, non exanimetur præ dolore? O peccator, quandoquidem tu verum illum Deum vendidisti, pro una aliqua delectatione, pro momentanea voluptate; quare modò eum non emis, quem tibi pro minori pretio comparare potes? Vide, vide crucifixum hunc Deum vendi paratum, summèque sibi complacentem, si tu comparaveris eum; pro quanto pretio? sine moneta, prout ipsemet per suum Prophetam attestatur, dicens: *Venite & emite absque argento.* Quo igitur pretio comparabitur Deus, quem tu vendidisti? vel

Moralitas.

vel unica sola, ex corde tuo promanans lacryma, potest comparare Deum; si autem lacrymæ tibi deficiant, ne saltem omittas vel unicum ex intimis tuis præcordiis edere suspirium; unico etiam suspirio comparabilis est Deus iste; si verò nec lacrymas nec suspiria possideas, percute ad minus sæpe sæpius pectus tuum, pete criminum tuorum indulgentiam, implora misericordiam, recita devotè unum *Miserere*; id si feceris, certo certius tibi polliceor gratiam modò in terris, & postea gloriam in cœlis. Amen.

SERMO

PRO SECUNDO DIE VENERIS MENSIS MARTII.

De Christo exinanito in horto per capturam, & postea per pessimos insultus coram tribunalibus.

S. Bern. *Tunc apprehenderunt eum & ligaverunt, & adduxerunt ad tribunal Annæ primùm.* Ioan. 18. v. 12. 13.

PROBLEMA.

Ubi Christus majorem patefecerit fortitudinem, suamque magis probarit omnipotentiam; an in captura & pessimis insultibus coram tribunalibus; an verò in cruce, dum debellavit infernum.

Moralitas.

INTRODUCTIO.

I.

SOllicitè perscrutantes Auditores! totum vitæ Christi discursum, nuspiam reperietis, eum taliter suam probasse naturam humanam, nisi in eodem simul etiam tempore, aliquod clarum ederet indicium suæ Deitatis; ita namque in lucem editus mortalem in vilissimo stabulo, sese probavit hominem, ita nihilominus ut clara neutiquam deficerent signa divinitatis ejus, dum fecit de cœlo descendere Angelos, qui corporeâ mole vestiti, regias ei laudes accantarunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo.* Dum flevit infantulus, in medio duorum viliũ animaliũ recli- Luc. 2. v. 14.

reclinatus, suam demonstravit humanitatem; conjunxit tamen aperta simul divinitatis testimonia, dum tres adduxit ab Oriente magos, qui eum in matris suæ societate repertum, reverenter adoravere:
Matth.2. v. 11. *Et procidentes adoraverunt eum.* Si sese perhibuit hominem, Herodis declinando tyrannidem; quis pariter non videt manifesta divinitatis symbola, quandoquidem Angelis & Josepho imperat, ut eum transferrent in Ægyptum: *Accipe*
v. 13. *puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Dum peragraret orbem, quà docendo, quà prædicando, probatus est homo, præsertim quando totus substitit lassus &
Ioan. 4. v. 6. defessus: *Fatigatus ex itinere*: at in ipsa sermonum ejus sublimitate radii emicabant divinitatis; ideoque ipsimet inimici
Luc. 2. v. 47. ejus *Stupebant super his, quæ dicebantur ab eo.* Si denique visus est homo, dum lapidari timuit, mortemque declinavit:
Ioan. 7. v. 1. *Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum interficere*; simul etiam innotuit ejus
Ioan. 8. v. 59. divinitas, dum *abscondit se & exivit de templo.* Unicâ duntaxat vice taliter apparuit homo, quasi nullo modo Deus esset, in captivitate scilicet, quam subiit in horto; ubi cùm in terram prostratus, proprioque natitans in cruore, Patrem æternum oraret, ecce vobis, supervenit Judas, inimicorum manibus eum extraditurus; appropinquantes itaque turbæ cum gladiis, lanceis & fustibus eum comprehenderunt, ligarunt, pessiméque tractaverunt, hic sanctam ejus percutiendo carnem, ille sacrum conspuendo vultum, plurimis alter eum exagitando opprobriis & ignominiis aliis: ille autem non modò non fugit, non se abscondit, non vindictam intulit; sed etiam obvius ipsis processit,
Ioan. 18. v. 5. dicens; *Quem quæritis? Iesum Nazarenum. Ego sum; si me quæritis, sinite hos abire.* O sancte Deus, nonne tu es magnus ille Dominus, qui in cruce pendens, omnipotentiæ tuæ scuto, mortem vicisti & infernum debellasti? ita; *Crucem sanctam subijt, qui infernum confregit.* Quomodo igitur te in horto à vilissima turba ligari permisisti, sine ulla resistentia abduci, & coram quatuor tribunalibus pessimè tractari? quid vobis persuadetis ô Auditores! ubinam Christus magis fuit omnipotens? vel dum suam demonstravit divinitatem, debellando in cruce infernum; vel in captivitate in horto, permittendo se comprehendi, ligari & pessimis modis haberi à Judæis? sit hoc ipsum hodiernum, si vobis ita placet, dubium & problema nostrum; me porro sermocinante de Christo capto, ligatoque in horto vos vestras ligate linguas, auscultantes me in silentio. Problema.

II. *Tunc apprehenderunt eum & ligaverunt.* O Deum! Ergone Christus captus fuit ligatus & malè tractatus? ita; *Apprehenderunt & ligaverunt.* Qui eum comprehenderunt, qui inhumanè compedibus Salvatorem constrinxerunt? vilissima Judæorum colluvies; sed quomodò? nonne ipse omnipotens erat? nunquid non ipsemet ille Deus erat, qui vicit debellavitque infernum.

III. Ascendamus, si placet, in Calvarium; cognituri, quanta ejus fuerit in cruce potentia & fortitudo? S. Athanasius tempus explicans, quo dæmon attritus devictusque fuit, illa discurrit: *Mactatus est, confractus est, non alibi quàm in latere ad costas, ex quo exivit sanguis & aqua.* Vires dæmoniacæ non alio loco, aut tempore attritæ fuerunt, quàm in cruce, dum ex latere Christi profluxit sanguis & aqua. Quomodo? in circumcisione, in horto, in fla-

S. Athan. de pasc. Domini. Ubi dæmon devictus. Ioan. 19. v. 34.

in flagellatione & spinea coronatione, nunquid Christus quandam sanguinis profudit infinitatem? ita; quomodo igitur divini illius sanguinis effusio dæmonem non destruxit.

IV. Satiari nequeo admiratione & stupore, quoties pœnitentiam considero Judæ. Christus sui eum corporis communicatione & humillimâ pedum lotione ipsemet honorarat; & nihilominus nunquam invenietis, Judæ aliquando in mentem venisse, ut impiissimam retractaret traditionem; sed quid? vix Christo ad crucem condemnato, *Judas pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, dicens: peccavi, tradens sanguinem justum.* O miser & infortunate, quid te induxit ad pœnitentiam?

Cur Judam pœnituerit.

V. S. Ignatius Martyr ad Philippenses scribens, quandam insinuat opinionem, tam in apparentia arduam, quàm in rei veritate certam. Dicit itaque Sanctus ille, diabolum Judæ, post consummatam magistri traditionem, persuasisse pœnitentiam: *Tumultuatus est, & pœnitentiam immisit Proditori.* Crediderim ego, sanctum loqui de pœnitentia desperata; subjungit namque immediatè: *Et laqueum illi commonstravit, & suspendium, quo strangularetur, edocuit.* Quid commodi afferebat diabolo pœnitentia Judæ? nunquid non ipse Judæ suggessit traditionem magistri? ita sanè; dicit namque S. Joannes: *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas.* Quam igitur ob causam idem diabolus tantam postea adhibuit diligentiam & curam, ut liberaret Christum?

S. Ign. Ma. ep. 8. de Bapt. in bibl. Pat. tom. 1.

Ioan. 13. v. 2

VI. Dubium hocce meum alius quidam auget casus, qui circa conjugem accidit Pilati, quæ horrendis quibusdam turbata visionibus, marito suo persuasit, ut nullatenus in Christi mortem consentiret: *Nihil tibi & justo illi multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Ideoque Pilatus persuasionibus uxoris inductus, quantum potuit, laboravit pro Christi liberatione; unde modò dicebat: *Non invenio causam in homine isto*; modò autem: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Mirabile sanè negotium, nulli namque, præterquam duabus istis personis, curæ fuit liberatio Christi; quæ, ut gentiles, ipsi potius debuissent contrariari. Quænam fuêre mulieris hujus visiones, quibus maritum in suam pertraxit mentem. Idem S. Ignatius Martyr dæmonem fuisse respondet, qui hanc mulieri suggessit machinam: *Terrebat (id est dæmon) mulierculam, turbans eandem in somniis, ut à crucifixione cessarent*; id quod & Cajetanus hisce verbis expressit: *Somnia hæc immissa fuerunt à dæmone.* Clarius tamen Lyranus inquit: *Diabolus apparuerat, & monens eam, terroribus ad liberationem Christi.*

Matth. 27. v. 19.

Luc. 23. v. 14.

S. Ign. M.

Cajet.

Lyr. in c. 16. Matth. v. 20.

VII. His superaddite, ipsos etiam Hebræos, CHRISTI, in cruce pendentis, liberationem meditatos fuisse, dicentes: *Si Filius Dei es, descende de cruce; & credimus tibi.* Si impii isti tanto cum desiderio & obstinatione, CHRISTI urgebant crucifixionem; ut etiam vociferarentur omnes: *Crucifigatur*; quomodo in præsenti tantum à priori discrepant intento? Responsio sancti Bernardi me in stuporem rapit, dicentis, hoc fuisse Hebræis suggestum à diabolo ipso: *Hoc planè serpentis astutia, hæc inventio nequitiæ spiritalis malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum, suggerebat, ut dicerent; Descendat de cruce, & credimus ei.*

S. Bern. ser. 1. de Pasch. Matth. 27. v. 40.

S. Bernardus.

VIII. Dignoscite successum: dæmon impedire satagit mortem Christi, interpositione trium personarum, scilicet Judæ, uxoris Pilati & Hebræorum. Quare? forsitan ex charitate? minimè; hæc siquidem virtus non reperitur, in diabolo: quo igitur hoc fine fecit? Audite per salutem vestram id, quod in Apocalypsi memoratur. Scribit S. Joannes Evangelista se Angelum vidisse, qui de cœlo descendens, abyssum intrarit inferni, ibique catenâ ferrea ligarit dæmonem:
Apoc. 20. v. 1. *Vidi Angelum, descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi & catenam magnam in manu sua; & apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & ligavit eum.* Omnia hucusque bene; ita enim omnino necessum erat, ut deprimeretur temeritas ejus. Sed audite,
v. 3. quid immediatè subjungatur: *Signavit super eum.* Quò? quale fuit hocce signum? Respondet Albertus Magnus:
Alb. M. *Fuit signum crucis.* Ecce paradoxum: diabolus itaque signum crucis portare compellitur? Ita equidem, respondet Evangelista; sed sciendum, dæmonem cruce signatum fuisse, non ut ei serviret pro scuto, sed potius pro freno, ad comprimendam arrogantiam, enervandasque vires & potestatem ejus, ut Christianis deinceps bellum movere nequiret:

Cur dæmon signatus cruce.

Ibi. *Ut non seducat amplius gentes, posuit super eum signum crucis.* Nihil ita ac crux diabolum cruciat, crux eum mortificat, crux eum in exterminium præcipitat. Ideo igitur tantam adhibuit sollicitudinem, ut mortem Christi in cruce impediret; quia cum prævideret dispendia, quæ à triumphante hoc ligno erat recepturus, sciretque, Christum post ascensum in crucem, specialem obtenturum potestatem super infernum; quid mirum, si tanta cum solertia, per Judæ pœnitentiam, efficere allaboravit, ne Christus moreretur in cruce? Audite verba S. S. Ign.
Ignatii: *Cum paranda est crux, tumultuatus est & pœnitentiam immisit Proditori, non quòd pœnitudine duceretur ob tantum malum; sed sentiebat suam ipsius perniciem, crux enim Christi fuit ipsi, condemnationis mortis & perditionis causa.* Ideoque etiam apparitionibus & illusionibus suis, *terrebat mulierculam*, uxorem Pilati, *turbans eam in somniis, ut à crucifixione cessarent.* Eandemque ob causam, Christo existente in cruce, in vitæ ejus termino, fictâ pollicitatione & simulatis præstandæ fidei simulationibus, ultimum fecit insultum per Hebræos, ut Christus descenderet de cruce, & non moreretur in ea. Ecce vobis ipsissima sancti Bernardi verba: *Timebat ergo jam tunc diabolus, sed nunc maximè, virtute crucis excruciari se sentiens inimicus; quos instigavit ad crucifigendum, instigat ad suadendum, ut de cruce descendat.* S. Bern. serm. I. in die Pasch.

IX. Et ecce vobis causam, cur D. Athanasius dicat, quòd dæmon *mactatus est, confractus est non alibi, quàm in latere ad costas.* Nihil adeo potenter totum atterit infernum, quàm Christus crucifixus.

X. Si ergo tanta est Christi omnipotentia, ut etiam cruci affixus vincat debelletque infernum; quomodo vilis Judæorum colluvies ipsum comprehendere, ligare, pessimèque habere potuit?

XI. Dubium hoc, judicio meo, inprimis grave est, neque adeo facile resolutionem ejus assequi poterimus, nisi primò seorsim & sigillatim quantitatem & qualitatem dolorum omnium considerave-

raverimus, quos Salvator subiit tam in captura in horto, quàm coram tribunalibus.

XII. Dimorabatur benedictus Dominus in funesto horto, proprio etiam madefactus sanguine; cùm ecce Apostolum vidit traditorem, resolutum ad instar mancipii divendere eum; ecce satellites, à quibus tanquam fur comprehenditur; ecce discipulos, scandalosè fugitivos; ecce ministrum, à quo veluti fastuosus & arrogans percutitur; ecce pontificem, qui eum ut blasphematorem condemnat; Petrum, qui ipsum ut infamem negat; testes falsos, adversùs ipsum ut reum insurgentes; ecce Herodem, à quo tanquam amens rejicitur & contemnitur; ecce denique turbas, ipsum vitâ indignum esse proclamantes. Tot inter opprobria & contumelias, videtur Christus per os Davidis in sequentia prorupisse lamenta: *Dolores inferni circumdederunt me.* O quàm graves ego sustineo dolores, videntur mihi infernalibus omnimodè æquales. *Dolores inferni?* Quid dicis ô Domine, ergone tanti sunt cruciatus tui, tamque graves angores, quàm ipsorum damnatorum? quæ obsecro acerbissima mundi pœna ardoribus inferni assimilari potest? Vos insuper ô Auditores diversas enodate, variis ex capitibus, mihi in præsenti exortas difficultates. Nunquid CHRISTUS gratiâ plenus erat? Imò & beatus? Ita; quomodo igitur pœnis damnatorum cruciari potuit, capitalium inimicorum Dei? Iterum, nonne animæ in inferno, tanquam maledictæ, puniuntur à dœmonibus? ita; quis hoc negare potest? ergone dicemus, DEUM istum, qui infernum destruxit, à spiritibus infernalibus excruciatum fuisse? Si Christus, veluti gratiâ plenus, imò DEI Filius, & ut talis, beatus erat; quomodo in horto & tribunalibus pœnam potuit experiri infernalem?

Bern. serm. in die Pasch.

Ps. 17. v. 6.

Quomodo Christus subierit dolores inferni.

XIII. Audite: quonam dolore pectus CHRISTI oppressum fuisse existimabitis, quando se in horto, ab uno dilecto discipulo comprehensum & ignominiosè ligatum vidit? Pœna hæcce fuit ipso inferno crudelior. Probationem asserti hujus, minimè vobis futuram ingratam, excipiamus in horto, ubi adhucdum degimus. Fuit citra omne dubium, passio CHRISTI tota acerba & dolorosa; ad quam nihilominus ipse, ex nimio humanæ redemptionis desiderio, liber omnino & voluntarius properabat; ideoque adhuc ante passionis tempus, Jerusalem cum discipulis suis ascendens, teste sancto Marco: *Præcedebat eos, & stupebant.* *Marc. 10. v. 32.* Admirabantur omnes, tantam in Christo gradiente magnanimitatem, nihili faciente imminentes tribulationes. Et certè perquam judicio meo videtur mirabile, quòd ille, singula sua seorsim considerans tormenta, nullo aut terrore aut pallore fuerit immutatus; imò potius generoso nisu, animoque plenus imperterrito, sine ulla hæsitatione aut linguæ titubatione, iter suum ita fuerit exorsus: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte; & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* *Matth. 20. v. 18. & 19.* Sed quid? Manifestaturus postea traditionem Judæ (quis non obstupeat?) *turbatus est Spiritu*, ut S. Joannes scribit. *Ioan. 13. v. 21.*

S. Cyr. l. 6. in Ioan. Ubi S. Cyrillus sequentia immediatè subjungit verba: *Verosimile mihi videtur, non potuisse carnem Christi, motum, quo jam expressius discipuli proditionis officium efferebatur, ita sufferre, ut aliquantisper non exhorruerit.* Talis eum invasit horror & mentis turbatio, ut etiam in pallidissimo vultu manifesta ediderit alterationis indicia: *Turbatus est spiritu.* O Juda, Juda, tunc solus serenum illud cœlum turbare potuisti, quod nulla humanæ tristitiæ nebula, nec ullus sanguinis imber potuit interturbare? tu solus sufficiens fuisti, ut terrorem incuteres Deo? Sed unde hoc ô Domine mi, quomodo totus passionis tuæ apparatus & gravissimarum talium pœnarum infernus te, non solùm non exanimat, sed constantissimè etiam illis obviam procedis: *Ecce ascendimus Ierosolymam:* solus autem Judas tanto te pavore percellit, ut vel nuda ejus mentio te interturbet? *Turbatus est Spiritu.* Majori igitur te dolore, metu & formidine afficit Judæ traditio, discipuli osculum, quàm omnes alii cruciatus tui, inferno similes? *Dolores inferni circumdederunt me:* Judasne igitur *est gehennâ durior*? Responsum ipsemet Christus dedisse videtur per Theophylactum, supra illa Psalmi verba, ubi per os Davidis ita discurrit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Ea quæ ab inimicis fiunt*, inquit Theophylactus, *toleranda & ferenda censemus omnium, molestissimum mihi videtur, virum familiarem, meum sodalem & convictorem factum, res inimicas & hostiles facere.* Supportabile utcunque est, ipsum quasi infernum à manu infligi hostili: sed quæcunque etiam levissima alicujus domestici & amici, mei amorem simulantis offensa, videtur mihi omnino crudelissima: me, inhumanis Hebræorum affici contumeliis, ingenti cum despectu vapulare à Malco, condemnari à Pilato, latus aperiri à Longino; totum hoc *tolerandum & ferendum*: sunt namque inimici mei; non pertimesco, nihil hujusmodi reformido; cor, frontem & pectus habeo, insurgat ipsemet etiam infernus. Sed quòd amicus meus; *Amice, ad quid venisti?* quòd meus commensalis, sese mihi prostituat adversarium & traditorem, hoc ipsum omnem meam excedit sufferentiam? *Gehennâ hoc est durius & molestissimum.*

Plus Christum turbavit Judas, quàm tota passio.

Ps. 54. v. 13.

Theoph.

Injuria amici gravissima.

Isa. 6. v. 8

Ps. 53. v.

Isa. 53. v.

Matth. 26. v. 50.

XIV. Porro si tanto Christum dolore & cruciatu affecit traditio Judæ, quomodo eum non percelluerit desolatio Apostolorum, quando *relicto eo omnes fugerunt.* Consistimus modò in horto, Christum contemplantes captum, fortiterque ligatum; priusquam ergo egrediamur, placeat tantisper relegere gradus ad considerandum ingentem illum mœrorem & tristitiam Redemptoris, cujus fusam supra mentionem fecimus in Sermone antecedenti. Sequestratus ab Apostolis Dominus ad jactum lapidis, ibidemque genuflexus *cæpit pavere, tædere & mæstus esse.* Tantus fuit hic mœror, ut ex omnibus corporis divini partibus sanguineus profluxerit sudor: *Factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis, decurrentis in terram.* Non ego in præsenti dictam ulterius admiror tristitiam & sanguineum sudorem, utpote quem in dictis alibi stupui attonitus; præsens speculatio & difficultas mea in illo duntaxat puncto situatur, quare Christus ad Patrem conversus, quasi pœnitens & vacillans, dixerit: *Pater, transeat à me calix iste?* Quid rogas ô Domine? *Transeat calix iste?* quis te cogit ad acceptandum eum? quis tuum necessitat arbitrium aut voluntatem? nullus omnino; quin

Cant. 7. v. 5.

Mat. 11. v. 30.

S. Cypr.

Luc. 22. v. 44.

Christus timuit no mortem suam, sed fugam suorum.

quin potius tu teipsum spontaneè obtulisti, dicens: *Ecce ego, mitte me*; id quod manifestius explanando, per os Davidis replicasti, cum diceres: *Voluntariè sacrificabo tibi*. Imò ipsemet Pater tuus per Isaiam, publicam fieri fecit denunciationem ad omes: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Sciatis omnes, eum ex propria sua voluntate, in altari crucis sacrificatum esse. Quomodo itaque tam subitò eiusdem oblitus es ô bone Deus? Profectò nullum infantiæ patiebaris defectum, quando mortem acceptasti; quin potius acutissimo obtutu tuo accuratissimè cognoscebas omnem futuræ passionis acerbitatem & cruciatum cum toto sanguineo profluvio; singulas numerasti spinas, tuum transfixuras verticem, & aurum depurpuraturas capillitii tui, prout illa viderat, quæ dicebat: *Comæ capitis tui, sicut purpura Regis juncta canalibus*. Columna tibi dilucidè quasi in speculo demonstrata fuit; nunquid non clavi generosum tuum pupugêre pectus, nimiumque accenderunt patiendi desiderium? crucem pariter contemplatus, eam levem esse duxisti: *Onus meum leve*; quomodò igitur modò dicis: *Transeat*? Dubio huic S. Cyprianus sequentem in modum respondet, dum ait: creditisne, quod Salvator mortem extimuerit? nequaquam; tota Christi formido & pavor, scitisne, qualis fuerit? Notate, per fidem vestram, captivitatis tempus; quomodo illius S. Matthæus meminit? *Tunc omnes discipuli, relicto eo fugerunt*. Insultu inimico perterriti Apostoli, partim hàc partim profugi illàc, omnes magistrum deseruerunt. Crediderim itaque ego, inquit Cyprianus, Christo in horto oranti, totam fuisse exhibitam passionem; distinctè ipse vidit examinavitque pœnas suas, atque omnes reputavit supportabiles; ast ut primum oculos suos ad fugam convertit Apostolorum suorum charorum amicorum, amantissimorum fratrum, imò filiorum; tantus animum ejus invasit dolor, ut totus pavidus, tremebundus, inque pallorem conversus, Patrem rogaverit, dicens: *Si possibile est, transeat à me calix iste*. Pater mi qualemcunque, etiam gravissimam pœnam voluntariè accepto; infamiam, opprobrium flagella & mortem amplexor, cor animumque habeo ad omnia ista; sed eam discipulorum meorum desolationem, me in summæ angustiæ tempore deserentium, sustinere nequeo; tantum illa mihi tormentum infert, ut ipsam mihi vitam tollere videatur. Audite S. Cyprianum: *Metuit, ne se abnegent discipuli, quem captum & ligatum essent conspecturi; non itaque mors, sed tempus mortis in metu est*. Notate ly *tempus*; quandonam fuit istud? *Quando relicto eo, omnes fugerunt*. Videte, Deus iste, qui propter nulla, etiam ipsius inferni tormenta, ingemuit unquam, turbatur ob traditionem Judæ, & propter Apostolorum fugam supplicavit Patri, ne hujusmodi cogeretur subire dolorem.

Isa. 6. v. 8.
Ps. 53. v. 8.
Isa. 53. v. 7.
Matth. 26. v. 50.
Cant. 7. v. 5.
Mat. 11. v. 30.
S. Cypr.
Luc. 22. v. 44.
Christus timuit nō mortem suam, sed fugam suorum.
S. Cypr.

XV. Profiteor ô devotissimi, nunquam me ex hocce horto exiturum, in quo Christus captus fuit & ligatus; sed cum videam eundem foràs abstractum & opprobrosè à Judæis per quatuor conductum tribunalia, necessitor eum comitari, ubicunque demum fuerit dimoratus; ita tamen ut ipsos vobis exhibeam tortores Christi, simul probaturus, Salvatorem per omnia in præsenti pariter dolores pertulisse inferni. Indubitatum est, infernum diabolorum duntaxat esse hospitium, ejusque imperio & dominio potiri principem tenebrarum, cæterosque satellites infernales; aliis ardentissimas succenden-

tibus faces, aliis acutissimos exacuentibus gladios & cultros tonsorios; crudelissima aliis fabricantibus instrumenta mortis; flagra, pressuras atque insultationes innumeras agglomerantibus aliis; &, ut verbo dicam, omnibus certatim, tanquam juratis inimicis, juxta vires suas annitentibus, ut suam expleant insatiabilem rabiem & furorem.

XVI. Ideone forsitan vobis persuadebitis, tortores Christi Judæos, dæmoniis infernalibus fuisse humaniores? imò dicam ego, eos ipsismet fuisse pejores diabolis: utque à Juda incipiam, tyrannicæ istius turbæ antesignano, quis negare poterit, eum quocunque pejorem fuisse furibundo dæmone? fortassis enim humana æstimatio aut intellectus noster excellentius quippiam excogitare poterit, quod personam Christi in pretio excedat? minimè equidem, quia ut Apostolus attestatur: *in eo sunt omnes thesauri*; & Sanctus Petrus similiter de sanguine ejus mentionem ingerens, ait: *Non corruptibilibus, auro & argento, sed pretioso sanguine.* Considerando porro sacram illam humanitatem, quid in ea reperire est, præter summum pretium? Caput, *est aurum optimum*; manus *aureæ, plenæ hyacinthis*; pedes, *columnæ marmoreæ super bases aureas*; porro distinctè eius inquirentes valorem, reperietis, hunc in virtute deitatis divinique suppositi fuisse infinitum. Supposito infinito hoc atque inæstimabili Personæ & sanguinis Redemptoris pretio, adverto ego, Judam, ut suam consummaret traditionem, Christumque vinculis manciparet, thesaurum istum adeo ingentem, pro vilissimo 30. argenteorum pretio vendidisse: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* Si autem fusius intelligere avetis pretii hujus exilitatem, intrate mecum Pharisæi domum; reperiemus inibi Magdalenam, obsequiis Christi devotissimam, præter uberrimas, quas ex oculorum suorum urna profundebat lacrymas, ingentem pariter exquisitissimi balsami copiam, ex nobili alabastro dispergentem; quam insignissimam Magdalenæ actionem sinistro Judas arbitratus obtutu, quasi indignatione & ficto exstimulatus zelo objurgavit, dicens: *Vt quid perditio hæc? potuit unguentum istud venundari multò & dari pauperibus.* Contemptibili adeo vilique modo res depereunt pretiosissimæ? cur unguentum istud non fuit venditum, eiusque pretium erogatum in pauperes? Sed ô Juda dic nobis per fidem tuam, quanti putas divendi potuisse pretiosum unguentum istud? quanti? respondet Judas, si mei fuisset muneris, ego illud pro 300. aureis distraxissem, imò & chariori pretio: *Plus quàm 300. denariis.* Firmemus hîc gressus: vos ô Auditores, ex ipsiusmet Judæ ore jam intellexistis, quanti æstimet unguentum Magdalenæ; postea autem impius ille idem, volens divendere Christum, aut non cognito vero valore aut prævalente avaritiæ stimulo, quanti existimatis quòd vendiderit eum? pro 30. argenteis. Subsiste ô scelerate, ex ore te tuo condemnabo, te ipso judice appretiabor verba illa: *Vt quid perditio hæc?* Itane contemptui habentur res pretiosissimæ? unguentum Magdalenæ, quod nihil est nisi fumus, dignum æstimasti, pro quo darentur scuta 300. pretiosum verò Redemptoris sanguinem, divinam illam personam, in qua plenitudo habitabat divinitatis infinitam illam pretiosissimamque gemmam, thesaurum hunc incomparabilem tu pro 30. vendidisti argenteis?

Judas pejor dæmone.

Coloss. 2. v. 3.

1. P. 1. v. 18.

Cant. 5. v. 10.

Zach. 11. v. 13.

Matt. 26. v. 8.

Marc. 5. v. 6.

Chr. h. 19. in Mat. teis? Ah, inquit D: Chrysostomus, scitote, Judam avaritiâ fuisse excæcatum, qui morbus eum ipsomet effecit pejorem dæmonio: *Meâ quidem sententia, potius cum mille dæmoniis habitandum esset, quàm cum uno, qui tali morbo laborat; quando enim omnes dæmoniaci simul, tantum facinoris committerent, quantum solus Judas?* omnesne simul diaboli tantam unquam adversus Christum exercuissent impietatem, quantam solus commisit Judas? ecce vobis dæmoniorum caput, carnifex Christi. (Matt. 26. v. 8.)

XVII. Progrediamur ulterius: an ipse fortassis Lucifer colaphum Deo unquam impingere præsumpsisset? minimè equidem; imò verò diabolus vice quâdam Christum à longè videns illi incunctanter obviàm processit, seque divinis advoluit pedibus: *Vidit à longè Iesum; statim cucurrit & adoravit illum.* (Marc. 5. v. 6.) Impius autem minister quid fecit? Stans Dominus ante Caipham, pontificiis respondebat interrogationibus; cùm ecce vobis, furia ista infernalis, elevatâ manu, Redemptorem colapho cæcidit: *Vnus ministrorum dedit alapam Iesu.* Ne procedatis ultra; ictus enim iste adeo crudelis est, ut ipsos etiam dæmones afficiat stupore. Deus specimen facturus patientiæ Jobi, diabolo negotium commisit, ut ille aleam jaceret. Heus diabole, ajebat Deus: *Extende paulūlum manum tuam & tange cuncta, quæ possidet.* (Job 1. v. 11.) Tibi do potestatem super Job, fac cum eo juxta beneplacitum tuum. Quid respondit Satanas? Volens hic Jobum tollere è medio, suas cœpit examinare vires; sed ut suam cognovit insufficientiam & debilitatem in attentando insultu, egone, ait, hanc in me provinciam suscipiam? quid mea poterit efficere manus? nimium hæc imbecillis est, quàm ut simile quid expediat: *Extende tu manum tuam*, ô Deus; ego ad hoc penitus inhabilem me atque inidoneum profiteor; tua manus, omnium incomparabiliter fortissima, percutiat eum. ô Deum! diabolus confunditur adeo, ut non præsumat in Jobum extendere manus suas; & impius Malcus sanctum vultum istum, qui Paradisum beatificat, percutere non pertimescit? fuit igitur quò ad alapam hanc percussor iste ipso pejor diabolo. (Malcus diabolo pejor.)

XVIII. Qualem porro dictam alapam fuisse arbitramini? exstitit illa Christo adeo pœnosa, ut integram ei intulerit passionem. Cur etenim existimatis, Christum, in omnibus patientissimum tormentis, ad solam alapam adeò indignatum fuisse, ut dixerit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cædis?* (Ioa. 18. v. 23.) Recordor ô Domine, sancto Matthæo teste, præcepisse te, ut unâ maxillâ ab adversario percussâ, præberemus ei & alteram: *Si quis te percusserit in unam maxillam, porrige ei alteram.* (Mat. 5. v. 39.) Ideoque tibi cum Sancto Augustino obiiciam: *Cur tu non fecisti, quod toties docuisti?* Percutienti te Malco in unam maxillam, cur non obtulisti ei & alteram? Sciatis, inquit Rupertus Abbas, hanc Christo inflictam alapam adeo fuisse atrocem, ut Christi desiderium expleverit, quod habeat maximum patiendi; juxta illud Jeremiæ: *Dabit se percutienti maxillam, saturabitur opprobriis.* (Thren. 3. v. 30.) Ast quomodo Christum unica potuit satiare alapa, infinitâ ardentem passionis siti? ita est, respondet Rupertus Abbas, tam tremenda tamque crudelis fuit dicta alapa, ut integræ æquivaluerit passioni: (Rup. Abb.) *O immanissima servi manus, quæ exples inexplebilem Domini sitim; & quàm bonus est.*

est Iesus; qui saturatus est opprobriis, dans se percutienti maxillam.

XIX. Reliqua porro opprobria, post alapam illata, quid aliud fuisse putatis, præterquam irarum & indignationum flammas, quibus infernales isti ministri adversus benignissimum Jesum excandescebant? Hinc audiebantur testes falsi, contra veram sanctitatem insurgentes, illinc conspiciebatur impurissimum velum, divinos occludens, omnia videntes oculos; instinc calumniabantur alii deitatem illam, percutientes caput, posteaque sciscitantes, ut ediceret percussorem; hic vestimentis laceratis, blasphemum Pontifex denunciavit Christum, unde rabiosi isti canes permoti fuêre, ut pessimis modis innocentem exagitarent Jesum, quà percutiendo, quà trudendo, quà conspuendo: *O quanta malignatus est inimicus in sancto?* Sed

Opprobria post alapam.

XX. Tempus modò urget resolvendi problema, eamque, quam Christus in cruce ad infernum destruendum habuit, comparandi potentiam, cum exilitate eiusdem in captura in horto & torturis coram tribunalibus. Magis fortasse Salvator exinaniri poterat, quàm fecit in prædictis locis. Erat ipse Deus per essentiam infinitâ præditus potentiâ, cui nulla ex parte totum etiam universum ne minimam quidem inferre poterat resistentiam; nihilominus se comprehendi permisit, primò à vilissima turba ignominiosè tractari & ligari in horto; postea verò tot tantisque opprobriis & ignominiis affici coram tribunalibus. Potuissetne abjectissima illa colluvies manus inferre Deo, nisi ipsemet dixisset: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum?* minimè equidem; unde per S. Matthæum Salvator subjunxit: *Non haberent in me potestatem, nisi eis datum esset desuper.* Tota igitur vis & fortitudo, quâ Judæi Christum cœperunt, ligarunt, pessimèque exagitarunt, ortum traxit ab ipsomet Redemptore, ita omnino volente: atque ideo si in cruce ipse potens fuit, dum contrivit infernum; potentissimus etiam exstitit in horto & tribunalibus, sinendo se capi, pessimèque tractari.

Luc. 22. v. 53.

Ioa. 19. v. 11.

XXI. Permittite mihi, ut duas ante edisseram præmissas, vobis futuras pro fundamento ad concludendum, & cum facilitate resolvendum problema propositum. Nunquid causa semper nobilior & major est, quàm effectus? utique, Philosophia hæc omnino infallibilis est; quæ autem fuit causa tantæ in Christo potentiæ, ut in crucem sublimatus, infernum destruxerit, nonne ejusdem Domini in horto exinanitio & permissio, quâ se sivit capi malèque tractari? ita sanè attestatur Apostolus, dum ait: *Exinanivit semetipsum Dominus Jesus usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum.* Vos igitur consequentiam modò statuatis, liberrimè dicentes, majores Christum perhibuisse vires & omnipotentiam in captura in horto, pessimisque modis & injuriis, quibus affectus fuit ante tribunalia, quàm in cruce, dum infernum debellavit.

Resolvitur Probl.

XXII. *Cogitemus ergo*, inquit Sanctus Theodorus Studuita, *cogitemus ô fratres ingens hoc atque ineffabile arcanum.* Deus ille, qui omnes revelat inspicitque secretissimas hominum cogitationes, ipsemet idem Annæ & Caiphæ ad condemnationem oblatus fuit: *Qui animorum consilia retegit Deus, omnemque prospicit cogitatum hominum; hic ille est, qui judicio sistitur hominum.* Deus ille, qui imperioso cum domino, potentique imperio totum

S. Th. Stud. ser. de Dom. supplicio.

tum dirigit universum, ille idem in medio hominum sceleratorum accusatur: *Qui præpotenti jussu universa librat, hic ille est qui à sceleratis hominibus accusatur.* Deus ille, qui volubiles inter nubila recondit undas, eque mari sublevatas, in tempore opportuno easdem campis iterum distribuit, ille catenis ligatus atque oneratus, coram tribunalibus assistit: Deus ille, qui totum palmo metitur cœlum, & dextrâ, imò pugno exili universam mensurat terram, ipse idem hodie colaphizatur & percutitur ab infami vilissimi servi dextra. *Qui cœlum palmo, qui terram est mensus pugillo, hic est ille, qui pulsatur dextera servi.*

XXIII. Quid superest ô animæ devotissimæ, nisi ut nos omnes humillime prostrati, gratias agamus Domino nostro, qui in captura & coram tribunalibus adeo sese exinanivit, ut vires & potentiam meruerit atterendi infernum? nil restat, nisi ut indulgentiam imploremus nostrorum errorum; ut autem eum ad proniorem clementiam inclinemus, verâ cum contritione dicamus: *Miserere mei Deus &c.*

Resolvitur Probl.

SERMO

PRO TERTIO DIE VENERIS MENSIS MARTII.

De Christo exinanito ad columnam, per flagella, in formâ mancipii.

Tunc apprehendit eum Pilatus & flagellavit. Ioan. 19. v. 1.

PROBLEMA

S. Th. Stud. ser. de Dom. supplicio.

Ubi Christus majorem pœnam & graviorem subierit dolorem: in flagellatione, aut vero in crucifixione?

INTRODUCTIO.

I.

SI totidem hodie os meum haberet linguas, perque tot ora, totidem lingua mea proferret voces, quot plagas & flagella sacratis Christi humeris impegerunt Judæi; si tot ab oculis meis promanarent lacrymæ, quot sanguineæ profluxerunt guttæ ex sacratissima Redemptoris carne; minimè adhuc sufficiens forem

forem aut debitè explicare possem ludibria, subsannationes, impiosque insultus, quos Christus subiit, ligatus & flagellatus ad columnam. Ast, quid dixi? Ergone Dominus dominantium flagellatus fuit? ita: *Tunc apprehendit eum Pilatus & flagellavit.* O Deum! qua de causa cæditur, cur tribulatur ille, qui mundum regit? Dubium hoc memoriæ meæ quæstionem indilatè ingerit theologicam; quem scilicet ob finem Verbum divinum, æternaliter à Patre genitum, tanquam Dominum supremum, in tempore postea ad instar servi nasci voluerit: *Formam servi accipiens*? Communis autem & receptissima responsio est; flagella non fuisse cuicunque inflicta delinquenti, sed solis mancipiis; quia igitur Dei Filius in mundum venerat, ut flagellaretur, formam induere voluit servilem. Laudo, promptoque corde accepto responsum; necdum tamen meam assecutus satisfactionem, iterum vos interrogare compellor: quare Verbum incarnatum flagellari voluit, tantisque obiici illusionibus ad columnam? Audiamus quendam Sancti Pauli discursum, ad Philippenses scribentis. Postquam Apostolus de Christo loquens, dixisset: *Exinanivit semetipsum Dominus Iesus, formam servi accipiens*: immediatè subjungit: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quia Filius Dei per nativitatem se exinanivit, formamque servi assumpsit; ideo Deus exaltavit ipsum in crucem, eique excelsum *IESV* nomen contulit, quod excellit super omnia nomina. Hic Apostolicus loquendi modus, magnam in animo meo creat difficultatem. Nunquid Christus quando post natitivitatem circumcisus fuit, ex Angeli mandato nomen *Jesu* accepit? ita sanè; quia S. Luca teste: *Post dies octo factum est, ut circumcideretur puer & vocatum est nomen ejus Iesus.* Si taliter sese res habet, quomodo igitur S. Paulus inquit, dictum *Iesu* nomen Christo donatum esse, quia se exinanivit, servumque prostituit in passione? *Exinanivit semetipsum Dominus Iesus, factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen.* Audite acutissimam cujusdam docti Patris circa hoc ponderationem. Nomen Jesu Redemptorem significat: *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Verè equidem Christus in mundum natus, formam assumpsit servilem & JESUS cognominatus fuit; hoc tamen excelsum nomen ipse non meruit, nisi per suam in passione exinanitionem, dum formam induit vilis mancipii; fuit Jesus & Redemptor in sua nativitate, titulum nihilominus Redemptoris meruit, atque eum sublimatus fuit in passione & morte crucis. Sed quomodo? quando Christus ad columnam flagellatus fuit, forsitan mancipii formam non accepit? utique; propter quod igitur tormentum & ob quam sanguinis effusionem, Redemptoris meruit potestatem; an per crucifixionem, an verò per flagellationem? Hocce vobis hodie exhibeo problema; nisi autem me in tanti sanguinis oceano, quantum Christus in flagellatione profudit, submergi velitis, subsidium vos mihi devotæ attentionis & silentii præbeatis, qui incipio.

Philip. 2. v. 7.

Luc. 2. v. 21.

Isa. 53.

Aug. Nunez in serm. fer. 4. D. I.

Mat. 1. v. 21.

Phi. 2. v. 7.

II. *Tunc apprehendit eum Pilatus & flagellavit. Flagellavit?* Rem adeo stupendam censuit Isaias Propheta, Filium Dei incarnatum, doloribus posse subiici & plagis in carne propria; ut mundum contuma-

Grave dubiũ theologicum.

tumaciæ condemnarit in prædicatione apostolica; ideoque 53. Prophetiæ suæ capite, in quo omnia passionis Christi mysteria dilucidè exhibet, dum flagellationis mentionem ingerit; *quis credet auditui nostro*, inquit, *& brachium Domini cui revelatum est?* quis unquam sibi persuadere poterit res adeo prodigiosas & contrarias? Christum brachium esse omnipotens Dei, simulque infirmum existere & debilem? quod ipse totam venustate suâ expolierit generationem humanam, in eo autem ne minimus remanserit decor aut pulchritudo? quòd ipse omnium sit vobis desideratus, in eo autem nihil appareat desiderabile? quòd à regibus terræ adoretur, qui contemptibilissimus omnium apparet hominum? totus in se ipso beatus simulque dolorum omnium compendium? nostrarum infirmitatum medicus, sed nostris repletus vulneribus? innocentiam possidens divinam, & flagitiosi ad instar castigatus; thesauris plenus sapientiæ, sed tractatus veluti amens? Universalis omnium Dominus, at propriis etiam spoliatus vestimentis?

Isa.53.v.1.

III. Justæ huic & rationabili Isaiæ admirationi convenientius nullum, præter adductum, videtur dari posse responsum, scilicet: *Exinanivit semetipsum.* Sicut Dominus omnem in horto exterminavit cordis sui lætitiam, cunctamque honoris à se proscripsit præcellentiam; ita quoque in prætorio Pilati corporalem abdicavit salutem atque integritatem; ut proinde meritò de eo dicatur: *A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.*

Phi. 2, v. 7.

Grave dubiũ theologicum.

IV. Sed ecce grave vobis in præsenti dubium, vel ipsis etiam primariis Theologis & Ecclesiæ Catholicæ Patribus difficillimum: quomodo Apostolus asserere potuit, quòd Filius Dei *exinanivit semetipsum?* vel enim hîc agit de Verbo divino; vel de humanitate Christi: si de Verbo divino; hæresis est, dicere, ipsum, carnem assumendo, minus evasisse eo, quod ante erat semperque erit per omnem æternitatem; clarissimè asserente Ecclesia: *Quod erat, permansit; quod non erat, assumpsit:* cui pariter consonat illud S. Augustini: *Quando semetipsum exinanivit; non quod habebat, deposuit; sed quod non habebat accepit.* Divina itaque natura, carnem assumendo, immutata permansit; non igitur, ut Verbum est, *exinanivit semetipsum* Christus. Neque etiam exinanitio supra assumptam naturam humanam cadere potest; hæc enim semper exstitit perfecta, juxta illam S. Athanasii professionem: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex humana carne subsistens.* Si igitur neque secundùm naturam humanam Christus minor evasit eo, qui erat in principio, quomodo intelligendus erit dictus Apostoli textus: *Exinanivit semetipsum?*

S. Aug. tr. 15. in Ioan.

D. Ath. in Symb.

V. Mysterium adeamus flagellationis: observastisne unquam, Evangelistas, qui diffusè admodum totam descripsere passionẽ Christi, vix uno alterove verbo durã ejus flagellationem cõmemorasse? qua de causa id factũ fuisse credideritis? responderem ego, mysterium hoc adeo exstitisse miserabile ipsosque discipulos tanto Christi amore illectos, ut, si in ejus descriptione fusiores fuissent, præ spasmo seu lethifero cordis cruciatu expirassent. Ast id affirmare nolo; quantumvis enim Evãgelistæ pluribus non expresserint Domini flagellationem, eam nihilominus perpetratam fuisse docent singuli; ita namque S. Joannes inquit: *Tunc apprehendit eum Pilatus & flagellavit*; & S. Matthæus: *Iesum autẽ flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur,*

Cur Euãg. fusius non meminerint flagellationis.

Ioa. 19. v. 1.

Mat. 27. v. 26.

Marc. 15. v. 15. S. Marcus quoque ait: *Pilatus autem volens populo satisfacere, tradidit Iesum flagellis cæsum.* Et tandem S. Lucas asserit: *Corripiam ergo illum & dimittam.* (Luc. 23. v. 22.) Nonne auditis, ab omnibus Evangelistis flagellationem Christi confirmari? nihilominus Propheta regius impossibile esse affirmat, flagellis cædi Salvatorem: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* (Ps. 90. v. 10.) Quomodo hanc salvabimus contrarietatem?

VI. Notate, tribus delinquentium generibus solitum fuisse infligi inferrique flagella; furibus, vagabundis & otiosis. (Flagris qui cædi solebant.) Christus forsitan prædator erat? absit: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*: fortasse fugitivus erat? minus; nunquam enim suum æterno Patri dorsum vertit neque ejus unquam contradixit præcepto; quin potius in illa horti ad Patrem supplica, inquit: *Veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua.* Quid igitur? forte Christus otiosus fuit? neque hoc asseri potest; ipse enim in mundi totius utilitatem, omnes invisit judææ & Galilææ civitates & opida, indesinenter prædicando legem gratiæ, & sanctissimorum post se relinquendo exemplorum vestigia; ita ut per noctes vigilaret in orationibus, per dies autem instrueret turbam; in desertis jejunus, in publico miraculis stupendus, inter bestias & feras concertabat cum dæmonibus; inter homines colluctabatur cum vitiis, in terris pascebat populos, in mari sedabat tempestates, in monte suam patefaciebat gloriam, in vallibus sanabat infirmos, jure meritissimo summaque cum confidentia dicere valens; *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Si igitur CHRISTUS nec fur, nec vagabundus, nec otiosus fuit, cur flagellis cæsus est? Dic mihi ô inique judex, ô judex, judicii expers, in quo corrigere poteras eum, qui ipsamet sanctitas erat? nonne veritate convictus ipse protestatus es, dicens: *Ego nullam causam invenio in homine isto?* Cur ergo modò inquis: *Corripiam ergo eum & dimittam?* Respondet D. Augustinus, non fuisse nec potuisse Christum verberibus subiici ob causam seu culpam propriam; (Cur Christus sit cæsus.) ex hac namque parte tam impossibile est, flagellari Deum, quàm impossibile est, emendari eum; atque ideo David ait: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

VII. Sed quid? licet flagella non meruerit persona Christi ob culpam propriam, verè tamen ei debita erant, quia peccata portabat hominum; illi illi fuêre raptores & fures, qui auferre tentarunt divinitatem Deo, juxta illud Sancti Augustini assertum: *Rapere voluerunt divinitatem & perdiderunt felicitatem.* (D. Aug. in Ps. 68.) Homines fuerunt fugitivi, dicente Jeremia: *Apprehenderunt mendacium & noluerunt reverti.* (Ier. 8. v. 5.) Filii denique Adæ evanuerunt in otio, divina aspernantes præcepta; quia ergo CHRISTUS omnes totius generis humani culpas suis imposu- erat humeris: *Posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.* (Cur Christus flagellatus.) Ideo loco hominis eum punivit justitia, ac tot tantisque excruciavit flagellis.

VIII. Verum enim vero si CHRISTUS, pro homine flagra & virgas exceptúrus erat; vel hic considerandus erat ut reus, sicque sufficissent 39. Domino illati ictus: vel tanquam fur; tuncque sufficissent verbera 40. Aut tandem veluti idololatra tractandus fuerat? & tunc non supra 41. flagella erant infligenda; cur itaque benedictus Dominus 6666. verberibus dilaceratus fuit?

IX. Hic

IX. Hic opportunè sese ingerit sublimissima quædam S. Augustini propositio, cujus intelligentiam multorum annorum spatio assequi non potui, hodieque mihi pro substantia deserviet discursus mei. Propositionem illam insinuat refertque Angelicus Doctor in catena aurea, ubi magnus Pater inquit: *Ipsam Domini passionem flagellationem fuisse, & passio Domini à flagellatione incæpit.* Quis hæc S. Augustini verba audiens, non obstupescat? *Passio Domini à flagellatione incæpit.* Nonne passio Domini in horto exordium sumpsit per trium horarum agoniam? ita sanè; id quòd vidimus plenèque diximus primo die Veneris in Martio. Nunquid in ejusdem tristitiæ epilogo Dominus noster excessivum passus est dolorem ob traditionem Judæ? An non coram tribunalibus infernales devoravit dolores in injuriis & opprobriis Judæorū supportandis? Nunquid etiam probavimus, illum in domo Caiphæ inflictum Salvatori colaphum integram adæquasse omnino passionem? Tot reliquæ illusiones, percussiones, sputa, verbera, quæ coram aliis tribunalibus passus est, an non fuêre passionis compendium? illud ipsum hodie ante octo fusius probavimus. Si ergo ita sese res habet, quomodo assertum subsistit D. Augustini, dicentis, passionem Christi in flagellatione incæpisse, quàm ipse etiam per Antonomasiam nuncupat *ipsam Domini passionem*?

D. Aug. in cat. aur. S. Th.

Cur Christus sic cæsus.

D. Aug. in Ps. 68.

Ier. 8. v. 5.

Cur Christus flagellatus.

X. Resumamus; si placet, dubium nostrum; ubinam Christus majorem pro nobis subiit pœnam, in flagellatione, vel in crucifixione? Verissimum est, Dominum in Prætorio Pilati per flagellationem, tot tantosque perpessum fuisse dolores, ut certo certius mori debuisset; in Calvario autem per crucifixionem, tam horrendis succubuisse crucicatibus, ut re ipsâ exspirarit; punctum nihilominus observate mysteriosum. In Prætorio post flagellationem, homo per Pilatum publicatus fuit? *Ecce homo*: in Calvario autem post crucifixionem à bono latrone Deus fuit denunciatus: *Domine memento mei*: & evidentius à Centurione: *Verè Filius Dei erat iste.* Quisnam laudis palmam reportabit è duobus? an Pilatus, qui eum in prætorio sub flagellis attestatus est hominem; an verò Centurio, qui ipsum, in Calvario crucifixum, confessus est Deum?

Cur Christus inter flagra dicitur homo: in cruce autem Deus.

Ioan. 19. v. 5.

Matth. 27. v. 54.

XI. Jubent hæcce dubia, ut ante discutiamus, quàm intensos Christus in flagellatione potuerit sustinere dolores? resolutio cujus plenariè haberi poterit ex notitia & certitudine, quâ rei seu delinquentes diversimodè flagellabantur à Judæis & Romanis. Legem Hebræis à Deo datam in ordine ad castigandos habemus in Deuteronomio in hæc verba: *Si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent eum & coram se facient verberari; & pro mensura peccati, erit & plagarum modus ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Sollicitè legem hanc discutiamus, si placet: judices, reum quempiam ad flagella condemnantes, curare debebant ut transgressor primò extenderetur in terris, inque præsentia eorum à ministris cæderetur, ita ut pro qualitate excessuum taxaretur flagellatio; cum hac tamen universali clausula, ne ictus unquam quadragenarium excederent numerum; cujus causam si requiritis, ecce in textu ipso expressam: *Ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*: ne reus opprobrosus maneat & infamis. Ecce descriptam vobis flagellationē juxta usum Hebræorum.

Deut. 25. v. 2.

Lex Hebræorum pro flagellatione.

XII. Videamus modo pariter quē in flagellationibus ritum servaverint Romani. Hi duplici utebantur genere flagellorum; altero, quod erat ex nervis bovinis & loris de pelle seu corio, eoque cædebantur mancipia; altero autem, consistente in virgis & fustibus, quo castigabantur liberi; cujus meminit Apostolus, dum ait: *Ter virgis cæsus sum*; non dicit *Flagellis*, sed *virgis*; Paulus enim civis Romanus erat. Atque ita liberi & cives Romani non conscindebantur flagris neque flagellabantur, quantumvis virgis cæderentur, quia hæ tolerabiliores erant & minora causabant tormenta, quàm flagella, quæ carnem dilacerabant, livores inducebant, imò ossa ipsa confringebant, præsertim quando lora plumbo & aculeis ferreis armata erant. Quoties igitur liberi aut cives Romani, propter delicta sua, ad mortem crucis condemnati erant, suo exuti dicto privilegio, antequam crucifigerentur, acerbissimè flagellabantur *ad extorquendos socios criminis*: prout in historiis Romanis Cælius Rhodiginus nobis in hæc verba scriptum reliquit: *Qui ultimo supplicio damnabantur, servi efficiebantur, & civitatem ac libertatem amittebant.*

2. Cor. 11. v. 25.

Cæl. Rhod. l. 10. c. 5. hist. Rom.

XIII. Flagellatio itaque Romana crudelior erat flagellatione Hebraicâ; primò quia *apud Romanos nullus verberibus præstituebatur certus finis*; cùm flagellatio Hebraica numerum nequiret excedere quadragenarium in ictibus, flagellatio Romana nullum habebat numerum certum præfixum, sed numero carebat & fine, unde etiam multoties flagellati corruebant mortui; juxta quod hisce verbis attestatur Vulpianus, dum inquit: *Ministrorum immanitate multos sub flagellis interemptos fuisse.* Atrocior itaque erat flagellatio Romana, quàm Hebræa. Deinde etiam flagellatio Hebraica fiebat coram judicibus, qui ministris nimiam inhibebant crudelitatem; flagellatio autem Romana instituebatur extra præsentiam judicum, conformiter illis Plauti verbis: *Abducite hinc, atq; ad columnam fortiter constringite.* Insuper flagellatio Hebræa ab uno peragebatur ministro, Romana autem à pluribus, prout in eodem Plauto videre licet. Flagellatio Hebræa inferebatur patienti prostrato in terra & vestito; Romana autem desæviebat in reos, fortiter ligatos, omnique exutos tegumento; citra dubium itaque flagellatio Romana semper excessit Hebræam in sævitia.

Vulp. 8. de pœn.

Plaut.

XIV. Ne dubitetis ô Auditores! Christum Romanâ & non Judaica fuisse flagellatione cæsum, apertis verbis dicente Hieronymo sancto: *Dominus fuit flagellatus secundùm legem Romanorum.* Per bonam igitur consequentiam inferre licet, flagellationem Christi acerbissimam fuisse & crudelissimam, *more Romanorum, & non Iudæorum*: quæ veritas clarè deducitur ex ipsis sanctorum Matthæi & Joannis textibus; sanctus enim Matthæus dicit: *Iesum verò flagellatum tradidit eis*; qui loquendi modus an dilucidè non perhibet, Christum *more Romanorum* flagellatum fuisse? si enim *more Iudæorum* punivissent eum satellites, utique numerum expressisset Evangelista 40. ictuum.

Christus flagellatus more Roman.

XV. Objeceritis mihi forsitan, Pilatum respondisse Judæis: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum*: ex quo deduci videtur, Christum *more Iudæorum* cæsum fuisse. Ad hoc respondeo, Christum non conformiter legi, sed *satanico spiritu instigato* flagellatum fuisse; id quod ex ipsis Pilati verbis innotescit, eum innocentem declarantis; *Innocens ego sum à sanguine justi hujus. Ego nullam invenio in eo mortis causam*

XVI. Ast

Cur Christus cæsus more Roman.

XVI. Ast quo fine Judæi Christum *more Romanorum* cæciderunt, & non suo? scitisne quare? ut ei sine mensura injuriari atque insultare possent; Romani enim sola mancipia assueverant subjicere flagellis, nullum autem Hebræum aut nobilem Romanum; quando verò alicui nobili Romano propter delicta sua moriendum erat, præcipiebat, lex Romana hujusmodi condemnatum ante mortem flagellari, per quod ab honestorum hominum societate separabatur; quemadmodum inter alios S. Hieronymus & Lipsius attestantur, dum inquiunt: *Quia ab honestorum hominum societate quasi separandus, legis Romanæ fuit, ut prius flagellis verberetur.* Moriturus nobilis Romanus, primò per flagellationem exuebatur suâ nobilitate & civili privilegio; CHRISTUM igitur *more Romanorum* flagellare voluerunt, ut ante mortem suâ eum privarent nobilitate.

Lex Rom. contra Nobiles.

XVII. Porro si dignoscere optatis, hunc ipsum fuisse in Christi tortura, Judæorum finem! notate & supponite tanquam verissimum, Jesum valde notũ fuisse Hebræis, scientib⁹, eum descendisse à David, ex tribu Juda, Filium Josephi patris existimati & Mariæ matris naturalis; quam notitiam suis in Scriptis divulgavit S. Matthæus, inquiens: *Liber generationis Jesu Christi, Filij David*; eratque id ipsum adeo manifestum omnibus, ut unanimi voce in die palmarum eum Davidis Filium esse confessi fuerint: *O sanna Filio David.* Mat. 1. v. 1

XVIII. Hoc supposito, Jesus nobilissimus erat *ex semine David secundùm carnem*, verus Davidici regni hæres; hoc itaque scientes Hebræi, per ignominiosam flagellationem eum regno exuere decreverunt & nobilitate reali, penitusque nomen & regiam abolere descendentiam, quâ excellebat: *Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus nõ memoretur ampli⁹.* Ier. 11. v. 19. Si quis nostrûm regio sanguine oriundus esset, hâcque suâ destitueretur prærogativâ, qualem creditis ei dolorem inferendũ? Christus Dominus noster Rex regum erat, perque flagellationem hâc nobilitate privatus fuit à propriis vasallis; nunc igitur imaginemini vobis, quantum Christo dolorem attulerit dicta flagellatio?

XIX. Adjungite insuper, delicatissimæ eum fuisse complexionis, imò temperamenti æqualis *ad pondus*, prout communis omnium Catholicorum, Philosophorum & Theologorum fert sententia; ipsaque Virgo sanctissima S. Brigittæ hisce verbis revelavit: *Filius meus erat naturæ optimæ.* Id quod de fide pariter tenendum est, fuit Lib. 1. c. 10. enim corpus ejus perfectissimum, operâ Spiritus sancti organizatum, quod proinde per minimam intemperiem lædebatur.

XX. Imò dolorum ipse sensibilium capax exstitit, prout latius probat S. Thomas p. 3. q. 15 a. 5. cujus in promptu ratio favet, quia *omnes dolores nostros ipse portavit.*

XXI. Superaddite, dolores variis ex causis oriri posse; *primò ex divisione continui, secundò ex percussione & compressione membrorum*; unde illud Nicandri assertum: Nicand. *Quòd si nervus denudat⁹ levissimè tangatur, vehementer dolet.* Quod totũ de dolore intelligitur sensitivo unde dolor oritur interior in potentia sensitiva, qui uterq; intensus cruciatus in potentia rationali & animo dolorem causat incomparabilem. Si itaq; dolor ex percussione nascitur membrorũ, quàm immensus fuerit ille Christi, flagellati 6666. ictibus & diversis cæsi flagellis? quorum primum erat ex virgis spinosis, & quidem juxta aliquorum opinionem ex virgis mali punici seu granati, quæ acutis-

Dolor Christi in flagris est incomparabilis.

acutissimè pungunt & partium cæsarum distemperant qualitatem. Hisce spinosis torturis superaddebantur alii ex cordis, funibus & lignis nodosis cruciatus, præter crudissima & aculeata flagella, quæ cæsas non modò distemperabant partes, sed insuper feriebant cum divisione continui; ita ut divulsam penetrando carnem, dolores accumularent doloribus propter divisionem carnis; neque tandem flagella prætereatis catenarum, quæ adeo sævierunt horrenda, ut uncei ferrei corpus ejus sulcaverint, sicuti terram aratrum.

XXII. Considerate obsecro, quantus oppresserit dolor sensum Christi, quantus perfectissimam ejus potentiam interiorem, & principaliter quidem potentiam rationalem, dum innocentissimus Dei Filius adeo acerbis crudelibusq; modis se haberi vidit.

XXIII. Nihilominus, quantumcunque hucusque dixerim, nequaquam abundè satis mihi explicasse videor ingentem nimis, quem Christus in flagellatione passus est dolorem. Omnia Christi tormenta exstiterunt in summo gradu dolorosa; hoc autem flagellationis cæteris crudelius fuit & atrocius, utpote quasi summum opprobriorum & particularis quædam divulsionis species. Viderant equidem Judæi & adverterant, Christum suam in horto capturam & furis ad instar comprehensionem indignè tulisse, cum

Matth. 26. v. 55. dicto: *Tanquam ad latronem existis comprehendere me.* Itanè? dicebant Judæi, ut fur aut latro tractari renuis? exspecta tantisper, ut majori te pœnâ excruciemus, discerpere te atque extremis opprobriis objicere statuimus; atque ideo mortalem hanc ei intulêre disciplinam.

Cur Christus non obierit sub flagris.

XXIV. Ast si flagellatio adeo mortalis fuit, ut etiam juxta S. Laurentii Justiniani assertum, *utique Christus debuerit planè mori, tanto transfixus dolore*: quare Dominus sub ipsis flagellis non exspiravit? notate difficultatem præsentem, in ea namq; substantia situata est omnium hucusque dictorum. Si Christus sub flagellis mortuus defecisset, hominem duntaxat se esse probasset; dum autem se in vivis conservavit, ut majora subiret opprobria, se Deum declaravit. Quis unquam audivit similia? intelligimus equidem, in miraculorum operatione divinitatem Christi fuisse demonstratã, & convenienter quidem; Sed quis unquam capere, sibiq; persuadere poterit, per opprobria & infamias publicatã innotuisse divinitatem ejus? Ne, obsecro, mentes vestras divertatis ad alia. Decet infinitam & increatam Dei virtutem, ut, quemadmodum quascunq; in se continet res sublimissimas & maximas, ita pariter in exinanitione, nihil adeo reperiatur humile & opprobrosum, cui sese non submittat; in omnibus enim rebus, tam sublimibus quàm humilibus, tam magnis quàm parvis infinitas debet coruscare divina: impotentia quamcunque supportandi imposturam, ex debilitate oritur virtutis creatæ, sicuti ex virtute infinita facilitas sustinendi probra omnia. Humilitas sola secundùm se omnibus est communis, nemo enim non se humiliare potest; exinanitio autem & subjectio, quâ quis sese infinitati substernit opprobriorum, soli est propria Deo; dicente Apostolo sancto: *Exinanivit semetipsum, in similitudinem hominum factus.* Quomodo? *in similitudinem hominum factus?* Ergone Christus non erat verè homo? utique, respondet S. Paulus; sed in humiliando se, terminos excessit omnis ejus, quod poterat præstare homo; adeo namque sese exinanivit, ut infinitâ toleran-

Sufferentia infinitorum probrorũ soli propria Deo.

lerantiâ suâ se verum publicaverit Deum.

XXV. Videns itaque Spiritus sanctus Christum in hujusmodi opprobriorum abysso, quòdque infinita cum tolerantia flagellationem sustineret; heus, inquit, tuam nimium hisce in opprobriis manifestas divinitatem; expedit omnino, ut te mundo hominem æqualiter patefacias & Deum; cæteroquin diversæ exsurgent hæreses, Pyrrâ tuam negaturo humanitatem, Arrio divinitatem. Abundè tuam modò declarasti divinitatem in tanta acerbissimę illius flagellationis tolerantia; dubito, ne tua forsitan lateat occultata humanitas: agedum igitur ô Pilate, Christum educ foras, eque sublimi coram omnibus clama & humanitatem ejus manifesta, postquam suam ipse divinitatem in infinita tot horribilium flagellorum tolerantia comprobavit. Pilatus itaque, ipsemet quid faceret nescius, Christum flagellatum educens, ait: *Ecce homo.* Videte ô Judæi, quia Christus homo est. In Calvario dum in cruce exspiravit, morte illâ suam comprobavit humanitatem; ideoque Centurio ipsum protestatus est esse Deum, dicens: *Verè Filius Dei erat iste.* In prætorio autem tantis cum opprobriis sub acerbissima flagellatione quia suam ipse manifestarat divinitatem, ideo postmodum fuit propositus ut homo.

Resolutio dubiorū. XXVI. Hîc vobis apertum relinquo campum, ad respondendum omnibus, suspensis hucusque dubiis, & ad resolvendum insuper ipsum principale problema. Nemo negat, crucifixionem in Calvario summè exstitisse Christo pœnosam; quia autem per acerbam illam mortem non nisi humanitas innotuit Redemptoris, omnino necessarium erat, ut à Centurione proclamaretur Deus. In Prætorio autem Pilati, per flagellationem, opprobriis plenam & infinita toleratam cum patientia, Christi manifestavit se divinitas; ideoque per Pilatum in hoc casu ejus erat publicanda humanitas: *Ecce homo.* Majorem igitur pœnam, gravioresque dolores Christus pertulit in flagellatione, quàm in sua crucifixione.

XXVII. Si ergo ita sese res habet, an non meritò S. Augustinus ait: *Passio Christi à flagellatione incæpit?* Verum est equidem, Christum, antequam flagellaretur, varias fuisse perpessum angustias & cruciatus plurimos; sed omnes hujusmodi in comparatione flagellationis Christum pro quanto reputasse arbitramini? pro nullo; igitur *Passio Christi à flagellatione incæpit.*

XXVIII. Sique tota Christi passio in flagellatione ejus cernitur compendiata, quid ni concludemus, optimè affirmasse Apostolum, dum de Christo ad Philippenses scribens, ait: *Exinanivit semetipsum Dominus IEsus?* Ubi unquam Deus incarnatus, adeo apparuit exinanitus & quasi annihilatus, sicut in Pilati Prætorio?

XXIX. Desideras conspectum ejus ô Christiane? *Ecce homo.* En Filium Dei, amore nostri factum hominem, ita ut homo humanas posset sufferre injurias: *Ecce homo.* Hic ille sapientissimus homo est, qui rationabilibus consiliis suis humanam DEo reconciliavit naturam: *Ecce homo.* Hic ille homo est, qui cum Deus esset, ad hominum descendit miserias, ut homini conferret sublimitatem Dei: *Ecce homo.* Hic ille homo est, qui ut hominem redimeret, homine effectus est minor: *Ecce homo*; qui ut exile compararet donum, hominem dico; præ nimia humanitate & liberalitate, excellens adeo dedit pretium, quantum ipse est, qui

Deus est & homo. *Ecce homo*; qui hominis extitit reformator, sed tot tantisque cum impensis suis, ut totus ipse difformatus, humanam penitus amiserit speciem & decorem.

XXX. O magne Paradisi Monarcha, te toto cordium nostrorum affectu obsecramus, ut, quemadmodum miseriis nostris misericordiam & tenerrimam audaciæ nostræ plurimæ exhibuisti compassionem, ita pariter hodie præsenti pretiosi sanguinis tui purpurâ impurissimas culparum nostrarum maculas cooperire non digneris; liga Domine & reprime impetuosas passiones nostras tuis illis funibus, qui tuas ligant manus, cœli fabricatrices; benedic tandem nobis, hic in terris per gratiam, & postea per gloriam in cœlis. Amen.

SERMO

PRO QUARTO DIE VENERIS MENSIS MARTII.

De Christo exinanito in prætorio Pilati, per coronam spineam, capiti ejus impositam.

Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus. Matth. 27. v. 29.

PROBLEMA.

Utra fuerit Christo corona gloriosior: an hæc spinarum, quam accepit à Judæis; an verò altera gloriæ, quam ei imposuit Pater?

INTRODUCTIO.

I.

Ergone venerando Christi vertici coronam spineam imposuerunt Judæi? ita; sic namque sanctus attestatur Evangelista Matthæus, inquiens: *Imposuerunt super caput ejus coronam de spinis.* Sed quæ unquam barbara natio, quis unquam tyrannus factum attentavit adeo crudele? scio equidem, vi decreti divini coronata fuisse altare, sponsam, justitiam, domum Jacob, æternitatem, thronum divinum, victorem, templum, cumque regibus pariter & sacerdotes. Coronabantur sacerdotes: *Dedit illi sacerdotium gentis & coronavit eum.* Eccl. 45. v. 9. Coronabantur Reges: *Produxit filium Regis & imposuit diadema super caput ejus*: 4. Reg. 11. v. 12. coronabatur templum: *Ornaverunt faciem templi coronis aureis.* 1. Macch. 4. v. 57. Victor: *Data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Apoc. 6. v. 2. Thronus divinus: *Mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc. 4. v. 10. Æternitas: *Corona tribuetur in generationem & generationem.* Prov. 27. v. 24. Dignitas: *Corona dignitatis senectus.* Prov. 16. v. 31. Diadema conferebatur domui Jacob: *Regnabit in domo Jacob in æternum*; Luc. 1. v. 32. Justitiæ: *Reposita est*

est mihi corona justitiæ. [2.Tim.4. v.8.] Sponsæ: *Veni sponsa mea, coronaberis.* [Cant.4. v. 8.] Exornabat castitatem corona: *Casta generatio in perpetuum coronata triumphat*; [Sap.4.v.2.] Sapientiam: *Corona sapientiæ timor Domini.* [Eccl.1. v. 22.] Arcam: *Facies super arcam, coronam auream.* [Exod.25. v.11.] Et tandem coronâ ipsum exornabatur altare: *Faciesq; altari coronam aureolam.* [Exod.30. v. 3.]

II. Si autem prædictæ res insigniebantur coronis, quantò magis Redemptor noster diademate prefulgere debebat? ipse enim verum fuit altare aureum: *Accepit altare aureum*; [1.Macch 1. v. 23.] ille sanctitatis arca: *Tu & arca sanctificationis tuæ*; [Ps.131.v.8.] ille sapientia divina: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*; [Col.2.v.3.] Puritas ille sine macula; *Sanctus, innocens, impollutus*: [Hebr.7.v. 36.] fuit ille sanguinis sponsus, de quo dicitur: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* [Exod.4.v. 25.] Ille justitia de cœlis descendens: *Iustitia de cœlo prospexit*; [Ps.84 v.12] ille domus Jacob, penitus inflammata: *Erit domus Iacob, ignis.* [Abdi.v.18] Ipsiusmet exstitit dignitas divinitatis: *Dignus est agnus accipere Divinitatem.* [Apoc.5.v. 12.] Ipsamet ille fuit æternitas: *Christus autem manet in æternum.* [Ioan.12.v. 34.] Ille thronus gratiæ: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ*; [Hebr.4.v. 16.] mortis triumphator: *Qui mortem nostram moriendo destruxit*; [2.Tim.1. v.10.] templum civitatis cœlestis: *Deus omnium, templum illius erit.* [Apoc.21. v.22.] Ille Regum supremus; *Rex Regum & Dominus dominantium.* [Apoc.19. v.16.] Ipse denique summo polluit sacerdotio: *Tu es sacerdos in æternum.* [Psal.109. v.4.] Si itaque Christus, summus fuit sacerdos, Rex Regum, sacratum templum, victor mortis, thronus gratiarum, Deus æternitatis, domus Jacob, plenus justitiâ, verus animarum sponsus, puritas sine macula, sapientia Patris, arca sanctitatis & altare sacratum; quomodo coronâ spineâ coronatus fuit?

III. Respondetis mihi, duas Christum possidere coronas, quarum alteram obtinuit in prætorio, alteram in Empyreo; in prætorio à Judæis, in Empyreo à summo Patre; à Judæis coronam spineam, à Patre coronam gloriæ. Illius S. Evangelista Matthæus meminit, dum ait: *Imposuerunt super caput ejus coronam de spinis.* [Matth.27. v.29.] Hanc quoque regius Vates repræsentat, inquiens: *Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso.* [Psal. 20. v. 4.] Acquiesco responso vestro, ita tamen ut vos interrogare compellar. Si Christus duplicem portavit coronam, utra ei charior & gloriosior fuit, an illa spinea, an hæc gloriæ? Hoc ipsum vobis hodie exhibeo problema. [Problema.] Nisi autem me verborum vestrorum spinis transfigere volueritis, discursum meum coronâ insignite silentii: incipio.

IV. Et in principio quidem factũ quoddam stupendum vobis ut enarrem, coarctor. [Prodigiũ in urbe Burgos.] In civitate Burgos, in ecclesia Conventus Ordinis mei quidam in veneratione est crucifixus, tantæ devotionis, tantorumq; miraculorum virtutis, ut quidam nobilis eques propter multas, ab eodem receptas gratias, coronam illi auream fieri curavit, rogans Priorem & reliquos Conventus Patres, ut aureã sacro imponerent vertici, spineam verò arcæ includerent triũ clavium; fecêre, ut rogati fuerant, boni Patres; sed ecce tribus consequenter vicibus corona aurea, quam capiti imposuerant, miraculosè inventa fuit, pendula in clavo sanctorũ pedum; spinea autẽ, quam scrinio incluserãt, re imposita venerando capiti. O mi crucifixe Deus, itane flocci facis coronam auream, tanta cum generositate tibi à devoto cliente oblatam? cur tanti spineam æstimas coronam?

V. Prodigiosa hæcce historia memoriæ meæ similem confestim ingerit successum alium, à sancto Joanne commemoratum. Satiaverat Christus Dominus noster paucissimis panibus, quinque millia hominum, quod miraculum cum turbæ cognovissent, providentiam rega-

regalem obstupescentes, statuerunt magnificum Dominum coronare in Regem. Sed quid? *Cum vidisset Iesus, quod venturi erant, ut facerent eum Regem, fugit in montem.* O mi Domine, quandonam promissio adimplebitur Angeli, asserentis, te successurum in regnum David? Nonne prædixit Paranymphus cœlestis, mysterium incarnationis, annuncians Mariæ matri tuæ? *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis?* Nunquid & in principio nativitatis tuæ, venêre ab Oriente Magi, te adoraturi, teque verum recognituri Judææ Regem? *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Cur igitur coronam devitas, tanto cum jure, tuo debitam imperio?

Joan. 6. v. 15.

Cur noluerit coronari à turbis.

Luc. 1. v. 32.

VI. Pro dubii hujus resolutione, supponite mecum ô Auditores! duobus Regnis potitum fuisse David; alterum temporale, ratione cujus dicebatur Rex Israël; alterum spirituale, quod diu ante possedit. An non recordamini ejus, quod in historia sacra de Davide narratur? Sanctus hîc Rex invidam declinaturus inimici Saulis persecutionem, coactus fuit ab inhumana ejus fugere præsentia; errabundus itaq; in horrendis istis desertis, tandem hospitium sibi elegit speluncam nomine Odollam: *Abijt ergo David, & fugit in speluncam Odollam.* Dum hocce in antro miserabilis ille dimoraretur, sua ingemiscens miseræ vitæ, voluit Deus, ut eodem in loco, recognosceretur & coronaretur in Regem, utpote cui jamtum cœlitus gubernium erat destinatum regale; unde die quodam ingens eum convenit diversarum gentium exercitus, ipsum adoraturus. Quis erat hicce populus? audite textum: *Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo; & factus est eorum Princeps.* Omnes fortunæ invisi, omnes miseri, calamitatibus & doloribus pressi, qui suas decoxerant pecunias & bona, resolverunt se subdere, suumque agnoscere Principem, David; hocq; fuit primum ejus regnum: aliud postea temporale fuit illud Israëliticum.

David 2. habuit regna.

1. Reg. 22. v. 1.

David Rex omniũ pauperum.

VII. Adeamus modò tertium librum Regum, ubi bonus hic Rex suum Factori redditurus spiritum, dum testamentum conderet, suamque ultimam manifestaret voluntatem, jussit Salomonem in Regem coronari populi Israëlitici: *Imponite Salomonem filium meum super mulam meam, ducite eum in Gihon; & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos & Natan Propheta in Regem super Israël. Veniet in Ierusalem & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me.* Ecce vobis dispositum regnum Israëliticum. Deinde quoque de regno dispositurus spirituali (quod ei magis cordi erat) hoc conferre & impertiri voluit non alteri quàm Christo, suo pariter filio *secundùm carnem*; ad quem proinde conversus, ait. Dilecte & chare fili, ne diffidas, te paternam quoque obtenturum hæreditatem & regnum tibi debitum cum corona, ad quod ab æterno destinatus fuisti: *Regnum tuum nemo tollet à te.* Scias igitur fili mi, thronum tuum minimè æqualem futurũ esse illi Salomonis, *ex ebore antiquo*, vestitum purpurâ auro argentoq; intextum; minimè equidem: Sed thronus tuus durum erit lignum, proprio tuo purpuratum sanguine; neque corona tua lapidibus gemmisque pretiosis distincta fulgebit, sed acutissimis armata spinis; atque ita regnum, quod tibi hæreditarium cedet, nil tibi præter afflictiones, tormenta & pœnas accumulabit. Noveris insuper, qui tui futuri sint fideles vasalli, quorum specialis tibi habenda erit providentia:

3 Reg. 1. v. 33. & 34.

v. 35.

&

Ps. 10. v. 14. & curas scias itaque, quòd *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Exque eo momento Christus Dominus, *Habuit sedem David patris sui, & regnavit in domo Iacob in æternum;* Rex permanens afflictorum & desolatorum.

VIII. Ex hisce facile erit intelligere, cur Christus non aliam præter spineam, voluerit coronam; recusavit ille diadema auro coruscum, opulentiâ & majestate plenum, quale luxus hodie & vana Principum mundi pompa circumfert; & quantumcunque coronam mereretur, gemmis honoribusque præstantem, tum propter insignem, quàm à Pharaone, in maris abyssum demerso, reportavit navalem victoriam; tum propter exitiales funditus eversæ urbis Jerichontinæ assaltus; tum denique ob suam liberalitatem, quâ tantam hominum multitudinem in deserto vagabundam pavit in virtute manna; nihilominus nullam aliam voluit unquam admittere coronam, nisi spineam; majoris æstimans nomen Regis afflictorum, oppressorum & calamitosorum, quàm qualemcunque alium mundi titulum.

Cur Christus solam voluerit coronam spineam.

Reg. 1. 33. & 34. 35.

IX. Quam causam esse existimabitis, cur Redemptor noster coronam suam spineam nulli unquam alteri voluerit communicare? liberalissimus ille fuit in impertiendo devotis & clientibus suis plagas & vulnera clavorum & lanceæ; prout de S. Patre Seraphico Francisco legitur; *Cui Seraphim, crucifixi effigiem inter alas continens, apparuit; qui ejus & manibus & pedibus & lateri vestigia clavorū impressit;* inquit Ecclesia in lectionibus in ejus festo recitari solitis. Id quod etiam de S. Catharina Senensi traditur, cui stigmata fuere impressa Crucifixi; & magno P. Augustino nunquid cor vulneratum fuit ipsemet? sanè ita attestatur, inquiens: *Sagittaveras tu Domine cor meum charitate tuâ.* At nunquam legitur, quod suam Salvator ulli alteri communicaverit coronā spineam. O Domine mi quare tu in communicandis manuum, pedum ac lateris tui plagis adeo prodigus erga devotos tuos, in communicanda corona spinea adeo constanter permanes avarus?

Christus plagas suas communicavit S. Francisco.

Nulli coronam. &c. §. 13.

X. Insignia duo mysteria hoc in facto elucidabimus; quorum primum est, coronam spineam Christo obtigisse in signum, quòd ipse afflictorum & tribulatorum Rex esset, ideoque nec debebat nec poterat ipse eam communicare aliis. Domini mei jurisconsulti vos docetis in lege vestra, *Cum Pater §. liberis. ff. de legatis & fidei commissis,* quòd *bona subdito fideicommisso non possunt alienari, & qui alienat, cadit à jure suo.* Insuper speciatim Canonistæ tradunt in capitulo *licet de voto,* quòd dignitates regales *Primogenitis conferuntur, & non dividuntur.* Imò Iurisperiti in capit. *nemo potest* num. 3. ff. de legatis, asserunt, quòd *Pater non potest auferre jus primogenito, disponendo circa primogenituram.* Tandem in Hispania receptissimum est, primogenituram nullo modo dividi aut alienari posse, sed eam semper competere natu majori; quantumvis bona alia acquisita & personalia ad libitum dari & distribui possint.

Textu legales.

XI. Discutiamus itaque tantisper, quæ fuerint bona Davidis acquisita, & quæ spectantia ad primogenituram? certissimum est, Davidem Jerosolymitanum & Israëliticum regnum sibi comparasse funda, lancea & ferro, occidendo Gigantes, mactando Philistæos; ideoque illud juxta beneplacitum suum alienare & Salomoni dare poterat, qui non erat primogenitus ejus. Christo autem (qui *fuit primogenitus*

Rom. 8. v. 29.

Rom. 8. v. 29. *tus in multis fratribus*) dari debuit primogenitura; sed quænam fuit ista? regnum misericordiæ: *David in sua misericordia* 1. Macch. 2 v. 57. *consecutus est sedem regni in secula*; inquit Matatias de regio Propheta. Dicitur autem *in sua misericordia*, quia hæc Davidi, veluti proprietas, intima erat. Hoc ipsum regnum consecutus est CHRISTUS, Isa. 9. v. 6. quando *factus est principatus super humerum eius*; & quando ei dictum fuit: Ps. 10. v. 14. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*.

XII. Potitus est autem Christus non modò dictâ prærogativâ, sed aliis etiam bonis accessoriis; qualia fuêre bona acquisita? fuerunt hæc manuum, pedum & lateris plagæ; ideoque veluti ob eventum extraordinarium interrogatus: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondit: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Has mihi comparavi plagas, dum à sanguinolento conflictu, redii victoriosus, hasque ipse plagas suis non illubenter communicat electis. At coronam spineam accepit in hæreditatem, quam proinde si aliis communicasset, *cecidisset à jure suo.* Nequaquam, ait ille; mihi soli competit corona, solus ego afflictorum & miserorum Rex sum: *Mihi derelictus est pauper.* Primogenitura mihi, tanquam primogenito in regno debita competit.

Christus bona habuit hæreditaria & acquisita.

XIII, Secundum mysterium, cujus memini in §. 10. occultius est, magisque reconditum, planiorem assignans causam, quare Christus nulli unquam alteri coronam spineam communicarit; pro cujus intelligentia supponendum est, quòd solus Christus omnium mūdi peccatorum summam in humeros suos sustulerit, quòdque solus ille pro iisdem pœnam subire debebat, nullo alio puro homine, quantumcunque sanctissimo, potente satisfactionem dare divinæ justitiæ *de toto rigore* pro peccatis mundi; quia, ut inquit Sanctus Leo: *Quamvis in conspectu Domini, multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, redemptio fuit mundi*; cujus hanc assignat rationem, quia *singulares in singulis mortes fuêre, nec alterius quispiam debitum suo fine persolvit.* Quicunque mortuus fuisset, pro se duntaxat, & non pro aliis mortuus fuisset. S. Leo ser. 1. de nat. Dom.

XIV, Hoc supposito, ecce vobis causam, cur Christus spineam coronam sibi soli voluerit reservatam? citra omne dubium, inquit magnus Pater Augustinus, Deus mundum creans, simul creavit & spinas, quia post sextum diem *requievit ab universo opere, quod patrarat*; neque enim quidquam postea produxisse aut creasse legitur. Si ita est, quomodo itaque protoparenti Adamo post peccatum dicitur? *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Ergone peccatum occasio fuit, ut terra produceret spinas? Non, dicit S. Augustinus. peccatum enim non appellat super *germinabit*, sed super *tibi*. q. d. quantumvis ad Universi decus & ornamentum divina omnipotentia spinas creaverit à principio, non tamen eas creavit, ut pungerent Adamum; quia in statu innocentiæ, non poterant affligere eum. At post peccatum spinæ ordinatæ fuerunt, non modò ut caput, sed omnia etjam transfigerent Adami membra, ut ita singula effectum & pœnam experirentur peccati. Ast quoniam pientissimus cœlestis pater peccatum Adami, quantum ad pœnam, in Christi transtulerat carnem, quid fecit? ex spinis, in Adami torturam ordinatis, contexuit coronam, quam sacro Christi vertici imposuit; quia igitur ex alia parte,

S. Aug. in Gen. ad litter. Gen. 2. v. 2. Gen. 3. v. 17.

parte, nullus præter Christum, æterno Patri, pro Adami culpa *de toto rigore justitiæ*, satisfacere poterat; ideo omnino conveniens erat, ut nulli alteri corona hæc communicaretur.

XV. Nihilominus hucusque dicta gravis admodum & difficilis dubii materiam mihi subministrant. Si corona, teste Sancto Matthæo, ex spinis Christo imposita fuit per Judæos: *Imposuerunt super caput eius coronam de spinis*: quomodo igitur asserere poterimus, eandem & à Patre æterno fuisse Christi capiti impositam? Et iterum, si Pater æternus Christum coronavit spinis, quando igitur illucescet dies iste, quo Christus compareat, aureo insignitus diademate, juxta illud regii Vatis assertum: *Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso*? quando nam contemplabimur eum, gloriâ coronatum & decore? juxta quod idem Psaltes ait: *Gloria & honore coronasti eum Domine & coronam pulchritudinis posuisti super caput eius?*

Joa. 19. v. 2.

Ps. 20. v. 4

Ezech. 16. v. 12.

XVI. Profiteor ô Auditores grave inprimis esse dubium illud; at stante eo, quod jam jam vobis dicturus sum, nullius est difficultatis. Quis unquam crederet, ipsam hanc coronam spineam, Christo exstitisse coronam auream, diadema gloriæ & pulchritudinis? Notate; S. Cyrillus Jerosolymitanus ex professo tractans, de corona spinea, capiti Christi imposita, *mysterium*, inquit, *fuit corona spinea*. Corona spinea mysteriosum fuit sacramentum. *Mysterium*? quodnam sacramentum aut mysterium latere potuit in corona spinea? scitisne, quale, inquit Sanctus? Corona spinea Christo serviit pro corona gloriæ, honoris & pulchritudinis. Audite ipsiusmet Sancti Patris verba, illum Sancti Joannis textum (*venit hora, ut clarificetur filius hominis*) ita interpretantis: *Non quòd prius non haberet gloriam, quia semper tanquam Deus gloriosus fuit; sed nunc verè glorificatus est, patientiæ ferens coronam*. In tempore gloriam assecutus est Filius Dei & magnificentiam, non quasi ante non fuisset gloriâ plenus, semper enim tantum, quantum ipse æternus Pater exstitit gloriosus; at in prætorio Pilati specialiter glorificatus fuit, quia corona spinea illi in diadema gloriæ deservivit: *Glorificatus est, patientiæ ferens coronam.*

S. Cyr. Ier. Catechs. 12. & 13.

XVII. Et in effectu quidem si S. Joannes Baptista, ponendo dextram suam super caput Christi, ad tantam fuit exaltatus gloriam, ut non modò omnium Sanctorum maximus, neque Angelus duntaxat, sed etiam DEUS fuerit denominatus, dicente textu sacro: *Cogitantibus omnibus de Ioanne, ne forte ipse esset CHRISTVS*: quem titulum, quod attribuemus encomium coronæ spineæ, quæ sacrosanctum exornavit Redemptoris caput?

Luc. 3. v. 15.

XVIII. Auderem dicere ego, & affirmo intrepidè, coronam spineam adeo exstitisse Christo pretiosam, ut nulla alia crucis gemma eidem potuerit assimilari; audite probationem singularem. Existens quâdam vice in templo Christus, taliter eum Hebræis discurrere cœpit: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit & gavisus est.* Abraham cum jubilo desideravit meum videre diem, summaque cum lætitia eundem contemplatus est. Non intelligentes mysterium Judæi, ita replicarunt: *Quadraginta annos nondum habes, & Abrahã vidisti?* Non tu Abrahamum, neque te Abrahamus vidit unquam; jam enim à tot sæculis

Ioan. 8. v. 56.

sæculis mortuus est Abraham, & quomodo tuum potuit videre diem? Lippomanus docet, quòd Deus dũ Abraham vidit, proprio non parcentem filio, illi dixerit; ô Abraham, quandoquidem tu actum elicuisti adeo heroicum propter me, tibi pariter manifestabo, quæ facturus sum propter te; tunc igitur ei mysterium revelavit Redemptionis, exhibens illi arietem inter spinas: *Quia filio tuo non pepercisti propter me, vicissim tibi tradam filium meum unigenitum propter te*: hicque fuit dies Christi.

Lipp. in sua ... c. 22.

XIX. At si dies Christi fuit passio eius, in qua diversa occurrunt mysteria, V. G. oratio in horto, flagellatio, crucifixio; quare Deus volens Abrahamo diem ostendere Christi, arietem duntaxat illius oculis exhibuit, hærentem inter spinas? scitisne, quare? quia coronatio spinea illi majorem multò pompam contulit, quàm quodcunque mysterium aliud; cumque ex alia parte Deus ipse mysterium coronationis omnium æstimaret prætiosissimum, ideo coronationis spineæ intuitu Prophetam suum voluit oblectare. Pro conceptus huius intelligenda subtilitate, necessarium esse duxerim, examinare, cujus fuerit materiæ corona spinea, Christo imposita. S. Vincentius, Greg. Turonensis, Hugo Cardinalis & Suarez auctumant, eam fuisse ex juncis marinis contextam; sed his sese opponit Cardinalis Baronius, inquiens, juncos marinos crescere ad littus maris; incredibile autem videtur, Judæos ex Jerusalem, urbe mediterranea, ad tantam loci distantiam abire voluisse pro formanda Christi corona. Ast hæc Baronij ratio neutiquam convincit; quia cùm mors Christi *ab æterno* prævisa & ante tot sæculorum seriem à Deo præparata foret; videtur credibile omnino, quòd, si inibi juncorum fuisset defectus, ad coronam Christi necessariorum, Deus confestim, qui dictam coronationem ordinaverat, illos præsto esse, suaviter dispòsuisset; ad aliam itaque rationem nobis recurrendum est.

XX. S. Basilius sacræ Scripturæ verba intelligenda esse dicit, ut sonant; cæteroquin enim totus intricaretur textus sacer, neque unquam ipsa elucidaretur veritas: *Cum audio Moysen, dicentem*; *cælum, terram, aquam, pisces, fœnum &c. si aliter dicere voluisset, aliis verbis explicasset.* Dicere, per cœlos intelligi Angelos, & dæmonia per terram, est totam susque deque invertere Scripturam. Ad intentum loquamur; omnes Evangelistæ loquentes de Christi corona, & speciatim quidem S. Matthæus, expresse tradunt, eam fuisse de spinis: *Imposuerunt super caput eius coronam de spinis*; quo igitur fundamento nos eam ex juncis marinis contextam fuisse dicemus? atque ideo Genebrardus, agens de S. Ludovico, Franciæ Rege, qui eam à Græcis redemit, illam de spinis fuisse attestatur, dum ait: *Sanctus Ludovicus, Rex Galliæ, à Græcis redemit spineam coronam; eamque Lutetiam asportari præcepit, cui ipse obviàm, comitantibus Episcopis & Regni Proceribus, venit multis cum lacrymis, & suspiriis, & nudis pedibus, undique affluente & ingenua procumbente populo.* Statuendum est igitur coronam Christi non ex juncis marinis, sed ex spinis contextam fuisse.

S. Basil. l. 3. in Exam. c. 9.

Gen. 1. v. 1.

Geneb. l. 4. sua chron.

Ex quibus contexta corona Christi.

XXI. Jam clare dignoscetis quomodo Christus spinis coronatus, particularem patefecerit amoris pompam erga hominem, & speciale quodam in coronatione exhibuerit lumen, quod in aliis sacræ passionis mysteriis minimè resplendet. Spinæ fuerunt maledictæ & maledictionis effectus, post Adami namque prævaricationem,

Gen. 3. v. 17. tionem, Deus maledixit terræ: *Maledicta terra in opere tuo*: ipsam autem maledictionem specificans, ait; *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Spinæ igitur ob maledictionem & in peccati pœnam de terra ortæ sunt, cùm reliquæ tamen plantæ & herbæ nunquam fuerint maledictæ, sed productæ & benedictæ. Et quantumvis lignum crucis, propter illam Deuteronomii legem (*maledictus omnis qui pendet in ligno*) reputaretur maledictum; id tamen non nisi ex defectu accidit intelligentiæ, lex enim non supplicii aut justitiæ considerabat instrumentum, sed delinquentes ipsos; prætterquam quòd ad crucis mortem non condemnabatur quispiam, nisi propter enormia flagitia, blasphemiam V. G. idololatriam &c. Dum igitur spinis coronatus est Christus, materiam assumpit execrandam & coram toto maledictam mundo; quia scilicet pœnam acceptavit, peccato hominis debitam, eamque nobilissimæ imposuit corporis parti, scilicet capiti; crucem humeris, clavos manibus & pedibus, lanceam fecit infigi suo pectori; neque ullorum horum instrumentorum maledictioni subjacebat: in coronatione autem id assumpsit, quod omnium maximè erat execrandum & maledictum, pœnam peccato humano debitam, hancque suo imposuit vertici; ideoque Apostolus inquit; *Factus est pro nobis peccatum.* Sed quomodo Christus peccatum factus est? scitisne quomodo? assumendo pœnam peccati, ut satisfaceret pro ea; dumque coronam admisit de spinis, peccati pœnam, id est, spinas, suo imposuit capiti; est caput benedictionis sedes: *Benedictio Domini super caput justi*; maledictionem in se assumpsit, eâque suum exornavit caput. An non coronatio hujusmodi, vobis specialis esse videtur divini amoris pompa?

Cur Christus spinas maledictas suo imposuerit capiti.

S. Basil. l. 3. in Exam. c. 7.

Gal. 3. v. 13

Gen. 7. v. 6.

Genebl. 4. sua chron.

Ex quibus contexta corona Christi.

1. Cor. 5. v. 21.

Prov. 10. v. 6.

Bonherba Problemata Sacra.

XXII. Nihilominus alia edisseram longè admirabiliora, spinis Christus coronari voluit, ut suam abundè manifestaret divinitatem; quis credet unquam? regrediamur, si placet, tantisper ad priora. Spinea hæc coronatio ingens semper mihi creavit fastidium tam ex parte judæorum, quàm ex parte Christi. Ex parte quidem Judæorum; quia hæc coronatio nunquam ordinata fuit per justitiam judaicam; sed totum potius Hebræorum desiderium situatum erat in eo, ut crucifixum viderent Christum; ideoque vociferabantur identidem: (*rucifige, crucifige eum*: & quia tanta cum sollicitudine, Christi urgebant crucifixionem: *Angariaverunt Simonem Cirenæum, ut tolleret crucem Jesu.* Id fortè ex charitate factum fuisse arbitramini? nequaquam; sed potius ut accelerarent crucifixionem, timebant namque; ne, dilatâ tantisper morâ, superveniret revocatoria Pilati Sententia. Interrogo ego in præsenti; si Judæi ita urgebant Christi crucifixionem, cur prius illum spinis coronare voluerunt coronatio condemnationi successit; primò enim condemnatus fuit, & postea coronatus, dicente S. Matthæo; *Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigerent; tunc milites congregaverunt universam cohortem, & exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput eius.* Certè singula hæc certum requirebant temporis spatiũ; debilitaverant flagella Christum, præque pungentium spinarum atrocia, quæ caput perterebrabant, emori potuisset; sicque suum minimè fuissent assecuti Judæi intentum. Quare igitur sese occuparunt primò in coronando, & postea in illudendo eum opprobrosâ ista adoratione; *Ave Rex Iudæorum?*

Christus in spinis suam perhibuit divinitatẽ.

Mat. 27. v. 32.

Mat. 27. v. 26.

v. 29.

Ttt tt XXIII. Ex

XXIII. Ex parte Christi pariter coronatio maximum attulit fastidium Tertulliano; si enim ipse pro nobis mori volebat, transeat, sed ad quid tanta opprobria & ignominiæ? *Taceo, quòd crucifigitur*, inquit Tertullianus, *sed quid tot contumeliis opus fuerat?*

XXIV. Superaddite, coronationem Christi, summum & ultimum fuisse opprobriorum omnium; fuit enim quædam flagellationis species, neque ipse unquam Pilatus ad similia probra condemnavit Christum; sed omnia hujusmodi tormenta ex judaica malignitate ortum traxerunt, qui Redemptorem, priusquam moreretur, tantis voluêre exponere opprobriis. In hoc totum consistit dubium meum, quare Christus tot ac tantas elegerit ignominias.

XXV. Notate; si Christus tantummodo mortuus fuisset, mors eius sola, imò & multò minus sufficisset ad nostri redēptionem; nihilominus per nihil horum, suam manifestasset divinitatem, cùm enim hæc infinitæ esset virtutis, summam sustinere debebat opprobriorum omnium; unde S. Petrus Chrysologus inquit: *Non sufficit passio communis, non mors secreta nec simplex, nisi ut, quanta erat patientia singularitatis passionis; actum est, ut auctor sæculi, sæculo teste, moreretur; & à mundo mundi Dominus ante per pœnam, quàm per gloriam cognosceretur.* Patientia singularis erat, divina erat; conveniebat itaq; ut singularis ei correspònderet passio, usq; ad ipsa flagella: profectò nunquid non divinitas ejus, violentam incurrisset suspicionem, si aliqua ipsi defuisset gloria? utique, Deo enim omnis competit gloria; ita pariter dico ego, si Christum aliqua subterfugisset vituperii & infamiæ nota, divinitatem ejus in suspicionem adduxissemus. Agedum igitur, ait Christus, ipsam quoque coronationem, omnium opprobriorum summam, tolerare volo ut mea clarius innotescat divinitas. Corona itaque spinea Christo extitit gloriosa, eique deservivit in coronam honoris & magnificentiæ.

S. Petrus Chr. ser. 6. de pass.

Per coronationem se Deum monstrat.

XXVI. Vultisne, ut coronidem præsenti imponam sermoni? obsequar, sed permittite ante, ut succinctè adhuc unicum vobis pandam coronæ præconium. Quid Christum in cruce ad regalem promovit dignitatem, nisi corona spinea? duobus in locis Christum comtemplor in forma Regis, in Cæna & in Cruce; in cæna quidem: *In hac mensa novi Regis*; in cruce autem: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* In cœna, nullus Apostolorum regiam in Christo agnovit dignitatem, neque Redemptor pro Deo existimatus fuit; imò potius tunc Judas suam exorsus est traditionem: *Cum accepisset ille buccellam, continuò exivit.* In cruce autem, bonus latro altâ voce clamat: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quem sacrum textum contemplans atque obstupescens magnus P. Augustinus, *ô bone latro*, inquit, *dicas mihi, quod regnum vides in cruce? crux, clavi, spinæ & mortis instrumenta sunt, quæ vides; regnum non vides, quod regnum, commemoras?* Quodnam est regnum istud, de quo loqueris; An nescitis, subsumit S. Maximus, Christo promissum esse ab Angelo, q; ipse Rex cœli futurus esset? ita; *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Quandonam Christus regni hujus accepit possessionē? quando? respōdeat David: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Itane? Christus regni sui possessionem in cruce accepit? convenientissimè igitur bonus latro supplicat: *Memento mei.* In cœna equidem Christus comparuit Rex verus,

Corona spinea Christum exaltavit ad dignitatem regiam.

Non in cœna, sed in cruce, Christi dignoscitur Deitas.

D. Aug.

S. Max.

Luc. 1. v. 32.

Ps. 95. v. 10.

at sine corona spinea; in cruce autem quia spinis coronatus videbatur, subitò venerandum hunc obtinuit titulum: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.*

XXVII. Adeoque cum S. Cyrillo concludere possumus & dicere: *Mysterium fuit spinea corona.* Corona de spinis mysterium fuit absconditum; quamvis enim ex spinis contexta foret, Christum nihilominus tanquam corona aurea & diadema gloriæ exornavit, eum in cruce ad supremam promovendo dignitatem regalem.

XXVIII. Pro resolutione itaque problematis, liberè edicite & concludite, chariorem Christo clarioremque fuisse coronam spineam, quam in prætorio accepit à Judæis; præ corona gloriæ, quam in cœlis obtinuit à Patre; quia corona spinea origo fuit coronæ gloriæ.

XXIX. O sacratissimæ spinæ, quæ tantam Deo meo gloriam attulistis & splendorem, vos ego humilimè adoro, vos namque dignæ fuistis illud divini capitis intrare sanctuarium. O Spinæ Sacratæ, imò cœlestia lilia, quàm decorè vernastis in prato serenæ hujus frontis? O Spinæ sacrosanctæ, quæ puncturis vestris caput feriistis Dei incarnati, cur hodie nostra non transfigitis mortalia corda? si mare sulcando sanguineum, tantam Filio Dei attulistis pœnarum abundantiam, cur ad minus hodie aliquibus sanguineis guttulis nostras non conspergitis peccatrices animas? Agedum, agedum ô Christiani, contrito oculo, spinis coronatum contemplamini Deum; ne timeatis sub spinis hisce infernalem latitare serpentem; appropinquate animo devoto, ad libitum vestrum in spinis istis lilia collecturi sponsi vestri, & mel in iisdem tanquam in dulci alveario gustaturi. His, his sub spinis purpurea illa flagrat rosa, quæ vestrum poterit recreare odoratum. His sub spinis abscondita latet Divinitas, ut nos fideles ab infernali eripiat serpente. Deus iste coronatus, spinarum pennâ & sanguinis sui rubricâ, latam à suprema justitia adversùm nos sententiam abolere, æternæque misericordiæ suæ decretum vult exarare. Agedum itaque animæ devotissimæ, venite, accurrite, meum illum ac vestrum, inter spinas amplexamini Redemptorem. Tuque ô coronate Deus, coronam benedictionis indulge contritis animabus istis; cum guttis illis sanguineis, è capite tuo promanantibus, primò ablue animam meam, & deinde totius populi præsentis. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*



SERMO

PRO ULTIMO DIE VENERIS MENSIS MARTII.

De Christo exinanito in Calvario per mortem crucis, & in eadem cruce ad gloriosum nominis Jesu imperium exaltato.

Humiliavit semetipsum Dominus Iesus usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philip. 2. v. 8. & 9.

PROBLEMA

Uter in Christo fuerit major; dolor, an honor? tormentum, an consolatio? exinanitio in crucifixione, an magnificentia in exaltatione?

Et ubi, in crucem sublimatus, majorem fuerit consecutus gloriam & satisfactionem; an in æterni Patris sinu, ubi accepit divinitatem; an in gremio Mariæ, ubi hausit vitam; an verò denique in cruce, ubi à Judæis cum ignominia passus est mortem?

INTRODUCTIO.

I.

HOdie igitur, ultimo die Veneris, mensis Martii, crucifixus Jesus, inque Calvario usque ad mortem crucis exinanitus, in eadem cruce, ad imperium vitæ, exaltatus fuit? ita; sic namq; Apostolus docet, dum ait: *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus usque ad mortem, mortē autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Si ita sese res habet, sublime vobis dubium hodie proponere compellor: uter in Christo fuerit major, dolor an honor? tormentum an consolatio? exinanitio in crucifixione, an verò magnificentia in exaltatione? quod dubium adeo grave est, ut indilatè mentem meam ad alium ablegет locum. In tribus magnificis thronis Deum

Deum ego contemplor majestatis; in Empyreo, in Bethlehem & Calvario. In Empyreo, in æterni Patris sinu: *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* In Bethlehem, in gremio Virginis: *Non horruisti Virginis uterum.* In Calvario, in brachiis sanctæ crucis: *Crucem sanctam subijt.* In cœlis, in Patris sinu, per æternam generationẽ, possidet divinitatem: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* In utero Mariæ, ab eadem Virgine per generationem temporalem, humanam hausit vitam: *Qui natus est de Maria Virgine.* In Calvario, inter brachia crucis, ignominiosam ipsi intulere mortem Judæi: *Crucifixus, mortuus.* Sublimatus itaque in crucem Salvator, ubi majorem satisfactionem, ubi solatium & gloriam expertus est sublimiorem; an in sinu Patris, throno divinitatis? an in utero virgineo, humanæ ejus principio vitæ? an denique verò in cruce, ignominiosissimæ mortis loco? Nisi vos hodie loquacitatis vestræ cruce mortem mihi inferre volueritis, detis mihi, obsecro, vitam per silentium.

II. Si autem vos curiositas impellit in principio, ut intelligatis, uter in Christo crucifixo fuerit major, dolor an honor, tormentum an consolatio, exinanitio in crucifixione & morte crucis, an verò sublimitas in exaltatione, ne gravemini, mecum in montem ascendere Calvarium, pia cum attentione omnes consideraturi mysteriosæ hujus mortis circumstantias; ut veluti innocentis hujus agni sanguis aliqua fortassis emolliet dividetque adamantina corda; ita pariter regalis sanctæ crucis virga, obstinatorum peccatorum petram percutiens, lacrymas eliciat compunctionis, atque universalis totius naturæ commotio, insensati cujusdam pectoris viscera moveat, & aliquod saltem obtineat suspirium.

III. Et primo quidem omnium, menti meæ crudelis ista, à Pilato contra Christum lata, mortis occurrit sententia: *Tunc Pilatus dimisit eum, qui propter seditionem & homicidium, fuerat missus in carcerem; Jesum verò tradidit voluntati eorum.* Infinitus ille Deus, qui in fine mundi, vivos & mortuos judicaturus erat, sese ab iniquo judice ad mortem condemnari permittit. O Pilate tyranne, quo te tua præcipitat cæcitas & vanus timor? quis unquam vestrûm ô Auditores! si persuadere potuisset, tantam hominum futuram esse temeritatem, ut Deo pacis hominem præferret seditiosum? vitæ largitori homicidam? gravissimorum criminum reum fonti justitiæ & sanctitatis? & nihilominus absolvitur Barrabas, & condemnatur Christus. *Quid aliud fuit hoc*, inquit S. Augustinus, *nisi dicere; occidatur ille, qui suscitat mortuos; & dimittatur ille, qui vivos occidit?*

Matth. 27. v. 26.

D. Aug. in Mich. 7.

IV. Vix edixerat sententiam Pilatus, cùm ecce tibi subitò eam exequuntur Judæi. Sed quo successu? videte, quantum in præsenti sese exinanierit Redemptor; qui pedibus suis calcat universum, non recusavit humeros substernere gravi crucis ligno: *Et bajulans sibi crucem, ducitur ad eum, qui dicitur Calvariæ locus.*

V. Ast non fuit hoc omnium suppliciorum maximum, quod pro nobis passus est Christus; progrediamur ulterius ad ignominiosam, quam ipse, in cruce pendulus coram universa multitudine perpessus est nuditatem. Quàm, putatis, ea Crucifixo fuerit pœnosa? si attentas mihi aures præbere volueritis, demonstrabo vobis, quòd inter omnes, quantumcunque acerbos, supra Calvarium bono Jesu inflictos dolores, tormentum atrocissimum fuerit dicta nuditas. Patiente Domino in cruce, circa horam sextam, ut S. Mat-

Nuditas summum Christo tormentũ. & §. 8.

Matth.27. v.45. S. Matthæus atteſtatur, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*: ex improviſo denſiſſimæ ortæ ſunt tenebræ, obſcuro nigroque pallio totum cooperientes mundum. Memorabilis fuit hæc eclipſis, & maximè admirandus rarusque caſus inter omnes, quotquot fortè fortunâ in paſſione Chriſti evenerunt: quia, ut norunt Philoſophi, eclipſis Solis non contingit, quando Luna eſt ex diametro oppoſita, ſed quando hæc conjungitur cum Sole; in tempore autem paſſionis Chriſti, eclipſin Sol paſſus eſt, Luna directè conſiſtente ex oppoſito Solis; id quod naturaliter eſt impoſſibile, miraculoſum & ſolius divinæ virtutis opus: unde & omnium ſapientiſſimi, expertiſſimique in mundo Aſtrologi ſtupuêre attoniti. Reliquis autem omiſſis mihi intueri videor magnum Dionyſium, in centum Athenienſium Philoſophorum caterva, totum in cœlos defixum; obſervantem, dividentem, & tandem ad ſuos converſum, ita diſcurrentem; vos ô ſapientiſſimi viri quid hac de eclipſi judicatis? quibus in memoriis aut analibus geſta memorantur, adeo ſtupenda? quid hocce rei? fortaſſe Deus quiſpiam patitur? aut natura & mundus reſolventur in nihilum? dicite per fidem veſtram, quod veſtrum eſt judicium de hac tam admiranda & generali Solis obſcuritate? quidnam prætendere poterit variatio ordinis imperturbabilis ſphærarũ, iſta lunaris curſus immutatio, hæc radiorum ſolarium obſcuratio & denſa adeo per totum univerſum diffuſa caligo?

Quomodo fiat eclipſis.

Dion. Are.

VI. Tenebræ iſtæ citra omne dubium magno indigent lumine, quas Apoſtolus, in epiſtola ad Hebræos, clarificare videtur, ubi de Salvatore crucifixo loquens, ait: *Preces, ſupplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*; inſtantiſſimè & ſubmiſſiſſimè Patri ſupplicans, exauditus fuit. Textus hic non minorem in ſe continet difficultatem, quàm primus; dicite vos mihi ô intelligentes: pro quo Redemptor oravit, in cruce pendulus? Forſan pro genere humano, proque ejus redemptione? non; ipſe enim mortem pro nobis ſubiens, redemptionem meruit de condigno, perque infinitam actionem theandricam; patiendo & moriendo, *de toto rigore juſtitiæ* abundè ſatisfecit; ad quid igitur ei neceſſaria erat ſupplica & gratiæ expoſtulatio pro iſto, quod ei ex juſtitia debebatur? quod igitur poſtulavit? Qualem obtinuit à Patre gratiam? intueamini crucem; ego ſaltem nullum video Chriſto crucifixo exhibitum fuiſſe favorem. Illuſus, vulneratus, convulſus hærebat in cruce, aliaque plura tolerabat, ut dixi, tormenta. An non hæc omnia ſupervenerunt Crucifixo? ita ſanè; quomodo igitur *exauditus eſt pro ſua reverentia*?

Hebr. 5. v. 7.

An Chriſtus exauditus in cruce. & §. 9.

VII. Memorabiliſſima omnium, quas CHRISTUS Dominus fudit orationes, fuit ſine dubio illa, quam inſtituit in horto; tam ratione temporis, in quo contigit, quàm ratione aliarum circumſtantiarum; hac igitur in oratione ſuum totaliter æterno Patri Chriſtus pandit animum, deque hac ſupplica docti plurimi verba illa intelligenda eſſe tradunt: *Exauditus eſt pro ſua reverentia.* Impoſſibile namque eſſe videtur, quòd oratio vivo adeo cum effectu effuſa; & non ſolis lacrymis, ſed abudantiſſimo inſuper madefacta ſanguine, ſuum non ſortiatur effectum.

VIII. At, quandoquidem in horto degimus, novos ſemper generante fœtus, ne vos tædeat eundem hodie contemplari curio-

Quid Christus in horto petierit.

An Christus exauditus in cruce, & §. 9.

curiosius. Existens benedictus Dominus in funesto horto, cum se ab omni penitus hominum consortio videret remotum, solâque stipatum mœstissimarum cogitationum turbâ, laxatis tristitiæ habenis, ita Patrem alloquitur: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Mi amantissime æterne Pater, onus hoc adeo grave est, ut ei sufferendo sim omnino impar, quapropter rogo te: *Transeat.* Ne in animũ vestrũ inducatis, inquit doct⁹ quidam Pater, Christum petiisse in horto exemptionem à morte; nequaquam, quin potius mortem desiderarat semper: quid ergo petiit? notate: particularis quædam reperitur in homine passio, quæ ex interioribus partibus sanguinem adducens, eum per exteriores spargere & diffundere solet; hæcque est verecundia. Videte, obsecro, quempiam, propter publicam aliquam infamiam verecundatum; conspicietis utique, sanguine maximè spiritoso, confundi genas, rubore contingi, inque naturalibus alabastris germinare purpuram; ex quibus ego infero, id, quod Redemptori in horto accidit, verecundiam fuisse, & non timorem aut formidinem; siquidem sanguis non concurrit, ut perterrefacto succurreret cordi, sed exteriorem invasit imaginem; unde Vates regius inquit: *Verecundia mea contra me est; confusio faciei meæ cooperuit me.* Sed unde Christus in horto tantâ perfusus fuit verecundiâ? quod opprobrium vivâ adeo imaginatione sibi impressit Redemptor, ut eodem constrictus, vivos è corpore suo profunderet sanguinis rivos? forsitan quia servili manu ignominiosè cædendus erat in faciem? aut quoniam cum infami ista purpura per Principum palatia circumducendus erat? aut denique quia per ludibrium veluti Rex salutandus erat? sed nolo vos ulterius detinere suspensos: scitisne, cur erubuerit Christus? propter nuditatẽ, quam supra Calvarium in cruce pendulus, sustinere debebat. Vivacissimæ erat apprehensionis, qui cum vix in horto genuflexus esset, totam clarè intuitus est passionis suæ telam; in qua suam contemplatus est capturam, funes & ministrorum crudelitatem; in qua se consideravit Pontificibus oblatum, cæsum, coronatũ, sicq; pessimis modis habitum, populo repræsentatum; acquiesco, dicebat Christus, nullum horum opprobriorum me exanimat; at postea per satellites ad destinatum deductus locum, ab iisdem ministris, omnibus fuit exutus vestimentis usque ad ipsam carnem. Tunc equidem, heu mihi, ingemiscebat Redemptor, ergone coram infiniti populi multitudine nudus comparebo? idipsum mihi omnino insupportabile erit; hancq; ob causam tanta Christũ invasit verecundia, ut sanguis inexplicabili cum violentia in exteriores corporis partes prorumpens, resolutis poris, maxima cum abundantia effluxerit: *Factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis, decurrentis in terram.* Atque ideo ad Patrem conversus, dicebat: Pater mi, nimis est acerba pœna ista; crucem, mortem jam acceptavi & sponte accepto; non me clavi exanimant aut ferra, neque aliud quodcunq; demum instrumentum; ast sola nuditatis & opprobrosæ omnium vestimentorum exspoliationis memoria omnino me confundit, præque verecundia totum me rubore depingit; ideoq; *iste calix transeat*: Rogo te instantissimè ô Pater, si possibile est, libera me ab hoc tormento.

Ps. 43. v. 16

IX. Hic Apostolus subintrat, qui de ista oratione, in horto instituta, tractans, ait: *Exauditus est pro sua reverentia.* Sciatis, inquit Apostolus, orationem horti

horti, in qua Christus pro tollenda nuditate sua Patri supplicavit, exauditam fuisse in cruce. Sed quomodo, mi Paule? quomodo? Tenebræ factæ sunt super universam terram. Nigrum pallium, densissimis contextum tenebris, nuda cooperuit sanctissima Christi membra. O pientissimæ tenebræ, quæ nudi Dei honestatem velare novistis!

In desolatione paterna extremum passus dolorem.

X. Sine dubio, Christus in cruce ob nuditatem suam, supplicium perpessus est sine mensura; ast si desolationem illam, quâ à Patre, eum omni absque succursu, mori permittente, considerare volueritis, dicendum erit, ipsum, supra omnem modum & incomparabili pœnâ excruciatum fuisse. Jure merito antiqui stupuerunt Patres, cur, quandoquidem Christus mortales in cruce sustinebat dolores, deque pluribus corporis sui partibus profunderet sanguinem & vitam, cur, inquam, nullus tamen Angelus comparuerit ad consolandum eum; omnes attentè pervolvite Evangelistas sacros, fixoque oculo circum circa totum lustrate Calvarium; & ne unicum quidem reperietis Angelum: in deserto autem, ubi Christus ob diu prolongatam famem & atrocem cum inimico universali habitum conflictum, sese tantisper monstravit famelicum, quot se non stiterunt Angeli, in servitium ejus? *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* O Deus bone tot sese Angeli tibi offerunt in servitium in deserto, & nullus in Calvario? comparate, per salutem vestram, duo hæcce loca; in deserto tentatus est Dominus, ast in Calvario cruciatus; in deserto sine vulnere confligit, in Calvario sanguinolentum inter conflictum lethaliter cæditur; in deserto unum duntaxat experitur adversarium, mille in Calvario; in deserto jejunium, in Calvario potum sustinet fellis. In deserto offeruntur ei lapides, transmutandi in panes, in Calvario ipsimet rumpuntur lapides ex pietate & commiseratione; in deserto in alti montis cacumen, in Calvario in opprobrosam translatus est crucem; in deserto invitatus fuit, ut universali inimico nostro genuflexionem exhiberet ac adorationem, in Calvario autem divinam cervicem, imò divinitatem ipsam advolvit morti. Quid multis? quandoquidem extremam in Calvario Dominus subiit necessitatem, cur non integræ eò accurrerunt Angelorum turbæ? ubi vestra est pietas ô Angeli? ubi obsequium vestro debitum Principi? unus saltem ex vobis accedat, qui mortales hosce abstergat sudores; unus veniat ad minus, qui alis suis nudam hanc cooperiat divinam carnem, quique præsentes mortis dolores temperans, aliquale afferat refrigerium.

Matth 4. v. 11.

Comparatio inter desertum & Calvar.

Cur Christus sine solatio in cruce.

XI. Nolo vos ulterius detinere suspensos, sed ut vobis ad propositum respondeam, supponite, Christum Dominum, cum acerbissimis crucis pœnis confligantem, à Patre non quidem derelictum fuisse (hoc enim in veritate fieri nequibat) sed atroces adeo tolerasse dolores, quasi omnino derelictus fuisset; unde mœstissimæ illæ exortæ sunt voces, de profundo cordis prorumpentes: *DEUS DEus meus, ut quid dereliquisti me?* ubi S. Ambrosius ait: *Clamat jam divinitatis separatione moriturus.* Videbatur Christus quasi derelictus, non ut homo Deus, sed quasi homo purus, atque ideo vociferabatur: ubi est divinitas? ubi es ô DEus? ergone *dereliquisti me?* videte, quàm se in cruce exinanierit Deus? Deus ille, qui cùm secundùm naturam Deus esset, in eam devolutus est metamorphosin, ut non apparuerit Deus.

Matth. 27. v. 46. Quanta pœna derelictum esse à Deo.

XII. Hoc

XII. Hoc suppposito, ne in animum vestrum inducatis, Angelos, ad consolandum moribundum Christum minimè fuisse paratos; quin potius è cœlo convolantes, sese commiserunt itineri, jamque appropinquabant Calvario; sed ut primùm viderunt, Christum sese reputare à Deo desertum: *Vt quid dereliquisti me?* confestim firmarunt gressus, ad se invicem dicentes; quò pergimus? quid in tantis pœnis nostra poterunt prodesse solatia? quodnam dulcedinis aut suavissimi manna pelagus indulcorare poterit pectus illud, quod sese à Deo derelictum præsumit? quæ sufficient verba? omnis noster conatus, tota consolatio nostra in ventos abibit; subsistamus igitur, de nostro namque agitur honore; deseri à Deo, pœna est infernalis, quis autem infernum poterit consolari? Si Christus in cruce sese reputat derelictum, quæ eloquentia, etiam seraphica, sufficiet ad consolandum eum? In desertum & hortum abire licebit; spinæ namque, clavi & crux aliquatenus poterunt mitigari, est enim iis certa dolorum mensura. Sed in ordine ad personam, Deo privatam? à Deo derelictam? ad pœnæ infernalis similitudinem, quæ sufficere poterit eloquentia, quantumvis maxima?

Matth. 27. v. 46.

Quanta pœna derelictum esse à Deo.

XIII. Plurima equidem dixi de exinanitione & tormentis Christi in Calvario, necdum tamen satis asserui; quis crederet, Christum, in cruce moriendo, multò amplius exinanitum fuisse, quàm hucusque dixerimus? Videte, per salutem vestram, videte, quia immensa illa majestas, quam cœlum capere nequit, nō modò constringitur, & ob clavorum violentiam foraminibus crucis accommodatur; sed, ô Deus, poterone dicere? ita; sed quid dicam? quantum sese exinanivit Deus crucifixus? quantum? Deus, qui est ipsa vita per essentiam, se ita exinanivit, ut sese ipsi submitteret morti: *Iesus autem clamans voce magna; emisit spiritum.* Non procedamus ulterius, hæc enim exinanitio, ad quam devolutus est Deus crucifixus, tantum mihi de infinito participare videtur, ut non potuerit esse major; attentite (si vobis cōceptus meus non displicet) juxta Isaiæ testimonium, mortuo auctore vitæ in cruce, *Angeli pacis amarè flebant.* Quomodo? Ergone Seraphini illi, qui Christum consolari nequibant, vivum pendentem in ligno, eundem deflere possunt in morte? edicite nobis ô Docti, nunquid beati, qui revelatâ facie Deum gloriosum intuentur in cœlis, tristitiâ affici possunt? non; quia *ex infinita felicitate objecti moventur, ad gaudere lætantes.* Ast Angeli, qui mortuum viderunt in cruce Christum, nunquid beati erant? utique; quis hoc negare audebit? quomodo igitur plangere potuerunt, cum pleni essent gaudio? ô sublimem considerationem! videtur, quòd Christi, in cruce mortui dolor, ipsammet superarit atque excesserit fælicitatem, quâ fruuntur Angeli in cœlis; videtur, quòd increatæ divinitatis visio non tantum in mentibus angelicis causaverit gaudium, quantum ingessit dolorem intuitus Dei crucifixi. Imò Jacobus de Voragine Episcopus Genuensis sustinet, ipsummet Deum ad crucifixi Redemptoris nostri mortem deflendam commovendum fuisse, modò sacratum illud pectus gemitus & doloris fuisset capax: *Flevisset etiam Deus (si id esset possibile) videns, filium suum tam ignominiosè tractari.*

Cur Christus sine solatio in cruce.

Isa. 33. v. 7.

Iac. de Vor. ser. 90. de quad.

XIV. Quandoquidem verò nimiam hucusque didicistis exinanitionem & humilitatem passi & mortui Crucifixi; placeat modò, exilitatem hanc cum immen-

ſa illa metiri excellentia, ad quam ſublimatus fuit idem hîc Deus crucifixus, in cruce mortuus. Ad quam ſublimitatem exaltatus fuit Deus crucifixus? S. Paulus vobis reſpondebit: *Exinanivit ſemetipſum Dominus Ieſus uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce vobis inprimis exilitatem: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quod fuit hocce nomen? *ut in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Subſiſtamus in præſenti eundem adoraturi Jeſum. At poteritiſne mihi dicere, quod fuerint in Eccleſia ſancta, hoc ſacratiſſimo Jeſu nomine gaviſi? reſpondebitis, quòd unus; minimè equidem dico ego, ſed tres vobis ego propono. Unus eſt JEſus æterni Patris, ſecundus eſt Jeſus Mariæ, & tertius Jeſus crucis. Vultiſne Jeſum videre æterni Patris? *Et vocatū eſt nomen ejus Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Priusquam in utero &c.* Ante incarnationem, & priuſquam Filius Dei noſtram aſſumeret carnem, Pater æternus ex cœleſti ſuo theſauro deprompſit nomen Jeſu, & mediante Angelo illud impoſuit Filio ſuo. Ecce vobis Jeſum æterni Patris; vultiſne Jeſum Mariæ? *Et ingreſſus Angelus ad virginem, dixit; concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Hic eſt Jeſus Mariæ. Optatis deniq; & Jeſum crucis intueri? *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu &c.* Ecce vobis Jeſum crucis. Habetis igitur Jeſum æterni Patris, qui eſt Verbum divinum ante incarnationem. Stiti vobis Jeſum Mariæ, qui Chriſtus eſt formatus, virtute Spiritus ſancti in utero Mariæ; exhibui denique Jeſum crucis, qui eſt Chriſtus crucifixus & in cruce mortuus. Aſt nunc ego intelligere percuperem, quis JESUS ex hiſce tribus omnium ſit glorioſiſſimus, præ reliquis majeſtate emineat, nobisque magis ſalutaris?

Triplex Jeſus.

Luc. 2. v. 21.

XV. Quis crederet, in majeſtate & gloria omnes ſuperari à JESU crucis? incipiamus à primo: quis eſt JESUS æterni Patris? Eſt Verbum divinum, adæquatus mentis fœcundæ partus; quod eſt hoc divinum Verbum? *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris.* Elucidemus hoc melius: Verbum hoc divinum, à Patre procedens, eſt verbum & Filius; eſt Verbum, quatenus procedit per intellectum Patris; eſt autem Filius, quatenus procedit ſimile Patri; in quantum Verbum, & in quantum Filius Patri eſt coæqualis & conſubſtantialis; imò ita Deus, ſicut ipſemet Pater, non tamen generat, ſicut Pater.

XVI. Hic Patris JESUS, quantumvis coæqualis ei ſit & conſubſtantialis, nihilominus multò minor eſt, quàm JESUS Mariæ. Dicite vos mihi ô Docti: Verbum divinum, Filius Patris potuitne de toto rigore juſtitiæ pro humani generis peccato ſatisfacere? non; imò nec ullum exercere rigoroſæ juſtitiæ actum. Non ſatisfacere; quia *ſatisfactio eſt actus inferioris ad ſuperiorem*; Satisfaciens *ratione debiti* ſemper eſt inferior illo, cui ſatisfit, ſed Verbum divinum, ſcilicet JESUS filius Patris, non erat inferior Patre, ſed perfectè ipſi æqualis; ergò Verbum divinum, JESUS Patris, non potuit ſatisfacere pro peccatis generis humani.

An Jeſus ſatisfacere potuerit.

XVII. Neque etiam actum exercere poterat rigoroſæ juſtitiæ, quia *juſtitia debet eſſe inter duos, quorum quilibet ſit dominus ſui juris*: Sed Verbum divi-

divinum, ut JESUS à Patre genitus, *non habebat jus distinctum à Patre*, quia licet *alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*; nihilominus *Patris, & Filij, & Spiritus sancti una est divinitas, aqualis gloria, coæterna majestas.* Non igitur Verbum divinum, ut JESUS Filius Patris satisfacere potuit *de toto rigore*, neque actum exercere justitiæ; atque ita resolvi potest, JEsum quidem Patris æqualem ei & consubstantialem esse, at multò nihilominus inferiorem JESU Mariæ, hic enim *pro peccatis hominum* satisfacere potuit, nec non actum exercere rigorosæ justitiæ.

XVIII. Ast hic Jesus Mariæ quantus fuit? Jesus hic in certo sensu fuit major quàm Jesus Patris; in re tamen minor semper Jesu crucis; sicut enim Jesus Patris, carne destitutus nequiit satisfacere, ita & Jesus Mariæ sine cruce complere nequiit mysterium redemptionis, juxta decretum cœleste.

XIX. Videamus igitur, quanta fuerit Jesu crucis excellentia & prærogativa; hic JESUS gloriosior, magnificentior, nobisque utilior est non modò Jesu Patris, sed & JESU Mariæ. Vultisne Jesum crucis contemplari, omnium magnificentissimum, gloriâque præ reliquis fulgentissimum? Auscultate. Vixit inter nos CHRISTUS annis 33. intra quod temporis spatium quantumvis infinita operatus fuerit prodigia & miracula; Judæi nihilominus, hæc omnia videntes, non modò eum pro vero Deo confessi non sunt, sed insuper etiam mortis reum condemnarunt: *Reus est mortis.* Vix autem ascenderat crucem Salvator, cùm ecce vobis non modò Judæi *revertebantur percutientes pectora sua*; sed etiam unus pro omnibus ipsum confessus est DEUM, dicens: *Verè Filius DEI erat iste.* Quid egit in cruce CHRISTUS, propter quod circumstantes in divinitatis ejus notitiam devenêre? quid fecit? Audite responsum Vener. Bedæ: *Tunc ejus divinitatem agnoscere cæperunt, cum nomen Iesus in crucis titulo patuit.* Audite: Est in cœlo JESUS, Filius Patris, coæqualis & consubstantialis ei, non tamen ab omnibus inibi adoratur spiritibus angelicis, siquidem tertia eorum pars apostatavit. Degit in mundo Jesus Mariæ per annos 33. infinita operans miracula, & nihilominus vix ullus eum recognovit pro vero Deo, imò poti⁹ omnes vociferantes, ipsũ morte dignum pronunciarunt. Ascendit Calvarium JESUS crucis, & nullâ in eo visa operatione stupendâ, totus mundus eum confessus est Deum: *Tunc ejus divinitatem agnoscere cæperunt*: JEsus igitur crucis fuit omnium magnificentior & gloriosior.

An Jesus satisfacere potuerit.

Cur Christi in cruce noscitur Deitas.

Ven. Bed.

XX. Aliam huic superaddere placeat considerationem magis exquisitam. Jesus Patris, qui immensus erat, filium se constituens Mariæ, exinanitus fuit; ideoque denominatur *verbum abbreviatum*, de quo clarius inquit Apostolus, dicens: *Exinanivit semetipsum.* At quid Jesus crucis? hic ad tantam pervenit magnitudinem & sublimitatem, ut eum cœli capere nequierint. Audite sanctum Hieronymum; primò tamen auscultemus illud, quod ipse CHRISTUS, Empyreo approprians, inquit: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales*: Agedum ô Angeli & portas mihi patefacite cœlestes. Vos ego inter-

Ps. 23. v. 7.

interrogo Auditores! nunquid iste Rex gloriæ, qui cœlum modò intrare gestit, idem omnino est Jesus Patris, qui pro nobis de cœlo descendit in terram? Nunquid cùm ex Empyreo procederet, immensus erat? ita sanè, neque hoc quisquam negare potest. Forsitan modò cœlos sibi aperiri jubet? non; quomodo igitur pro introitu suo cœlestes cardines vult patefieri? est forte modò major, quàm fuerat ante? Quid hæretis? non est æquiparatio inter JESUM Patris & Jesum crucis; quia Jesus Filius Patris, in mundum veniens, exinanitus fuit in Mariæ gremio; ast ut primùm Jesus Patris in utero virginali exinanitus, in crucem sublatus fuit, tantam in eodem ligno ac tam sublimem consecutus est excellentiam & magnificentiam, ut eum cœli capere non potuerint; ecce vobis ipsissima S. Hieronymi verba: *Iubentur Angeli attollere portas, quia Iesus juxta dispensationem carnis & victoriam crucis, major à terra regreditur ad cœlum, quàm de cœlis descenderet in terram.*

S. Hier.

Resolvitur Problema ultimum.

XXI. Quandoquidem igitur crux tantam Filio Dei sublimitatem contulit & majestatem, facile resolvere poterimus ultimum problema nostrum & dicere; Verbum incarnatum non tantam expertum fuisse satisfactionem in sinu Patris, throno divinitatis ejus; neque in utero Mariæ, humanæ ipsius vitæ origine; quàm in cruce, ubi publica cum ignominia sibi à Judæis mortem inferri sustinuit.

XXII. Atque ex eo responsum deducere poteritis alterius problematis: quòd si exinanitio passionis Christi crucifixi fuit quasi infinita, quòd, inquam, non minor exstiterit ejusdem Redemptoris exaltatio; juxta receptissimam illam Theologiæ regulam: *Secundùm mensuram meriti, præstatur & præmium.*

XXIII. Si crux, ô Animæ devotissimæ, ipsimet Deo solatium attulit & satisfactionem, quem non causabit gustum & delectationem in nobis peccatoribus? si crux immensum ipsum atque infinitum Deum, effecit majorem; quàm non impertietur excellentiam nobis pauperculis? Si crux gloriam ipsimet addidit glorioso Deo, quas non accumulabit glorias nobis mortalibus?

XXIV. Agedum itaque, prosternamus nos omnes coram Deo hoc crucifixo, adoremus eum, inque auxilium nostri ut descendat, invocemus: pœnitentes & contriti omnes rogemus veniam & misericordiam. Ignosce nobis ô clementissime Deus, fac misericordiam tuam nobiscum peccatoribus ô piissime Domine; animas nostras, tot ac tantis conspurcatas culpis, elue pretioso sanguine tuo; da nobis tuam hîc in terra benedictionem, ut eâdem denique fruamur in cœlis.

In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Amen.

FINIS.

Quidquid in hac Secunda Parte dictum est, Censuræ submittitur sanctæ Ecclesiæ Catholicæ.

INDEX

INDEX QUARTUS

Principaliorum, magisque curiosarum Quæstionum.

Cur

Cur

Cur

FINIS

Indicis Quæstionum.

INDEX QUINTUS

Materiarum & axiomatum

Philosophicorum.

Finis Indicis Philosophici.



INDEX SEXTUS.

Materiarum Sententiarumque Theologicarum utriusque partis.

F. Denotat Feriam, D. Dominicam, Q. Quadragesimam, N. Numerum seu Paragraphum uniuscuiusque Discursus.

Mor-

Homo

F.

Fides.

G.

Gloria cœlestis.

Glorificatio.

Gratia.

H.

Homo.

Per

Qui

R. Re-

Deus Pater.

Deus Filius.

Deus Spiritus Sanctus.

V

Verbum divinum.

Visio Dei.

Unio hypostatica.

FINIS
Indicis Theologici.

INDEX SEPTIMUS

Locorum Sacræ Scripturæ utriusque partis.

Ex Libro Genesis.

Cap. 1.

Cap. 3.

Liber Exodi.

Liber Levitici.

v. 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine.* Sab. Cin. n. 47.

Cap. 7.

vers. 14. *Terrebis me per somnia & visiones.* F. 5. D. 3. Q. n. 2.

Cap. 13.

v. 18. *Si fuero judicatus, scio, quòd justus inveniar.* F. 2. D. 1. Q. n. 13.

Cap. 14.

v. 13. *Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me.* ibid.

Cap. 17.

v. 1. *Nemo mundus à sorde.* F. 4. D. 4. Q. n. 34.

v. 2. *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.*

v. 13. *Infernus domus mea est.* F. 5. D. 2. Q. n. 22. & 28.

Cap. 19.

v. 6. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* F. 4. D. 4. Q. n. 5.

v. 21. *Miseremini mei, saltem vos Amici mei, &c.* F. 2. D. 2. Q. n. 34. Et F. 2. D. 3. Q. n. 26. Et F. 6. D. 4. n. 21.

Cap. 22.

v. 14. *Super cardines cœli perambulat &c.* D. 4. Q. n. 8. Et F. 3. D. 3. Q. n. 7.

Cap. 26.

v. 3. *Gigantes gemunt sub aquis.* F. 3. D. 2. Q. n. 30.

Cap. 31.

v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* F. 4. D. 3. Qu. n. 16.

Cap. 36.

v. 14. *Morietur in tempestate anima eorum &c.* F. 4. D. 3. Q. n. 32.

Cap. 41.

v. 16. *Timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* F. 2. D. 1. Q. n. 19.

Caput 42.

vers. 11. *Dederunt ei ovem unam & inaurem tuam.* F. 4. D. 5. Q. n. 40.

Liber Psalmorum.

Psalmus 1.

Vers. 1. *Beatus vir, qui in cathedra pestilentiæ non sedit.* F. 3. D. 2. Q. n. 4.

v. 3. *Tanquam lignum, quod plantum est secus decursus aquarum.* Fest. Annunc. n. 14.

Psalm. 2.

Vers. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* F. 2. D. 1. Q. n. 19.

v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes.* F. 5. D. 1. n. 26.

v. 12. *Appræhendite disciplinam &c.* Die Ven. San. n. 75.

Psalm. 5.

v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* F. 5. D. 1. n. 20.

v. 11. *Sepulchrum patens est gutsur eorum.* F. 4. D. 3. Q. n. 46.

Psal. 8.

Vers. 2. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum.* F. 3. D. 1. Qu. n. 48.

v. 4. *Quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, Lunam & stellas.* F. 4. D. 2. Q. n. 6.

v. 6. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* F. 4. D. 4. Q. n. 21.

Psal. 9.

v. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* F. 3. D. 1. Q. n. 4.

Psal. 10.

v. 3. *Ecce ipsi peccatores intenderunt arcum.* F. 4. Cin. n. 9.

v. 13. *Propter quid irritavit impius Deum.* F. 2. D. 1. Q. n. 2.

Pſal.

Psal. 43.

Vers. 16. *Verecundia mea contra me est, confusio faciei meæ cooperuit me.* 5. die Ven. in Mart. n. 8.

Psalm. 44.

v. 2. *Eructavit cor meum Verbum bonum.* D. 1. Q. n. 17. Sab. D. 3. n. 7. & F. 2. D. 4. Q. n. 24.

v. 10. *Astitit Regina à dextris tuis.* F. 5. Cin. n. 18. Fest. S. Ios. n. 5. Et Fest. Ann. 14.

vers. 11. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* Fer. 5. Cin. n. 18. Et F. 4. D. 2. Q. n. 21.

Psalm. 45.

v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* D. Resur. n. 6.

Psalm. 47.

v. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* F. 4. D. 5. Q. n. 25.

v. 3. *Latera Aquilonis civitas Regis magni.* F. 4. D. 5. n. 25.

Psal. 48.

v. 6. *Cur timebo in die mala &c.* F. 2. D. 4. n. 2.

v. 11. *Relinquent alienis divitias suas.* Fer. 2. Resur. n. 15.

v. 13. *Comparatus est jumentis insipientibus &c.* Fer. 4. D. 4. Q. n. 41. Et Do. 3. Q. n. 13. F. 2. D. 5. n. 24. F. 4. D. 5. Q. n. 9. F. 4. Cin. n. 11. F. 4. D. 1. Q. n. 28.

Psal. 53.

v. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* 2. die Ven. in Mart. n. 14.

Psal. 54.

v. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem.* ibid. n. 13.

Ps. 55.

v. 8. *Pro nihilo salvos facies illos.* F. 4. D. 5. Q. n. 16.

Ps. 59.

v. 3. *Deus repulisti nos & destruxisti nos.* F. 3. D. 1. Q. n. 17. & 22.

v. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* D. 2. Q. n. 3.

Psal. 61.

v. 5. *Cucurri in siti.* F. 3. D. 5. n. 16.

Psalm. 64.

v. 10. *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.* F. 4. D. 5. n. 19.

Psalm. 67.

v. 11. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* D. 2. Q. n. 34.

v. 17. *Mons, in quo est beneplacitum Deo habitare in eo.* Sab. D. 1. Q. n. 1. Et Sab. D. 3. Q. n. 30. Et D. Resur. n. 6.

v. 21. *Deus noster, Deus salvos faciendi.* F. 6. D. 1. Q. n. 10.

Psalm. 68.

v. 2. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ.* D. Pass. n. 7.

v. 3. *Infixus sum in limo profundi &c.* ibi. Et F. 2. D. 5. n. 23.

v. 8. *Cooperuit confusio faciem meam.* D. 5. Pass. n. 39.

v. 9. *Extraneus factus sum fratribus meis.* F. 2. Resur. n. 2.

v. 22. *Dederunt in escam meam fel &c.* F. 5. Cin. n. 22.

vers. 27. *Quem tu percussisti, persecuti sunt, super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* F. 6. D. 5. n. 5. Et Fer. 4. Do. 3. n. 45.

Psal. 72.

v. 22. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* F. 6. D. 3. Q. n. 1.

Psal. 74.

v. 3. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* F. 2. D. 1. Q. n. 19.

v. 9. *Calix in manu Domini, vini meri &c.* F. 5. D. 5. Q. n. 39.

Psal. 75.

vers. 9. *Terra tremuit & quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.* Fer. 2. D. 1. Q. n. 37.

Psal. 105.

v. 9. Divisum est mare & exsiccatum est. F. 6. D. 5. Q. n. 8.

Psal. 106.

v. 5. Esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. F. 5. D. 1. n. 27.

v. 6. Clamaverunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberavit eos. ibidem.

v. 12. Infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret. ibid.

v. 18. Omnem escam abominata est anima eorum. ibid.

vers. 25. Et exaltati sunt fluctus ejus. ibid.

v. 34. Posuit terram eorum in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. F. 6. D. 2. Q. n. 13.

Psal. 108.

v. 6. Constitue peccatorem super eum, & diabolus stet à dextris eius. F. 5. D. 2. Q. num. 25.

Psal. 109.

v. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. F. 5. Cin. n. 19. F. 6. Cin. n. 26. & 32. Et F. 4. D. 2. n. 21.

v. 3. Tecum principium in die virtutis tuæ &c. F. 5. Do. 1. Q. n. 38. Et Sab. D. 1. Qu. n. 6.

Psal. 110.

v. 4. Memoriam fecit mirabilium suorum. D. 4. Qu. n. 49.

Psalm. 111.

v. 5. Iucundus homo, qui miseretur & commodat. F. 2. D. 1. n. 42.

v. 9. Dispersit, dedit pauperibus, &c. F. 2. D. 2. Q. n. 40.

Psal. 113.

v. 3. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit. F. 3. D. 4. n. 4.

Ps. 114.

v. 5. Misericors Dominus & iustus. F. 3. D. 3. Q. n. 1.

Ps. 117.

v. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus &c. F. 3. Do. 1. Qu. n. 20. Et D. 2. Qu. n. 25.

v. 18. Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Fer. 3. D. 1. Qu. n. 20.

Ps. 118.

v. 71. Bonum mihi, quia humiliasti me. F. 3. D. 1. Q. n. 17.

v. 96. Latum mandatum tuum nimis. F. 6. Cin. n. 3.

v. 131. Os meum aperui & attraxi Spiritum. D. Res. n. 20.

v. 145. Clamavi in toto corde meo. F. 6. D. 1. n. 9. Et F. 3. D. 5. n. 23.

Ps. 125.

v. 5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. F. 5. D. 4. Q. n. 1.

v. 6. Euntes ibant & flebant &c. F. 6. D. 4. Q. n. 15.

Ps. 128.

v. 3. Super dorsum meum fabricaverunt peccatores. Die Ven. San. n. 36.

Ps. 131.

v. 8. Tu & arca sanctificationis tuæ 4. Die Ven. in Mart. n. 2.

Ps. 135.

V. 5. Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia ejus. Fer. 6. D. 2. n. 5.

v. 10. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. ibid.

Ps. 140.

v. 5. Corripiet me justus in misericordia &c. F. 3. D. 3. Q. n. 26.

Ps. 148.

v. 1. Laudate Dominum de cœlis. D. 3. Q. n. 16.

v. 2. Laudate eum omnes Angeli ejus. ibi.

v. 3. Laudate eum Sol & Luna. ibid.

Cap. 2.

v. 14. Sapientis oculi in capite ejus. F. 4. D. 4. Q. n. 20.

Cap. 3.

v. 1. Omnia tempus habent. F. 4. D. 1. Q. n. 39.

Cap. 12.

v. 13. Time Deum & mandata eius observa. F. 6. *Cin. n.* 50.

Cantica Canticorum.

Cap. 1.

v. 1. Osculetur me osculo oris sui. F. 4. D. 4. *n.* 8.

v. 7. Pasce hædos tuos. Sab. D. 3. *n.* 32.

Cap. 2.

v. 9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. F. 3. D. 5. *n.* 2.

v. 10. En dilectus meus loquitur mihi &c. Sab. D. 4. *n.* 17.

Cap. 4.

v. 6. Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. F. 3. D. 5 *n.* 2.

v. 7. Tota pulchra es amica mea &c. Sab. D. 4. *n.* 3.

v. 8. Veni electa mea, veni, coronaberis. F. 4. D. 5. Q. *n.* 33.

v. 9. Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui. Sab. Cin. n. 33. *Et* 4. Die *Ven. in Mart. n.* 1.

v. 11. Mel & lac sub lingua tua. Fer. 4. Do. 4 Qu. *n.* 8.

Cap. 5.

v. 10. Caput eius aurum optimum. 2. *Die Ven. in* Mart. *n.* 16.

v. 16. Guttur illius suavissimum. F. 4. D. 4. Qu. *n.* 8.

Cap. 6.

v. 9. Pulchra ut Luna &c. Sabb. D. 1. Qu. *n.* 1. *Et Sab.* D. 4. *n.* 10.

Cap. 7.

v. 1. Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum. Sab. Cin. n. 2. 29. 30. *Et* F. 5. D. 1 Q. *n.* 1. *Et Sab.* D. 4. Q. *n.* 3.

v. 2. Venter tuus sicut acervus tritici. Sab. Cin. n. 8. *Sab.* D. 5. Q. *n.* 5.

v. 5. Coma capitis tui, sicut purpura Regis &c. 2. Die *Ven. in Mart. n.* 14.

Cap. 8.

v. 5. Innixa super dilectum suum. Fest. Ann. n. 14.

v. 8. Soror nostra parva & ubera non habet; quid faciemus &c. Sab. D. 3. Qu. *n.* 4. & 35. *Fest. S. Ios. n.* 6. Et *Fest. Ann. n.* 33.

Liber Sapientiæ.

Cap. 1.

v. 6. Benignus est Spiritus Sapientiæ &c. Die Ven. San. n. 25.

v. 7. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. F. 5. D. 1. Q. *n.* 40.

Cap. 3.

v. 3. Visi sunt oculis insipientium mori, ipsi autem sunt in pace. F. 3. *Resur. n.* 6.

Cap. 4.

v. 19. Post hæc decident sine honore &c. F. 4. D. 2. Qu. *n.* 32. & 33.

Cap. 7.

v. 11. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa F. 5. D. 1. Q. *n.* 28. Et *Sab.* Do. 1. Qu. *n.* 1.

v. 14. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui bene usi sunt &c. D. 1. Qu. *n.* 46. & F. 5. D. 3. Qu. *n.* 4.

v. 26. Candor est Lucis æternæ. Sab. D. 4. Qu. *n.* 19. F. 4. D. 4. *n.* 22.

Cap. 8.

v. 1. Disponit omnia suaviter. F. 4. Do. 5. Qu. *n.* 12.

Cap. 11.

v. 17. Per quæ peccat quis, per hæc & punietur. F. 3. D. 1. Q. *n.* 15.

v. 21. Omnia in mensura, numero & pondere disposuit. F. 4. D. 4. Q. *n.* 4.

Liber Ecclesiastici.

Prophetia Isaiæ.

Cap. 18.

v. 21. & 22. *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor.* D.3 Qu.n.1.

v. 25. *Non est æqua via Domini.* F.4.D.5. Qu.n.1.

Cap. 30.

v. 3. *Ecce venit dies nubis, ululate.* F.2.D.1. Qu.n.35.

Cap. 37.

v. 2. *Erant autem multa valde siccaque vehementer.* F.4.D.2.Q.n.12.

v. 4. *Ossa arida, ossa arida, audite verbum Dei.ibid.*

v. 7. *Factus est sonitus, & ecce commotio. ibid.*

Cap. 43.

v. 10. *Tu autem ostende eis templum, & confundantur ab iniquitatibus suis.* F.3.D.4. Q.n.7.

Prophetia Danielis.

Cap. 2.

v. 46. *Rex Nabuchodonosor adoravit Danielem.* F.5.D.3.Qu.n.10.

Cap. 3.

v. 18. *Statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* F.4.D.2.Q.n.7.

v. 92. *Species quarti similis filio Dei* Fer.3. D.5.Qu.n.5.

Cap. 4.

v. 7. &c. *Videbam & ecce arbor in medio terræ &c.* F.4.D.3. Q.n.27.

v. 8. *Proceritas eius attingens cœlum.* ibid. n.28.

v. 9. *Subter eam habitabant animalia &c.* ibid. n.29.

v. 10. *Ecce vigil & sanctus de cœlo descendit.* ibid.n.31.

v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime &c.* F.2.D.2.Q.n.26. Et F.2.Resur.n.10. F.2.D.2. Q.n.37.

Cap. 5.

v. 25. *Mane, Thecel, Phares.* Fer.5.D.2.Qu. n.12.

v. 26. *Numeravit Deus regnum tuum & implevit illud.* ibid.

v. 27. *Thecel; appensus es in statera, & inventus es minus habens.* ibid.

Cap. 7.

v. 10. *Millia millium ministrabant ei &c.* D.2.Qu.n.17. Et in Fest. S. Ios.n.31.

Prophetia Osææ.

Cap. 6.

v. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* F.2.D.2.Q.n.39.

Cap. 11.

v. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Sab. Cin.n. 2.

Cap. 12.

v. 8. *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* F.5.D.2.n.17.

Prophetia Ioelis.

Cap. 2.

v. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro &c.* F.4. Cin.n. 2. Et F.4.Cin.n.27.

v. 14. *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus.* F.5.D.4.Qu. n.2.

Proph. Amos.

Cap. 3.

v. 8. *Leo rugiet, quis non timebit* F.2.Do.1. Q.n.4.&22.

Proph. Abdiæ.

v. 18. *Erit domus Iacob ignis.* 4. die Ven. in Mart.n.2.

Proph. Ionæ.

Cap. 2.

v. 2. *Oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* F.5.D.1.n.16.

v. 25. *Antequam convenirent, inventa est habens in utero &c. Sab.* D.4.*Q.n.*11.

Cap. 2.

v. 11. *Procidentes adoraverunt eum.* D.1. *Qu.n.*8. *Sab.*D.4.*n.*15. Et 1. *die Ven. in Mart.* *n.*1. Et *Sabb.* Do.1.*Qu.n.* 6. Et Fer.3. Do.3. *n.*21.

v. 13. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* 2. Die Ven. in *Mart.* *n.*1.

Cap. 3.

v. 13. *Venit Iesus ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo. Fer.* 5. *Cin.n.*20. *Fer.*4.*Do.*4. *Qu.* *n.* 28.

v. 14. *Ego à te debeo baptizari.* Fer. 5. *Cin.* *n.* 20.

v. 15. *Sine modò, sic nos decet adimplere omnem justitiam. ibid. & n.*21. *&* 23.

v. 16. *Aperti sunt ei cœli &c. ibi.n.* 24. 25. D. 1. *Qu.n.* 26. F.4. *D.*4.*Q.n.* 27. *Sab.* D.4. *n.*17.

v. 17. Hic *est Filius meus dilectus &c.* F.5. *Cin.n.*24.25. *Fer.* 6. *Cin.n.*24.D.1.*Qu.n.*8. F.4.D.2. *Qu.n.* 35. *D.*5.*Q.n.* 15. Et *Fest. S. Ios.n.* 27.

Cap. 4.

v. 1. *Ductus est in desertum.* Do.1. *Qu.n.*8. Et D.1. *per tot.*

v. 2. *Cum jejunasset* 40. *diebus &c.* Do.1. *Qu.n.*2.*&* 8. *&* 14.

v. 3. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* D.1.*Q.n.*7.9.14.*n.*1. Et F.6. Do.3. *Qu.* *n.*12. Et D.5.*Qu.n.*22.

v. 4. *Non in solo pane vivit homo.* D.5. *Qu.* *n.*22.F.5. *Cin.n.*9. Et D.1. *Q.n.*17.

v. 6. *Mitte te deorsum.* Do.1. *Qu.nu.*1.18. 23.28.

v. 8. *Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.* Dom. 1. *Qu.nu.* 24. F.5. D.2. *Qu.n.*14.

v. 9. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. ibi.* Fer.4. *Cin.n.*40. *Dom.*1.*Qu.* *n.* 32. F.4. *D.*1.*n.*5. F.5.D.2 *n.*15. Et F.4.D.4 *Q.n.*39.

v. 10. *Vade retro Satanas.* D.1.*Q.n.*6.

v. 11. *Reliquit eum diabolus. ibi.n.*2. *Fer.*5. D.1.*n.*42. Et 5. *die Ven. in Mart.n.*10.

v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlorum.* F.4. D.1. *Q.n.*35.

Cap. 5.

v. 3. *Beati pauperes spiritu. &c.* F.5. D.2. *Q.n.*7. F.4. D.4. *n.* 8.

v. 14. *Vos estis lux mundi.* F.3.*D.*2.*n.*37.

v. 19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Fer.*3. *Dom.*2.*Q.* *n.* 37.

v. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris &c.* Fer. 3. Dom. 3. *Q.n.*2.

v. 39. *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & alteram.* F.3.D.5.*n.*5. Et 2. *die Ven. in Mart.n.*18.

v. 44. *Diligite inimicos vestros, ut sitis Filij Patris vestri.* F. 6. *Cin.n.* 4. Et *nu.*55. *&* 34.

Cap. 6.

v. 9. *Sanctificetur nomen tuum.* F.3.D.1. *n.*3.F.5.D.1.*n.*32.F.3.D.3.*n.*6. Et *Sab.* D.3. *n.*49.

v. 12. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus.* F.6.*Cin.n.*28.

v. 13. *Et ne nos inducas in tentationem.* D.1. *Qu.n.*38.

v. 15. *Nisi dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis.* F.6.*Cin. n.* 55.

v. 17. *Unge caput tuum & faciem tuam lava.* F.4.*Cin.n.*2. Et 30.

v. 19. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* F.4.*Cin.per tot.*

v. 20. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo &c. ibid.*

Cap. 7.

v. 14 *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam &c.* F.6.D.1.*Qu.n.*14.

v. 21. *Qui facit voluntatem patris mei, qui* in-

vers. 48.

vers.

v. 42.

v. 10. *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* D.4. Q.n.15.

v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* D. Pass. n. 20.

v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* Fer.3. Do.1. Qu.n.35. *Et die Ven. Sanc, num.* 4.

Evangelium S. Marci.

Caput 1.

v. 4. *Venit Ioannes in regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ.* F.4. D.1. Q. n.35 F.5. D.4. n. 24.

v. 7. *Cujus non sum dignus solvere corrigiam &c.* F.5. Cin.n.16 F.4. D.4. Q.n.28.

v. 10. *In specie columbæ visus est.* F.5. D.5. Q.n.4.

v. 24. *Iesu, scio quia sis sanctus & justus.* F.4. D.1. Q.n.5. D.5. Pass.n.15.

Caput 4.

v. 40. *Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei.* D. Pass. n.15.

Cap. 5.

v. 5. *Semper die ac nocte in monumentis erat.* F.4. Cin.n.40.

v. 6. *Videns Iesum à longè, cucurrit & adoravit eum. ibid.* Et F.3. D.1. Q.n.26. Et F.4. D.1 Q.n.5. & 2. *die Ven. in Mart. n.*17.

v. 7. *Quid mihi & tibi Iesu.* F.3. D.4. Q. n.16. & 17. D.1. Q.n.20.

v. 8. *Exi spiritus immunde ab homine isto.* F.3. D.4. Q.n.16. D.1. Q.n.20.

v. 12. *Si nos ejicis, mitte nos in porcos.* F.5. D.1. Q.n.13. F.2. D.2. n.12. Et D.3. n.17.

v. 13. *Magno impetu abiit grex porcorum in mare.* F.2. D.2. Q.n.12.

Cap. 6.

v. 20. *Metuebat Herodes Ioannem &c.* F.5. Cin.n 16.

v. 23. *Quidquid petieris, dabo tibi.* Fer. 6. Cin.n.53.

v. 25. *Volo ut mihi des in disco &c. ibid.*

v. 26. *Contristatus est Rex &c. ibid.*

v. 45. *Coegit discipulos.* F.3. D.4. n.27.

v. 47. *Erat navis in medio mari &c. Sab. Cin. per tot. & n.*3.

v. 52. *Non intellexerunt de panibus.* F. 5. D.3. Q.n.5.

Cap. 7.

v. 24. *Ingressus domum, neminem scire voluit, & non potuit latere.* F.5. D.3. Q. nu.5. F.2. D.5. n.14.

v. 34. *Suspiciens in cœlum, ingemuit.* D.3. Q.n.1. Et F.4. D 3. n.44.

Caput 8.

v. 11. *Quærentes ab illo signum de cœlo.* F.4. D.1. Q.n.10.

Cap. 9.

v. 4. *Bonum est nos hic esse.* Fer.4. D.1. Q. n.7.

v. 5. *Non sciebat, quid diceret. ibid.* & F.4. D.2. Q.n.6.

Cap. 10.

v. 25. *Facilius est, camelum transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum Dei.* F.5. D.2. Q n.28.

v. 32. *Præcedebat illos Iesus, & stupebant* F.5. D.2. n.28. *Et 2. die Ven. in Mart. n.*13.

Cap. 11.

v. 13. *Cumque vidisset à longè ficum, venit, si quid fortè inveniret in ea.* F.4. Cin. n.10. F.2. D. 1. n.28 F.4. D.1 Q.n.39. F.4. D.3. Q.n.26.

v. 14. *Et respondens, dixit ei.* F.4. D.1. Q. n.39.

Cap. 13.

v. 32. *De die illo nemo scit, neque Filius hominis.* F.2. D 1. Q.n.11.

Cap. 14.

v. 1. *Erant dies azymorum.* F.3. D.5. Q. n.39.

v. 3. *Fracto alabastro effudit super caput ejus.* D. Resur. n.13.

v. 8. *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam. ibid.* Et D. Q.n.1.46.

v. 9. *Vbicunque prædicatum fuerit evangelium istud.* D. Resur. n.13.

v. 49. *Fecit mihi Dominus magna, qui potens est. ibid. & Fest. Annuc. n. 36.*

v. 62. *Annuebant patri ejus &c. Sab. D. 3. Q. n. 20.*

v. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* F. 6. D. 2. Q. n. 5.

v. 79. *Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis Sedens. Fer. 4. Dom. 4. Qu. n. 29.*

Cap. 2.

v. 6. *Reclinavit eum in præsepio. Sab. Cin. n. 59.*

v. 7. *Peperit filium suum primogenitum. Sab. D. 1. Q. n. 23.*

v. 10. *Angelus ad pastores ait, &c.* Fer. 2. D. 4. Q n. 16. D. 5. *Pass. n. 15.*

v. 12. *Invenietis infantem &c.* F. 3. D. 3. Q. n. 21.

v. 14. *Gloria in Altissimis Deo.* Do. 1. Q. n. 8. Et 2. Die *Ven. in Mart. n. 1.*

v. 20. *Reversi sunt pastores.* F. 3. Do. 3. Qu. n. 22.

v. 21. *Et erat subditus illis. F. 4.* D 2. Qu. n. 20 F. 3 D. 5. Q. n. 6. Et 5. *die Ven. in Mart. n. 14. F. 3. D. 1. Q. n. 32. F. 6. D. 1. Q. n. 10. Et n. 19.*

v. 25. *Homo iste justus & timoratus exspectabat consolationem &c.* F. 6. Dom. 4. Qu. num. 14.

v. 26. *Responsum acceperat Simeon, non visurum se mortem. Fer. 6. Dom. 4. Qu. n. 18.*

v. 34. *Ecce hic positus est in ruinam &c.* F. 2. D. 2. n. 15.

v. 47. *Stupebant omnes super prudentia & responsis eius. 2. Die Ven. in Mart. n. 1.*

v. 51. *v. hic. v. 21.*

vers. 51. *Et erat subditus illis.* Sab. Dom. 2. num. 15. *Sab. Dom. 5. num. 14. Fest. Sanc. Ioseph. num. 31. Fest. Annunc. nu. 33. vid. & hic v. 21.*

Cap. 3.

vers. 4. *Ego vox clamantis in deserto. Die Ven. San. n. 59.*

v. 15. *Cogitantibus omnibus, ne fortè ipse esset Christus. F. 5. Cin. n. 15. 26. & 4. Die Ven. in Mart. n. 17.*

v. 22. *Descendit Spiritus S. sicut columba. Fest. S. Ios. n. 9.*

Caput 4.

v. 19. *Omnes repleti sunt ira &c.* F. 2. D. 3. Q. n. 1.

v. 23. *Medice cura teipsum, quanta audivimus facta in &c.* F. 2. D. 3. *per tot. Et* F. 6. D. 1 Q. n. 6.

v. 29. *Omnes repleti sunt ira &c.* F. 2. D. 3. Q. n. 1. & 23.

v. 34. *Scio, quia sis sanctus & filius Dei. F. 6. D. 1. Q. n. 12. F. 2. D. 2. n. 13.*

v. 38. *Introivit Iesus in domum Simonis.* Fer. 5. Dom. 3. *per totum. Et Fer. 5. Do. 3. Q. n. 29.*

v. 39. *Et reliquit eam febris. ibi.*

v. 40. *At ille singulis manus imponens, sanabat omnes.* F. 6 D. 2. Q. n. 6.

Cap. 6.

v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei.* F. 5. D. 1. Q. n. 4. 7. D. 5. *Pass. n. 1.*

Cap. 7.

v. 4. Diligit *gentem nostram.* Fer. 5. Cin. num. 6.

v. 6. Domine *non sum dignus. ibid.*

v. 12. *Ecce defunctus efferebatur &c.* F. 5. D. 4. *per tot.*

vers. 13. *Noli flere ibid. Et Fer. 5. Do. 5. num. 6.*

Evangel. S. Ioannis.

Cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

vers. 37.

v. 40. *Thabita surge &c. ibid.*

v. 41. *Aßignavit eam vivam. ibi.*

Cap. 10.

v. 2. *Cornelius religiosus ac timens Deum &c.* F. 6. D. 1. Q. n. 24.

v. 4. *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt &c. ibid. n.* 24.

v. 10. *Cecidit super eum mentis excessus.* F. 6. D. 1. n. 25.

v. 11. *Vidit cœlum apertum & descendens vas, velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo. ibid. & n.* 26. 27.

v. 12. *In quo erant omnia quadrupedia &c. ibi. n.* 25.

v. 13. *Surge Petre, occide & manduca. ibi. n.* 25. 28.

v. 14. *Absit Domine &c. ibid. n.* 25. & 30. 31.

v. 43. *Non est personarum acceptor Deus.* F. 4. D. 5. n. 1.

v. 34. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius.* F. 3. D. 2. Q. n. 44.

Cap. 12.

v. 5. *Petrus quidem servabatur in carcere &c.* F. 5. D. 1. n. 18.

v. 6. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens &c. ibid.*

v. 7 *Et ecce Angelus Domini astitit &c.* F. 5. D. 1. n. 5. F. 5. D. 3. n. 20.

v. 12. *Venit ad domum Mariæ matris Ioannis.* F. 5. D. 3. n. 20.

v. 13. 14. *Pulsante eo ostium januæ, processit puella &c. ibid.*

Cap. 13.

v. 33. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* F. 6. D. 1. Q. n. 19.

Cap. 14.

v. 41. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei.* Domin. 2. Quadr. num. 49.

Cap. 16.

v. 18. *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.* F. 6. D. 5. n. 15.

Cap. 17.

v. 28. *In Deo vivimus, movemur & sumus.* F. 2. D. 5. Q. n. 20.

v. 30. *Annunciat; ut omnes ubique pœnitentiam agant.* F. 4. D. 1. Q. n. 35.

Cap. 27.

v. 20. *Neque sole, neque sideribus apparentibus &c.* F. 4. D. 5. Q. n. 29.

v. 22. *Amißio nullius animæ erit ex vobis. ibid.*

v. 31. *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. ibid.*

Epistola ad Romanos.

Caput. 1.

v. 3. *Qui factus est ei secundùm carnem.* F. 4. Cin. n. 13.

v. 4. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute. ibid.*

v. 18. *Revelatur ira Dei de cœlo &c.* F. 4. D. 1. Q. n. 13.

v. 21. *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. ibid.*

v. 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum ibid.*

Cap. 3.

v. 23. *Omnes peccaverunt & egent gloria Dei.* F. 6 Cin. n. 13.

v. 34. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* F. 3 D. 1. Q. n. 5.

v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem &c. propter remißionem præcedentium delictorum.* F. 6. Cin. n. 14. F. 3. D. 1. Q. n. 5. F. 3. D. 1. n. 45. D. 3. n. 37.

v. 26. *Ad ostensionem justitiæ suæ.* F. 6. Cin. n. 14.

Cap. 5.

v. 5. *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris &c.* F. 6. Cin. n. 41. Sab. D. 5. n. 6.

1. Ad

1. Ad Timotheum.

Caput 1.

Vers. 15. *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere &c.* Fer. 3. Do. 1. num. 44.

Cap. 2.

V. 4. *Omnes homines vult salvos fieri.* F. 4. D. 5. n. 2. & 9.

V. 12. D*ocere mulieri non permitto.* D. Resur. n. 11.

Caput 3.

V. 3. *Non vinolentum, non percussorem &c.* F. 3. D. 1. n. 7.

V. 5. *Si quis domui suæ præesse nescit &c.* F. 5. D. 5. n. 32.

Cap. 5.

Vers. 8. *Si quis suorum curam non habet &c fidem negavit &c.* Fer. 6. Dom. 4. n. 30.

V. 20. *Peccantes coram omnibus argue.* F. 3. D. 3. n. 28.

Cap. 6.

V. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* F. 5. D. 2. n. 17.

V. 16. *Lucem habitat inaccessibilem.* F. 4. D. 4. n. 23.

Epist. 2. ad Timotheum.

Caput 4.

Vers. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c.* F. 4. D. 1. Q. n. 1. F. 6. Do. 2. num. 8. & 4. die Ven. in Mart. n. 1.

Epist. ad Titum.

Cap. 3.

V. 4. *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris.* D. 4. Q. n. 12.

V. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos &c.* F. 4. D. 1. n. 1. F. 6. D. 2. n. 5. & 8. Et F. 4. D. 5. n. 7.

Epist. ad Hebræos.

Caput. 1.

V. 2. *Novissimè locutus est nobis in filio &c.* F. 5. D. 3. n. 20.

V. 3. *Purgationem peccatorum faciens.* Sab. Cin. n 1.

V. 4. *Tantò melior Angelis effectus &c.* F. 2. D. 4. n. 16.

Cap. 2.

V. 14. *Vt per mortem destrueret eum &c.* Die Ven. Sanc. n. 10.

Cap. 3.

V. 13. *Hortamini vos, donec hodie cognominatur.* F. 4. Cin. n. 36.

Cap. 4.

V. 13. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* F. 3. D. 3. n. 4.

V. 14. *Habentes Pontificem magnum &c.* Sab. D. 1. n. 15.

V. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* 4. die Ven. in Mart. n. 2.

Cap. 5.

V. 7. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad &c.* F. 5. D. 5. n. 3. 18. Et 1. die Ven. in Mart. n. 17. Et 5. die Ven. n. 7.

V. 8. *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* D. 5. Pass. n 5.

Cap. 7.

V. 7. *Sine ulla contradictione quod minus est, à meliore benedicitur.* Fer. 2. Dom. 4. n. 21.

V. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* F. 5. Cin. n. 16.

V. 26. *Talis decebat, ut nobis esset pontifex &c.* D. 5. Pass. n. 1. & 15. & Fest. Annunc. n. 14.

Caput 9.

V. 11. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum &c.* F. 2. D. 4. n. 16.

V. 12. *Non per sanguinem hircorum,*

FINIS

Indicis sacræ Scripturæ.

INDEX OCTAVUS

Rerum & Verborum utriusque
Partis notabiliorum.

Ter-

Christus.

Christi nativitas, vita &c.

Christi passio, mors &c.

Dupli-

Cingulum.

Cæcus.

Cœlum.

Cur

Mor-

Dede-

Pra-

Inter

F I N I S

Indicis Rerum & Verborum.

INDEX NONUS CONCIONUM

In totius Anni Dominicas & Festa, tàm fixa quàm mobilia.

Dom. 3. Adventus.

Dom. 4. Adventus.

præsumat excellentia aut desperet obscuritate; quia sicuti nulla est abyssus impervia divinæ gratiæ, ita nec à diabolicis exempta incursibus. D.1.Q.n.22.

V. 3. *Venit prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* F.4.D.1.n.35. Et F.5.D.4.n.24.

V.3. *Venit prædicans baptismum pœnitentiæ.* De pœnitentia vid. F.4.Cin. & F. 4. D.1.part 2.

V. 3. *In remissionem peccatorum*, non quorumlibet, sed præteritorum. F.3.D.1. n.5. Et D.3. n. 37.

V. 3. *In remissionem peccatorum*, tam quò ad reatum culpæ, quàm pœnæ. D.1. Q. n.46.

V. 3. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Pœnitentia nostra Deum inducit ad pœnitentiam. D.3. Qu. n.31.

V. 3. *Prædicans &c. in remissionem peccatorum*; non omnis pœnitentia est remissiva peccati, sed aliqua auctiva & causativa sceleris novi. F.4.D.3.Qu.n.15.& 21.

V, 4. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* vid. Dom. 3. Advent. à n.23. ad 26.

V. 4. *Vox clamantis.* vid. Do. 3. Advent. n.23.

Vers. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Qui se exaltaverit, humiliabitur &c. Fer. 5. Cin. num. 37.

V. 5. *Omnis vallis implebitur.* Respexit humilitatem ancillæ suæ. Fer. 5. Cin. num. 18.

V. 5. *Omnis vallis implebitur &c.* De virtute humilitatis & vitio superbiæ. Fer. 5. Cin. per tot. Et F.4. D.2. per tot.

V. 5. *Et erunt aspera in vias planas.* Viæ virtutum planæ sunt, utpote sine offendiculo, attamen asperæ, quia arcta via est, quæ ducit ad vitam. F 6.D.1.Q. n.14.

V.6. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Omnis caro, id est, omnis peccator sine personarum differentia, quia non est personarum acceptor Deus. F.4. D.5. Q. n.1.

V.6. *Videbit omnis caro &c.* Gratiam omnes peccatores experientur mediatoris, qui venit omnes homines salvos facere. F.3.D.1.n.44. F.4.D.5.n.2.& 9.

In Solemnitate natalis Christi Iesu.

Christus in nativitate, vita & morte, formam semper expressit mansueti Agni. F.2.D.1.n.21.

Cur natus ex Judaica, & non ex stirpe gentili. F.3.D.5.n.6.

Quod erat, permansit; quod non erat, assumpsit. 3. die Ven. in Mart. n.4.

Assumpsit omnes humanæ naturæ perfectiones. D.5.pass.n.5.

Qualiter procedat ab Adamo. Sab.D.3. n.25.& D.5. pass.n.2.

Cur venerit in mundum. F.6.D.1 n.12.

Cur exili infans lacte pastus. F. 2. D.3. Q. n.31.

Cur præcisè Abrahæ & Davidis filius. F.6.Cin.n.27.

Luc. 2. vers. 3. Ibant omnes ut profiterentur, singuli in suam civitatem suam. De amore patriæ singulis innato. F.2.D.3.n.1.

V. 4. *Ascendit autem & Ioseph. &c.* De promta & cæca obedientia. F.4. D.1.n.9. F.3.D 2.n.38. Sab. D.2.à n. 33. ad 39. F.3. D.4. n. 13.& seqq. n.20.& seqq.

V. 4. *Ascendit Ioseph* vocatus; ut discamus & nos ascendere, non motu proprio &c. contra ambitiosos. F.4.D.2 Q. per tot.

V.5.

v.13. Neque ex voluntate viri. Contra voluntatem propriam, utpote summè damnosam. F.4.D.1.n.6.& seqq.

v. 13. Sed ex Deo nati sunt. Nisi quis renatus fuerit &c. D.3.n.21. Sab.Cin.n.39. F.5.D.5.n.25.

v. 14. Et verbum caro factum est. D 1.n.17. F.3.D.1.n.11.F.4.D.4.n.29. Sab.Dom.4. n.14 D.5.Pasl.n.4.Sab.D.5.n.1.F.5.Do.3. n.15. & 22.

Pro solemnitate hac vid. fusius hîc in fest. Annuntiationis, & in ipso corpore. F.6.D.1.n.9.D.4.n.12.F 2. D 4.n.20. Sab. D.4 n.24.Dom. Resur. n.15. & in ind. 7. cap.1.Luc.v 31.

In festivitate S. Stephani.

Matt. 23. v.34. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas. Nullum non Deus adhibet medium salutis nostræ, volens salvare omnes. Feria 4. Dom. 5. n.2. & 9.

v.34. Ecce ego mitto ad vos &c. non modò Prophetas & servos, sed ipsummet nobis misit filium, inexstinguibili salutis nostræ ardentem desiderio. F.6.D. 1. per tot. Et F.3 D.5.per tot.

v. 34. Ecce ego mitto &c. qui admoneant, reprehendant, emendent &c. De correctione &c. F.3.D.3.Qu.per tot.

v. 34. Ex illis occidetis & persequemini. De valore inæstimabili tribulationum. F.5.D.3 per tot. F.5.Cin.n.15.

v. 34. Et crucifigetis. De gloria crucis. D.5.Qu.die Ven. Sanct.per tot. Et singulis feriis sextis mensis Martii; præcipuè autem Ser.5.

v.34. Et flagellabitis. De flagellis vid. Ser 3.pro Fer.6.Mart.per tot.

v.34. Et flagellabitis. Flagella Dei sunt beneficia; & econtra beneficia eius, sunt flagella. F.4.D.1.per tot.

v. 35. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, à sanguine Abel. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Fer.2. Dom.2. n.14.

v. 35. Et Zachariæ, quem occidistis inter templum & altare. Contra prophanatores Ecclesiæ tam materialis, quàm spiritualis. F.2.D.4.per tot.

v. 36. Venient hæc omnia, super generationem istam. De malis peccatorum. D.3. per tot.

v. 37. Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos? Christus ardentius nostram optabat salutem, quàm suam in Patris dextra exaltationem. F.6.Do. 1. per tot.

v.37. Et noluisti. De libero arbitrio vid. Ind. 6. Theolog. verb. Gratia & liberum arbitrium.

v. 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Quam horrendum, deseri à Deo. F.2.D 2 per tot.

Act. 7. v 55. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto &c. Feria 6. Cin. nu. 26. 32. & 38.

v. 57. Eijcientes eum extra civitatem, lapidabant ibi.

v. 59. Positis genibus clamavit voce magnâ. F.6.Cin.n.38.& 43.

v.59. Domine, ne statuas illis hoc peccatum. De dilectione inimicorum. F. 6. Cin. per tot.

v. 59. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Cur S. Stephanus ut primum pro suis orarat inimicis, mox exspirarit. Fer.6. Cin.n.17.

In festo S. Ioannis, Apostoli & Evangelistæ.

Ioa. 21. v. 20. Discipulus, quem diligebat Iesus. F.4.D.2.n.35.

Festo Sanctorum Innocentium.

In solemnitate Circumcisionis Domini.

ctus toties sanguinem fuderit. F.6.D.1.n.8. die Ven. Sanct. n.45. & seqq.

v. 21. *Vt circumcideretur puer.* Circumcisus est, ut nos circumcidere corda & affectus nostros, superbos per humilitatem. F.5.Cin.per tot. Et F.4.D.2.per tot. flagitiosos per pœnitentiam, F.4.Cin. vindicativos per inimicorum dilectionem. Fer. 6. Cin. Avaros & tenaces per liberalitatem. F.5.D.2.per tot. & sic de cæteris.

v. 21. *Vt Circumcideretur puer,* qui factus est ei secundùm carnem. F.4. Cin.n.13.

v. 21. *Vt circumcideretur puer.* Sicut per unum hominem peccatum &c. D o.3. n.1. D.5.n.2. Sab. Cin.n.1. Non tamen sicut delictum, ita & donum. Sab. Cin.n.6.

v. 21. *Vt circumcideretur puer,* nolens virilem exspectare ætatem, ex nimio salutis nostræ & passionis suæ desiderio. F.6.Do.1. per tot. F.3.D.5.per tot.

v. 21. *Vt circumcideretur puer.* Infans affligi eligit, valorem probè noscens tribulationum, passionum &c. F.5.D.3. per totum.

v. 21. *Vt Circumcideretur puer;* quia scilicet in primo vitæ limine exultabit ut gigas ad currendam viam passionis. Sab. D.1. n.9. Et F.6.D.3.n.2.

v. 21. *Vt circumcideretur puer.* qui cum in forma Dei esset &c. vid. Ind. 7. Sacr. Script. in Epist. ad Philipp. cap. 2. per totum.

v. 21. *Vt circumcideretur puer,* Sanguine suo delens, quod adversum nos erat chyrographum. Fer. 5. D.1.n.4. Et die Ven. Sanc. n. 6. D.Pass.n.19.

v. 21. *Vocatum est nomen eius Iesus.* Serm. integrum de nomine Jesu vid. Fer. 3. D.1. Quad.

Festo Epiphaniæ Domini.

Matt. 2. v. 1. Ecce Magi ab Oriente venerunt. Multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham. Fer. 4. Dom.5.n. 5.

v. 1. *Magi ab Oriente venerunt.* Gentiles à remotissimis locis &c. nos autem Deum quærere & venerari negligimus præsentem. F.4.D.5. Et F.5. D.1.

v. 2. *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius &c.* Cur viæ ducem Magi habuerint stellam. D.2.n.18.

v. 3. *Audiens Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma.* Turbantur impii ob præsentiam Agni, quomodo sustinebunt Judicem implacabilem. Feria 2. Dom. 1. per tot.

v. 8. *Ite & interrogate diligenter de puero.* De observantia legis divinæ & fructu auditus verbi divini. Feria 3. Dom. 4. per tot.

v. 8. *Ite & interrogate diligenter de puero, ut ego &c.* Contra hypocritas & simulatores. Feria 4. Dominica 3. per tot.

v. 11. *Intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius.* Cur nunquam Pater æternus comparuerit simul cum Beata Virgine Maria. Sab. Dominica 4. n.15.

v. 11. *Et procidentes adoraverunt eum.* Cur Magi adorarint infantulum, & non Pastores. Feria 3. Dom.3. n. 22. & Sab. D.1. n. 6.

v. 11. *Et procidentes adoraverunt.* De cultu & veneratione panis eucharistici. Feria 5. Dominica 1. Fer. 5. Dominica 3. in parte 2. discursus. Et Dom. 4. per totum. Item de reverentia in locis sanctis, Deoque consecratis exhibenda. Feria 3. Dominica 1. Et Feria 2. Dominica 4. per tot.

v. 11. *Et procidentes adoraverunt eum.* Dom. 1. Qu.nu.8. Sab. Dom.4.nu.15. Et 1.

Dominica infra octav. Epiphaniæ, seu prima post Epiphaniam.

Dominica secunda Epiphaniæ.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. Inter quos nequeat contrahi matrimonium. Sab. Do. 3. n. 6.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. Plura de matrimonio vid. in Ind. Theolog.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. Contra matrimonium. F. 5. D. 4. n. 6. Et F. 3. D. 2. n. 41. & F. 2. D. 1. n. 21.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. A conjunctione corporum ad animorum, transitus fieri potest, consistentem in vinculo pacis. Fer. 3. Resur. per tot.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. De nuptiis spiritualibus inter Deum & animam justi. vid. Gratia, justitia, peccatum, justificatio.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. De nuptiis spiritualibus vid. Ind. 7. Scripturisticum in Canticis Cantic.

v. 1. Nuptiæ factæ sunt. De nuptiis inter divinam & humanam naturam. vid. in festo Annuntiationis, & in hoc indice inter Festa Martii.

v. 1. Et erat Mater Iesu ibi. Ad nuptias spirituales inter Deum & animas nostras, semper & necessario intervenit Maria. Sab. D. 4. n. 25. 26. &c.

v. 2. Vocatus est autem & Iesus. At sine S. Josepho & quare. Fest. S. Jos. n. 28.

v. 2. Vocatus est autem & Iesus, id est, Salvator, ubi Maria, ibi salus; nequit damnari cliens Mariæ. Sab. D. 4. n. 24. & seqq. Sab. D. 2. n. 32. &c. Sab. Do. 5. n. 2. & seqq. n. 31. & seqq.

v. 3. Deficiente vino, dicit mater Iesu, vinum non habent. De singulari patrocinio B. V. Mariæ. Sab D. 5. per totum.

verf. 3. Deficiente vino &c. Defectus temporalium, favorem aucupatur Reginæ cœlitum. De inæstimabili passionum & tribulationum valore. Feria 5. Dom. 3. per totum.

v. 5. Dixit ministris; quodcunque dixerit vobis facite. De prompta subditorum obedientia. F. 3. D. 4. n. 13. &c. n. 20. &c. F. 4. D. 1. n. 9. F. 3. D. 2. n. 38. Sab. Do. 2. à n. 33. ad 39.

v. 6. Implete hydrias aquâ. Lacrymarum aquâ pretiosissimâ impleantur animæ &c. F. 5. D. 5. per tot. Et F. 5. D. 4.

v. 10. Omnis homo primum bonum vinum ponit; At Deus econtra primò affligit & postea consolatur. Feria 4. Dom. 4. nn. 6. 7. 8. & 9.

De fructu tribulationum vid. Latius. F. 4. D. 1. n. 14. & seqq. F. 4. D. 4. n. 9.

De efficacia patrocinii mariani, vid. Locis cit. in v. 2. hic.

Dominica tertia Epiphaniæ.

Matt. 8. verf. 1. Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Ut superior animas lucretur subditorum, totus debet fieri eorum & accomodare se illorum imperfectionibus. F. 3. D. 2. n. 15. 17. 18. 30. 31. 32. &c. vid. de statu, conditione atque obligatione superiorum. F. 3. Do. 2. per tot.

verf. 1. Cum descendisset Iesus &c. Postquam Verbum divinum per incarnationem de monte cœlesti descendit, humana imbecillitas ipsum sequi cœpit. vid. supra in fest. S. Joannis Apostoli & Evang. verf. 22.

v. 2. Ecce leprosus &c. De ritu & cæremonia olim circa leprosos usitata. F. 4. D. 3. n. 23.

verf. 2. Domine, si vis, potes me mundare. Vult Deus & efficaciter quidem, si nos velimus. Feria 4. Cin. n. 19. Fer. 6. D. 1. n. 23.

v. 2. Domine si vis &c. Quomodo gra-

Dominica quarta Epiphaniæ.

v. 23. *Ascendente Iesu &c.* Qui sint apti ad sequelam Christi. F.3.D.4.n.28.

v. 24. *Et ecce motus magnus &c.* Ascendit Jesus & oritur motus, quam tu igitur in gradu sublimi honorum poteris promittere quietem. Contra ambitiosos. F.4. D.2. per tot.

v. 24. *Et ecce motus &c.* Ascendente Jesu, oritur motus; ut doceamur, superioritates & prælaturas millenis expositas discriminibus. F.3.D.2. per tot.

v. 24. *Et ecce motus &c.* Superiores vel maximè præ aliis tentantur. Do.1.Qu. n. 26.

v. 24. *Et ecce motus &c.* Ascendit aliâ vice Jesus in navim, moxque cessavit ventus; quæ hæc rerum catastrophe? Sab.Cin. per tot.

v. 24. *Ipse verò dormiebat.* Negligentia & oscitantia superiorum, mors est subditorum, pro quibus tamen tenentur se suaque omnia cum sanguine profundere. F.3.D.2.n.15. & seqq.

v. 25. *Domine salva nos, perimus.* F.5.D.3. n.5.

v. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei?* De fide vid. D.Pass.n.7.Fer.2. D.5.n.22.F.3.D. 2.n.13.F.6.D.3.n.15.F.2.D.5.n.17. Et Sup. D.3.Epip. v.10.

v. 26. *Tunc surgens, imperavit ventis, & facta est tranquillitas magna.* De efficacia & præstantia orationis. Feria 5. Dom. 1. per tot.

v. 27. *Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei.* D. Pass. n.15.

v. 27. *Mare & venti obediunt ei*, cui intolerabiles molestias facessit peccator. F.6. D. 3. per tot.

Dominica quinta Epiphaniæ.

Matt. 13. *v.* 24. *Simile est regnum cælorum, homini.* F.4.Cin.n.5.

v. 24. *Qui seminavit bonum semen in agro suo*; intellige non ex se, sed per auxilium Dei. vid. Ind.6. Theol. verb. Gratia, justificatio, justitia.

v. 25. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus.* Somnolentia superiorum & Prælatorum, occasio universi mali. F.3.D.2 n.15.16. & seqq.

v. 25. *Cum dormirent &c.* Contra vitium acediæ. F.4.D.5. n.7. Feria 2. Do. 2. n.6.7.

v. 25. *Cum dormirent homines, venit inimicus.* Pavidus adeo est inimicus, ut in luce plena nullum invadere audeat. Do.1. Qu. n.18.19.20.

v. 25. *Cum dormirent homines, venit inimicus.* Tanquam traditor in obscuro. D.1. nu. 13. 14. Et ex insidiis. ibid. à nu. 22. ad 30.

v. 25. *Venit inimicus* zizania superseminaturus, nihil boni allaturus; utpote qui nulli unquam dat vel minimum boni. D.1. n. 32.33.34.35.

v. 25. *Et superseminavit zizania*; Diabolus auctor discordiarum, Deus pacis; de bono pacis. F.3. Resur.

v. 25. *Superseminavit Zizania in medio tritici.* Diabolus perfectioribus vel maximè insidiatur. D.1.Adv. à n.22. ad n.28.

v. 25. *Superseminavit & abiit.* Tentare nos potest, ast in peccatum non præcipitare, nisi per subsequentem consensum liberum. D.1.Qu.n.18.

v. 26. *Cum crevisset herba, apparuerunt & Zizania.* Quò magis sua Deus in nobis multiplicat beneficia, eò magis nos maleficia. Contra ingratitudinem maximam hominum contra Deum. Fer.6.D.2. per tot.

v. 26. *Cum crevisset herba*, fidei animata liquore. Feria 2. Dominica 5. Pass. n.20.

Dominica Sexta Epiphaniæ.

Dom. Septuageſimæ.

Christus ad humani generis conversionem, exantlarit labores, devorarit molestias. F. 6. D. 3. per totum.

v. 6. Quid hic statis tota die otiosi? De necessitate bonæ operationis. F. 4. D. 5. n. 7. F. 2. D. 2. n. 6. & 7.

v. 8. Voca operarios & redde illis mercedem. De præmio æternæ beatitudinis. D. 2. Qu. per totum. Et in Ind. Theolog. verb. Beatitudo & gloria.

v. 11. Et accipientes murmurabant. Contra vitium murmurationis. F. 4. D. 3. n. 44. & seqq.

v. 12. Hi novissimi una hora fecerunt. F. 6. D. 4. n. 20.

v. 12. Hi novissimi una hora fecerunt. Apostoli tantum laborarunt in paucis annis, quantum antiqui patres in sæculis integris. ibid.

v. 15. An non licet mihi, quod volo facere. De malo voluntatis propriæ. F. 4. D. 1. n. 6. & seqq.

v. 15. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? De oculis vid. F. 4. Do. 4. n. 1. &c.

v. 15. An oculus tuus nequam est fusior hujus termini *nequam* explanatio. F. 6. D. 2. n. 12. 17.

v. 15. Quia ego bonus sum. Deus ad extra quâ ratione bonus. Feria 4. Cin. n. 17. 22.

v. 15. Quia ego bonus. De essentia & proprietate boni. vid. Ind. Philoso. verb. Bonum.

v. 16. Sic erunt primi novissimi, & novissimi primi, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. F. 4. D. 5. n. 2. & 4.

v. 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi. De divina prædestinatione; uter omnium fidelium adultorum major sit numerus; an prædestinatorum, an reproborum. F. 4. D. 5. per tot.

Dom. Sexagesimæ.

Luc. 8. v. 5. Exiit, qui seminat seminare semen suum. F. 6. D. 1. n. 17.

v. 5. Dum seminat aliud cecidit secus viam. De modo, utilitate & necessitate audiendi verbum Dei. Feria 3. Dominica 4. n. 31. &c.

v. 5. Aliud cecidit secus viam. Quâ reverentiâ sint audiendæ conciones. ibid. n. 34.

v. 6. Aliud cecidit supra petram. Cur verbum divinum in nobis non ferat fructum. F. 4. D. 1. n. 36.

v. 7. Aliud cecidit inter spinas. Varia de spinis. F. 4. D. 2. n. 25. 26. & seqq. Et F. 4. D. 3. n. 29.

v. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. De fructu & utilitate auditus verbi divini. Fer. 3. D. 4. n. 31. & seqq.

v. 12. Semen est verbum Dei. De verbo Dei. vid. Feria 3. Dominica 4. à n. 31. ad finem.

v. 13. Venit diabolus & tollit verbum. Diaboli dicuntur volucres cœli, & quare. F. 2. D. 3. n. 4. 5.

v. 13. Ne credentes, salvi fiant. De fidei excellentia & necessitate. F. 2. D. 2. per tot. Et econtra de infidelitatis damno. ibid. Item pro utraque materia hac vid. F. 2. D. 5. per tot.

v. 14. Qui supra petram &c. ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Diversa circa tentationes vid. per totam D. 1. Qu.

v. 15. Quod autem in spinas, hi sunt, qui audierunt & à sollicitudinibus & divitijs &c. Contra divites & divitias. Feria 5. Do. 2. pet tot.

v. 16. Quod autem in terram bonam &c. Verbum Dei audiendum & implendum.

Dom. Quinquagesimæ.

Dom. in Albis.

v. 19. *Pax vobis.* De pace vid. disc. integrum F. 3. Resurr.

v. 20. *Cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus.* F. 2. D. 3. n. 18.

De manibus Christi vid. F. 4. D. 2. n. 2. F. 5. D. 4. n. 28. F. 5. D. 3. n. 37.

De latere pariter Christi vid. Ind. 7. Scripturisticum cap. 19. Joan. v. 34.

v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; scilicet ad passiones. Feria 5. Dom. 3. per tot.

v. 21. *Sicut misit me Pater &c.* De missione, qua Pater æternus filius amandavit in mundum ad crucem. Dominica 1. per tot.

v. 22. *Insufflavit & dixit; accipite Spiritum Sanctum.* Vel solus flatus pellit & fugat dæmonem. F. 2. D. 1. n. 12.

v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum.* Fer. 2. D. 4. n. 26. Sab. D. 5. n. 1.

v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* vid. in Ind. Theol. verb. Absolutio, confessio.

v. 23. *Quorum remiseritis &c.* De excellentia sacerdotum. Feria 2. Dominica 4. per tot.

v. 24. *Thomas autem non erat cum eis.* F. 2. D. 3. n. 18.

v. 25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum &c.* ibid.

v. 27. *Mitte manum tuam in latus meum &c.* F. 5. Do. 4. n. 30. F. 2. Do. 3. n. 18. F. 5. D. 3. n. 9.

v. 27. *Et noli esse incredulus, se fidelis.* De malo infidelitatis & hæreseos multiplici. F. 2. D. 2. per tot.

v. 29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* F. 2. D. 5. n. 25.

vers. 29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* De præstantia & valore fidei. Feria 2. Dominica 5. Et Dom 3. Epiph. vers. 10.

v. 31. *Hæc scripta sunt; ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.* De vita æterna F. 2. D. 5. n. 21. Et F. 6. D. 1. n. 22. vid. & D. 2. per tot.

v. 31. *In nomine eius.* De nomine Jesu rarissima vide in F. 3. Do. 1. n. 25. & seqq. Ser. 5. in F. 6. in Mart. n. 14.

Dominica secunda post Pascha.

Ioan. 10. *v.* 11. *Ego sum pastor bonus* partes & munus boni pastoris vid. F. 3. D. 2. n. 15. 20. & seqq.

v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* ll. cc.

v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Fecit, quod docuit vid. discursus de passione.

v. 11. *Pastor bonus &c.* Contra malos pastores, qui se sanguine sustentant subditorum. F. 3. D. 2. n. 23. 24.

v. 14. *Ego cognosco oves meas.* F. 4. Do. 5. n. 1.

v. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Disc. de prædestinatione F. 4. D. 5. per tot.

Dominica tertia post Pascha.

Ioan. 16. *vers.* 16. *Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me.* Quid ni modicum tempus, quod nec ullius diei fruitur præsentia. F. 4. Cin. n. 36. 37. 38.

v. 16. *Et iterum modicum, & videbitis me.* Non sunt condignæ passiones hujus temporis &c. D. 2. n. 28.

v. 16. *Et iterum modicum* &c. Post momodicum tribulationum, æterna succedit visio beatifica. F. 5. D. 3. per tot.

Dominica quarta post Pascha.

Dominica quinta post Pascha.

In Feriis Rogationum.

In Solemnitate Ascensionis D. N. I. C.

Dom. infra Octavam Ascensionis.

In festivitate Pentecostes.

De Spiritu sancto vid. fusè Ind. 4. 6. & 8. verb. Trinitas, num. Spiritus S.

V. 26. *Paraclitus Spiritus sanctus.* Fructus spiritus, gaudium &c. Fer. 4. Cin. n. 21.

V. 26. *Paraclitus &c. quem mittet Pater in nomine meo.* De mysterio SS. Triados vid. in Fest. SS. Trinitatis.

V. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* De pace vid. F. 3. Res. per tot.

V. 27. *Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Mundus & diabolus multa promittunt, sed nihil dant; vel si minimum dederunt, mox iterum auferunt. D. 1. nn. 32. 33. 34. 35.

V. 27. 28. *Non turbetur, neque formidet cor vestrum, quia vado.* Omnium damnorum maximum est recessus Dei ab anima. F. 2. D. 2. per tot.

V. 28. *Vado ad patrem, quia Pater major me est.* Æqualis patri secundùm divinitatem &c. Sab. D. 1. n. 12. Sab. D. 5. n. 14.

V. 30. *Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Probatur impeccabilitas atque innocentia Christi. D. Pass. nn. 2. 3. 4. & seqq.

V. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* De obedientiæ necessitate, proprietate, qualitate, circa cujuscunque (præsertim autem divinæ) legis observantiam. F. 3. D. 4. per tot.

Act. Apost. c. 1. v. 3. Præbuit seipsum vivum post passionem suam &c. Fer. 4. Dom. 1. num. 37.

Act. c. 2. v. 3. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ &c. F. 5. Dom. 1. num. 6. Et F. 6. D. 1. n. 9.

Feria secunda Pentecostes.

Ioan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Utra divinarum personarũ nobis servierit utilius, an Pater æternus, Christum mittens in mundum ad crucifixionem; an verò Spiritus sanctus, eundem Christum ducens in desertum ad tentationem. D. 1 per tot.

V. 16. *Sic Deus dilexit mundum.* De intensione amoris divini erga nos. F. 6. D. 2. per tot.

V. 16. *Ut filium suum unigenitum daret.* Unigenitus, qui est in sinu patris. Fer. 4. Dom. 2. nu. 35. Fer. 6. Cin. num. 41. Et Sab. D. 1. n. 8.

V. 16. *Filium suum unigenitum.* Quomodo ergo S. Joannes dicit: vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre? Fer. 5. D. 3. n. 15.

V. 16. *Filium suum.* Filius meus es tu &c. F. 2. D. 1. n. 19.

V. 16. *Filium suum.* Verè filius Dei erat iste. vid. multoties in Ind. 7. apud Matt. cap. 27. v. 54. Marc. 15. vers. 39. Luc. 23. v. 47.

V. 16. *Ut filium suum unigenitum daret.* De missione vid. sup. Dom. 4. post Pascha vers. 5.

V. 16. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* De valore fidei; felicior est fidelis in terris, quàm beatus in cœlis. F. 2. D. 5. per totum. Vid. & supr. D. 3. Epip. v. 10.

V. 17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum.* Uter Christi adventus magis nobis reformidandus, an ultimus ad judicium &c. an verò primus ille benignus &c. & resolvitur; quòd hic. F. 2. D. 1. per tot.

V. 17. *Sed ut salvetur mundus per eum.* De Christi erga salutem nostram desiderio. F. 6. D. 1. per totum.

V. 18. *Qui credit in eum, non judicatur.* Ecce tibi fructum fidei. vid. F. 2. D. 5. n. 11. 14. 15. 17. 21. & seqq.

Feria tertia Pentecostes.

In Festo SS. Trinitatis seu Dominica prima post Pentecosten.

mas, &c. quarum unaquæque nos præfert Angelis, & assimilat SS. Trinitati. vid. Ind. 2. in suis respectivè singula locis & in Ind. 8.

V. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Do. 3. n. 21. Sab. Cin. n. 39. F. 5. D. 5. n. 25.

V. 3. *Nisi quis renatus &c.* Baptismus simpliciter necessarius ad salutem. D. 3. num. 21. Plura de baptismo vid. in Ind. 6. verb. Baptismus.

V. 6. *Quod natum est ex carne, caro est.* Contra vitium carnis. F. 6. D. 3. n. 6. 7. & seqq. Et F. 4. D. 1. n. 21. F. 4. D. 3. n. 24. F. 6. D. 3. n. 14. F. 4. Cin. n 32.

V. 10. *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras.* De sufficientia requisita in superioribus. F. 3. D. 2. passim per tot.

V. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit* prius per humilitatem. De necessitate & valore humilitatis. F. 5. Cin. Et F. 4. D. 2. per tot.

V. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem &c.* F. 6. Cin. n. 21. Et D. 5. n. 37.

V. 14. *Ita exaltari oportet filium hominis*; crux exaltavit, non depressit Christum. De gloria crucis. D. 5. Q. per tot.

V. 15. *Vt omnis qui credit in eum, non pereat &c.* vid. supr. D. 3. Epi. vers. 10. Dom. Sexag. v. 13. Dom. in Albis. v. 27. 29. & 31. D. 4. post Pasch. v. 9. In Fest. Ascens. v. 14. & 16. Et Fer. 2. Pent. vv. 16. 18.

Pro Festo sanctissimæ Trinitatis fusissimè. vid. Ind. 4. 6. & 8. verb. *Trinitas.*

Item pro epistola, quæ legitur hodie in missa, vid. in Ind. 7. caput 1. & 2. Apocalypseos.

In Solemnitate sacratissimi corporis Christi.

Ioan. 6. vers. 56. Caro mea verè est cibus. F. 5. D. 3. n. 31.

Pro hac materia latius require in ind. 7. caput 6. Joa. à vers. 41. ad 58. Et 1. Cor. 11. v. 23. & 24. Et cap. 26. Matth. vv. 26. 28. Marc. c. 14. v. 25. Et Luc. 22. v. 20.

Item pro materia hujus die vid. Fer. 5. Cin. & quasi per omnes alias ferias quintas subsequentes, saltem in secunda discursuum parte.

Dominica secunda post Pentecosten.

Luc. 14. v. 16. Homo quidam fecit cænam magnam & vocavit multos. Multi vocati, pauci electi de prædestinatione. F. 4. D. 5. per totum. Et Dom. Septuag. vers. 1. & seqq.

V. 17. *Misit servum suum horâ cænæ, dicere invitatis, ut venirent.* F. 4. Dom. 5. num. 33.

Vid. insuper pro hac materia Ind. 6. Verb. Gratia, justificatio, Justitia, liberum arbitrium.

V. 17. *Misit servum suum.* De extremo judicio, quando Angelus Domini convocabit omnes. Fer. 2. Dom. 1. per totum.

V. 17. *Misit servum suum &c.* Non exspectat Dominus, sed sollicitè omnibus modis nostram promovet salutem & conversionem. F. 6. Do. 1. per totum. Fer. 6. D. 2. per tot. Et F. 6. D 3. per tot.

V. 18. *Et cæperunt se omnes excusare.* Vocavi & renuistis &c. F. 6. D. 1. n. 23.

V. 18. *Primus dixit; villam emi &c.* De malo divitiarum. F. 5. D. 2. per tot.

V. 20. *Vxorem duxi, & non possum venire.* Vid. Dom. 2. Epi. v. 1.

V. 20. *Vxorem duxi &c.* Contra carnales voluptates. F. 6. D. 3. per tot. præcipuè autem n. 6. & seqq.

V. 21. *Exi citò, & pauperes ac debiles introduc huc.* vid. D. 2. Adven. n. 5.

Domi-

Dominica quinta post Pentecosten.

Ascendens autem in unam navim. Luc. 5. v. 3. De tormentorum ac tribulationum fructibus. Die Ven. Sanc. per tot. Item F. 5. D. 3. Q. parte prima.

v. 4. Laxate retia vestra in capturam. De magno Christi erga salutem nostram desiderio. F. 6. D. 1. Q.

v. 5. In verbo tuo laxabo rete. De prædestinatione. F. 4. D. 5. per tot.

Vide etiam indicem Rerum & Verborum Verbo Prædestinatio.

Vers. eodem in Verbo tuo. De Verbo Dei. vid. F. 3. D. 4. Qu. n. 31. 32. 33. 34.

Dominica sexta post Pentecosten.

Nisi abundaverit Iustitia vestra Matth. 5. v. 20. De Hypocrisi. F. 4. D. 3. Q.

Nisi abundaverit. vers. eodem. De cultu exteriori corporis & neglectu animæ. Fer. 5. D. 2. Q. n. 32.

v. 22. Omnis qui irascitur fratri suo. De dilectione inimicorum. Fer. 6. Cin. per totum.

vers. eodem. Reus erit gehennæ. De inferno. D. 3. Q. num. 4. Item. Sabb. D. 5. Q. n. 39.

v. 23. Si offers munus tuum ad altare &c. F. 3. D. 3. Q. n. 2.

Dominica septima post Pentecosten.

Misereor super turbam. Marci 8. v. 2. De misericordia Dei. F. 6. Dom. 2. Q. parte prima.

Gratias agens. v. 6. Per quod Salvator ostendit quanto odio prosequatur ingratitudinem. F. 6. D. 2. nu. 11. 12. 13. 14. 18 & usque ad num. 21.

Manducaverunt & saturati sunt. De Eucharistia. F. 5. D. 1. n. 36. F. 5. Do. 3. n. 31. ibidem. n. 36. F. 6. D. 4. Qu. num. 34. ibi. n. 39. Vide indicem Rerum & Verborum verbo Eucharistia.

Saturati sunt. Gloria temporalis & mundana nunquam satiat cum sit purum nihil. Dominica 2. quadragesimæ n. 2. ibid. n. 3. 4. 6. & 7.

Dominica Octava post Pentecosten.

Attendite à falsis Prophetis Matt. 7. v. 15. Per falsos Prophetas Adulatores possunt intelligi. F. 4. D. 1. qu. num. 4. & sequentibus.

Qui veniunt ad vos in Vestimentis ovium intrinsecus autem sunt lupi rapaces. vers. 15. Feria 4. Dominica 3. Quad. num. 4. & sequentibus.

In ignem mittetur. v. 19. De Purgatorio. F. 6. D. 4. per totum.

Fructum bonum. Bona opera sunt necessaria ad salutem Fer. 6. Dom. 2. quad. num. 5. Item Fer. 4. Dominica 5. Quad. num. 7. & 16. Feria 5. Dominica. 1. Qu. n. 14. Item F. 4. Dom. 5. Quad. à n. 28. usque ad 33.

Nunquid colligunt de spinis uvas. v. 16. Per spinas divitiæ possunt intelligi. De Avaritiâ. F. 5. D. 2. Qu. n. 5. 6. 7. & sequentibus.

Dominica Nona post Pentecosten.

Hic diffamatus apud illum. Luc. 16. v. 1. Peccatum diffamat hominem apud Deum eumque reddit odiosum. D. 3 Q. n. 8. inserviunt etiam numeri sequentes.

Et vocavit illum. v. 2. De correctione fraternâ. F. 3. D. 3. Q. n. 5. 6. 7. & seqq. usque ad num. 13. inclusivè.

Dominica Decima post Pentecosten.

Dominica undecima post Pentecosten.

Dominica Duodecima post Pentecosten.

Et ait illi; Ephata quod est adaperire, v.34 De Verbo Dei. Quod est medium ad divinæ legis observantiam. F.3.D.4.Qu.n.31 De eadem materia plura invenies ibi.n.32. 33.& 34.

Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant. v.36. Quia beneficiatus, subdit Lyranus, de beneficiis acceptis debet se gratum ostendere. Contra peccatorum maximam ingratitudinem contra Deum F.6.D.2. per tot.

Dominica decima tertia post Pentecosten.

Diliges Dominum Deum tuum. Lucæ. 10. v.27. De amore erga Deum. Fer.4.Cin. n.22.

Et proximum sicut te ipsum. v.27. De amore inimicorum. Feria 6. Cin. nu. 5.& aliis numeris.

Incidit in Latrones qui dispoliaverunt eum. v.30. De diaboli insidiis quia semper est indefessus in tentando. D.1.Qu.n.30.

Alligavit vulnera eius infundens oleum. v.34. De Eleemosyna. F.2.D.2.Qu. nu.32. 33. 34. 35. 39. Videatur Discursus ex toto.

*Duxit in stabulum, vers.*34. In stabulum instabile hujus mundi. De vanitate & nihilo terræ & mundi hujus. D.1.Qu.n.31. D.2.Qu.n.32.D.1.n.36.D.2.Qu.nu.3.& sequentibus.

Dominica Decimaquarta post Pentecosten.

Occurrerunt ei decem Viri Leprosi. Luc. 17. v.12. De eliminanda immunditiæ lepra. F.6.D.3.per tot.

Steterunt à longè. v.12. Dum essent leprosi indignos se reputarunt qui ad Christum summam mundiciem accederent in quo profundam suam humilitatē ostenderent. De humilitate. F.5.Cin.n.5. num.6.7.8.9. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.20. item n.24. & 37.

Ite, ostendite vos sacerdotibus. v.14. De confessione. Dom.3. Qu.n.20. usque ad num.41.

Nonne decem mundati sunt? v.17. De ingratitudine. F.6.D.2. incipiendo à num.11. & deinceps.

Item potest tractari de lepra omnium maximè abominabili Luxuria. Vide Indicem 8. Verbo Lascivia.

Item de Lepra spirituali animæ; Vide ibi. Verbo Peccatum.

Dominica Decimaquinta post Pentecosten.

Non potestis Deo servire & Mammonæ Matth. 6. v.24. De divitiis. F.5.Do.2.Qu. n.7.&26.& deinceps. Item de Avaritia. Discursu eodem. n.5.6.7.9.10. & sequentibus usque ad n.24. inclusivè.

Scit enim Pater vester quoniam his omnibus egetis. v.32. De providentia Dei respectu suarum creaturarum. Do.4.Qu.n.4. & sequentibus.

Quærite primùm regnum Dei. v.33. De Beatitudine. D.2.Qu. per tot.

De vestimento quid solliciti estis. v.28. De vestitu & ornatu superfluo, qui plurimum est damnabilis. Feria 5. Dom.2.Q. n.32.

Dominica Decimasexta post Pentecosten.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. v.12. Mors in finali impœnitentiâ quam nociva. F.2.D.2. Qu.n.18.

Quam cum vidisset, misericordiâ motus. v. 13. De Dei nimiâ erga homines misericordia. F. 6. D. 2. Qu. n. 4. 5. 6. 7. 8. Item Sab. D. 1. Qu. n. 15. D. 2. Qu. n. 25. Fer. 4. D. 1. Q. n. 1. Fer. 6. D. Qu. n. 12. F. 3. D. 3. Qu. n. 1.

Ecce defunctus efferebatur. v. 12. F. 5. D. 4. Qu. per tot.

Noli flere. v. 13. Vide Indicem. VIII. Verbo Lacrima.

Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui v. 15. Magnum malum est lingua detrahentis. F. 4. D. 3. Qu.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum. vers. 16. Inspice Indices De Gratitudine & Ingratitudine.

Dominica Decima septima post Pentecosten.

Et ipsi observabant eum. Luc. 14. v. 1. scilicet ut ipsum caluminarentur. De Invidia, Dominica 3. Qu. n. 2. 6. 7. 8. 9. 10. & n. 17.

Et ecce quidam hydropicus. v. 2. Sicut Hydropicus non satiatur potu, sic nec divites bonis hujus mundi. De divitiis. Item de Avaritiâ. Vide Indicem. VIII. Verb. Divitiæ. & Avaritia.

Ipse vero apprehensum sanavit eum. vers. 4. De Misericordia Dei. Vide Indicem sextum, & octavum verbo Misericordia.

Recumbe in novissimo loco. v. 10. De quorundam Ambitione, qui primas semper quærunt. F. 4. D. 2. Qu. n. 3. ibidem n. 6. n. 24. 25. n. 30. F. 4. D. Qu. per tot. de hoc Vitio.

Dominica Decimaoctava post Pentecosten.

Magister quod est mandatum magnum in lege? Matth. 22. v. 30. De observantiâ legis divinæ. F. 3. D. 4. Q. n. 13. ibi. n. 16. 17. 18. 19. 20. &c.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. v. 37. De amore Dei & proximi. F. 5. Cin. n. 22. Et F. 6. Cin. n. 5. & seq.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. F. 6. Cin. n. 6.

Secundum simile est huic. v. 39. ibi.

In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ. v. 40. ibid.

Quid vobis videtur de Christo? v. 42. Vide in Indice octavo Verbo Christus.

Dominica Decimanona post Pentecostèn.

Ascendens Iesus in naviculam transfretavit. Matt. 9. Qui sint apti ad sequelam Christi. Feria 3. Dominica 4. Quad. per tot. Et F. 4. D. 1. n. 8.

Remittuntur tibi peccata. v. 2. Vide Indicem octavum. Verbo Confessio & Pœnitentia.

Vt quid cogitatis mala? v. 4. F. 2. D. 4. n. 11.

Iacentem in lecto. v. 2. Id est peccato. Vide Ind. octavum Verbo peccatum.

Vade in Domum tuam. v. 6. Vade in Domum tuam, in considerationem tui quod sis mortalis. De memoria mortis. F. 4. D. 4. Qu. n. 32. & seq.

Dominica Vigesima post Pentecosten.

Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo. Matt. 22. v. 2. Potest agi de Eucharistia. Vide Indicem octavum Verbo Eucharistia, ubi copiosam invenies materiam.

Parata sunt omnia. v. 4. De Beatitudine. D. 2. Qu. per tot.

Non vestitum Veste nuptiali. v. 11. De amore Dei. F. 4. Cin. n. 22.

Mittite eum in tenebras exteriores ibi erit fletus & stridor dentium. v. 13. De pœnis inferni, aut de Purgatorio. F. 6. Dom. 4. per tot.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. v. 14. De Prædestinatione. F. 4. D. 5. per tot.

Dominica Vigesima prima post Pentecosten.

Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur. Ioan. 4. v. 46. Ecce etiam Juvenes ac adolescentes de vita securi non sunt. De morte quam illa sit in finali impœnitentia nociva. F. 2. D. 2. n. 18.

Cujus filius infirmabatur. v. 46. Optimè infirmabatur hic filius, quia aliàs pater eius nunquam ad Christum venisset & orasset illum ex quo habes quod tribulationes sint nobis valde utiles. F. 5. D. 3. Qu. nu. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. &c.

Rogabat eum v. 47. De efficaciâ orationis. Vide Indicem octavum. Verbo Oratio.

Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus. v. 50. De Fide. F. 2. D. 5. Qu. per tot.

Dominica Vigesima secunda post Pentecosten.

Assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Matth. 18. v. 23. De strictissimo Judicio extremo F. 2. D. 1. Qu. n. 1. & sequentibus. Item vide Ind. 4. Verb. Judicium.

Misertus autem Dominus. v. 27. De misericordia Dei. F. 6. D. 2. Qu. n. 4. & seq.

Serve nequam omne debitum dimisi tibi, nonne ergo oportuit &c. v. 32. De amore inimicorum. F. 2. Cin. per tot.

Tradidit eum tortoribus. v. 34. Utique propter Ingratitudinem. F. 6. D. 2. nu. 11. & seqq.

Quoadusque redderet. v. 34. De purgatorio ubi restantes nævi usque ad novissimum sunt purgandi F. 6. D. 4. per tot.

Dominica Vigesima tertia post Pentecosten.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt. Matt. 22. v. 15. De Tentatione D. 1. Qu. per tot.

Magister scimus quia verax es. v. 16. Adulantur ut decipiant. De Hypocrisi. F. 4. D. 3. Qu. n. 4. & quasi per tot.

Non respicis personam hominum. v. 16. De Justitiâ F. 3. D. 1. Qu. n. 2. 3. 4. 5. & 6.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo. v. 21. Deus toto corde nostro vult amari & honorari. De amore Dei. F. 4. Cin. n. 22.

Dominica Vigesimaquarta post Pentecosten.

Loquente Iesu ad turbas. Matth. 9. vers. 18. De efficacia verbi divini. Fer. 3. Dom. 4. Qu. n. 31. & seqq.

Adoravit eum dicens. v. 18. De efficacia orationis. F. 5. D. 1. Qu. per tot.

Accessit retrò. v. 2. De Humilitate. Fer. 5. Cin. n. 6. 7. 8. 9. 10. 12. & seqq.

Non est mortua puella sed dormit. v. 24. De universali Resurrectione F. 2. & 3. post Festum Resurrectionis Dominicæ.

Dominica Ultima post Pentecosten.

Erunt signa in Sole & Luna. &c. Lucæ. 21. v. 25.

Super hoc totum Evangelium vide

Dominicam primam Adventus, ubi illud pertractatur fusissimè.

Festa Sanctorum.

Pro Festo S. Andreæ Apostoli.

At illi continuo. &c. Matth. 4. De prompta obedientia. F. 3. Do. 2. Qu. quasi per tot.

Pro Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.

Habes de hac Materia integrum ac pulcherrimum sermonem Sabbatho post Cineres. Invenies etiam in singulis sermonibus pro sabbatis materiam sufficientem, pro laudibus B. V. M.

Pro Festo S. Thomæ Apostoli.

Non credam. Joann. 20. Fer. 2. Dom. 2. Quad. De infidelitate.

FESTA.

Nativitatis Domini.
S. Stephani Prothomartyris.
S. Joannis Evangelistæ.
SS. Innocentum.

Item Festum circumcisionis Domini & Epiphaniæ quære in Indice de tempore, ubi plurima pro materia prædicabili invenies annotata.

Pro festo Purificationis B. M. V.

Postquam impleti sunt dies. Luc. 2. Licet non teneretur lege Purificationis B. Virgo tamen se propter humilitatem subjecit. De virtute Humilitatis Feria 5. Cineris num. 5. & plurimis sequentibus.

Pro Festo S. Matthiæ Apostoli.

Venite ad me omnes. Matth. 11. De magno & ardenti desiderio quod Christus habet erga salutem nostram.

Pro Festo S. Iosephi.

Vide sermonem integrum de hoc glorioso Patriarcha in fine partis secundæ.

Pro Festo Annunciationis B. M. V.

Vide similiter sermonem proprium in fine memoratæ partis secundæ.

Pro Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joann. 14.

De Beatitudine. Dom. 2. Quadrag. per tot.

Pro Festo Inventionis S. Crucis.

Oportet exaltari filium hominis. Ioan. 3. Scilicet in cruce, de cujus gloria & Majestate habes plurima. Dom. 5. Pass. die Ven. Sancto per totum singulis feriis sextis Mart. præcipuè autem Serm. 5.

Pro Festo S. Ioannis Baptistæ.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1. De Joanne Baptista, eius humilitate & magnis prærogativis habes multa F. 5. Cinerum. Potest etiam agi de virtute Pœnitentiæ, jejunio, Bono exemplo.

Pro

Pro Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Quodcunque solveris super terram, erit etiam solutum in cœlis. Matt. 16. Potest agi de Confessione. Dom. 3. Qu. n. 20. & seqq.

Pro Festo Visitationis Deiparæ.

Unde mihi hoc ut Mater Domini mei veniat ad me. Luc. 1. De magno fructu quem Elisabeth ex visitatione Virginis Mariæ accepit: Christus enim sine Maria non dispensat gratias. Sabbatho. Dom. 4. n. 26.

Pro Festo D. Iacobi Apostoli.

Potestis bibere calicem. Matth. 20. Non pervenitur ad gloriam, nisi per calicem Passionis. De utilitate Tribulationum. F. 5. D. 3. num. 4. Item Feria 2. Dominica 1. n. 30.

Pro Festo D. Annæ

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matt. 13. De thesauro abscondito ab oculis nostris in hac vitâ, scilicet gloria cœlesti. D. 2. Qu. per tot. Item F. 4. Cin. n. 4. & n. 5.

Pro Festo S. Laurentii.

Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam. Ioann. 12. Anima æqualis valoris est cum Deo. F. 4. Cin. n. 6. F. 3. Dom. 3. Qu. n. 16. Vide indicem octavum verbo Anima.

Pro Festo Assumptionis Deiparæ.

Optimam partem elegit sibi Maria Luc. 10. Non mirum B. Virginem optimam partem elegisse, quia in attributis simillima uni trinòque Deo. Sabb. Dom. 2. per tot.

Pro Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Erat pernoctans in oratione Luc. 22. Hoc & tu debes facere, quia oratio est Clavis cœli, F. 5. Do. 1. Qu. n. 15.

Pro Festo Nativitatis B. M. V.

Liber Generationis Christi &c. Matt. 1. De venustate hujus natæ virginis corporali. Sabb. Do. 4. Qu. per tot.

Pro Festo D. Matthæi Apostoli & Evangelistæ

Volo misericordiam & non Sacrificium. Matth. 9. Ex quo vides quam grata Deo sit eleemosyna. De hac habes materiam. F. 2. Dom. 2. Qu. num. 32. 33. 34. 39. 37. & num. 40.

Pro Festo S. Michaelis Archangeli.

Quis putas major est in regno cœlorum. Matth. 18. De venustate angelorum vide. D. 2. Qu. n. 18. Item si placet consule Indicem Theologicum. Verbo Angelus.

Pro Festo SS. Rosarii.

Liber Generationis Iesu Christi Matth. 1. De Rosarii Origine lege. D. 3. Qu. n. 44.

Pro Festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ.

Pro Festo omnium Sanctorum.

Pro Festo Præsentationis B. M. V.

Pro Festo Dedicationis.


Admonitio ad benevolum Lectorem.

Non videbatur opus plura adiicere Themata cum prudenti Lectori tam copiosi Indices, ubi vel obiter fuerint lustrati, sufficientem, ac uberem tam pro Dominicis, quàm pro Sanctorum festis dicendi subministrabunt materiam.


Omnia ad majorem Dei gloriam.

F I N I S.




22

22



[illegible]mes
Annales
de Naples